8218

A XXXIII o

47416

SYSTEMA NOVUM MECHANICO HIPPOCRATICUM

De Morbis Fluidorum, & Solidorum, ac de ſingulis ipſorum Curationibus.

OPUS THEORICO-PRACTICUM

JOSEPHI THOMÆ ROSETTI

Phyſicæ, & Medicinæ Profeſſoris.

D. O. M.

Ut Donum Suum Redditum, Atque DICATUM.



VENETIIS, MDCCXXXIV.

APUD ANTONIUM BORTOLI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI PARTIS PRIMÆ.

Cap. 1. DE Doctrinarum in Arte novitatibus. pag. 3
Cap. 2 Humanæ Machinæ conſideratio. 8
Cap. 3. De Enormontico niſu. 10
Cap. 4. De Enormontica in ſanguine exiſtentia. 17
Cap. 5. De Enormontica geneſi, & natura. 21
Cap. 6. De Enormontico niſu in ſanguine depurando. 29
Cap. 7. De Fermentatione. 34
Cap 8. An ſanguis fermenteſcat. 36

LIBRI PRIMI.

Partis Secundæ.

Cap. 1. DE Melancholico Delirio. 46
Cap. 2. De Mania, 63
Cap. 3. De Spaſmo. 72
Cap. 4 De Epilepſia. 82
Cap 5. De Apoplexia. 102
Cap. 6. De Paralyſi. 118
Cap. 7. De Vertigine. 134

LIBRI SECUNDI.

Partis Primæ.

Cap. 1. FEbris natura conſideratur. 141
Cap. 2. Febris Definitio, & explicatio. 149
Cap. 3. De intimo Febris Efficiente. 153
Cap. 4. De Febris Occaſionibus ſimplicibus. 161
Cap. 5. De Febris Occaſionibus veneficis. 166
Cap. 6. De Febrium Differentiis. 170
Cap. 7. De Febrium Symptomatis, 173
Cap. 8. De Febrium Signis. 175

Partis Secundæ.

Cap. 1. DE Naturæ Curatione, ſeu de Criſi. 182
Cap. 2 De Artis curatione, & primo de Diæta. 186
Cap. 3. De Pharmacis, & primo de Vitalibus. 191
Cap. 4 De Febrifugis auxiliis. 197
Cap 5 De Præparantibus. 202
Cap. 6. De Purgantibus omnibus. 214
Cap 7. De Phlebotomia. 211
Cap. 8. De Cucurbitulis, Hirudinibus, & Veſſicantibus. 215

Partis Tertiæ.

Cap. 1. MEdentis munia expenduntur. 220
Cap 2. De Febre Intermittenti. 224
Cap. 3. De Febre Quartana. 236
Cap. 4. De Continuis ſimplicibus. 239
Cap. 5 De Febribus veneficis. 250
Cap. 6. De Veneficis coagulativis. 253
Cap 7 De Veneficis colliquativis. 257
Cap. 8. De Hectica Febre. 265
Cap. 9. De Scorbuti Febre. 274

LIBRI TERTII.

Partis Primæ.

Cap. 1. DE Cephalalgia. 284
Cap. 2. De Vigiliis. 288
Cap. 3. De Delirio. 290
Cap. 4. De Soporoſis affectibus. 292
Cap. 5. De Convulſione. 298
Cap. 6. De Animi Deliquiis. 300
Cap. 7. De Tuſſi. 303

Cap.

Cap. 8. De Hæmoptyſi. 309
Cap. 9. De Phthiſi. 315
Cap. 10. De Thoracis Inflammationibus. 327
Cap. 11. De Empyemate. 344
Cap. 12. De Aſthmate. 351
Cap. 13. De Nauſea, & Vomitu. 369
Cap. 14. De Cardialgia. 376
Cap. 15. De Singultu. 382
Cap. 16. De Cholera morbo. 388
Cap. 17. De Alvi fluxibus. 397
Cap. 18. De Ictero. 414
Cap. 19. De Petechiis. 420
Cap. 20. De Morbillis, & Purpura. 423
Cap. 21. De Variolis. 429
Cap. 22. De Phlegmone, & Eryſipelate. 449
Cap. 23. De Arthritide Fixa, & Vaga. 453

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del *P. Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore* nel Libro intitolato. *Novum Syſtema De Morbis Fluidorum, & Solidorum, Opus Joſephi Thomæ Roſetti Medicinæ Profeſſoris* non eſſervi cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza *ad Antonio Bortoli Stampatore*, che poſſa eſſere Stampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 12. Novembre 1733.

(

(*Andrea Soranzo Proc. Rif.*

(*Pietro Grimani Cav. Proc. Rif.*

Agoſtino Gadaldini Segretario.

SYSTE-

SYSTEMA NOVUM
DE MORBIS FLUIDORUM, ET SOLIDORUM
Ac Propriis omnium Curationibus.
LIBER PRIMUS.
PARS PRIMA.
PRÆFATIO.

1 DEO benedicto favente, Medicinæ provinciam, diuturna praxi luſtratam, deſcribere aggredimur; labor temporibus hiſce dubia ſorte ductus, cum undique implicatam ſemitam inveniamus, & an optatam metam aſſequamur, animo pendemus. Arduam enim Scientiam, plurimiſque opinionibus magis aſperam recolere, mens formidat,

Et timet antiqui funeſta pericula caſus. Senec. *in Hipp.*

Timor ſanè cautus, qui Doctos plurimos incutit, ne in hanc arenam deſcendant; equidem tot deſudatos eximiorum Medentum labores non adhuc avidis novitatum animis ſatis eſſe comperitur; ideo quid novi, quod genio indulgeat, quidque veritati conſonum, quo mens ſapiat, invenire, ac exponere, nimis operoſum extat. Potiſſima enim contentionis hujus origo eſt obſcura ſæpè ſcientiæ noſtræ caligo, quæ cum ambiguis conjecturis innitatur, ac experientia non raro ancipiti ducatur, mentes veritatis anxias nunquam ſatis implet. Et pro certo viventis corporis œconomiam inveſtigare, ac illius deliquia recta lance perpendere, Scientiæ, Arteſque Medicinæ adjutrices non ſemper aſſequuntur. Hinc ardua nimis vitalis Machinæ dignotio variis, ac reluctantibus opinionibus anſam præbuit, quæ plurimos ſæpè ducunt, *non quò eundum eſt*, *ſed quò itur*. *Senec.*

2. In hiſce ergo ambagibus ne facile dilaberemur, tutiores greſſus ab Hippocrate primum, & inde ſimul a recentibus Anatomicis, Chymicis, Mechaniciſque rite digeſtis experimentis petere duximus; ſicque abditas morborum ſcatebras, fomiteſque adhærentes cauta Theoria inveſtigare, compertiſque diu remediis Therapejam dirigere, æquiori ductu conſulimus; per multas item celebriorum Practicorum obſervationes pro adjumento ſelegimus, at niſi legitimis experimentis, rationeque pediſſequa comprobata ſint, nullorum placita approbavimus. Vacua enim, & vana philoſophandi argutia ſine experientia eſt; *cum hac neglecta magni etiam Philoſophi maxima in Philoſophia monſtra pepererint*, ut docte ſentit *Kircherus de art. magn. lib. 3. part. 3. cap. 3.* Experimentis itaque, & rationibus firmiter inhærendo (ſæpius namque Artis pericula inſpeximus) opus hoc noſtrum conſtruere ſategimus, his, inquam, tutus Morborum ditiones luſtrare tandem deliberavimus.

3. Veruntamen quia prolixa indago hæc vaſtas nimis, ac varias morbidarum affectionum provincias excurrere cogit; ideo in proprias cuique partes molem hanc maximam diſtribuere duximus, primoque Fluidorum, & inde Solidorum humanæ Machinæ defectus inveſtigare, ac indicatis curationibus a deliquiis redimere. At cum Animantium fluida ſpiritali aura turgentia ſint, diſtinctas adhuc inveſtigationes repoſcunt; ideo primum de potiori, ac ſpirituoſa fluidorum parte, ſeu de Enormonticis morbis, per ſe tantum expenſis; poſtea de fluidis ſimul mixtis, ſeu de Febribus, ac eorundem ſymptomatis verba facere, duplicique Tractatu, favente Deo, abſolvere confidimus. Non omnes tamen, ſub Enormontica labe militantes, morbos in hoc primo expendimus; cum plurimos hujus cenſus in ſequenti de Febribus expeditos fecerimus; ſed illos tantum inſequimur, qui proprio charactere oriuntur, ſæpeque ſine febri adoleſcunt, gravioreſque, ac frequentiores invadunt. Plurimæ demum Enormontici niſus ponderationes in operis hujus limine ſe offerunt, ut faciliorem ad morbos hoſce inviſendos, aditum aperiant. Quantum enim ſyſtemati noſtro opportuna, tantum Arti noſtræ neceſſaria exiſtimavimus præliminaria iſta; cum nimis poſt Hippocratem vel deturpatum olim horruiſſet, vel neglectum hodie obmuteſcat Enormon; etſi abſque ipſo mutila Medicina ſit. Ad ipſum enim præcipuè ſpectat, viventis machinæ functiones omnes efficere, ac perficere, vel delinquendo depravare, aut deficiendo abolire, cum in vitali regia primus Animæ miniſter, & quandoque Tyrannus ſit.

4. Fave igitur B. L. præliminaria dicta, quæ ſyſtematis noſtri nucleum ſervant, minime negligere, nec ſine ratione contemnere; certo ſciens, quòd unica noſtri laboris intentio ſit, ſanctæ Veritatis cultum, Artis noſtræ profectum, ac Ægrotantium ſalutem exquirere; ad quam metam ſimul currere Sapientis, obſtare verò doloſi animi eſt. Hæc tibi, Amice, ab intimis nata prodimus; fave tu ergo lucubrationes iſtas candida mente luſtrare, memor, ſi mendas reperies, quòd homo ſis & ipſe, ni cum Diogene potius Cynicum canem eſſe glorieris. Humana enim ſunt, quæ ſcripſi, & humana ex mente producta, ac in humanam medelam digeſta; humanus ergo & tu ſis, ut quæ expungenda reperies, non improperare, ſed excuſare, vel humaniter corrigere ſtudeas. Spero autem te magna in hiſce non reperturum deliquia, pauca verò neglecturum eſſe; ne ex inſectis animalculis ſis, quæ in fragranti pomo exiguam maculam appellunt, nec fœdo dente exedere ſaturantur, donec pollutum, marcidumque relinquant. Has ergo primitias noſtras pari corde, quo tibi offero, accipe, ſic & mihi modo fave, & tibi ſemper vale.

DIS-

DISSERTATIONES PROŒMIALES.

CAPUT PRIMUM.

De Doctrinarum in Arte Novitatibus.

1 NOn omnino a recto aberraſſe videtur, qui critica indole ductus, dijudicare auſit, quod ſcire in Phyſicis Doctrinis, Priſcorum Ætates neſciebant; cum plenam philoſophandi libertatem, Seniorum veneratio vetaſſet. Profectò ex illarum diſcendi methodo, non quidem ſcire, ſeu veritatem per cauſas inquirere, propriamque ſibi acquiſitam demoſtrare notionem; ſed Magiſtri verba, memoriæ infigere, ac in ipſa jurare, communi placito ducebantur, ut appoſitè cenſuit *Seneca Epiſt.* 33. Quamobrem ſat erat dicere; hanc Socratis ſententiam eſſe, ipſe dixit, & ſufficit; an autem verax dictum falſumve fuiſſet, inquirere, *flagitium eſſe cenſebant*, *Plutarcus* teſtatur. In hac ergo fiduciali temporum illorum deſipientia, ſic propria feliciter inſinuare, ac firmare theoremata, Philoſophis contigit, ut in illorum veneratione, ſæculorum commenta conſumerentur; & licèt inter ambages, & fallacias cordatiores diſcipuli ſe fluctuare percepiſſent, veneratas tamen abdicare doctrinas, nemo audebat; dicebant pavidi, *Magiſtris infandum eſt contra affari*, ut *Dion. Caſſ.* retulit. Huc uſque pervenit, nec plus ultra excurrere auſit, Veterum miſeranda vecordia.

Nimia veterum veneratio.

2. Aſt ſicuti ſpretis Abilæ terminis, ad abditas inquirendas terras, cordatus ille Columbus volitare non horruit; novumque Priſcis ignotum Orbem noſtro veteri tribuere, ac extrema Mundi utiliter communicare; ſortitus eſt hac ita eadem fælicitate, ni fallor, in literarum pelago veneratos Priſcorum evertere limites, illiſque terga vertere, jam didicere Sapientes; ſic feliciori ductu nova explanare itinera, abditaſque notiones detegere, compertiſque Anatomicis, Chymicis, Mechanicisque opulentiis præſentes, futuraſque Ætates ditare, conſequuti ſunt; ſicque tandem cupida veritatis indago nova invenire cœpit, cum vetera commentare dimiſerit. Non enim Vetuſtati fidimus ultra, nec priſca illa ſervili credulitate juramus in fide majorum, quaſi a vetuſtate deificatos, nil ignoraſſe, nihilve falſum ſtatuiſſe, credendum ſit. Bone Deus! Poſtquam ſervilem catenam confregerunt Ingenia, quot poſt *Harveum* ignota, veraque Anatomica emerſerunt inventa? Quot poſt *Paracelſum* Pyrotechniæ arcana ſalubria detecta ſunt, Quot poſt *Carteſium* nova probabiliora Phyſica illuxere theoremata? Sic Iſti, Veterum auxiliis neglectis, propriam virtutem ad abdita detegenda concitarunt. Plautum hic audiri decet.

Recentiorum indagines.

> *Virtute ambire oportet, non favitoribus.*
> *Sat ille habet favitorum, qui virtutem habet.*

Benedicta ergo ſemper virilis Recentiorum indago, quæ tot notiones, in obſcuris latibulis demerſas, nobis revelavit.

3. Hanc eandem inveniendi, ſcientiarum perfectricem, anxietatem a Priſcis cordatioribus exultam, licèt a Poſteris per tot ſæcula neglecta, ſæpè reperio. Et primo antiquorum celebris Hippocrates hoc apprime quæſivit, ut idem ipſe teſtatur *Lib. de Art. num.* 1. *Mihi verò invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa ſunt, quod ipſum notum, quam occultum eſſe præſtat, ſcientiæ votum, ac opus eſſe videtur.* Nec diſſimili lance hoc idem ponderavit *Plato dialog. de ſcient.* docens. *At veritatem inquirere, quemadmodum nunc dicebam, & invenire, exiguum quid eſſe putas, & non ex his, quæ penitus ſumma ſunt?* In hanc ergo veritatis indaginem Veteres cordatiores defatigare ſtuduerunt, quia ejuſdem ditionem occupare tandem poſſe quilibet credidit. Veruntamen etſi multa invenire, ſimulque poſſidere, conſequuti ſint: non parum adhuc, *ſed multum ex illa etiam futuris relictum eſt: Senec. epiſt.* 33. nos mo-

Priſcorum inveniendi cupiditas.

monet. Quot res adhuc ignotæ, vel ſaltem ambiguæ ſemper, ulteriorem indaginem petant, plurimæ ſcientiarum obſcuritates paſſim edocent. Quamobrem recte inſtruit *Plutarcus Diſput. de profect. mor. Quod in philoſophando itinere nulla ſit ceſſatio, nullaque perpetui progreſſus intermiſſio.* Quaſi Philoſophi ſit, circa Veritatem, cujus immenſæ, communeſque cum infinito, ſunt extentiones, perpetuò progredi debere. Pro certo philoſophandi profectus illis deficit, quibus aliorum inventa ſatis ſunt; audi *Lactantium lib. de orig. cap. 8. Quare cum ſapere, ideſt veritatem quærere, omnibus ſit innatum; ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine judicio inventa Majorum probant, & ab ipſis pecudum more ducuntur.* Docuit hoc antea ſimili monitu *Seneca* in illa ſæpius, ſed nunquam ſatis memorata, de veritate inquirenda *Epiſt. 33. Turpe eſt enim ex commento ſapere. Hoc Zeno dixit; tu quid? Hoc Cleantes; tu quid? Quouſque ſub alio moveris? Et impera, & dic quod memoriæ tradatur, aliquid & de tuo profer;* & poſt pauca concludit. *Nunquam ergo invenietur, ſi contenti fuerimus inventis; præterea qui alium ſequitur, nihil invenit, imo nec quærit.* Concludamus itaque, quod ad veritatem perpetuò inquirendam Majores ipſi alacriter nos impellant; impellitque omnes innata ſciendi cupido; etenim mentis amor ſcire eſt, ac intuendæ veritatis ardor, quæ tam decora eſt, quàm deformis inſcitia, quàm turpe mendacium; & ideo nos inflammat, quia decipere veritas neſcit; quod falſum veriſimile ſæpe ſortitur, dum doloſa veri ſimulatione deludit.

Errantes vitare decet. 4. Profectò falſa multa, Veritatis facie larvata, ſcenam in orbe ludunt, & illudunt, quibus deceptæ mentes nimis olim fidiſſe, ſeductaſque fuiſſe hodierna lumina revelant. Nobis ergo fæliciter ceſſit veritatis indagandæ cupido; Quia novis experimentorum luminibus ducti, Priſcorum errores vitare aſſequuti ſumus. Veterum ergo veſtigia, ubi defecerunt, relinquere, Philoſophi eſt; non enim verum, quia Platonis, vel Ariſtotelis, ſed quia verum perſequimur, unde cognita Majorum ſeductione, ab illis deflectere, nequit dici, a veritate aberrare, ſed Errantium ludibria devitare. Amicus igitur Plato, amicus Socrates, ſed magis amica Veritas. Equidem Veteres omnes, cum homines eſſent, eludi facile poterant, ſicuti in multis deceptos fuiſſe oſtendunt, cùm ſectarum pugnantia principia, tum principiorum repugnantia dogmata. Hinc Plutarco notante, *Proteum veritatem fuiſſe, credidit Vetuſtas*; quia Falſum ſæpe veriſimili forma larvatum illuſa venerabatur, illuſionemque colebat. Cæcitatis hujus gemina erat occaſio, mentis nempe credulitas, & rerum inſcitia; mens abſque Autopſia lippiebat; res abſque Pyrotechnia illudebant; ſic hiſce orbata luminibus, aliquo veriſimili larvata principia ſtatuebat, quæ a vero diſſona, concluſiones neceſſe falſas, præbebant; ſic ex. gr. cum quatuor elementa mixtorum ſyſtaſin componere ſtatuiſſet, plurimas ex hoc principio fallacias deducere cogebatur.

Veterum de morbis opiniones. 5. Cæteris autem, quæ ad inſtitutum non attinent, omiſſis, ut ad noſtra demum pomæria deſcendamus; in Morborum inquiſitione quot falſa, etſi ut plurimum veriſimilia ante, & poſt Hippocratem Medentum placita divagarunt? Quot fuere; (Senecæ verbis utor) *qui potuiſſent ad ſcientiam pervenire, niſi putaſſent, ſe jam perveniſſe?* Veteris quippe medicinæ dogmata ſcientificam artem jam perfeciſſe, credidere Vetuſti; ſic in propria ſententia firmati Empyrici, ſic Methodici, ſicque Dogmatici, cæterique Veteres putaverunt; at quia in recta Cauſarum dignotione defeciſſe, nunc noſcitur; ideo haud ſcientiam quidem, ſed meram opinionem excolere deſudarunt. Equidem blandis veriſimilibus decepti, ac elementorum qualitatibus innixi, igneam ex. gr. Febrem dixerunt, cum adhuc gelida ſit; fervidamque intemperiem ejuſdem fomitem eſſe; cum humorum putredine vitalis aura ſociari; ac balſamicum ſanguinem ocyter putreſcere, & citò reviviſcere crediderunt; ad hujus metamorphoſis origenem explicandam, nunc humorum corruptelas varias, nunc ſpirituum excandeſcentias, nunc viſcerum lues plurimas, nunc tandem externas prophaſes adhibuere; ſicque ut unicam Febris eſſentiam deſcriberent,

rent, ad varias, differenteſque Cauſas ambiguè ſemper confugere videbantur. Non ergo rem per cauſam agnoverunt, qui veram Febris originem non perceperunt; audi vetuſtatis cenſorem *Helmontium tract. de febr. cap. 1. Febris morbus eſt, vel a limine notus quidem, at nunquam a Medentibus cognitus hactenus in cauſis, modo fiendi, ſedibus, &c.* Quod ſi libentius Galenicum Doctorem audiveris, illicò adeſt priſcorum anteſignanus Sennertus, qui ſuo tempore Humoriſtarum ambages inſpiciens, *lib. 1. de febr. in præfat. ad lector.* ſic ingenuè confeſſus eſt. *Neque enim omnia in doctrina febrium ita expedita, & plana ſunt, ut inveſtigatione, & labore amplius opus non ſit; quod qui in praxi verſantur, quotidie experiuntur.* Et ſane quidem ſatis clarè ab oculata praxi non rarò theoriæ lapſus deteguntur; demum ibidem concludit. *Spero tandem quoſdam ad Naturæ lucem oculos aperturos, & in generationis, & corruptionis rerum diligentius inquiſituros, nec ſaltem in Qualitatibus primis, & cauſis remotis hæſuros; ſed ut proximas cujuſque mutationis cauſas inveniant laboraturos.* Sic aperte Practicus ille celebris ſupra relolleas fallacias, ineptaſque febrium cauſas, ad Naturæ lumen oculos tandem aperturos ſperabat; nec illius votum evanuit; propera namque Poſteritas intemperierum labes inſpiciens, illas proſcribere didicit; ſurrexitque ſimul Ætas novo autopſiæ crepuſculo expergefacta, quæ ut Artis pericula illuminaret, novas Medicinæ lampades accendit, quibus lucis pabulum perennant Matheſis, Pyrotechnia, & Anatomia. Hiſce luminibus ergo medendi dogmata plurima reſtaurata videntur, plurimaque in novas cathedras audiuntur ſyſtemata. Et o quàm decora eſt recens hæc doctrinarum Athenas, priſca longe nobilior.

Recentes Doctrinæ perpenduntur. 6. Hic autem ſiſtere greſſus, plenamque impendere mentem, æque nunc expedit. Profectò quas Medicinæ moles Recentiorum laboribus fundatas inſpicimus, quæque nova multa ſuper veteres ruinas noviſſime condita inviſimus, non quidem omnino, nec ſine cauta notione animo comprobare, laudibuſque celebrare feſtinamus; & licèt notum ſit, Scientias, Arteſque plurimas hiſce proprios tribuiſſe labores, (hic namque Chymia, ibi Anatome, alibi Mechanica propriis ſumptibus plurima poſuere fundamenta) non attamen unicum, rectaque concordia tutum, ſurgit Medicinæ Atheneum; quippe varias paſſim Doctorum inſpicimus moles, in quibus diverſa, diſſitaque archetypa ſigna videmus. Aliter enim ingenuum extruxit *Helmontius* medicinæ ædificium; aliter adhuc plauſibilem proprium erexit *Williſius*; aliter practico typo ſibi fundavit *Sylvius*; aliter etiam ſub *Tachenii* modulo *Ettmullerus*; aliter ſub *Carteſio Doleus*; cum *Benthokeo Jungbken*; ac demum aliter matheſi innixus Bellinus, & ſi qui adhuc ſunt, diſſimiliter Alii. Omnia quidem decora, probatis undique ratiociniis firmata, probiſque plurimis experimentis exculta; ut omnibus indulgere Senex ille, qui *veritatem detegit*, ultimo neſcivit. Plurimas enim eorundem doctrinas ſequens Ætas protinus evertit; ſic ingens illud *Acidi*, & *Alkali*, pro univerſali ſyſtemate inſtructum ædificium, nunc funditus a nobili *Boyle*, cordatiſque plurimis omnino everſum inſpicimus. Similiter famigerata illa ſanguineæ Fermentationis theoria, cum non bene veritati conſona inventa ſit, a Sanioribus neglecta, imò & proſcripta fuit. Sic demum plurima recenter inſtituta theoremata, quæ ſpecioſo novitatis pampine luxuriando, probatam Praxin extorquent, non diutinè ſtabiliri poſſe, dijudicamus. Hujus ergo cenſus aliqua ſaltem, quæ Phyſicam, & Medicinam ſimul mutilare videntur, ad rectum ſcrutinium compellere, Artis violata jura, confuſioneſque, nos urgent.

7. Inter cæteras ergo Innovationes potiſſima, & communi plauſu recepta eſt, *vitalis Spiritus* a medico foro proſcriptio; tantum hodie ſpirituum nomen, & veritas odium peperit, ut etiam animales ſpiritus (qui ſæpe ſæpius medicinæ paginas implent) per ſucci nervei titulum indigitare tantummodo ſoleant. Hujus averſionis occaſio Veteres extitiſſe videtur, quorum tot futiles inventas Facultates, multipliceſque ad varia munia diſtributas vitalium ſpirituum *Enormem exiſtens proponitur.*

rituum

rituum legiones, dignam Recentioribus indignationem concitaſſe dignoſcimus. Veruntamen non æque certò Enormontica exiſtentia, & veritas, quia Veterum deturpata commentis, a Medicina proſcribi debet, cum & Phyſicæ leges, & Praxeos jura reclamitent; ideoque opportunum erit, tantæ urgentiæ veritatem a falſis impoſitionibus expiare, ac Hippocraticum Enormon proprio nitori tandem reſtituere, ut ſic Phyſicæ, ac Medicinæ bonis æque conſulamus. Per hoc enim rite, ac recte cognitum, & medicam methodum facilius expedimus, & phyſicam veritatem non detruncamus. Quare ad hanc duplicem metam attingendam *in ſequent.* de Impetu faciente determinatum ſcrutinium inſtituimus, ut Enormonticam in animali machina exiſtentiam, & energiam a vexationibus vindicemus. Prudentis enim, ac recti animi eſt, a præpotenti falſitate oppreſſas Veritates redimere; ut Scientiæ, Artiſve opem in uſu non defraudent.

Enormonticæ motiones non negligendæ.

8. Altera novitas contra probatam Praxin, non minus pernicioſa, in dies ferocius excreſcit, quæ in morborum, febriumque potiſſimum curatione Naturæ motiones non audiendas, ſed negligendas eſſe decernit. Maximum hoc in arte damnum tunc invaluiſſe credimus, cum Mechanicis duntaxat legibus viventes Machinas tractare cogitavere Moderni; ideo intima quacunque ſpreta impulſione, automata humana pro lubitu movere, artis arbitrio dederunt. Veruntamen rigidum hoc mechaniſmum, ſicuti præſtantiores Praxeos leges evertere noſcitur; ita in curationis actu, vel Ægrotantium diſcrimina, vel Medentis infamiam comperere, non effugit. Mechanicum me quidem eſſe profiteor, at rigidis hiſce probatam medendi methodum refellentibus decretis non aſſentio; cum in plurimis a Matheſi deſumptis, curationis legibus nullum unquam fauſtum eventum expertum fuiſſe, confiteor. Profecto mechanica lumina non adhuc Artis noſtræ *judicium minus difficile*, minuſque *periculoſum experimentum* efficere, conſequuta ſunt; cum pro certo experta Praxis non geometricis regulis, ſed diuturnis experimentis (quæ varias corporum conniventias, ac renitentias exponunt) firmari ſæpius, & confirmari debeat. Ideoque in medendi anguſtiis Hippocratica primum veſtigia ſequi, & inde ſimul probatioribus aliorum; noſtriſque experimentis (annis enim ſupra quadraginta in hac arena luctavimus) apprime fidere, tutius ſemper fuiſſe, ratio, & experientia me docuere. Itaque a Natura inſtitutas, & in morbis plurimis, ac præcipuè in febribus ſæpe conſpicuas motiones nunquam negligere, ſed vel inſpectare, cum morbum integre ſolvat; vel promovere, ac perficere, cum imperfecte moveant; nec loca quo Natura vergit deſpicere, nec contrariam motionem inſtituere; maxime cum opportunus ſit aditus, ad integram expiationem ſelectus; has ergo ſimileſque plurimas ab intima energia promotas impulſiones nunquam deſpicere, Medicinæ Magiſter, ac experientia nos docent; ſub quibus auſpiciis providam ſequelam nunquam fallere vidimus, nec fallere dubitavimus. Ambigat autem qui haſce diu expertas leges deſpiciendo, novam ſibi ſtatuit medicinam, memor adagii, *nimium ne crede juventæ*. Verum ut hanc tanti ponderis in Arte materiam adamuſſim perpendamus, in *ſequenti cap.* 6. illius diſquiſitionem inſtituimus.

9. Tertia demum Innovatio, communi pene ſenſu probata, Sanguinis Fermentatio eſt; perſpicax inventum, quod intimas vitalis fluidi motiones omnino clarificare pollicebatur. Et ſane ſi excogitatum Archetypi non tetigit ſcopum, non infimum tamen Medicinæ commodum attulit, dum lucido quodam fulgore veriſimilius irradians, Intemperierum tenebras protinus eliminavit. Lucidum ergo inventum, at lumen minime verum, ſed veritatis crepuſculum, quod dubia luce refulſit. *Ut ubi nox abiit, nec tamen orta dies*. *Ovid*. Hinc verò exoriente lumine, ſenſim evaneſcere videtur, cum apud Saniores Medentes vel raro, vel nunquam appareat, ac apud nos ita fugit, *ceu fumus in auras*. Equidem injuſte nimis Enormonticas expanſiones, quæ motus omnes in ſanguine ducunt, per effictam fermenteſcentiam obſcurare, Novatores non dignoverunt; ideo ut clara

Fermentationis inventum reſpuitur.

clara tandem notione quid inde propriùs de hoc invento ſanciendum ſit, in ultimis hujus *part.* 1. *capit.* ſententiam noſtram expoſuimus.

Examinis hujus cauſa. 10. Cæteras denique adhuc ambigue promotas novitates, cum directe tutioris Praxeos leges haud refellant, pro nunc negligere, prudentia edocet. Non enim nec curioſas, nec contentioſas, ſed neceſſarias tantum, & ſine contumelia caſtigationes haſce aſſumere duximus, urgentiæ quidem, non maledicentiæ ſtimulo preſſi. Noſcimus enim, quod qui maledictis victitant, maledicti decedunt, infandumque nomen *Archilochi tumulo* inſcribunt. Ad haſce itaque cenſorias veſtes obiter aſſumendas, initiata jam Artis noſtræ calumnia nos impulit, debituſque profectus advocavit; ob diſſitas enim opiniones, & nos contemnimur, & Medicinæ progreſſus præpeditur. Profecto multiplicata jam diſſenſionum ſemina, denſas in ſylvas cum tempore excreſcere petunt; quæ nulli minus quàm veteres opiniones inextricabiles confuſiones germinare promittunt; quod jam comprobant hinc inde paſſim inſpecta odioſa Medentum diſſidia, quæ haud amplius unicam, tutioremque medendi methodum, ſed per opiniones diviſam theoriam, ac dilaceratam praxin oſtendunt. Et pro certo inter Veteres tot non emerſerunt ſectarii, quot nunc digladiantium ſententiarum Cathedras audimus; nobis vero ſemper placuit tutiora proſequi, non tuta verò refellere.

Syſtema noſtrum haud novum. 11. Sed fortaſſe dicent. Et tu, qui alienas novitates amputare contendis, nova diſſidiorum ſemina ſpargere, non percipis? cum & inauditam adhuc declamare doctrinam, & novam erigere Cathedram recens iſta Enormontica opinio petat. Similem jam acceptam exprobationem interritus pertuli; quia.. *Conſcia mens recti, linguæ mendacia ridet*. Equidem nec nova quidem, nec diſcordiarum ſemina prodimus; non inquam Nova, cum ex electa Hippocratis ſegete pura, recenterque conſita, hæc noſtra doctrina ſit; ut in theoria, & in praxi quilibet obſervare poterit. Quod ſi aliqua novitate redoleat, hanc a celebri Helmontio primum, qui chymico ſuo modulo pene ſimilem coluit; nos autem mechanico, ſed potius mixto, cum ex Anatomicis, Chymicis, Mechaniciſque rite probatis inventis, ac experimentis, conformationem, & confirmationem accepiſſet. Nec minus contentionum ſemina ſpargere delectamur; cum potius diſſidentium opinionum tumultum evitando, ſub tutiſſima divini Senis, ac experientiæ doctrina omnes medendi methodos rite componamus; ſicque nec novis, nec contentioſis dogmatibus innitimur. Qui ergo in ipſis hæreſes colere, ac jurgia quærere delectantur, iſtis utique nova diſſidiorum recurrit occaſio. Veruntamen ſuum quiſque nutriat genium, protegatque ſententiam; cum jus commune ſit, libera philoſophandi poſſeſſio, qua non ſemper ſine fructu abutuntur nonnulli; cordatioribus enim ultra limites divagari, ſæpius benevertit, cum non raro quidem errando diſcatur. Nobis verò ne facile in ambigua Praxi dilaberemur, extra Coacis pomæria liberè nimis tranſcurrere nunquam placuit. In obſcuris enim indagandis, melius eſt ab Erudiente inſtrui, quàm errantes pænitendo erudiri; ideoque ſemper expedit, ut cum Peritum ſequimur Imperitos evitemus, ne a recto divagari cogamur; quæ potior cauſa fuit, quare novitatibus inconſulto plaudere, ac aſſentiri, recuſavimus. Hæc demum de novitatibus in genere ſatis ſint; nunc propius ad particulares examinandas deſcendimus; & primo quid ſit? quibuſque partibus humana Machina componatur? inveſtigare fas eſt, ex quo noto legitimas deductiones conſequi, non ambigimus.

CAP.

CAP. II.

Humanæ Machinæ Conſideratio.

Ardua hominis cognitio.

1 MIrabilem ſemper, & perceptibilem nunquam humani compoſiti Machinam, (quam ipſe idem Omnipotens, ſacra loquente pagina, plaſmare, divinaque inſpiratione vivificare decrevit.) ſicuti Omniſapientiæ opus eſſe, certo credimus, ita mentis lumine nunquam ſatis luſtrari poſſe, tuto dijudicamus. Quippe magnifica hæc Moles, non quidem ad comprehendendum, ſed ad diſputandum nobis tradita fuit; unde hinc inde varios de ejus eſſe, ac ſtructura conceptus inter philoſophantium ſpeculationes divagari obſervamus; *nec fortaſſe tot de Coſmo maximo, quot de Microcoſmo Philoſophantium inquiſitiones perleguntur*, ut recte *Albertus Magnus* notavit, quarum immenſa farrago curioſis etiam indagatoribus faſtidium inducere, apta eſt. Nobis verò nunc quid tantum expediat, ſeligere ſufficit; ideoque nec ſingulas inſcribere, nec omnes præterire, ſed unam ſaltem vel alteram, adhuc nunc famigeratas innuere decet, cum inter illarum extrema conſultum medium tenere, nobis conveniat.

Peripatetica opinio.

2. Prima itaque, ab Ariſtotele ducta ſententia, obſcuram hujuſce Machinæ eſſentiam a quatuor elementis deſumpſit, ac ejuſdem in agendo œconomiam per ideatas Facultates varias explanare credidit; ſicque primarum Qualitatum ſcenam aperiendo, in humorum famigerata Quadriga plauſibilem operantis vitæ triumphum oſtentare, jam ſtatuit. Veruntamen inanes haſce, diu veneratas umbras noviter expergefacta Ætas ſenſim propellere ſtuduit. Profecto nova ſemper ab Anatome, Chymia, & Matheſi naſcenti luce, tutiores ſimul notiones eluceſcunt, a quibus Mechanicum ſyſtema nuper illuſtrari obſervamus, quod poſt Peripatheticum Alterum eſt, communem penè plauſum undique ſuſcipiens; hæc ergo geometrico-phyſica Doctrina valde clarè, mechanicis motus, & materiæ legibus, integram humanæ Machinæ conſtitutionem, & œconomiam deſcribere adhuc ſtudet; & ſane hujus analytica methodus, cum non nimis rigida ſit, tutiorem certo præ cæteris tanti negotii diſquiſitionem inſtituiſſe, non ambigitur: At nimis rigida, cum Omnium dogmata, quæ mechanica non ſint, omnino excludet, tanta non adhuc undique probe firmata novitas, haud levem ambiguitatem ingerit, an certo intentam metam attingat? maxime quia in nonnullis, quæ ſub geometria non cadunt, hactenus deficere, cordatiores dignoſcunt. Ideo ſi vetus ſyſtema erroneum eſſe videtur; & hoc recens non adhuc undique inculpabile eſt; ambo plus minuſve claudicant; cum prius ſuperfluam, ac inanem, alterum non adhuc integram vitalis Machinæ dignotionem attingant. Itaque in hoc arduo, ac tanti momenti negotio Coacis oraculum primò conſulere deliberavimus, reſponſum verò mechanico ſtylo vertere, nunc accingimus.

Mechanica opinio.

Humanæ Machinæ diviſio.

3. Humanam ergo Machinam, quo ad corpus vivens integre perſpectam, tribus conſtitui partibus, docuit *Hippocrates lib. 6. de morb. vulg.* nempe *Continentibus*, *Contentis*, *& Impetum facientibus*. Integram hanc, tantoque Præceptore dignam, analyſin utraque Veterum, & Recentiorum Schola unanimiter veneratur, ac intemeratam confitetur. Et ſane aptius nunquam viventis Corporis partes deſcribi ſimul, & diſcriminari poſſunt; hæc enim mirabilis, perpetuò ſe movens Moles, & ſolidis, & fluidis, & enormonticis partibus perfici debebat. Solidis inquam, quæ cætera continerent; Fluidis, quæ fæcundantia fluenta in alveis continerentur, & excurrerent; Enormonticis tandem, quæ tot motuum impetus, quot vitales, & animales exigunt functiones, undique promoverent, ac perficerent. Solidarum ergo, ſeu Continentium nomine veniunt Nervi, Arteriæ, Venæ, Oſſa, Cartilagines, Membranæ, Fibræ, & Caro, ex quibus Muſculi coaleſcunt, ſolidaque Corporis moles condita eſt. Neque hic diſtinctam illam *in ſimilares*, & *diſſimilares partes*, vetuſtam attendimus cantilenam; cum omnes ex diſſimilibus particulis concreviſſent. Quamlibet enim cor-

Solidæ partes quæ ſint?

corporis minutam portionem, ut & cæteras majores ex heterogeneis minimis, ſimul coeuntibus corpuſculis mechanico nexu commixtas eſſe credimus; quod bene ex tunc *Hippocrates* docuit, cum generationis modum *per commixtionem fieri*, *lib.* 1. *de Diæt. n.* 5. nos inſtruiſſet. Hæ autem partes vel magis compoſitæ, ideoque principales, vel minus, & ideo ſimpliciores, & famulantes nuncupari poſſunt; ſic ex. gr. ex filamentis carneis, & fibris nerveis fit muſculus, & ex pluribus intervenientibus muſculis, oſſibuſque varia proportione locatis, Caput, Thorax, Abdomen, Brachia, Pedes, cæteræque principes, & famulantes partes componuntur in unum; ſicque ex ſolidis hiſce varia Symmetria diſtributis continens Machina integrè conſtruitur.

Fluidæ quæ ſint? 4. Altera vero in hiſce Contenta pars ex intimis per corpus varie inundantibus, & ſtagnantibus ſuccis congeritur; qui ex Sanguine, Chylo, Lympha, Succo nerveo, Bile, ac Semine componuntur. *Semen* primo ſua vaſa incolit, quavis turgentia effundendum, ut individua multiplicet. *Bilis* per hepatis cribrum a ſanguine ſeparata, fellea veſſica continetur, ut per ductum Choledocum in duodenum inteſtinum ad varia munia deſtinata deſcendat; ultra illam, quæ cum ſanguinis fluento perpetuò circulat. *Succus nerveus*, a ſanguine in cerebro per glandularum oſcula ebibitus, nervis defertur, inter quorum filamenta animalibus Spiritibus quaſi vehiculo inſervit. *Lympha* item ex Sanguinis latice, volatilibus partibus gravidato, conficitur; hæc, inquam, a ſanguinis oceano redundans, & poſt remotos circuitus, chylo ſociata, in ipſum denuo rediens, novis iterum fæcundata moleculis, ab arteriis exiens, omnibus pene glandulis proprium cuique ſuccum contribuit. *Chylus* vero, pluribus in officinis elaboratus, ad ſanguinis reſtaurationem, vitæque promotionem inſtituitur, in plurimis enim vitalis, animaliſque regiminis functionibus defatigata, & conſumpta Machina, promptis quoque reparationibus indiget, ad quem ſcopum Natura collimans, diurnas cibi ſuppetias, & inde Chyli fabricam inſtituit; ſicque provida Nutrix vitali œconomiæ conſulere, invigilavit. *Sanguis* denique vividus liquor, vitæque fomentum a puncto ſaliente ad vitæ limitem uſque per arterias, & venas perpetuo circuitu omnes Microcoſmi provincias viſitat, & fovet, omnibuſque partibus, ut ſua munia impleant, vitale effluvium relinquit. Hæc tandem Contenta pars eſt, alteram fæcundioris titulo excedens.

5. Ex hiſce itaque Solidis, Fluidiſque partibus nec omnes quidem, nec integre fere nullas, in ideis tantum occupata, Vetuſtas comprehendere didicit; & licèt tot ſæcula poſt Hippocratem in earundem ſcrutinio conſumpſiſſet, craſſiores tantum partes vix dignovit, plurimas vero, quæ acutiorem oculi, mentiſque aciem petebant, inconſideratas tranſiliendo, nec vidit; unde vitalis Machinæ functiones, ob anatome ignorantiam haud rite dignoſcens, ut idealiter diſtingueret, ſtationarias Facultates, ſpirituum legionibus munitas, hic inde fingere adinvenit: ſicque obſcura Ætas illa, tanto cum Artis damno, diu nimis tenebravit tenebras ſuas. Recens vero felicior Indago acuta mentis, & oculi micrologia utens, plurimas Continentes partes, quæ Vetuſtatis intuitum deluſerant, ſagaciter detexit, ac permultas etiam Contentas, quæ Priſcis ignotæ nec nomen habebant, ultimo invenit, motuſque varios in fluidis circulantibus, & efferveſcentibus acutiſſimè rimata eſt; in qua linea glanduloſa, fermentis dicata corpuſcula; ductus chylipheri, ad ſubclaviam venam permeantes, ut inde non in Jecur, ſed in Cor chylus tranſeat; Vaſa Lymphatica cum propria fluente lympha, ad varia munia per univerſam machinam circumducta; cæteraque deſudatæ Recentiorum indaginis celeberrima Inventa, quæ plurimas vitalis œconomiæ olim abditas cauſas aperta luce declarant. Sic non ſine Vetuſtatis opprobrio, cordatis Recentioribus illud *Plinii* elogium adſcribi poteſt. *Macti quidem ingenio eſſe Microcoſmi interpretes, rerumque Naturæ capaces, argumenti repertores, quo Deos, homineſque viciſtis. Nat. Hiſt. lib.* 2. *cap.* 12. *Veterum in Anatome incuria.* *Recentiorum ſolertia.*

6. Tanta ergo benemerita induſtria, mirum eſt, quod ultra *Continentes* &

Enormon neglectum & deſpectum. *Contentas* corporis partes haud tranſcurrere auſa ſit; ac ultimam totius Microcoſmi fertiliorem provinciam ſummo quaſi pede luſtrare tentaſſet. Quod ſi anatomica indago præcipuam hanc *Enormonticam partem* detegere non aſſumat, quia omnem micrologiam pro hac inveſtigatione ineptam comperit; aptum tantidem eſt phyſico-practicæ acumen, cujus abuſio in hujus indaginis ope Veteres ſimul, & Recentiores improperat. Æque igitur clamitabat *Helmontius; nimis neglectum manſit apud Hippocratis poſteros Impetum faciens*. Veruntamen nondum neglectum Enormon, ſed adhuc deſpectum invenio; Veterum enim vecordia nil minus quam Recentiorum ſolertia illius jura evertere deſudarunt. Prior enim, etſi viventis machinæ partem Enormon haud eſſe crediderit, (ut *Conimbricenſium Schola* cum *Ariſtotele* ſancivit) per omnes attamen Corporis regiones ſpirituum ampliare phalanges affectavit. Altera vero, ut legiones haſce omnino deſtrueret, quaſcumque proprias, impropriaſque ſpirituum nomenclaturas rigido exilio multavit. Veruntamen, tot Virorum pace, Hippocratis *Impetum faciens*, injurioſum reluctans exilium, a particulari ſententia ad publicum Judicem appellat, & ipſe ſibi propriam, ac juſtam coram mundo, cauſam dijudicari poſtulat.

Deſpectionis Cauſa. 7. Cauſa ergo eſt; Spiritus vitæ, ob Veterum culpas exoſi, a puris Geometrizantibus (qui medicinæ dogmata, ſola Matheſi docente, inſtituere laborant) ut anile figmentum relegantur. Non tantæ igitur æquitatis exilium hoc eſſe dignoſcimus; cum ob Vetuſtatis errores, alienis culpatum criminibus, Enormon multetur. Nec univerſa literaria Reſpublica, ſed rigida ſolum Mechanica in ipſum invehitur; non ita ſolers Chymia contra illud seducta eſt, quæ cum ſulphureos, & urinoſos ſpiritus quotidie in liquoribus videat, ſanguini proprium ſpiritum, experimentis edocta, non denegavit. Sed neque Phyſica, nec Medicina (niſi per ambages loqui velint) enormonticam energiam a viventi Machina relegare, unquam poſſunt; cum ſine illius impulſione vitales, animaleſque functiones recte oſtendere, plurimoſque vitæ defectus rite percipere, certò nequeant. Ipſa etiam Anatome, licèt ad illius ſpiritus percipiendos, apta non habeat microſcopia; in ſanguinis analytica inſpectione, chymiæ auxilio utens, illius ſpiritus clare conſpicit. Mirum ergo eſt, cur ſola Matheſis, quæ de Quale non curat, cum extra Quantum raro exeat, contra Enormonticas Qualitates, extra ſuæ ſphæræ limitem, ſententiare præſumat! Verum & ipſa, ut Spirituum in viventi Machina regimen ſaltem ſubolfaciat, cum *Sanctorii Statica* varios Fluidorum exceſſus, corporis pondus, & levitatem, paſſionumque vehementium detrimenta ponderet; ſicque aliquid ſaltem . . . Sed quid dico? Cum nunquam pro certo, etſi *talaria induat, volitetque* Matheſis Spirituum naturam, vireſque deprehendere poterit: At hic verba compeſcimus; cum in ſequentibus Enormontica exiſtentia, & veritas abunde oſtendatur.

C A P. III.

De Enormontico Niſu.

1 SOlidis, Fluidiſque humani Corporis partibus obiter ſaltem inſpectis, ultimam nunc Enormonticam ad publicum judicium ducere, ac exponere ſtatuimus; hæc enim potior viventis Machinæ pars eſt, quæ intimos motus omnes tacita ſed perſpicua impulſione molitur. Verum ut ab eminentiori principio veritatem hanc inſpiciamus, intima operantis machinæ penetralia permeare oportet, intimumque vitæ moderatorem invenire. Noſcimus verò primum, Automaton iſtud tam arcano ductu moveri, ut ſenſibus cupidis, intimum Ductorem quærentibus, cauto ſilentio abſcondat, recondatque ſacrario. Veruntamen ſi oculis abditus interior Homo ſit, mentis lumini tamen facile obvius adeſt; cum hæc exterior operoſa moles intimam, ab innato principio ductam, impulſionem revelet. Hic, inquam, occultus, tot organa pulſans, Motor oculatæ menti non abſconditur, cum per ipſum corporis partes omnes moveri, ac vivere *Enormontici niſus indago.*

vere debere, planè dignoſcat. Immortale namque a Deo efflatum *ſpiraculum vitæ*, donec corpori nectitur, omne quod ſui juris eſt, quodque propriam non abroget celſitatem in humanæ vitæ ſcena moderatur, & peragit. At ſicuti corporeæ tragœdiæ cothurnos immateriali ſpiritui aptare, nemo auſit, ita quemque nec decet. *Anima enim ſola divina eſt, nihilque cum ejus actione communicat actio corporalis.* Ariſtotel. *lib. 2. de gen. Anim. cap. 3.* Nimium ergo diſtat a corpore ſpiritus; nimiumque injurioſum eſſet, ſobolem excelſam, divina imagine excultam, luteis miniſteriis propria manu inſervire. Ratio ergo petit, ut dignoſcatur, quod ſpiritus regat, non ſerviat; imperet, non miniſtret. Undique enim in corpore Rex iſte erigit ſolium, quo circum ſemper prompti adſtant miniſtri, quibus vitalis œconomiæ plena gubernia tradit, propriaque dictat imperia, qui juſſibus obſequentes,

Animæ celſitas.

Haud mora continuò Regis præcepta faceſſunt. Virg.

2. Cujus autem naturæ, ac indolis ſint, qui mediaſtini vices intus Corpus, & Animam explere poſſint, arduum eſt aſſequi; cum ambo quidem oppoſita eſſe dignoſcantur, quorum diſſitas indoles quidnam componere queat, inexſcrutabile videtur; ideo in obſcuris hiſce illa regula uti arbitramur, quæ docuit. *Res nimium obſcuras ex ſimilibus dilucidari potius debere, quam ex incognitis divinare.* Quamobrem ut hoc lumine ſaltem tuto incedamus, haud impari paritate ad opus utimur. Noſcimus ergo, quod in Brutis, quibus immortalis ſpiritus deeſt, omnia corporeæ vitæ munia per materialem ſubtiliſſimam ſubſtantiam (cui Animæ titulum dedere Vetuſti) exercentur, & perficiuntur. Simile inquam huic in humano corpore inſenſile, ac energeticum aliquid inter materiam, & ſpiritum medians, quo corporeæ vitæ functiones ad mentis imperia peragantur, detegere dubitamus? Eſſe profectò poteſt in homine, quod in animantibus cæteris adeſt. Equidem quod imperfectis corporibus Naturam contuliſſe dignoſcimus, perfectionibus ergo pleniori largitate donatum, nemo negabit. *Syſt. Medic. Roſetti.*

Spiritus Animæ miniſtri.

Itaque de facto datur in homine hoc activiſſimum vitalis impetus ſeminium, & incrementum, quod divinus Senex *Enormon*, ſeu impetum facientem nuncupavit, ac Phyſicorum ſchola *Spirituum* nomine decoravit. Iſti ergo inſenſiles, ac energetici ſpiritus una cum minori, quam concipi poſſit, extentione maximam exerunt activitatem, qua mentis juſſa exequi facile poſſunt. Nec incongrua nimis diſtantia, licèt corporei ſint, ab immateriali Spiritu diſſentiunt, cum pro eorum inſenſili ſubtilitate, ac volatili celeritate, penè pro immaterialibus habeantur, unde Spirituum titulo dignati ſunt. *Ipſi quidem ſupremum in ſcala materiæ gradum conſtituunt, in ipſo entis immaterialis confinio poſiti.* Syndeham. *epiſt. de effect. hyſter.* Adeoque cum extremum apicem inter corporea teneant, incorporeæ ſubſtantiæ proximiores eſſe, illamque penè tangere videntur, juxta regulam illam, *ſupremum infimi attingit infimum ſupremi*.

3. Hiſce itaque ſpiritalibus corpuſculis, ſicuti Animæ miniſterium Natura tribuit, ita æqualem ad opus exigitum, opportunamque energiam largita eſt. Primo namque *vitali niſu* illos decoravit; ut vitæ functiones omnes æquo impulſu promovere, ac perficere queant; *nemo enim dat, quod non habet*. Siquidem corporis motiones omnes ipſi quidem, imperante Anima, (quæ ad corporeos actus hiſce duntaxat mediis deſcendere poteſt) ad intentum exitum perducunt; ſicque vitam fovent, & producunt. Alteram ſimul cohærentem dotem, nempe *Elaſticam vim* ipſis Natura contulit, quo membrorum motus, diſparem ſæpe impulſionem petentes, ad exigitum ſcopum conducant; elaſtica namque vi, qua compreſſionis, & expanſionis jura poſſident, omnia, quæ impetum, & laxationem exigunt, proprio vigore moliuntur. Poſtremum denique Naturæ donum fuit, quandam arbitrii ſimilitudinem illis delegare, quo animale Judicium componere, ac in ſenſu communi objectorum impreſſiones diſcernere, & quæ bona conſequi, quæ nocua fugere, ſibi conſulunt. In hoc ergo animali judicio (quod in Brutis ſupre-

Spirituum dotes.

mum Senatum dixerim, in homine verò popularem, Animæque ſubjectam Democratiam) impreſſa objectorum phantaſmata primo leguntur, & proficua cum ſint, Concupiſcibilis, ſententia eliguntur; quæ autem nocua, Iraſcibilis, decreto ablegantur. Magna quidem poteſtas, quæ poſt Adæ culpam Animæ dominium contemnens, ab illius imperio ſæpe deſcivit;

Ac veluti magno in populo, cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus. Æneid. lib. 1.

ſic ſimiliter popularis hæc turba, ſeu, ut dixit Plato, *Corpus hoc morbidum aliquando, ipſum cum ſeipſo ſeditionem agit*. Dialog. 8. de Republ.

4. Dotibus ergo hiſce decoratum Enormon elucеſcit, cujus vivido niſu corpus movetur, & vivit; cujus languore langueſcit, cujus deſolatione tandem cadaver evadit. Per ipſos ergo humana Machina moderatur, cujus partes omnes, ipſis ubique impellentibus, ad ſingula vitæ munia perducuntur. Multiplicem hanc Spirituum impulſionem ita deſcripſit Hippocrates. *Alii quidem ad cavitates humorum, alii ad externam circumferentiam excurrunt, medii verò & intro, & foras terminantes, calidiſſimum, & fortiſſimum ignem habent, qui ſane omnibus dominatur, omnia ſecundum naturam gubernans*. Lib. de Diæt. num. 12. Ecce haud paucam vitalis œconomiæ graphidem, ſpirituumque naturam, & munia ſolito laconiſmo expoſita. Fluxus inquam, perennes, refluxuſque Spirituum omnibus corporis partibus dominantium, omniaque ad motus inſtituta gubernantium; ideo ut impenſam illorum vim ſatis oſtenderet, *calidiſſimum, & fortiſſimum ignem* habere dixit; cum nullum inter corporea impetum ipſo igne vehementiorem concipi poſſit; ut in fulmine æthereo Natura, & in pulvere pyrio Ars æmula oſtendunt. Quaſi ſpiritalibus corpuſculis enormonticam vim tribuere non poſſe dignoviſſet, niſi ex ignea indole congeſtos fuiſſe, deſcriberet. Emphaſis tamen iſta minime abludit a vero; cum intimus ab iiſdem ſpiritibus accenſus æſtus (ut cum nobili Boyle quiſque experiri poterit) caniculares ardores longe ſuperet. Equidem quo plus expanduntur, plus ardent, ac vehemens illorum expanſio impenſum corporis calorem accendit. Item ut ignea flamma, ita & ipſi inrequieti, ac velociſſimi ubi Anima jubet, vitæque munia petunt, ad opus ocyter adſunt, validoque niſu, proprioque impendio perficiunt; ſicque corporis vitam tuentur, rectamque dirigunt œconomiam; unde vitale regnum hiſce obſequentibus Miniſtris, pacifico imperio Anima moderatur, & regit.

Munia ſpirituum (margin)

5. Verum nec inalterabile perennare obſequium, nec diuturnum mancipatum perferre, Enormontica didicit Aſſemblea; cum ſæpe concitati ſpiritus Microcoſmi regimen ſubvertant. Siquidem ſpiritus iſti non ita deſpotico dominio ab Anima regi poſſunt, ut a ſemel apprehenſo bono, vel malo ſeducti, rebellionem ſuſcitare non audeant; habent enim regimen, & vires, quibus cum in Phyſico, tum in Morali gubernio ſeditiones concitare ſæpe ſolent, quas paſſim in humanis experimur. Iſti apprime ſeditioſæ Carnis duces efferi ſunt, ut militet adverſus Animam; uti Apoſtolus Galatas monebat, cap. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum;* tantoque ſæpe impetu ducuntur, ut contra Mentis jura, oppoſitas in carne leges condere non vereantur, unde cum Romanis idem conquerebatur Apoſtolus; *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*. Neque hic tandem ſeditionis terminum ponunt, cum adhuc ſæpe devictam Animam injurioſis Carnis legibus parere cogant, ſicuti confitetur & ipſe: *Non quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago*. Ad Rom. cap. 7. Verum non Divo Paulo tantum, ſed & Sapientibus plurimis, imo & nobis ipſis hoc idem ſæpius experiri contigit; cum nemo poſt Adæ Lapſum ab Enormontica ferocia immunis ſit; paucoſque fuiſſe legimus, qui herculeo ictu hydram hanc, perpetuo reviviſcentem confoderit; ſicuti nemo enumerat, quot Viros etiam eximios unica Iraſcibilis, vel Concupiſcibilis paſſio ſubduxit ſæpe, ac devicit; qui enim hiſtoricam ſylvam perluſtrant, in hoſce paſſionibus efferatos homines paſſim incidunt.

Diſſidia ſpirituum (margin)

In linea Morali. (margin)

dunt. Hæc ergo in moralibus ſunt Enormontici furoris trophæa.

In linea phyſica. 6. Aſt non minores in Phyſicis ab ejuſdem acoſmia inductæ ſtrages comperiuntur, quarum multitudinem infauſtæ morborum iliades paſſim edocent, cum paucas infecti Corporis affectiones reperiam, quas Enormontici motus anomalia non induxerit. Fallax hactenus Medicorum dogma fuit; quod infenſa materies, quovis nomine a Veterum, Recentiorumque placitis inſignita, cum corpus invadat, proprium ſuæ violentiæ morbum producat. Huic, inquam, Ermonticum dominium ceſſerunt, cui duntaxat, non vero Extraneis propriam ditionem recte, vel improbe gubernare ſpectat, a quo ſub diſpari gubernio, pro illius diatheſis modo, vitalis œconomia firma, vel infirma dependet. Infirmam tunc dico, cum a recta lege Enormonticus niſus aberret. Duplex enim ſpirituum culpa, *Exceſſus* nempe, aut *Defectus* morborum agmina ducunt, ſæpeque ad lethum conducunt; equidem Enormon *idem, vel nimiopere ſatagendo, vel etiam ſibi deficiendo, hominem letho dat*: ſic ſemper accurate eximius practicus Sydenham *Obſerv. medic. ſect.* 1. *cap.* 1. *Spiritus morborum Cauſa.* Veruntamen ut hæc, inquam, a plurimis jam ſepulta, ſed non adhuc demortua veritas a funeſto lapide ſurgat, validam Hippocratis manum adhibere, fas erit. Sancivit ergo ipſe, ut ſupra oſtendimus, tres Corporis partes eſſe, *Continentes*, *Contentas*, & *Impetum facientes*; priores duæ, per ſe relictæ (ut Cadaver oſtendit) abſque motu quieſcunt; cum ab ultima, Enormontica nempe, ad motus omnes impellantur. Hac ergo Veritate recta lance perpenſa, ſerio innoteſcit, quod ſingulos in humana Machina Impetus Enormontica vis immediatiſſime ducat; nec extraneus ullus, ipſo non concitato, vel devicto Spiritu, depravatas, ſeu morboſas motiones in ſuo dominio inducere, ac producere, niſi occaſionaliter poteſt. Quamobrem Cadaver, quia Enormontica vi deſtitutum, nec naturales ideo, nec p. n. motiones oſtendere poteſt. Iſtic ergo a præjudiciis liberam, totam figere mentem eſt opus; ut ex notione tanti ponderis, quanti eſt humanæ vitæ conſulere, legitima valetudinis, ac morborum origo dignoſcatur. Per me quidem conſtanter arbitror; quod ſicuti ſanitas ab ordinato Enormontico niſu firmatur, ſic a concitata ejuſdem acoſmia corpus infirmatur, variaque, pro viſcerum, ac fluidorum deturpata ſyſtaſi, morborum caterva invaleſcit.

Explicatur & probatur. 7. Hæc, inquam, veritas per gradus expoſita, deprehendi facile poteſt; primo cum integrum Corporis operantis dominium Enormontico gubernio delatum, plenamque, in fluidis, ſolidiſque partibus movendis, Spirituum poteſtatem noſcamus; pariterque contra quoslibet ingeſtos hoſtes Enormonticam contentionem non dimittamus. Secundo cum invadentis infenſi activitatem perpendamus, quaſque in fluidis læſiones inducere poſſint, cum ultra ſuam activitatis ſphæram tranſcurrere nequeant: ut *Tract. de Febr. part.* 2. *cap.* 7. expoſuimus. Tertio cum perſcrutemur adhuc, quomodo ab Invadentibus hiſce ſe expediat Enormon; ad illos enim eliminandos, abſque vehementi niſu inſurgere, raro poteſt, ut critica Symptomata ſatis oſtendunt, quæ ideo morboſa dicuntur, quia Spirituum reluctantium conatus regiminis ordinem turbat, unde morbus emergit; cum vero ad niſum tantum impar Enormon ſit, tunc levior pugna protrahitur, ſicque polychronii morbi invaleſcunt, vel devicto tandem ſpiritu, cum ipſo vita decedit. Perſiſtit autem victor in cadavere hoſtis, ſimulque cum ipſo & viſcerum inductæ læſiones, & fluidorum corruptæ ſordes extant; ſed nec motus ullus, nec morbus aliquis apparet; cum ægrotare Cadaver nequeat: Ergo ab hiſce in corpore adhuc vigentibus infenſis nullus producitur morbus. Quarto demum cum a morbi termino incæptam valetudinis reſtaurationem ponderare, non negligamus; qui terminus tunc adeſt, quando morbi cauſa propria a malefico influxu deſiſtat; non ergo cum extraneum lædens, ut dicunt, enervatum jam ſit; quia hoc jam ſubjugato, devictoque hoſte, ferocius adhuc increſcit morbus, ut effera ſymptomata poſt Coctionem (ſeu poſt infenſæ materiæ ſubactionem, & præcipitationem)

cum

cum Criſi ſæpe ingruentia, manifeſto demonſtrant. Non ergo locum dat morbus, niſi a vehementi corporis turbatione, quam ad invaſum hoſtem eliminandum concitavit, Enormon deſiſtat, ſpiritusque ferocientes ſenſim ad naturalem compoſitionem, reſtituat; unde convaleſcentia, & inde ſanitas oriuntur.

Morbi natura exponitur 8. Sed ut clarius adhuc incedamus; quid propriè Morbus ſit, inveſtigare adhuc intereſt. Veterum ergo multæ de morborum indole adhuc reboant cantilenæ; multæque Recentiorum hinc inde pugnant opiniones; omnes quidem proprii ſyſtematis ampla fertilitate fæcundi, quot capita tot ſententias propagarunt, quorum ſylvam percurrere, inextricabiles ambiguitates animum implicarent; relictis ideo omnibus, propria jura colentibus, cum eximio Hippocratis pediſſequo Sydenhamo, arduam hanc implicatamque viam currimus. Cenſet ergo ipſe, divino Seni conſonus; *Morbum nihil eſſe aliud, quam Naturæ conamen, materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem omni ope molientis. Obſervat. de morb. acut. ſect.* 1. *cap.* 1. ſic cæteris tutius portum hunc Peritus iſte fæliciter attigit. *Vera ejus Cauſa innuitur.* Natura ergo, ſeu intimum principium Enormon, ut ſibi, totiuſque ſuæ ditionis incolumitati conſulat, ac quoſcunque lædentes ex ſuis finibus depellat, vehementes concipit impetus, quibus concitatus, rectum corporis gubernium in acoſmiam invertit, nec ferocientes niſus dimittit, donec hoſtem ſubigere, ac eliminare aſſequatur. In hoc ergo violento Enormontico niſu (quem *Naturæ conamen* eximius Practicus nuncupavit) morbus propriè conſiſtit, qui ſane adhuc per depravatas, vel abolitas vitales, animaleſve functiones a plurimis definitur; depravantur autem, cum debitum Naturæ ritum non ſervant; quæ quidem haud recte perpenſa, ad æquivoca ducere ſolent. Quam obrem noſcere intereſt, quòd cum Natura, ſeu Enormonticus niſus contra invadentes moleſtos inſurgere cògatur, proprios impetus multiplicare, ordinatoſque motus ad inordinatos augere, certo debet; quæ, inquam, conamina, & naturales actiones depravare, & valetudinis leges frangere, morbumque ſic inducere, nata ſunt. Non itaque invadens hoſtis, cujuſque indolis ſit, per ſe tantum morbos intimos producere, potis eſt; ut Occaſio tamen vitæ rectorem ad pugnam provocare poteſt, ex qua lucta vitalis œconomiæ turbatio, & inde morbus emergunt. Qui ergo lubricam Praxeos arenam premunt, cum hanc, inquam, ab Hippocrate primùm detectam, *Naturæ ſibi proſpicientis* veritatem noſcere negligunt, per ambages quidem Curationes ducere coguntur.

9. Hæc tamen Veritas Præoccupatos minime ſuadet; ideoque contendunt iſti. *Objiciunt contra.* Quòd ab invadentibus exoticis directe, & propriè vitalis œconomia depravatur, unde morbi exoriuntur. Notum enim eſſe dicunt, quod per ſe tantum Acida lues, cum ſanguinem invadat, ejuſdem fluidum coagulat; ſic corroſivum Acre illius conſiſtentiam colliquat, &c. ſimiliter ab iiſdem lædentibus viſcerum functiones depravantur, quæ læſæ morbos per ſe definiunt. Ab hoc ergo olim plauſibili logiſmo adeo mentes occupatæ fuere, ut neglecto in viventi corpore proprio motionum principio, ejuſdem dominium moleſtis exteris tribuerent, aſſiduamque Naturæ ſibi proſpicientis ſedulitatem, in fabulam verterent. Nec tot ſaltem Criticæ impulſiones, ac infenſorum expulſiones, (quæ quidem in humana machina Enormonticum regimen, & in moleſtos eliminandos, energiam oſtendunt) ad fallaciam detegendam ſufficiunt. Aſt dicant quæſo, in Cadavere adhuc tepido nonne adſunt caogulationes ab Acidis, colliquationes ab Acribus, viſcerumque infectiones a lædentibus inductæ? Et quare cum hiſce cauſis adhuc vigentibus, morboſi affectus non adſunt? Eheu quam dura mentis præoccupatio extat, ut proprio vitæ promotore deſpecto, excogitatis cauſis corporis dominium concredat, inductaſque a viventi principio corporis turbationes, & ſanationes haud diſcernere ſinat. Objectis demum hiſce, *Reſponſio.* cum in *Tract. de Febr. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 3. ac alibi ſatisfactum jam ſit, breve nunc reſponſum donamus. Dignoſcere ergo intereſt phyſicum axioma illud.

lud. *Actiones immediate non emanare niſi a proprio Agente*. Ergo omnes, & ſingulas vitalis œconomiæ functiones non niſi ab Enormontico niſu procedere, ſane concluditur; cum Enormon duntaxat poſt Animam in viventi corpore naturalis Agens ſit; adeoque vitales, animaleſque actiones, cum depraventur, ab eadem cauſa, qua producuntur, etiam pervertuntur, ſeu cum defectu peraguntur. Externi ergo lædentes, cum vitales actiones producere nequeant, ideo nec immediate, nec proprie illas depravare poſſunt; depravatur enim actio, cum illius Agens quavis occaſione vitiatur, vitiatur autem vel a mala ejuſdem diatheſi, vel ab externo impedimento. Hæc inquam recte perpenſa, objectionis fallaciam detegunt; etenim externi lædentes, cum ad vitalis actionis productionem accedere nequeant, ad illius depravationem non niſi ut impedimenta ſe ingerunt, quibus præpeditus naturalis Agens, propriam actionem depravare compellitur. Et certo quidem nihil aliud lues illæ ſunt, quas in ſanguine primum exteri lædentes ingerunt, niſi repagula quædam, quæ intimi Agentis opera perturbant; unde ut hos obices removeat, vehementiores impetus ſpiritus concipit, a quo violenti niſu actionis depravationes, & inde morbi ſimul inſurgunt.

Spirituum extremi niſus. 10. In hac demum linea extremos etiam Spirituum exceſſus præterire non decet; etenim a lædentibus ſæpe concitatum, tanta acoſmia Enormon ducitur, ut proprias actiones nondum depravare, ſed & abolere cogatur; hos ergo extremos defectus *Spirituum in venis interceptiones* vocavit olim Hippocrates, 4. *de rat. vict. acut. text.* 26. quem aſſuetum laconiſmum ſequenti *textu* 27. clarius ita expoſuit. *Quamobrem corrupto ſanguine, cum Spiritus in ipſo naturales meatus nequeant pertranſire, infrigidationes ob ſtationem eveniunt*. Verba mechanico ſyſtemati plurimum conſona. Equidem nunquam ſanguis corrumpitur, dum per naturales meatus, ſeu per interſtitia, poroſve particularum ſuæ maſſæ congrui Spirituum motus peragantur. Cum autem interſtitia dicta vel ab infenſo Coagulo claudantur, vel a Viſcida lue infarciantur; aut a Colliquante viru diſſolvantur; tunc variæ ſpiritalis motus anomaliæ inſurgunt, quibus vel præpropero impetu agitatus, vel præpoſtero niſu confuſus, Sanguis, corruptioni locum cedere cogitur. At cum hos caſus alibi, & præcipue *Tract. de Febr.* ſatis expoſuerim, crambem apponere devitamus. Quod vero ponderationem hic expetit, ſpiritalis acoſmia eſt, quæ vel ex infarctis, vel ex diſſolutis meatibus inducta, ad irregulares motus Enormon impellit. Equidem cum infarcientis repagula inſuperabilia ſint, ſpirituſque per ipſa tranſire nequeant, tunc ſanguis Enormonticæ irradiationis jacturam patiens, in effætum cruorem delabitur; cum autem colliquata maſſa ſpirituum motus nullam repræſſionem inveniat, tali vehementia illorum impetus exploditur, ut ad extremam diſſolutionem ſanguinem ſecum rapiat. Utraque ergo cruoris tragædia nondum functionum depravationem, ſed & integram abolitionem inducit.

11. Hactenus tandem ab occaſionali culpa concitatam Spirituum ataxiam brevi calamo delineavimus; nunc vero conſiderare adhuc remanet ferocientem ſpiritum, abſque alieno ſtimulo, ſed propria thymoſi commotum; ſæpe namque contingit, quod in Plurimorum ſanguine, quem optimus chylus nutriat, perfectuſque ventilet aer, ac tranquilla vita perficiat, in hoc, inquam, vitali ſucco ſpirituoſæ particulæ ſæpius redundant, & cum ſupra naturalem exigentiam multiplicentur, tunc facile turgentiæ illæ, quæ ſanguifera vaſa diſſiliunt, extemplo emergunt; hoc, inquam, omnes repentinæ hæmorrhagiæ oſtendunt, quibus vel ſtatuto tempore, vel inexpectato ebullientem ſanguinis gurgitem ſpirituum impetus extra vaſa impellere ſolet. Hæ inquam ſimileſque aliæ vitalis fluminis exundationes, quas ſanguinis plenitudini plurimi tribuunt, ſpiritalem impetum potius oſtendunt; cum vere, & proprie ab Enormontico niſu ſanguis ducatur. Spiritus enim plus æquo exaltati, ac ſupra debitum redundantes, (ut vinum nimia ſpirituum vi efferveſcens) ad *Spontanea ſpirituum ataxia.*

pro-

propria vaſa diſſilienda impelluntur. Hæc inquam facile patiuntur illi, quos plethoricos Veteres dixerunt, in quibus quid poſſit, & ad quot exceſſus, effræni niſu exploſus ducat Enormon, nondum animi excedentia pathemata, quàm acutiſſimi morboſi affectus, quibus ſæpe ſubiguntur iſti, ante oculos exponunt. Veruntamen cum hanc Spirituum ferociam alibi jam expoſitam fecerimus; hic ſaltem ut integram Enormontici exceſſus hiſtoriam perſolvamus, digito innuiſſe ſufficiat; maxime quia vineam hanc vaſtam ſæpe ſæpius infra repaſtinare, ac vindemiare, opus erit.

Spirituum defectus. 12. Spiritalem redundantiam ejuſdem Defectio ſubſequitur, quæ non leviores morbos ſecum ducere ſæpe ſolet. Etenim ſi exundans Enormon feroci niſu vitalem œconomiam non raro ſubvertit; deficiens e contra proprium ſanguinem vappeſcentem relinquit; ſicque vitæ functiones vel non æque peragere, vel omnino abolere cogitur. Nimium enim ad vitalem incolumitatem firmandam, ſanguinem ſpiritibus divitem eſſe, intereſt; qui cum deficiant, valetudo langueſcit, ac deſperatis morbis janua panditur. Oſtendit hoc apprime improbe initiatus Chylus, qui, deficiente ſpiritu, inani fermento digeſtus, plurimis cruditatibus ſanguinem, in quem devolvitur, inficit, infectioneſque in ejuſdem maſſa, ſpiritibus depauperata, abſque reſiſtentia libere dominantur; unde tot morbi emergunt, quot cruditatum indoles occaſionaliter inferre poſſunt, qui ob Enormonticum languorem, vel chronici, vel deſperati evadere ſolent. Oſtenditur item in plurimis excernendis, non rite depulſis, recrementis, quod licèt quandoque infarctis organis imponi poſſit, ſæpius tamen ab Enormontico deficiente niſu radicitus oriuntur. Oſtenditur demum in ipſo matureſcente Acutorum morborum ſtatu, in quo debitas Coctiones, ob ſpirituum inertiam, vel languide initiantur, vel initiatæ non perficiuntur, vel nec unquam apparent; unde cum ſpiritus non repugnet, hoſtis præpotentia invaleſcit, vitamque ſubverſam, Invadentis violentia devaſtat. Haſce itaque, ſimileſque plurimas vitalis œconomiæ jacturas, in corporis regimine deficiens Enormon inducere ſolet; quarum ſeriem infra evolutam dabimus, cum plurimos hujus generis morbos perluſtrare contigerit.

13. Hactenus genericam Enormontici lapſus graphidem lineavimus, remanet adhuc intimas depravationum origines exquirere, ſeu qua propria culpa anomalis cieri motibus inducatur Enormon; hanc ergo indaginem, ut brevibus perſolvamus, nota illa regula utimur, quæ docet, *tales eſſe Spiritus, qualis maſſa ſanguinis eſt;* cum certo ex ipſa gigni, & in ipſa gliſcere debeant, ut infra ſtatim notum erit. Hic inquam, ſpiritus ex nobilioribus ejuſdem particulis, ad ultimam volatilitatem exaltatis produci debet; quo ergo perfectior eſt ſanguis, ex quo concreſcunt, eo vegetiores ſpiritus exurgunt; contra vero cum ſanguinea craſis prava diatheſi coaleſcat, congeneri etiam labe infectos ſpiritus edit. Hoc idem innuit olim Hippocrates, verbis haud vulgaribus ſic edocens. *Opinor autem, inter omnia, quæ in corpore ſunt, nihil magis adprudentiam conferre, quam ſanguinem; hic ergo cum in conſtanti habitu perſiſtit, conſiſtit & prudentia; ſanguine verò permutato, concidit ſimul & prudentia.* Lib. de Flat. n. 20. Et certo quidem ſicuti variam ſpirituum indolem a differenti in agendo energia paſſim obſervamus; cum alii ad vehementia pathemata prompti, alteri ſegnes, ac tardi ſint; iſti acutius ingenium, illi hebetius exercent; nonnulli demum ad virtutes proni, alii vitiis dediti comperiantur; quæ quidem omnia ex varia ſanguinis conſtitutione, & inde differenti ſpirituum geneſi exoriuntur; ita pariter & prudentia, quæ virtutum radix, ingenii acumen, & paſſionum moderatrix eſt, a ſanguine primum, & inde a ſpiritibus, in ipſo genitis, ortum ducit. Ex hac Hippocratis mente deducitur, quod in ſanguine naturales, & morales actiones radicitus fundantur, cujus immutatio pro meliori, aut deteriori diatheſi, univerſam viventem Machinam vel firmat, vel ſubvertit. Non inficior attamen, quod ſolidæ adhuc partes ad vitæ promotionem proprium tribuant officium, &

Ex Sanguine ſpirituum culpa.

maxi-

maxime viſcerum Cribra, quæ ad ſanguinis partes, quovis titulo ſecernendas, Natura deſtinavit; ſed hæc ut inſtrumenta duntaxat, ſpiritus verò in ſanguine, ac nervis energeticas vitæ cauſas eſſe arbitramur; ſicque pariter occaſionalem cauſam dicimus, cum vel depravata inſtrumenta, vel invaſa lædentia Enormon a recto niſu perturbant; cum ad illius acoſmiam, quæ proprie viventem machinam exagitat, occaſionem præbent; ſed hic ſatis, nunc ad alteram hiſce temporibus opportunam inquiſitionem deſcendimus.

CAP. IV.

De Enormontica in Sanguine Exiſtentia.

Sanguis vitæ penus. 1 NOn abſque inſigni ratione per ſanguinem, a ſemine primo primogenitum, Fætus ædificium exordiri, ac ipſo mediante ad Embrionem perduci, Natura decrevit; fortaſſe quia ex contentis partibus nulla præter ſanguinem eſt, quæ omnes vitæ provincias perluſtrare, omnibuſque ex vitali penu alimenta tribuere, omneſque balſamico rore fæcundare poſſit; & licet organis inſtructam molem ex materno chymo nutriri ſupponamus; non quidem ille nutrit, ni prius embrionis venas ingrediatur, ac per arterias cum ſanguine ſimul partibus alimentum contribuat. Quamobrem melius quidem quam Ægypti provincias a Nilo, corporis regiones a ſanguine fæcundari arbitramur. Hoc, inquam, ſuadet illius per univerſas partes Circuitus; quem non abſque urgentia Natura inſtituit; & pro certo nulla quovis modo abdita, vel remota pars extat, cujus exigentiis circumgyrando non faveat, minimiſque etiam glandulis, quæ intuitum effugiunt, expetitum ſuccum non tribuat; nec ipſi nervi, qui alteram a ſanguine diſſitam provinciam conſtituunt, abſque illius ope proprias functiones exercent, cum ab hoc fluento una cum nervoſo ſucco ſpiritus animales ebibant, qui jam in ſanguine vitales ſpiritus fuere; ſine quibus, nec ſeipſum ſervare, nec partes alere, calfacere, movere, ac vivificare ſanguis poſſet. Hæc tamen veritas, uti modernis auribus exoſa, ita inquiſitionis hujus centrum eſt; qui vero contra philoſophare geſtiunt, ſequentes ſaltem ponderationes expendere non renuant; cum verò a nulla ratione flecti queant, libero greſſu propria veſtigia ſequantur.

Sanguinea maſſa examinatur. 2. Primo itaque ſanguinis ipſa maſſa nobis occurrit, ex cujus examine rectam hujus diſquiſitionis notionem eluceſcere credimus; hujus ergo texturam ex indefinitis heterogeneis particulis conflari, chymica, & mechanica experimenta ſuadent; unde Hippocratici ſapores, *omnigenas facultates habentes*, æque fundantur. Horum verò congeriem non ex ſenſilibus duntaxat, ſed ex plurimis etiam, ſenſum effugientibus, moleculis conſtare, vapores ſaltem, ex detracto ſanguine volitantes, denunciant; ac inter haſce inſenſiles ſpirituoſas particulas commiſceri debere, ejuſdem analyſis oſtendit. Equidem a deſtillato ſanguine, ſpiritus alkalinos emanare, chymica experimenta convincunt, quos non ab ignis vi (ut Pſeudo-Chymici credunt) procreari arbitramur; cum ex vappa, quovis igne compulſa, nullus quidem ſpiritus extrahatur. Notum enim eſt, poſſe quidem ignea vis rerum corpuſcula ſolvere, at quæ non ſunt, educere haud poſſe; cum extrahat a mixtis, non quod in ipſis non erat, quod non educere, ſed procreare eſſet, ſed quod vere ineſt, ſolvit, & evocat. Spiritus ergo, quos ignis a Sanguine eduxit, in Sanguine certo exiſtebant. Hoc idem comprobat manifeſta diſparitas inter vappeſcentem jam, & recenter detractum Sanguinem; cum copioſiorem recens præ vappido cruore, gradu ignis eodem, ſpirituum quantitatem exhibeat. Quia ex vivido Sanguine multos, vigentes adhuc, ſpiritus ignis facilius evocat; ex evanido tamen non niſi fixatos, paucoſque ſolvere, & educere poteſt. Hinc perſpicuum eſt, quod ſi ex detracto ſanguine, a quo magna ſpirituum pars jam evolavit, ipſorum adhuc copiam ignis depromat; quanta ergo in venis ſit eorundem redundantia, ſapientibus perpendere linquimus.

In Venæ ſect. ſpiritus evolant. 3. Ex venæ ſectione pariter veritas iſta deducitur; equidem cum ſine ſanguine vita promoveri nequeat, largiorem illius effuſionem abſque deliquio non ſuſtinet, ideo lypothimiæ, ſincopeſque inſequuntur; quod quanta ſit ſanguinis ad vitam ſervandam neceſſitas, omnes vident. Hoſce vero caſus recta lance ponderando, certò ſuademur, quod non ipſa ſola ſanguinis diminutio lypothimias inducat; cum adhuc poſt lubricam phlebotomiam ſufficiens ſanguinis quantitas, ad vitæ munia proroganda, in venis adſit; non ergo aliud quidem, niſi volatiliſſimas ejuſdem particulas, quæ per apertam venam fugaciſſime evolant, hujuſce lypothimiæ cauſam eſſe, ſuaderi oportet. Equidem copioſæ etiam ſanguinis effuſiones (ut excedentes hæmorrhagiæ oſtendunt) ſæpe abſque deliquio tolerantur; octo enim ponderatas cruoris libras, per nares profuſas, abſque ulla lypothimia obſervavimus, quod & Practici plures in majori etiam copia deſcribunt. Contra vero decem tantum ſanguinis uncias ex brachio detractas, dura deliquia excitaſſe, non ſemel vidimus. Quænam ergo diſparitatis cauſa? niſi quod ex aperto venæ trunco facilius, quam ex capillaribus narium ſpiritus evolant; ideo profuſæ ſanguinis effuſiones facile tolerantur; ſpirituum vero diſſipationes non facilè. Sed clarius adhuc ipſæ lypothimiæ confirmant; in iſtis enim poſt reſtaurantem potiunculam, vel acutum ſpirituum volatilium olfactum, a quibus Enormon ſtimulatur, cito ad vitale regimen Anima revocatur; quod non contingeret, cum ſola ſanguinis diminutio vitale defectum induxiſſet. Tandiu enim lypothimia continuare deberet, quandiu priſtina ſanguinis moles reintegrata fuiſſet, quod tam brevi ſpatio eandem ſanguinis portionem remittere, vel compenſare Natura nequit; quamobrem magis propriam hujus deliquii cauſam deperditum ſpiritum eſſe, cenſemus, quem ſolum ſpirituoſo olfactu reſtauratum, illicò lypothimiam ſolvere obſervamus; quod quidem enormonticum ſpiritum in venis adeſſe debere, manifeſto confirmat.

Venarum, & arteriarum differentia. 4. A venis vero ad arterias accedere, argumenti occaſio nunc invitat; perſpicuum enim diſcrimen inter venoſum, & arterioſum ſanguinem inſpicitur; cum illarum craſſus, & ater, ac ad impetus ineptus ſit, iſtarum vero tenuis, floridus, & coccineus refulgeat, ac ad impetum pronus, propria vaſa repulſando diſtendat (unde arteriæ omnes altera præ venis tunica roborantur) quod abſque enormontica plenitudine, haud ſatis explicabitur. Nec a ſolo Corde hanc intimam arteriarum impulſionem derivare, æquum eſt; etſi Cordis ſyſtole ſanguinis motum per arterias promoveat; cum intima ejuſdem exploſio propriam, & a cordis motu alienam expetat cauſam, ut præ cæteris Aneuryſma ſaltem oſtendit, in quo arteriæ tumeſcentia, internaque fractura, non a locali ſanguinis motu, ſed ab intimo illius impetu certò exoritur; unde affectus hic arteriotomiam ſæpe inſequitur, cum ardua nimis ob enormonticam exploſionem arteriæ conſolidatio ſit. Perſpicuam ergo hanc venoſi, & arterioſi ſanguinis diſparitatem ab Enormontici niſus differentia deſumi debere, ſatis ſuademur. Arterioſus enim ſanguis ſpirituum plenitudine dives, tanto impetu movetur, ut difficillime propria, ſemel aperta, vaſcula conſolidari patiatur, cum enormontica expanſio arteriarum parietes perpetuo impellat; at cum ex capillaribus vaſculis exeat, & per muſculorum interſtitia ſpirituum portionem diſpergat, depauperatus ſanguis, eſurientibus venis ebibendus, relinquitur; ideo in ipſis craſſeſcit, nigreſcit, mitique motu ducitur, venarumque ſectarum conſolidationem facile audit; quæ diſparitas Enormonticam in arteriis plenitudinem, in venis verò diminutionem oſtendit.

Muſculorum motus expenduntur. 5. In muſculis pariter continuam, ex arteris effuſam ſpirituum copiam illorum motus oſtendunt, quod extra tritam viam obiter expendere convenit. Notum ergo eſt, muſculorum motiones duplici cauſa perfici; nempe fibrarum nervearum prompta ad ſe contrahendum diſpoſitione, & animalium ſpirituum determinato concurſu, ambo hæc ad motum peragendum ſimul conſpirare, ex eo liquet, quod qualibet ex hiſce inepta ſit, motus non perfici-

ficitur . Huic vero vulgatæ doctrinæ aliquid deficere , experimenta demonſtrant; cum tertiam adhuc ſimultaneam cauſam, arterioſum nempe ſanguinem, motum coadjuvantem , non admittat . Equidem ſine hujus concurſu (ut perſpicue celebris Nicolai Stenonis , aliorumque poſt ipſum , experimenta convincunt) nunquam in magnis ſaltem muſculis motus peraguntur; ligata enim arteria magna deſcendente in Cane, inferiores corporis partes , arterioſo influxu deſtitutæ , illico motum perdiderunt , etſi liberi nervi ad proprium munus expediti fuiſſent . Et ſane animales ſpiritus nerveas fibras contrahere poſſunt , carneas vero minime ; (quod cap. de Paralyſi copioſe diximus) ideo ſine arterioſi ſpiritus auxilio , qui carneas fibras ſimul contrahunt , muſculos movere ipſi duntaxat nequeunt; cum major carnis pondus , & reſiſtentia ſit, quam nervulorum contractio attrahi poſſit ; arterioſus vero ſanguis carnis molem implendo, & fibris nerveis pondus collevat , & reſiſtentias ſuperat , ſicque imperatum , ac inchoatum motum perfici coadjuvat . Hic vero non ſanguis per ſe tantum , qui ſolus nec pondus , nec reſiſtentias levare, nec fibras carneas contrahere , ſed relaxare potius aptus eſt ; ſpirituoſa vero , ac elaſtica illius pars , cujus expanſioni hoc opus reſervatur , in carneis fibris ſe expandens , illico illas contrahere , potis eſt . Hinc patet igitur , quod in muſculis etiam Enormonticus niſus propriam ſcenam peragat, unde ſpirituum redundantiam in arteriis adeſſe, abſque ambiguitate deducatur .

Arteriæ ſpiritus in animales tranſire. 6. Sed clarius adhuc arterias Enormontica plenitudine ditatas videbimus; cum arterioſi ſanguinis partem illam , quæ ad cerebrum ſcandit ut animales ſpiritus nervis deferat , recto calamo deſcribamus ; has, inquam, ab arteriis delatas , nerviſque dicatas particulas nunquam probe deprehendimus , niſi primò ſumme volatiliſatas , ac a cæteris extricatas , facilique ſegregationi diſpoſitas , ſicque jam vitalizatas eſſe intelligamus ; nam ſine hiſce characteribus, ad ſenſus , motuſque functiones peragendas , idoneas certo non eſſe poſſe , tuto cenſemus . Adeoque hujus naturæ particulas elaſticas , & volatiliſſimas ac a reliquis liberas , in arteriis ineſſe , ac redundare debere . Supponere nanque cum vulgata ſententia , non eſſe in ſanguine tales , ſed in cerebro elaborari , & ex ſanguine in ſpiritus exaltari , vetus aſylum mihi viſum fuit, ut infra *cap.* 5. *num.* 4. &c. oſtendere ſtuduimus . Profecto nullam in cerebro partem , ad hoc opus idoneam inveſtigatam, inventamque adhuc eſſe, Anatomicorum , & Phyſicorum ſuppoſitiones, & diffidia convincunt; cum ſupponere , in cerebro hanc ſpirituaſcentiam effici , nec cauſam , nec modum , nec locum determinatum oſtendere , non quidem Phyſici , ſed Haruſpicis potius labor ſit. Quamobrem ut has ambages a medicis literis obliteratas viderem ; legitimam ſanguinis ſpirituaſcentiam , propriamque ſpirituum geneſin inveſtigare , ac probatis experimentis, rationibuſque firmare , & confirmare , pro viribus laboravi ; ſic tandem favente Deo in pneumatica vena magnum hoc opus perfici debere , ultimo dignovi , ut *ſequent. cap.* 5. manifeſtum ſit. Itaque cum nec experimentum, nec ulla firma ratio novam Spirituum animalium procreationem in cerebro efficiendam , demonſtrare poſſit ; tuto ſancire arbitror ; Enormonticum ſpiritum , qui cum arterioſo ſanguine cerebrum petit , abſque alia immutatione ſimpliciter ſeparari , ſeu ab arteriis ad nervos mediis glandulis tranſire, ſicque permutato nomine tantum, Animales ſpiritus nuncupari ; & ideo non differentes , ſed unicum, idemque Impetum faciens , tam in ſanguine , ubi vitam alit , quam in nervis ubi ſenſus, motuſque perficit , concordi ſymmetria humanam Machinam moderatur.

7. Hæc item unica ſpirituum natura , & uniſona in agendo concordia in Animi pathematis adhuc perſpicue ſe prodit. Equidem ad vehementium Paſſionum motiones , nondum ſpirituum animalium , ſed & ſanguinis commotionem concurrere , ſæpe conſpicimus. Non enim ex. gr. in Ira æſtuare ſanguis poteſt , ut externi characteres denunciant , niſi & ipſe intime commotus ſit. Nervorum ergo ſpiritus , & ſanguinis ſimul, juxta Animi affectiones, communi- *Enormon paſſiones ducit.*

municato impetu concitantur. Verum ſicuti evidentem hunc effectum dignoſcimus, cauſam tamen, ſeu ſimultaneam hanc motionem nunquam comprehendemus, niſi Enormonticum in ipſo ſanguine ſpiritum ineſſe dignoſcamus; hoc enim poſito, ſimultaneæ hujus in cerebro, & in ſanguine commotionis cauſa illico eluceſcit. Equidem animales Spiritus, ab exoſa objecti impreſſione concitati, vel propria thymoſi commoti, mentis arcem ſubvertunt, nervorumque genus efferis motibus agitant; ſanguinem vero propria procella turbare nequeunt; furens enim eorundem impetus ad diſſitam venoſi generis regionem haud extenditur; cum nullum ſanguinis regimen, in nervis occluſi retineant. Non ergo aptius, quam per congeneris ſpiritus confœderationem, unicamque vitæ ſervandæ œconomiam, ſimultanea nervoſi, & venoſi generis concitatio concipi poteſt. Profecto mens noſtra non niſi per mediaſtinos ſpiritus cùm nervoſum, tum venoſum genus commovere poteſt, unde niſi in ſanguine adeſſent, in ira certo ſanguinea moles non excandeſceret, nec pro paſſionis gradu, & progreſſu, æquali ſimul cum nervis motu, concitaretur ſanguis. Univerſalis vero hæc commotio ab ipſa in cerebro motione determinatur; qualis enim & quanta eſt objecti impreſſio, talis & tanta in utroque nervoſo, & venoſo genere commotio ſuccedit, quod ſine amborum ſpirituum fœderata unitate, nec recte quidem, nec ſatis unquam explicabimus; nec ſubitaneus ille ſanguinis in ira æſtus ſine exploſivo illius ſpirituum niſu deprehendi poteſt, quod ut rectius exponatur, ſequens confirmatio docebit.

Caloris Enormontici effectus. 8. Vividus item corporis calor Enormonticum in ſanguine niſum aperte pandit, hunc inquam a ſanguineo fonte promanare, nemo negabit; & ſane omnes humanæ machinæ partes, quas copioſior ſanguis invadit, intenſius caleſcunt; extimæ vero, quas capillares perluunt arteriæ, intimis viſceribus minus fervent, & Cor, quod pleno ſanguinis gurgite inundatur, cæteris partibus ſemper calidior eſt. Immediatam vero hujus caloris cauſam Enormonticum in ſanguine Spiritum eſſe certo debet, cum ipſe in maſſa jugiter expanſus & vitalem motum, & caloris proventum ſemper inducat. Hoc inquam præ cæteris recenter demortui Cadaver ante oculos ponit, in quo, cum Enormon deficiat, etſi ſanguis adſit, caloris vigor ſenſim cum ſpiritibus evaneſcit; quod perſpicue oſtendit, integram, ſpiritibus tamen depauperatam, ſanguinis maſſam, per ſe relictam, teporem nullum ſervare, minuſque fovere poſſe. Hæc ergo veritas tam Veterum, quam Recentiorum ambages devitat; non enim ad Calidum innatum, vetuſtæ ambiguitatis aſylum confugere, eſt opus; cum unicus Impetum faciens ſpiritus inventum illud explodat; ideoque merito innati calidi nenias, moderni jam cecinere. Sed neque cum Recentioribus hic favent experimenta illa *pro frigoris, caloriſque mechanica productione inſtituta*, quæ licet plurimas veritates detegant, hic tamen expertis variarum mixtionum luminibus, vitalem lampadem explicando, non illuminant, ſed extinguunt. Profecto aliam petit originem Calor, qui a vitali principio gignitur, aliam utique, qui ex reluctantium corporum mixtione contingenter emergunt; adeoque unum per alterum demonſtrare velle, idem eſt, ac falſum ex vero deducere. Quam enim vanum ſit per particulas in ſanguine tumultuantes caloris cauſam oſtendere, idem extravaſatus ſanguis aperte convincit, in quo præter enormonticas, cæteras ſui particulas retinet, quæ licèt ad ſeparationem intentæ, vehementer conflictantur, non tamen caleſcere ſanguis iſte, ſed frigeſcere cogitur; cum ſui caloris principium ipſum reliquiſſet. Sic pariter in calenti adhuc Cadavere omnes in venis reluctantes cruoris moleculæ adſunt, & ad ultimam uſque corruptelam ſimul conflictantur, ſanguinem vero, propria jam vitali flamma extincta, ſenſim deferbere, tandemque frigeſcere conſpicimus. Non itaque inteſtina particularum lucta, (ut *in Tract. de Febr.* ſatis oſtenditur) ſed Enormontica in ſanguine exiſtentia, & expanſio ejuſdem continuo fovet, promovetque calorem.

9. Sed & frequenter obviæ ſanguinis phlo-

Sic & Sanguinis phlogoſes. phlogoſes, quæ inſtar vini ebullientis vel vaſa diſſiliunt, unde hæmorrhagiæ obſervantur, vel intimas inflammationes, febreſve ardentes accendunt, Enormonticam plus æquo commotam expanſionem etiam oſtendunt. Neque ad hæc explicanda fermentativos in ſanguine adauctos motus adducere ſufficit; quia ſatis in ſequenti cap. 8. demonſtravimus, quod a nulla proprie dicta fermentatione ſanguinea maſſa invadi, ac agitari poſſit. Et quia cum adhuc daretur, hoſce ſanguinis impetus tarda fermentationis molimina nunquam ſatis, nec recte quidem explicare poſſent; cum motus in ſanguine fermentativus, ſi adeſſet, a circulativo motu ita præpediretur, ut nunquam certo ad vehementem gradum aſcendere poſſet; ideo ad ſanguinis phlogoſes excitandas inepta omnino eſſet. Probatis enim experimentis patet, (quidquid alii aliter ſentiant) quod legitima fermentatio a quovis alio motu ita præpeditur, ut nunquam, vel tarde nimis ad vehementiæ gradum aſcendat; unde repentinas ſanguinis eruptiones inaniter exponere poſſe, tuto cenſemus; quæ omnia loco nunc citato affatim oſtendimus. Nulla itaque alia cauſa phlogoſes iſtas inducere poteſt, quam Enormonticus niſus ultra conſuetam moderationem vehementer concitatus, quam excandeſcentiam vel ex multa ipſius redundantia, vel ex nimia turgeſcentia dimanare debere, arbitramur. Hoc inquam comprobat præſentaneum in hiſce urgentiis remedium, prompta nempe phlebotomia, quæ hoſce ſanguinis impetus, æſtuſque compeſcere, ſæpius comperitur; cum Enormontica, tumultus excitans, fugaciſſima pars, per apertam venam evolando, turgentiæ cauſam imminuat, ſicque ſanguinis quies inde conciliatur; quod ſpiritalem impetum in ipſo adeſſe debere, pariter confirmat.

10. Hic tandem ſiſtimus greſſus; licet innumeras adhuc alias veritatis hujus demonſtrationes nos premere, ſentiamus; ut variæ ſanguinis differentiæ, quæ hoc ab alio corpore in agendo diſcriminant; ſenectæ item, juventæque diſparitates, quæ vegetos, vel langueſcentes homines ducunt; ſalubres pariter, ac inſalubres corporum conſtitutiones, quæ intimum quoddam rectum, vel indirectum regimen ſupponunt; ſic innumera item alia, quæ adhuc per ambages deſcribuntur, Enormontico autem in humana machina regimine cognito, facilius, ac rectius explicantur. Hac demum tantæ urgentiæ doctrina pro viribus expoſita, proximum eſt, Enormonticam in ſanguine Geneſim oſtendere; cum hæc ſatis cognita, plurimas ambiguitates diſſolvere, ac hypotheſis noſtræ ultimam firmitatem promittere, certo poſſit. Equidem ſemel poſita, recteque nota hac in ſanguine productione, ipſorum exiſtentiam inficiari ultra nequimus; adeoque cum & Cauſam, & Modum, & Locum hujus geneſis aptum ratio, & experimenta demonſtrent, facilius erit dignoſcere, quod potius inibi, ubi requiſita extant, Enormontica promotio fiat, quam alibi, ubi opportuna deſunt, illa effingere tantum, oſtendere nunquam poſſunt; verum ad hanc pro viribus explicandam accedimus.

CAP. V.

De Enormontica Geneſi, & Natura.

1 ARduum quidem negotium aſſumere, inſtituti petitio nos impulit; inſenſilia enim, ac in dubium revocata, corpuſcula delineare, illorumque geneſim tot ſententiis ambiguam, & pluſquam Nili caput abditam, invenire, majora viribus aggredi videbitur. Veruntamen etſi alibi deperdita, hic certe opportuna judicabitur intemperantia ſciendi; nam quærere, quæ neſcire convenit, malum eſſe; quæ vero ſcire conducit, negligere, peſſimum cenſetur. Et certe in phyſico genere nil urgentius noſcere expedit, quam id, per quod vivimus, & ſumus; cum eſſe, & vivere noſtrum magis quam externa cætera, dignotionem urgeat. Attamen extra nos anxie quærimus, quæ ad vitam indirecte conducunt, negligimus vero ſcire, quæ proprie vitam ducunt; ideo ſæpe, quæ ad vitæ commodum ſpectant difficulter attingimus, quia quæ proprie vitam promovent, *Spirituum inquiſitio ſuadetur.*

haud

haud recte dignoſcimus. Nec arduitatis motivum negligentiam excuſat, cum nimia in aliis laborioſe inquirendis, diligentia ſatis nos inculpet; ſit pro exemplo. In muſculorum motibus mechanice deſignandis, tot geometriæ regulas, matheſeos demonſtrationes, phyſicæque theoremata impendimus, ac in fibrarum vario contractionis, ac reſtitutionis motu ſubtiliter diſſerere non detrectamus; propriam vero hujus motus cauſam, ſpiritum nempe, in cerebro ſaltem gigni, tacite ſupponimus, ac hujus cunabula, & cauſam inveſtigare, negligimus; ſicque circa inſtrumentum tot laboribus deſudamus, cauſam vero præcipuam intimius noſcere, dedignamur. Itaque quod magis, ac magis urget, noſtram ducat ſolertiam, nullaque difficultas tantum præpediat laborem; fortaſſe non tot conatus, quot nunc ſuſpicamur, hoc exigit negotium. Ex me itaque primam ſaltem viam, non ſine magno rationum ac experimentorum auxilio aperire laboravi, ampliare vero, & excolere, cordatioribus relinquo.

Nulla Spiritus geneſis in Corde.

2. Ut ergo ad hujus diſquiſitionis limina primo accedamus, clariores de ſpirituum geneſi opiniones exponere decet, ut illarum inertiam dignoſcamus. Ariſtoteles ergo primam, diuque veneratam, ſententiam poſuit, qua ſpirituum cunabula in corde ſtatuit, ac ab ipſo etiam nervorum principium derivare ſancivit; uti a Galeno Ariſtoteles notatur *lib.* 1. *de plac. Hippocr. & Platon. cap.* 10. Miror inde, quem idem ipſe, qui tot de corde errores Ariſtoteli tribuit, ut *lib.* 6. *de uſu part. cap.* 9. ubi cordis ventriculos ignoraſſe cenſuit; & *lib.* 7. *de anatom. adminiſtr. cap.* 10. ubi tres cordis ſinus ab Ariſtotele poſitos recenſet; ſicque alibi ejuſdem errores exagerat. Nihilominus cum ipſo fœderatus contra Hippocratem ſtatuit: *Ignaros videri, qui cor muſculum eſſe credidere, non intelligentes actionis illius excellentias, ex ſua viſceri ſubſtantia neceſſario ineſſe; quapropter maxime errant, qui cor muſculum eſſe cenſent. Lib.* 7. *de anat. adminiſtr. cap.* 8. *in fin.* ſic audacter contra magiſtrum Hippocratem, qui expreſſe *lib. de cord. num.* 4. cenſuit. *Cor muſculus eſt valde fortis*, &c. Verum poſt anatomicam celebris *Stenonis* diſquiſitionem vetuſta Hippocratis, a Galeno deſpecta, ſententia apud Cordatiores revixit. Quod Cor nempe muſculus proprie ſit, nec præter muſculi munus nil aliud efficiat; etſi per ipſum duplici via univerſus ſanguis exeat, & reducatur. Ideo peripateticum inventum, quod ſanguinis ſpiritus in corde gigni ſtatuebat, falſo quidem ſupponere, notum jam eſt; unde in ipſo corde, nec famigeratum illud *Fermentum lucidum Helmontii*; nec *Williſii*, aliorumque *Flammulam* ullam, vel *Igniculum vitale* ultra ſupponere, intereſt; cum hæc a Peripati præjudiciis hauſta, nulloque fundamento firmata doctrina fuiſſet. Verum quia controverſiam iſtam alibi jam perſolvimus, ad alteram hactenus plauſibilem, ac vulgari calculo acceptam, expendere aggredimur.

De Spirituum geneſi opiniones variæ.

3. Hæc itaque vulgata opinio unicam ſpirituum geneſim in Cerebro tantum perfici debere, abſolute determinat; quæ, inquam, cum animales ſpiritus denegandos non eſſe, ſenſus, motuſque functiones affatim ſuadeant; & cum alibi illorum procreationem veriſimilius detegere nequeat, in Cerebro certo perfici, ex communi Cathedra docuit. Hactenus tamen nec ulla demonſtratio firma, nec perſpicuum aliquod experimentum ſententiam hanc comprobare auſit, quod in re tanti momenti non minimam ambiguitatem Cordatioribus ſuggerit; dubium pariter augent apertæ in hac linea opinionum diſſentiones, cum poſt tot ſecula, plurimaſque anatomicas inſpectiones, determinata in cerebro pars, ubi hæc ſpirituum geneſis fiat, adhuc controverſa ſit. Opinionum ſeriem, quæ dubium fovet, innuere ſaltem, non tædet; & primo ſatis refutata fuit Veterum ſententia, quæ in *cerebri ventriculis* ſpirituum cunabula poſuit, ſic pariter altera ab Arabibus inventa, quæ in *quarto tantum ventriculo* hanc geneſim excogitavit; cum has Cerebri partes ad mucoſa, ſeroſave recrementa colligenda, capitis quaſi cloacam Natura deſtinaſſet; nec in amplis hiſce ventriculis, ac a nervorum principio nimium diſſitis, fugaciſſimos ſpiritus ſervari,

& per

& per diſtantes vias ad nervos evolare poſſe, ſatis cognitum ſit. Sed neque in *plexu choroide*, ut alii arbitrati ſunt, hæc procreatio veriſimilis judicatur; cum in iiſdem ventriculis hic plexus (ex convolutis membranis, glandulis, & arteriis congeſtus) oriatur, & terminet; adeoque nervis remotum organon eſſe; neque in hoc plexu arterias exonerari, ſed ultra nervorum initia complicatas excurrere, manifeſtum ſit; quare nec idoneam ſpirituum geneſim, nec expetitam copiam, ex hac parte nemo derivare poterit. Pariterque nec in *Sinibus falcis*, ut altera fert opinio; quia dicti ſinus inter duræ meningis duplicaturas poſiti, cum nervorum origine nullo pacto communicant; per quos ergo ignotos ductus ad cerebri meditullium proprios ſpiritus ducere queant, demonſtrari non poteſt; ideoque hæc opinio eandem cenſuram patitur, ac altera, quæ *in ipſis cerebri arteriis* hanc procreationem fieri debere contendit, quæ ambæ cum tertium tranſmutantem ſuccum arteriis hiſce noviter communicatum demonſtrare nequeant, (nullibi enim recipiunt arteriæ, ſed proprium a corde acceptum ſanguinem effundunt) dictam tranſmutationem nunquam ſuadebunt. Noviſſima demum opinio, quæ jam plauſum rapuit, celebris Williſii eſt, qui ut in hiſce ambagibus cæteris tutius incederet, *medullarem Cerebri ſubſtantiam* hujus geneſis cunabula eſſere debere excogitavit; nam inibi & arterias exonerari, & nervorum origines apparere, & ſuccum tranſmutantem in corticalibus cerebri glandulis paratum adinvenit, qui Fermentando ſanguinem, in ſpiritus exaltet. Hanc ergo ſententiam communi calculo acceptam, æquiori lance perpendere, non jactantia quidem, ſed Veritas ſola nos urget.

Cerebri fermentum fictitium. 4. Hoc, inquam, in Cerebro poſitum Williſianum fermentum eaſdem improbationes, quas Helmontianum illud lucidum in Corde effictum, æque patitur; cum ambo ſupponi, ſed nulla ratione, vel experimento comprobari poſſint. Supponitur enim in Cerebri glandulis ineſſe, quia inibi ſpirituum geneſis etiam ſupponitur; at ſicuti veram ſanguinis ſpirituaſcentiam alibi fieri, proxime demonſtrabitur, ita nec in corde, nec in cerebro fermentum ullum ad hoc opus excogitare decet. Maxime quia fermenta iſta in corporis partibus efficta, æque a cordatis Mechanicis ignaviæ aſyla dicantur, cum Veterum Facultates in Scenam reducant, ac inaniter ignotum per ignotius explicare laborent; quid enim ſit hoc fermentum, quod ſanguinis particulas in ſpiritus exaltare, aptum ſit, nemo unquam explicabit; ideoque falſo supponitur, quod minime intelligitur. Sed ut inventionis hujus vanitas eluceſcat; cum adhuc hoc ſupponamus, non ideo ſequitur ſpiritus animales procreare poſſe, cum fermenta, quovis modo concepta, non niſi ſpiritus Acidos exaltare queant, quos directe humanis ſpiritibus opponi, eorundem Alkalina conſtitutio, & eorum morboſæ, ab acido inductæ, affectiones plane demonſtrant; adeoque non ipſos quidem, ſed illis infenſos ſpiritus gignere, aptum eſſet. Item in actionis modo fruſtraneum certo eſſe, propria fermenti ſegnities oſtendit; non enim niſi diuturno molimine opus ſuum fermenta perficere, Chymicis, Phyſiciſque notum eſt. Quomodo ergo intra momentanea temporis morula, in qua ex arteriis in glandulas ita impellitur ſanguis, ut a nova ocyter ſequenti pulſatione expellatur, novuſque intrudatur, quomodo inquam tam brevi momento a tardis hiſce fermentis extricari, ac in ſpiritus procreari, ſanguinis particulæ queant, nemo concipere æque poteſt. Niſi ergo aliquod ſtupendæ naturæ fermentum effingant, quod non acidos, ſed alkalinos ſpiritus, & in momento tantum procreare aptum ſit, ſemper quidem in hoc invento vanitas, non veritas apparebit. Concludamus itaque, quod ad animales Spiritus ab arteriis ſeparandos, nec nova in Cerebro elaboratione, ubi locum ullum ad hoc opus idoneum determinari poteſt, nec fictitio fermento, quod inepta cauſa dignoſcitur, ultra indigemus.

5. Enormonticam ergo geneſim, cum neque a Corde, nec a Cerebro æque peti poſſe, declaratum ſit; ubi evidenter ſe prodat, inquirere adhuc ſupereſt; non enim idealiter effingere, ſed *Sanguis in pulmone reviviſcit.*

ex

ex apertis indiciis illam deducere ſatagimus. Primo itaque experimenta nonnulla pro baſi exponere, ſicque tutiſſimam tanti momenti ſententiam ſolidis fundamentis firmare, duximus. Primum ergo experimentum ex Anatome ſumptum celebr. Loverius *tract. de cord. cap.* 3. nobis paravit, qui multa ſolertia, & indagine clare compertum habuit, *ſanguinem in pulmone manifeſto reviviſcere*. Vidit enim ſæpius, in vivorum animalium ſectione, ſanguinem a dextro cordis ſinu craſſum & atrum in arteriam pulmonis aſcendere; viditque eundem in altera ad cor deſcendentem venam, floridum, tenuem, coccinei coloris rutilantem, vivideque ſpumeſcentem, ac talem omnino, qualis ex ſiniſtro cordis ſinu in aortam effunditur. Quare hanc ſanguinis tranſmutationem non in corde quidem, cum in ipſo talis ingrediat, qualis exeat, ſed in pulmone duntaxat, in quem craſſus, & ater ingredit, ac floridus, & ſpumeſcens recedit, peragi debere, manifeſto dignovit. Aſt non ſolum ſanguineæ reviviſcentiæ locum, ſed & cauſam ſimul detexit, cum aeris in ſanguine commixtionem conſideravit. Et ſane nullam activiorem cauſam, quam unicam aeris, & ſanguinis mixtionem, ad hoc phænomenon ſatis, & recte explicandum ſufficere, innumera experimenta convincunt, quæ & a *Nobil. Boyle*, & ab aliis poſt ipſum comperta perleguntur. Verum quænam proprie ſit aeris illa vis, quæ ſanguinem ſic reviviſcere cogit, non tam facile aſſequitur, cum hinc inde opiniones variæ legitimam notionem confundant; has ergo recte perpendere, brevi ſaltem calamo contractas, nunc accedimus.

Chymici, & Mechanici quid ſentiant.

6. Chymici primum cum celebri *Majouu* ad ſpiritum Nitri, quo aerem redundare æque noſcunt, unanimiter effugiunt; addunt tamen, quod vitæ ſpiritum quendam cum ipſo nitro, quaſi mundi animam, divagare, ac ſanguini communicatum vitalem auram tribuere; unde inhibito per pulmones illius influxu, animal emori neceſſum ſit. Hæc, inquam, nunquam probata idea, ſatis jam a Cordatis plurimis exploſa fuit; ideo hic nihil, infra vero aliquid dicturi, cum de reſpiratione ſermo erit. Hinc alterum oritur extremum, quorundam nempe Mechanicorum opinio, quæ ab inſpirato aere nil ultra, quam promotum ſanguinis circulum, in quo Animalis vitam conſiſtere autumant; ideoque præpedita reſpiratione, Animal moritur, quia deficiente aere, pulmones non ita extenduntur, ut liberam in ejus vaſis ſanguinis circulationem facilitent; quamobrem ſufflaminato circuitu, illico vita decedit. Per me quidem non audio, quod reſpirationis negotium ſoli circulationi dicatum eſſe contendant, cum præcipuum alterum reſpirationis effectum omnino negligant. Experimentis enim conſtare videtur, quod primarius in hac linea Naturæ ſcopus ſit, ſanguinem a craſſitie vindicare, ac tenuem, vividumque reddere, ut vitæ muniis par ſit. Nimis enim a vero diſcedere, nobis videntur, qui vitales impetus, vitæque conſtitutionem ab ipſo ſanguinis circulo, geometricis regulis ducti, derivare contendunt; quod quantum legitimam vitalis œconomiæ dignotionem defraudet, cordatiores vident, paucíſque & nos videre, nunc aggredimur.

Sanguinis circulatio vitam nõ conſtituit.

7. Imperceptibile ſemper erit, vitam proprie dictam, in ipſa ſanguinis circumgyratione conſiſtere poſſe. Nam etſi verum ſit, hunc vivifici fluidi circuitum univerſa humanæ Machinæ munia promovere, unde hoc ſufflaminato omnia ſilent; non ideo ab hoc Animalium vitam definiri debere, æquum eſt. Equidem ſine hoc circuitu ipſorum vivere incepiſſe, & ſanguifera vaſa plaſticus ſpiritus ſibi fabricaſſe, ac ſanguinis circuitum, ad propria munia facilius peragenda, inſtituiſſe, notum eſt; ergo vita erat, cum nondum eſſet circulatio, quod ſatis convincit, de vitæ conſtitutivo eſſe non poſſe. Inſuper velint, nolintve, varias in viventi Machina impetum facientis impulſiones confiteri coguntur, ut ſenſus, motuſque functiones aperte oſtendunt, quæ a Circulatione diverſa, aliquid plus expetunt, nempe vividam ſanguinis partem, quæ impetum facere apta ſit. Aliquid ergo in ſanguine viget, quo magis vivens Machina indiget, quam cir-

circulatione, quod etiam nos docuit Natura, quæ apprime de vivifico ſanguine perficiendo, poſtea de illius circulo inſtituendo, cogitavit. Denique út clarius hæc veritas elucefcat; apertam vitæ noſtræ a circulatione independentiam Periti noſcunt; cum ſufflaminato ſanguinis circulo, omnique cordis ſyſtole ſuſpenſa, pulſibuſque omnino deperditis, vitam non integre perire, Syncopes ſaltem, ac obſervationes plurimæ convincunt; vid. Plater. *obſerv. medic. lib.* 1. Hildan. *obſerv. cent.* 2. *obſ.* 95. 96. & præ cæteris funeſtam Matronæ prægnantis Hiſtoriam a Matthæo Heſſo *quæſt. medic. enod. lib.* 1. *cap.* 25. relatam; hæc inquam tribus diebus occumbens, tandem ſepulta, poſt menſem inventa fuit vere mortua cum puerulo inter brachia, quem in ſepulchro pepererat, quod haud contigiſſet, ſi penitus, ut credebatur, vitam amiſiſſet. Stare igitur vita poteſt, etſi omnes ejus characteres omnino ſupprimantur, ſi circulatio, ac reſpiratio, pulſuſque omnes pereant; cum haud proprie vitam conſtituant, ſed vitæ muniis deſerviant, ipſamque ſenſibiliter operantem denuncient; quod in hac linea ſatis, ſatiſque noſtra pomæria tranſilivimus.

Duplex reſpirationis effectus. 8 Tutius itaque incedendo, non unicum, ſed duplicem reſpirationis effectum eſſe, conſiderare oportet; primus namque eſt pulmonum dilatatio; alter vero ſanguinis conſpicua mutatio; utrique vero non æquali ſorte, nec pari munere inſtituti ſunt; nam primus ultimo inſervit, cum prior ad alterum, qui finis eſt, ordinatus fit. Non enim in primo Natura ſiſtit, ſed quaſi per medium ad terminum percurrere, & in hoc quieſcere, tandem videtur. Quamobrem reſpirationis negotium non pro ſanguinis circulo tantum, ſed præcipue pro illius reviviſcentia ordinatum eſſe dignoſcimus. Equidem mediante aeris appulſu, ita pulmonis veſſiculæ diſtenduntur, craſſique ſanguinis circuitum promovent, ut ad propriam attenuationem univerſa venalis maſſa paulatim accedat; ſicque ſanguis inibi cum aere permixtus, ſenſim reviviſcens, arterialis evadat. Hanc ergo neceſſariam pro vitæ muniis obeundis, ejuſdem ſpiritua ſcentiam præcipuum Naturæ ſcopum eſſe, dijudicamus, cujus gratia & reſpirationem, & ſanguinis per pulmones circuitum Natura inſtituit, ut effectus ipſi demonſtrant. Qui ergo abſtruſum reſpirationis opus ad unicam ſanguinis circulationem promovendam, inſtitutum eſſe decernunt, nec legitimum illius uſum, nec ultimum ſcopum attingunt; cum medium conſiderando, finem omnino negligant.

Attenuati ſanguinis Cauſa. 9. In hoc ergo arduo negotio, ut recta indago dirigatur; noſcere primo eſt, (quod experimentis jam patet) Sanguinem a dextro cordis ſinu craſſum aſcendere, prout a vena cava diſceſſit; aſt cum aere in vena arterioſa permixtum, floridum, & ſpumeſcentem evadere, ac hiſce dotibus divitem cordis regiam ingredere, ſicque ad propria munia perficienda, diſpoſitum egredere. His ergo certis, alteram adhuc indaginem tentare ſupereſt; hujus nempe ſanguineæ immutationis cauſam exquirere. Diximus ergo ſupra, Aerem cum ſanguine in Pulmone commiſceri debere, (quod hìc ſupponimus, cum alibi ſatis contra nonnullorum opinionem hoc phænomenon jam oſtenderim.) Dicimus vero nunc, quod a nullo alio aeris charactere, quam a proprio elatere hæc ſanguinis reviviſcentia efficiatur; arduum vero eſt, hoc veriſimile comprobare; licet alias tot experimentis notum ſit, quod aer ſanguinem immutare certo poſſit; nec infimum eſt illud, quod ſæpe obvium in detracto ſanguine inſpicimus; hujus enim ab aere tacta ſuperficies florido ſæpius, & coccineo induitur colore, cum in ejus centro, & ab aere intacto fundo niger inſpiciatur, quæ atra pars aeri adhuc expoſita, ſenſim & ipſa rutilum colorem acquirit; quod certam in ſanguinis tranſmutatione aeris energiam oſtendit. Verum quænam proprie ſit illius vis, quæ ſui mixtione ſanguinem reviviſcere cogat, non facile aſſequitur. Per me quidem arbitror, quod in ipſius elaſticitate hæc virtus latitet; nec de aeris elaterio, poſt famigerata *Nobilis Boylei*, aliorumque experimenta, nemo dubitare æque poteſt; quomodo vero hac impellente ſanguis im-

immutetur, demonſtrare nequimus, explicare vero facile poſſumus.

Explicatur. 10. Inſpiratus itaque in pulmone, ac inter vaſorum interſtitia una cum ſanguine permixtus Aer, uterque ſimul a vena arterioſa ebibitur, in qua mixtionis hujus tumultus concitantur. Equidem recluſus aer, proprio elatere ductus, a comprimente ſanguine ſe ſolvere nititur; unde ex omni parte proprios niſus exerit; ac a fervido ſanguinis, pulmonumque calore magis, ac magis expanſus, ex omni parte proprios niſus pellit. Hæc autem concitatio ſine valida ſanguinis commotione fieri nequit; ſiquidem Aer ſe dilatando, majorem ſibi locum affectans, ſpatium quaquaverſum ſe diſtendendi requirit, quod cum vaſorum reſiſtentia cohibeat, illa ſæpe diſſilire aſſueſcit, cujus experimenta plurima apud prælaudatum Boyle, alioſque perlegi poſſunt; unicum vulgare hoc ante oculos ponit. Pomum in igne poſitum, primo intumeſcere, poſtea intimum aerem ab igne expanſum, ex diſrupta cute cum impetu explodere inſpicimus; eniſus haud valde diſſimiles in pulmonis vena, a ſanguinis, thoraciſque calore expanſus aer certo exerere debet; at cum eruptionis viam non inveniat (quam non raro invenire hæmoptyſes oſtendunt) validam inter ſanguinis particulas commotionem excitat; equidem cum vaſorum reſiſtentia illius impetus coanguſtet, omnes aeris conatus in ſanguineis moleculis agitandis, & exagitandis obnititur; ſicque ſanguinis maſſam invertit, ac intime uſque ad minima pervadit, ut particulas a particulis extrudat, ſimulque collidi, & attenuari cogat; unde illarum figuram, ſitum, & connexionem invertendo, ex craſſo tenuem, ex atro floridum evadere, intimeque cum ipſa permixtus, adhuc ſpumeſcentem perficiat; hæc demum ab aere inducta ſanguinis reviviſcentia eſt.

Spirituum geneſis in pulmone. 11. Hic ergo ſcrutinium noſtrum tandem ſiſtamus oportet; cum in hac, noviter acquiſita ſanguinis dote, illius ſpirituaſcentiam inſpiciamus. Veterum enim Recentiorumque opinio, quæ ſanguinem arterioſum in corde elaborari, ibique ſimul ſpirituaſcere credidit; unde Helmontius *fermentum quoddam lucidum*, Willis vero *flammulam vitalem* in ſiniſtro cordis ſinu gliſcere, docuerunt; ſi hanc pulmonum ſemitam cum prælaudato *Lowverio* perluſtraſſent, ac ſanguinem talem omnino in eundem ſiniſtrum ſinum ingredi, qualis ab illo exit, dignoviſſent; non utique in Corde perfici ſtatuiſſent. Nec pariter vulgata Veterum, ac Recentiorum ſententia, quæ in Cerebro ex arterioſo ſanguine animales ſpiritus procreari decernit; cum in nulla ejuſdem parte, nec a legitima cauſa ulla, tantam ſanguinis immutationem oſtendere hactenus potuiſſet; certo quidem, quod demonſtrare non poterat, effingere non auſiſſet. Itaque cum nec in Corde, neque in Cerebro dicta ſpirituaſcentia fieri poſſit, & quidem alicubi fieri debere, ipſa ſpirituum neceſſitas convincat; non alibi ergo, niſi ubi ſanguinem aperte reviviſcere, experimenta, & rationes oſtendunt. Ergo in pulmonis arterioſa vena Enormontica geneſis perficitur; profecto ingenuè hoc negotium examinando, nec locum magis aptum, cum hæc pulmonis vena ſatis ampla ſit, & ideo valvulis caret, ut ſanguinis commotiones liberius fiant; nec magis idoneam cauſam, quam aeris elaſticam vim reperiri; nec ſanguineæ reviviſcentiæ proventum alibi clarius, quam hic oſtendi unquam poſſit; ideo ejuſdem ſpirituaſcentiam ineptis locis opinari, non demonſtrare, & ad hoc opus effictas cauſas emendicare, veritatem fraudare, mihi viſum eſt.

12. Spiritus ergo procreari tunc dicimus, cum ſpirituoſi liquidi particulas ultimo attenuatas, & ad volatilitatem exaltatas, ac a cæteris ita extricatas eſſe, ut liberè innata indole uti, propriamque inter alias energiam exerere poſſe, intelligamus; quæ omnia ſanguineis particulis energeticum aeris elater impertiri poſſe, non ambigimus. *Exemplificatur, & comprobatur.* Equidem in rebus abditis rite inveſtigandis, a manifeſtis effectibus ad reconditas notiones tuto manuducimur; quamobrem, cum ſatis notum ſit, effætos ſales plurimos novis ſpiritibus ab aere fæcundari; ut ex. gr. ex capite mortuo Vitrioli, ex quo ſpiritus, & oleum jam extracta fuere, aeri vero

ex-

expoſitum, novo ſpiritu, & oleo denuo gravidari experimur, quod idem de Nitro, Alumine &c. ſatis Chymiſtæ comperti ſunt. Plurimi tamen placitus in hoc aeris effectu explicando diſſentiunt; qui enim horum volatilium ſalium copia in aeris effluviis redundare, & qui rerum omnium ſeminale principium in aeris emporio perpetuò vigere, aliique aliter ſentiant; per me tamen, ab idealibus abhorrens, tutius crederem; quod elaſtica vis aeris phænomena iſta ſatis explicare poſſit; cum volatilia ipſius corpuſcula, quæ metalla, & lapides adhuc penetrant, effætos ſales dictos invadendo, ad inteſtinos motus ita illos concitent, ut craſſæ moleculæ attenuationem primo, & inde innatam ſuſcitet ſalium energiam, ſicque cum illis permixtus aer, ipſorum ſpiritus exaltet. Verum quomodocunque ſit (raro enim in abditis cauſalis modus attingitur) effectus nos edocent, quod idem in craſſi ſanguinis ſalibus aer efficere poſſit, quod in nitro, alumine, vitriolo peragere inſpicimus, nempe ſicut in ipſis jam effætis proprios, novoſque ſpiritus exaltat; ita in ſanguine, quem reviviſcere cogit, propriam ſimul ſpirituaſcentiam moliri certo debeat; maxime quia, ut ſupra oſtendimus, ſine proprio ſpiritu ſanguinem nec vere eſſe, nec æque concipi poſſit; ideoque illius Enormon in ipſa ſimul ſanguinis reviviſcentia potius, quam alibi perfici debere, ſatis ſuademur.

Unicum ubique Enormon. 13. Verum qui vulgaribus præoccupatus judiciis, novam in Cerebro, vel unicam in ipſo tantum, hujus ſpiritus procreationem peragi debere contendit, tutiorem anatomen conſulat, ac præſentes ambiguitates, & diſſidia, quibus hæc opinio ſcatet, omnino dirimat; & cum locum idoneum, ac legitimam tanti effectus cauſam tutis experimentis in cerebro detegere, rationibuſque ſolidis demonſtrare tandem aſſequatur; tunc huic & noſtrum plauſum tribuere, non renitemur; cum ſincera quidem veritatis inquiſitio, non futile diſſidium noſtras indagines dirigat. Verum donec tutiora in hiſce obſcuritatibus lumina emergant, noſtram experimentis, & rationibus conſonam ſententiam promulgare, non ambigimus. Dicimus ergo quod unica tantum ſit Enormontica geneſis, & hæc duntaxat, ubi ſanguis ex venoſo arterioſus efficitur, promoveri, ac perfici debet, adeoque Animales ſpiritus nulla prorſus in cerebro nova elaboratione indigere, ſed iidem, qui in ſanguine gliſcunt, ab arteriis in nervos permeare, & ſic pro functionum, non naturæ diſcrimine, nomen tantum non primum eſſe immutare. Univerſa enim ſpirituum energia, in quovis organo exerceatur, unica ſemper eſt, quæ per proprii elateris expanſionem integre deſcribitur; ideo tam in nervis, quam in venis eadem energetica ſpirituum vis adimpletur. Unicum namque Enormon pro vitali œconomia in diverſis organis ſe expandens, diverſas edit functiones; ſicuti in pneumaticis machinis idem aer varias tibias inflando, differentes voces unicus edit; idem ergo ſpiritus tam vitales, quam animales motus, abſque ulla immutatione proprio expanſivo niſu exercere, potis eſt; & hic demum ſatis, nunc ad magis ardua ducimur.

14. Enormontica geneſi pro viribus tandem expoſita, illius naturam, ſeu quidditatem inveſtigare adhuc ſupereſt; indago hæc eſt, & ſine pari ardua, & ſine limite incerta; cum ignotam hanc præcipuam Microcoſmi partem nemo ſatis hactenus detexiſſet; & qui limina ſaltem perluſtrarunt, ignotum per ignotius exponere didicerunt. Hinc variæ in re tam abdita emanarunt ſententiæ, ex quibus dubiorum ſylva concrevit, nec fructum, nec lumen dederunt ullum, nec iter noſcendi fecere, vel ad ſummum *Spirituum natura inveſtigatur.*

Quale per incertam lunam ſub luce maligna
Eſt iter in ſylvis, ubi cœlum condidit umbra. Æneid. 6.

Obſcuritatis hujus cauſa idem Enormon eſt; cum a nullo chymico, nec mechanico experimento æque perpendi, nec tentari poſſit; illius enim ſpiritus extra corporis clauſtra ita evaneſcunt, ut a nullo ſenſu percipiantur; in corpore item, etſi per effectus conſpici poſſint, cum tot ſenſus, & motus exerceant, ipſos tamen inſenſiles mens ipſa inſpicere dubitat; cum illos eſſe credere, apud

apud plures ambiguum, apud alios nefas ſit. Nos vero ſicuti de illorum exiſtentia, firmis rationibus innixi, dubitare nequimus, ita illorum naturam æque deprehendere ambigimus, non autem deſperamus. Ad hoc ergo arduum opus Chymiam primo advocamus, cujus lumine mentis intuitum acuere, certo confidimus. Hæc, inquam, ex humano Sanguine proprium Spiritum evocat, quem vere alkalinum eſſe, pluries comperiit. Hunc ergo ſpiritum ex ſalibus, & ſulphuribus conflari docet; & pro certo ſi aliqua fluidorum pars in volatilem ſpiritum exaltari ſinit, primo utique pars ſulphurea, quæ proprie ſalium volatilitatem coadjuvat; ſicque volatiliſſimi ſanguinis ſpiritus aliquid ſulphuris poſſidere, primo debent. Plurima item valde probabilia, criterium hoc firmare poſſunt; 1. Cum dicti ſpiritus calidiſſimam indolem oſtendant, de ſulphure participare merito debent, a quo caloris principium exurgere, Chymia comperit; 2. Cum ſumma volatilitate præditi ſint, hanc a ſulphuris combinatione obtinuiſſe, ipſa eadem volatilitas edocet; 3. Cum perpetua mobilitate agitentur, ſulphuream indolem redolent, omnis enim ſalium mobilitas a ſulphure oritur; 4. Cum oleoſam magis texturam poſſideant, ex ſulphure participare ſuademur, a quo tantum oleoſitas in volatilibus haberi poteſt; 5. Tandem cum ſummam poſſideant levitatem, ſulphuris beneficio hanc obtinere credimus, cum volatiles ſulphuris particulas ipſo etiam aere leviores eſſe, affatim conſtet. Hiſce demum perpenſis, primam indaginem hanc multas probabilitates detexiſſe, dignoſcimus.

Ex Sulphure primo conſtat

Simulque ex ſalibus.

15. Veruntamen cum notum ſit, ſulphureum principium ob maximam levitatem in mixtis fluidis per ſe tantum ſtare non poſſe, niſi cum ſalibus in corpuſculo Salino-ſulphureum intime combinetur; quibus colligatum & levitatis ſuæ plurimum deperdit, & in moleculam volatilem, vel acidam, vel alkalinam, facile componitur. Inſuper cum ex multiplicibus *Nobil. Boylei*, ac aliorum experimentis abunde conſtet, quod in humano ſanguine ſpiritus ardens, ſeu vere ſulphureus haud inveniatur; ſatis ideo dignoſcitur, quod ſanguinis ſulphur, non tantum ſalinis particulis combinari, ſed ab ipſis ultra mediocritatem ſuperari debeat, ut ſic non ardentem ſpiritum, ſed urinoſum duntaxat (cujus indolis Enormontici ſpiritus ſunt) conſtituere aptum ſit. Sed dubium adhuc pene inreſolubile ſupereſt; ſales nempe cum ſulphuribus concreſcentes, quales proprie eſſe poſſint? hoc inquam undequaque arduum eſt determinare; aliquod vero lumen in hiſce obſcuritatibus tuto nos ducet, ſi conditiones, quæ ſales cum ſulphuribus facile combinare ſolent, & quæ ſanguinis ſpiritibus conveniant, accurate perpendamus. 1. Itaque ſales iſti nondum volatiles, ſed ad æthereum quaſi gradum exaltati eſſe debent; 2. Quod præ cæteris ſanguinis ſalibus, propriam conſiſtentiam diutius conſervare apti ſint; 3. Quod innatam aliquam cum ſulphure cognationem, vel habeant, vel facile habere poſſint; 4. Quod elaſticis legibus obtemperare non renuant. Hæc inquam diligenter expenſa, ſingulos, ad hoc opus aptos, ſales probabiliter ſaltem diſcernere juvabunt.

Et ex aere componitur.

16. Denique nec recte, nec integre criterium iſtud abſolvimus, niſi aliquid plus adhuc, quod magis Enormonticam naturam ſpecificet, ſulphuri, & ſalibus additum dignoſcamus; elaſticus enim ſpirituum impetus, qui proprie illorum eſſendi, & agendi formam exponit, a Salino-ſulphureo corpuſculo tantum, quantumvis volatile concipiatur, haud ſatis explicatur. Principium ergo aliud, quod elaſticam energiam poſſideat, cum iiſdem arcte compoſitum detegere eſt opus; per me ſaltem nil aliud niſi aerem ipſum, qui pulmones invaſit, ac novam ſanguini vitam contribuit, hunc inquam eſſe, pro certo crediderim; hic enim, ſanguinea reviviſcentia peracta, cum extra vaſa evolare, aut per ſe ſolum intra vagare nequeat, una ſimul cum volatilioribus ſalſo-ſulphureis moleculis, in tertium enixum corpuſculum, Natura jubente, congeritur, ut propriam elaſticam vim ſpiritus ipſi poſſideant; hoc item Enormonticæ conditiones ſuadere poſſunt.

ſunt. 1. Elaſtica dicta ſpirituum energia, quæ poſt aerem ſimilior nulla concipi poteſt; 2. Summa illorum mobilitas, qua ſenſus, motuſque functiones in inſtanti peraguntur; 3. Prompta expanſionum velocitas ad omnes corporis regiones æque profuſa, quæ omnia penetrat, implet, & vivificat; 4. Innata illa ad Animæ irradiationes recipiendas, diaphana quaſi diſpoſitio, unde Veteres lucidos ſpiritus eſſe crediderunt; 5. Tandem prompta illorum indoles libertatem captandi, & ad proprium aereum centrum evolandi. Hæc ergo ſpirituum propenſiones arctum cum aere conjugium facile ſuadent, unde probabiliter opinari liceat, quod ex intimo Aeris, Sulphuris, & Salium volatilium amplexu, alterum a ſanguinis maſſa omnino extricatum, & liberum, volatile, ac elaſticum corpuſculum regenerari poſſit. Veruntamen ſicut in viventi machina Impetum facientis exiſtentiam omnino certam eſſe deprehendimus; ita illius eſſentiam, obſcuris latebris abditam, aliis indagandam relinquimus, cum Artis noſtræ urgentiis curioſitas iſta parum juvet. At nimis animum premit, quod Enormonticas motiones, commotioneſque plurimas, a quibus tot mirabiles, non adhuc probe notos effectus dimanant, ſub alto ſilentio dura cogat vecordia, ſicque ſemper conjectentur ambigua, nulloque tuto fundamento firmentur. Quamobrem omni jure Poſteris inſto, hanc derelictam Enormonticam provinciam omni ſtudio luſtrare, ac ab invaſis erroribus expiare; ut præcipua humanæ machinæ pars, (qua ignorata, Phyſica, & Medicina cæcutiunt) proprio nitore clareſcat, Artiſque obſcuritates illuſtret; in hac linea ſequens, inter alias haud minima, inquiſitio, nunc ad omnes niſus nos urget.

CAP. VI.

De Enormontico Niſu in Sanguine Depurando.

1 SAnguinis depurationes, ab intima ſæpe impulſione inſtitutas, qui negat, Peritum in arte non eſſe, per ſe convincitur. *Intimi conatus obſervandi.* Etenim qui Medicinæ latibula penetravit, Artiſque pericula ſæpe comperiit, in intimos hoſce niſus frequenter incidiſſe confitebitur; quot enim minime prævifas Criſes, ac per inſolitas ſæpe vias deductas, emerſiſſe, Practicorum monimenta teſtantur; ſic intima ſua molimina non raro occultat Enormon, ut etiam peritos inopinata deprehendant; ſicque plurimas ad intimas partes traductas metaſtaſes, quæ diu ſilent, donec repente, ac præter captum emergant, quæ Ægros in pejus dejiciunt; ſic contra frequentes Diadexes, quæ ad ignobiliores partes, cum Ægri bonis, morbidam luem deferunt; ſic demum ſimilia plurima contingere obſervamus, quæ quidem æquali motu, & aſſidentes confundunt, & intimum medentem oſtendunt. Aſt ultra dicta; Peritis tantum nota, occulta molimina, plurimas item ad peripheriam eliminatas deſpumationes, etiam qui artem ignorant, aperte dignoſcunt, ut Variolas, Morbillos, Petechias, Scabies, Bubones, ſimiliaque, ad cutim expulſa recrementa, ejuſdem intimi Moventis impulſiones demonſtrare, affatim noſcitur. Hoſce itaque motus nunquam negligere, ſed ſemper æqua lance perpendere, ſevera periti Coacis lex Medentibus præcipit; ideo tot aphoriſticas regulas condidit, totque prænotiones, ac prædictiones edocuit, quæ motus hoſce quando imminere, quas vias eligere, poſſint, quomodo inſpectari, vel adjuvari petant, ſimiliaque plurima cauto calamo ſcripſit; quæ omnia, ni fallor, condidit nondum ad Praxim perficiendam, ac Medentes erudiendos, ſed præcipue ad primum ſuum dogma firmandum, quod *Naturæ morborum medicatrices ſint;* cum pro certo ſæpe ni ſemper illius conatus mor-

borum

borum medelam conſequantur; quare cum ab imperito negligantur, ſæpius atrocia Ægrotantium diſcrimina provocata contingunt. Vidimus olim a phlebotomia variolas ſupprimi, a cathartico petechias retrocedere, a ſudorifero criſin præpediri, cum motum per uretere inchoatum divertiſſet, Ægrumque ad lethum impuliſſet. Hæc ergo intimos niſus evertentia, vel ſine remedio funera ſollicitare, vel ad mortis limina ægros ducere ſolent.

Non ſine periculo negliguntur. 2. Hæc tamen funeſtis experimentis ſæpius comprobata, veritas a nonnullis ita deſpecta videtur, ut abſolute decernant; *Naturæ conatus in acutis morbis negligendos eſſe, ejuſque infidelibus motionibus minimè fidendum*. Hæc doctrina licet aliquando ſana ſit, ſemper tamen, & pro lege firmata, nondum contra Hippocratem, ſed & contra experientiam aperte militat. Equidem qui rectam medendi methodum experientiæ lumine introſpiciunt, tuto dignoſcunt, quod ſanabiles morbos abſolvere, Naturæ viribus datum ſit; adeoque Artem ipſius niſus ſecundare, ſicque illi ancillari debere, cum Hippocrate ſtatuunt, & recte quidem; quia ſicuti a morbo deſumptis indicationibus ſatisfacere Medicina nequit, niſi a vitalibus omnino permittantur; ita nec curativas motiones tuto inſtituere poteſt, niſi a Naturæ conatibus tutam movendi normam primo deſumat. Vanum enim, ſæpiuſque Artis crimen eſt, in cruditatis ſtadio purgationem ſollicitare, cum ſanguinis ſordes niſi a Natura ſeparatæ, & a maſſa præcipitatæ fuerint, recte nunquam eliminentur, ideo *Cocta medicari, non cruda*, peritus docuit medicinæ Magiſter; ſicque cum deturbandæ ſint, non abſolute per arbitratas vias, ſed determinate *quo Natura vergit per loca conferentia ducere oportet*. At ſi recte a ſola Natura critico niſu eliminentur, tunc *neque movere, neque novare aliquid, ſed ſinere*, Medenti præcipitur. Hæc ergo ſimileſque aphoriſticæ regulæ ſatis nos inſtruunt, Enormonticas motiones haud negligendas, ſed æqua lance ponderandas eſſe; ut diſcamus, quando ab hiſce Artis auxilia opportuna petantur, vel importuna refellantur, ne vel neglectis, vel interturbatis Ægrorum diſcrimina provocentur, ut non ſemel contigiſſe, jam vidimus. Non itaque in Arte, cujus ductrix conjectura ſæpius eſt, a Perito recedere, ambiguaſque tractare methodos, tutum eſſe videtur.

Novitas medendi periculoſa. 3. Veruntamen cum novitatum avida nunc vigeat Ætas, quæ Priſcorum documenta plurima ut futilia, falſave refellere didicit; quia non pauca Veteribus ignota, feliciori ductu detegere, ac experimentis illuſtrare, aſſequuta eſt; ideo adhuc tantum novitatum ſcena delectat, ut priſca omnia nauſeando, etiam Medicinam practicam innovare laboret. At dum Veterum falſa, vel futilia refutat, Phyſicæ, ac Medicinæ profectum æque promovet; comprobata vero Praxeos dogmata methodi novitate ſubvertere, morborumque curationes, quæ abſque Naturæ genio haud perficiuntur, abſoluto Artis arbitrio tribuere velle, rationi, ac experientiæ conſonum haud eſſe dignoſcitur. Non hic tamen Paracelſi, aut Helmontii arcana confutamus; utinam alkaeſtina illorum remedia ſuis Inventoribus conſepulta non forent, quia Naturæ conſona poſſideremus auxilia, quibus Enormonticis defectionibus tuto citoque conſulere poterimus. Quod vero nunc improperare cogimur, noviſſima novitas eſt, quæ tutam Praxeos machinam, quam ad Naturæ opem Hippocrates conſtruxit, ac tuta experientia firmavit, omnino diruere nititur; novamque methodum ab expertis monitis alienam, etſi non undique tutam, inſtituere ſatagit; hæc, inquam, quæ injuſta lance humanam ponderant ſalutem, Cordatiorum impatientiam ſollicitant; cum hæc tolerare nefas, improperare vero æquitas ſit ne dogmata iſta inter vitæ pericula perpetuitate fruantur. Quamobrem pro Junioribus ſaltem, improbo lacte nutritis, plurima in re tanti momenti conſideranda proponere duximus.

Probatur primo. 4. Primo hæc nova methodus Artem noſtram (cujus *experimentum periculoſum, judiciumque difficile* ſemper eſt) inter diſcrimina, non adhuc tutiorem reddere didicit; nullibi enim in hac via mirabiles, vel faciliores ſaltem Cura

ra

rationes apparent; imò eadem ſemper, ſæpequè pejora experiendi pericula, infeliceſque eventus iſtis contingere, non ſemel obſervavimus, ut *num.* 1. ſuprà innuimus. Quia curationes iſtæ, quæ Naturam legitimam medicatricem reſpuunt, ac illius petitiones non audiunt, graviora pericula provocare, certo ſolent. Semper enim intimus Motor, cum poſſit, infenſum extraneum eliminare, propriis conatibus nititur, quos controvertere, non contra morbum quidem, ſed contra vitæ tutorem militare eſt; quæ inquam medendi methodus quomodo difficilem artem facilitare, ac tutiorem reddere poſſit, nemo cordatus videt. Difficilis enim eſt Ars, quia remedia noſtra intimis Naturæ conatibus fœderare, cum labore aſſequimur; ergo difficilior redditur, cum contra illius molimina pugnatur. Exemplum ſit, morbi eliminationem ſudoriferis tentare velle, cum intimi niſus diureſin petere oſtendant; non ne ſordes ad ureteres intime propulſæ, violenti conatu ad cutim revocantur? ſic Ars importuna tutam Naturæ medelam deviare tentat; quid ergo hic imminet? nil quidem aliud, niſi quod cum Ægri periculo Ars Naturam præpediat, vel cum Medentis opprobrio Natura Artem infamet; nam de duobus hiſce alterum ſæpius contigiſſe, nimis compertum habetur. Tutius ambæ fœderatæ, quam inter ſe diſcordes, morbi fomites eliminare poterunt, quod pro primo lumine ſatis.

Secundo 5. Secundo humanam machinam, quam curare aggrediuntur, libero Artis judicio ſubigi poſſe arbitrantur, & ut in hydraulica mole vitiatum fluidorum motum corrigere, abſoluto dominio præſumunt; ſicque moderari aſtumant, quod integre minime noſcunt. Nemo enim intimos illius defectus intueri, ac demonſtrare, & non niſi per ambiguas conjecturas deducere, certo poteſt; ideoque cum hæc non undique cognita machina, ab intimo ſe moveat, ſæpeque per ſe ſola propriæ ſaluti proſpiciat; imò non raro Medentum curationes reſpuens, per alias vias morboſas ſordes ducendo, inſtitutam illorum methodum eludat; ſæpeque adhuc noſtras medicationes irridens, pertinaci tenore morbos diu recidivare ſinat, donec ipſa ſponte medicationem aſſumat; hæc inquam illius genium, intimoſque motus haud ſpernere, ſed caute conſiderare, illoſque ſecundare nos edocent. Equidem qui melius domui ſuæ conſulit, quam ipſa Dominus & rector? quis inquam in acutis morbis infenſam ſubjicit luem, & a ſanguinis miſcela ſeparat, ſæpeque per conferentes vias etiam eliminat. Hæc inquam, ſimiliaque plurima ſatis oſtendunt, non quidem hydraulicam molem, cujus defectus emendare, ſolius opificis ſit, ſed viventem machinam hominem eſſe, cujus regimen ab intimo niſu pendet, ad cujus cuſtodiam intimus ſervator invigilat, in cujus invaſores pugnam, victoriamque divertere, non quidem fæderatum auxilium tribuere, ſed hoſtilem vim facere, perſpicuum eſt. Cum ergo indigitatam Naturæ, tutamque medelam deſpicimus, ut arbitraria, ſæpeque ambigua noſtra prævaleat, non quidem Medentis benefici fas, ſed malefici hoſtis nefas eſt.

6. Sed dicent. Dogma iſtud, quod Naturæ motiones explorandas eſſe præcipit, arduam, & infelicem hactenus Medicinam fecit; quamobrem *Motus iſti, quia ſæpe infideles inventi ſunt, ideo negligendi ſunt*. Ratio iſta, quæ fallaciam decorat, tantum vigoris habet, quantum illius contraria, nempe *Motus iſti, quia ſæpe fideles inventi ſunt, ideo negligendi non ſunt*. Judicet quiſque Peritus, qualis ex hiſce tutior ſit; nam ſi primam certam eſſe ipſi dicunt, alteram infallibilem Hippocrates, & Experientia denunciant; ne vero inter utramque ambigua nutet aſſenſio, paucis videre eſt. Dicunt ergo; Motus iſti ſæpe infideles inventi ſunt; & quare ſilent, quod ſæpe fideles inventi ſint? fortaſſe ideo *ſæpe*, non *ſemper* infideles dicunt, quia ſemper infideles non eſſe, utique dignoſcunt; ex ambiguo tamen antecedenti abſolutam conſequentiam deducunt. *Ergo negligendi ſunt*. Hæc ſequela ſicut implicitam perpetuitatem, ita perſpicuam falſitatem involvit; equidem ſi non ſemper infideles dignoſcunt, quare ſemper negligendos præcipiunt? Et ſi aliquando fideles credunt, quare *Objectis ſatisfit.*

ſem-

ſemper non obſervandos injungunt? ut ſaltem fideles ab infidelibus diſtinguendo, tutiorem cum Hippocrate artem exerceant, & ſic pericula provocare deſiſtant. Noſcere Medentibus intereſt, ſolius Artis non eſſe, viventem machinam pro lubitu moderari; cum ſpontaneo regimine propriis læſionibus Naturam ſæpe proſpicere, ipſa experientia convincat; ideo cum Ars ſola morbos depellere nequeat, niſi expetita remedia Natura ad actum conducat, ipſaque, medelam dirigendo, ſalubritatem reducat. Ipſius ergo molimina ſpernere, ac innata illius jura deſpicere, non quidem auxilia deferre, ſed in alieno dominio injuſtas leges imponere, ac rectum illius regimen evertere eſt. Contra vero Naturæ molimina, cum tuta ſint, ſecundando, faciliorem, ac feliciorem medendi methodum ſemper abſolvimus.

Quales motus obſervari debeant. 7. Ardua demum, & infelix Priſcorum medicina culpatur; quia ſuperſtitioſe quaſi omnes Naturæ motus explorare, ac in omnibus primarum qualitatum culpas inquirere, ſicque falſas criſes non prævenire, nec divertere, male didicit. Sic item æque infelicem, magiſque periculoſam hodiernam methodum obſervamus, quia ex oppoſito omnes Naturæ motus deſpiciens, abſolutum in acutis morbis medendi arbitrium uſurpat. Adeoque tam vetus illa, quam nova hæc methodus, non quidem Hippocraticum medium, ſed artis extrema utraque periculoſa percurrunt. Verum hic certo, ſicut in omnibus, medio tutius inceditur; nempe cum nec omnia Naturæ molimina negligere, nec ſingula ſcrupuloſe contemplari nitamur; illas enim motiones caute obſervare tenemur, quas *poſt Coctionem a Natura inſtitutas inſpicimus*; cum ſanguinis recrementa ſub illius niſu devicta, & ſeparata, proprie motiones, ad illa eliminanda directæ, per conferentem viam ſæpius determinatæ jam ſint; ideoque proſequendas eſſe, Medenti præcipitur; motione enim illa conferenti neglecta, ſi aliunde Ars ducere tentat, non auxilia, ſed impedimenta miniſtrat; unde tot in praxi vel Ægrotantium diſcrimina, vel Medentum improperia emergere obſervantur. Quare duplici motivo ab Hippocrate firmamur; primo quod ſi motus poſt coctionem cito, tutoque morbum non abſolvant, tunc Artis auxilia non arbitraria, ſed ab ipſo motu indigitata tribuere tenemur, nempe *quo maxime Natura vergit, per loca conferentia, eo ducere convenit*. Secundo, ſi vero ſtatim, ac tuto morbum depellere obſervamus, tunc *neque movere, neque novare aliquid, ſive medicamentis, ſive aliter irritando, ſed ſinere;* Medenti præſcribitur. Hoſce præcipue conatus prænoſcere, & ſecundare, eſt opus; ne cum illos præpediat, ac evertat, vel alienam vitam, vel proprium nomen ludere, Medicus audeat.

Vera Criſeos dignotio. 8. At hic fortius inſtare poſſunt, Criſeos infidelitatem exaggerando, dicent, *Criſes ut plurimum in exitium terminare, ideo illarum pericula prævenire, benevertit*. Generica hæc doctrina falſo ſuppoſito laborat, ideo plurimos decipere ſolet; Veterum enim præjudiciis innixi, veras a falſis criſibus non diſtinguunt. Criſes veræ ſunt, quæ poſt Coctionem contingunt, & has obſervare, cum Hippocrate, ac Peritioribus cenſemus & nos; quia tutam ſemper (niſi pervertantur) Naturæ victoriam oſtendunt. Hoc inquam ſaniores Practici uno ore declamant; audi ſaltem *Galenum*, in hoc certo haud refellendum: *Ego millies cum, dum criſes fierent, intereſſem, neminem unquam vidi intereuntem, qui præcedentibus coctionibus criſin habuiſſent*, *Lib.* 3. *de criſ. cap.* 3. Tutos itaque poſt coctionem Naturæ conatus, a conferenti motu ductos, non divertere, Hippocrates, & experimenta paſſim fauſta ſuadent. Cætera vero ante coctionem inſtituta molimina, (falſo nimis per Criſes habita, ut *in lib. de Febr. cap. de criſ.* expoſuimus) pro exigentia præpedire, ac divertere, tuta cum Hippocrate peritia docet; cum turgentem materiam cito, & ſat mederi opus ſit, *tardare enim in talibus malum eſt*, 4. *aph.* 10. Hæc inquam tuta ſunt; at novæ Cathedræ dogma eſt, quocunque intimo niſu neglecto, ante, & poſt coctionem, (quam nonnulli etiam derident, quia in praxi nec diu, nec æque verſa-

verſati ſunt) imo & initiata jam criſi, pro lubitu movere; & cum Naturæ conatus devictum hoſtem per urinam eliminare oſtendat, quia illius motiones ut infideles judicat, arbitrario motu cathartica, vel ſudorifera miniſtrat. At quanto ſæpe cum Ægrotantium diſcrimine, medicationes iſtæ contingant, infauſta paſſim experimenta demonſtrant. Tutius ergo ab Hippocrate didicit, qui *Naturam morborum medicatricem eſſe* dignovit; quæ ſæpe ſubactas ſordes per conferentes vias propellere ſatagit; & ſic tutam medelam per ſe integre abſolvit.

Ejus ſigna ſæpe adſunt. 9. Objicere adhuc poſſunt; quod *Naturæ niſus poſt coctionem raro coram Practicis explicentur, nec illos expectare decet; ideo habita coctione, ocyter ſordes eliminare intereſt.* Ratio hæc ſana ſemper eſt, cum poſt coctionem nullus Naturæ conatus appareat; tunc quidem Ars provida ſeparatæ luis eliminationem inſtituere debet, & hoc non controvertitur. Cardo autem diſſentionis eſt, quod hodierna methodus initiatos etiam criticos niſus, nec explorare, nec ſecundare curat, ſed hiſce neglectis, arbitrariam medelam ſibi aſſumere præſumit, quod manifeſtam contrariorum motuum acoſmiam inducit, quæ ſæpe non ſine Ægri damno abſolvi poteſt; ſæpius vero non ita ſubditur ab Arte Natura, ut validiori niſu propria jura ſervare negligat, & tunc ſola Medentis confuſio neglectos Naturæ conatus cum rubore deprædicat. Inſuper nec tam facile dicant, quod *Critici niſus poſt coctionem raro coram Practicis explicentur*. Siquidem non per hoc, quod Medentis incuria non videt, Natura ſemper feriatur; cordati enim Practici non raro quidem motiones iſtas inſpiciunt, cum niſi laxata ſit, ſubactam luem deturbare, pene ſemper Natura nitatur; illiuſque motus cum conferant, ſecundare, Periti omnes, ab Hippocrate edocti, non negligunt, ſcientes quanto facilius, ac tutius Ars Naturæ ancillando acutos morbos abſolvat; ſicuti quanto periculoſum ſit, contra intimos, jam determinatos, illius niſus Naturam ducere velle.

10. Hæc tandem veritas a manifeſtis expulſionibus, ut Variolis; Morbillis, Petechiis, Bubonibus, &c. ſatis comprobatur; cum haſce depulſas lues nec negligere, nec præpedire ipſimet audeant, imo illas ſecundando, quo Natura vergit, Artis auxilia dirigunt, motuſque languidos ſtimulare & ipſi nituntur. Quare igitur in hiſce morbis Naturæ impulſiones omni ſtudio ſecundare invigilant, cæteros poſtea intimos in acutis niſus, imo & Criſes ipſas præpedire, ac evertere conantur? Fortaſſe dicent, quod cutanea recrementa illa manifeſta ſunt, cætera vero ſemper ambigua, ſæpeque infidelia eſſe, comperiantur, ac non raro per minus tutam viam inſtituantur; ideo Ars provida conferentiorem eligere purgationem obſtringitur. Probe quidem cum ſic eſſet, experientia vero ipſa doctrinam hanc ut inanem præoccupationem condemnat. Tot equidem Practicorum experimenta nullam poſt coctionem inſtitutam criſin infidelem fuiſſe teſtantur; nec in noſtra per annos ultra quadraginta continua praxi motus hoſce infideles unquam vidiſſe confiteor; nec certo & ipſi denegantes ambiguos, ac infideles inveniſſent, cum illos non evertere, ſed ſecundare ſtuduiſſent. At veritati litando, fateri non renuant, quod adeo fideles interdum illos comperti ſint, ut ipſorum arbitrariam purgationem deluſiſſent, integroſque Naturæ niſus conſtanti perſeverantia ſervaſſent. Similes caſus inſpicere, non ſemel mihi contigit, qui Medentes aliquos, ad lidium hunc lapidem ductos, emendare potuerunt. Denique nec dicant, quod minime tuta Naturæ motio ſit, cum per minus commodas vias dirigatur. Tot enim extravagantes illius impulſiones, criſeſque ſtupendas Peritorum obſervationes referunt; quæ licet per arduas, inſuetaſque vias ductæ, omnes tamen difficiles morbos tuto, & integre dejecerunt. Tanta quidem ſæpe eſt intima Naturæ vis, ut illius impulſioni quælibet corporis pars æque inſervire poſſit, quod Medentibus lex eſt, ut illius nutum conferentibus auxiliis proſequantur. *Cutanea lues non negligunt.*

11. Tandem inſtare poſſunt; quod in malignis morbis omnes, præter ad cutim vergentes, motus negligere teneamur. *In malignis morbis cautelæ.*

Syſt. Medic. Roſetti. E

neamur. Hæc regula licet in genere proficua, in particulari tamen ſemper tuta non eſt; cum enim Naturæ motus in veneficis morbis ad cutim ſæpius vergere inſpiciamus, ideo illius conſuetudinem inſequendo, tuto ſæpe diaphoreticis utimur, cum tamen per alias ſibi commodiores vias determinatos, conferenteſque motus non oſtendat. Sincere enim fateor, quod a copioſa diureſi plurimos, qui populariter graſſabantur, morbos tuto abſolutos vidimus; exceptis ergo petechialibus, peſtiferiſque contagiis, non ſemper in omnibus malignis morbis hæc regula tuta eſt; quia non ſemper ad cutim vergere Naturæ confert, ideo & alias ſibi faciliores vias eligere ſæpe ſolet; unde docemur, non ita pertinaciter ſudoriferis uti velle, ut cæteros inſtitutos motus præpedire nitamur. Hæc denique in hac linea punctum firmant, & ad Fermentationis inventum æqua lance ponderandum deſcendimus. Primo itaque propriam Fermentationis naturam inquirimus, ut inde an æque ſanguini convenire poſſit, dignoſcamus.

C A P. VII.

De Fermentatione.

Opiniones variæ. 1 INteſtinas, & pugnaces, quas in heterogeneis fluidis inſpicimus turbas, Fermentationis titulo inſcripſere Moderni. At cum diſpares in liquidis mixtis conflictationes comperiantur, (nunc enim ſenſibiles, nunc inſenſiles; aliæ cum ſedimentis, & deſpumationibus, alteræ ſine ipſis, iſtæ ſubito incipere, brevique terminare, illæ ſegnius moveri, obſervantur) varia ideo Recentiorum judicia ſubduxiſſe legimus; cum diſſidia plurima Fermentationis vocabulum, quaſi diſcordiæ Pomum, inter Doctores induxerit, ut æque poſſit huic diſſentioni illud Plauti carmen affigi. *Nunc in fermento tota eſt, ita turget*. Sic enim pugnant in hac palæſtra ſententiæ, ut nullam hactenus conveniſſe perlegerim; equidem nonnulli Fermentationem cum Efferveſcentia confundunt, ut *Williſius*, & *Kergerus*; Alii eaſdem diſtinguunt, ſed in cauſis explicandis diſſentiunt, ut *Billichius*, *Schokius*, *Boyleus*; Alteri ab acido, & alkali ejus originem ducunt, ut *Tachenius*, *Ettmullerus*; Plurimi a fermento, quod incorporeum, vel corporeum dicunt, ut *Helmontius*, *Schook*; cæteri denique in modo fiendi, effectibuſque exponendis, plurimum diſſentiunt. Tot ergo mæandros in hac arena Fermentationis ambages implicarunt; quid vero hic noſtrum ferre poſſit acumen, brevi calamo, ad inſtituti genium, expedient.

2. Fermentationis vocabulum, a græcis literis auſpicatum, *Zymoſis* a *Zyme*, quod fermentum ſonat, inſcribitur; unde *Zymotos* fermentatum, & *Azymos* infermentatum dicebant. Verum an aliquid plus, quam technicam ſignificationem apud Priſcos hæc vox exponeret, laborant in explicando Recentiorum commenta. Billichius *Lib. de anat. Ferment.* eandem medico lumine cognitam a *Platone* derivare ſatagit, quem ſecutus eſt *ſuis exercitat. Coringius*. Verum nunc dicere inducitur Plato, quod tunc nec ſomniavit; cum phyſico-chymica fermentationis doctrina, non a Veteri Lycæo, ſed a recenti Chymia initium ſumpſerit; ruditer enim primo *Sennertus*, poſtea profundius *Helmontius*, demumque *Williſius*, cæterique Recentiores prolixius hanc paſtam contrectarunt; *ſed partim craſſe ſatis, partim inſufficienter adhuc, ut* Ettmullerus *diſſert. 3. de parv. magn. morb. init. num.* 53. æque notavit. Et ſane nobil. Anglus *Boyle*, & poſt ipſum celebres Viri *Hombergus* Gallus, & *Gulielminus* Italus, tutioribus experimentis, ac rationibus innixi, abditam Fermentationis naturam maturiori examine exponere laborarunt. Placet attamen *præclariſſ. Ettmulleri* definitionem, utpote vulgato plauſu acceptam, ſeligere, & conſiderare, ac ubi pro præſentibus notionibus deficere videbitur, cum prælaudatis nunc Viris ad rectam lineam ducere, ut abſtruſam illius naturam, & energiam penetrare aſſequamur. *Ejuſdem Etymon.*

3. Dicit ergo Ettmullerus. *Fermentatio eſt motus inteſtinus particularum minutarum, corpus mixtum conſtituentium, ortus a mutua ſalium Acidi, & Alkali* *Definitur, & explicatur.*

Alkali in ſe invicem actione. *Inſtit. medic. Phyſiol. cap.* 2. *theſ.* 13. Motus quidem Fermentatio eſt, (non Actio proprie, ut *Kergerio* placuit, ratione formarum, quas hìc duellantes ſuppoſuit) Motus vero non quilibet, ſed inteſtinus, intimus nempe ac tumultuarius, civili ſeditioni ſimilis; *in qua parvæ quoque res magnis motibus agitantur*, ut Tacitus *lib.* 2. loquitur. In hoc enim motu particularum invicem conflictantium lucta deſcribitur; cum parva corpuſcula, quo minima eo mobilia, propriam libertatem affectando, inter cæteras fervidam commotionem inducunt; ideo recte dicitur, *Motus inteſtinus particularum minutarum, corpus mixtum conſtituentium*, quibus verbis Fermentationis etiam ſubjectum indigitatur, corpus nempe mixti, in quo hæc fit tumultuaria commotio; ſalina equidem, ſulphurea, & terrea corpuſcula in ochema aqueo commixta, liquidorum corporum componentia, & compoſita ſunt. Hucuſque prælaudatus Ettmullerus cum recentibus notionibus æque concordat; ſequentia vero definitionis verba propriam emendationem repoſcunt. Dicit ergo *Motus inteſtinus &c. ortus a mutua ſalium Acidi, & Alkali in ſe invicem actione*. Chymica hæc pugillorum inventio ſalinas invicem duellantes claſſes propoſuit, quarum Duces Acidum, & Alkali determinavit. Hanc autem olim plauſibilem Duelliſtarum opinionem, irritis experimentis innixam, cum Cordatioribus & nos linquere ſuademur; ideo dictorum pugillorum loco, ſalium, & ſulphuris commotionem reponimus; ideſt *cum ſulphuris, & ſalis motus contingunt, ſe ſe invicem ſeparantium, aut coeuntium in gratiam novi mixti*, ut prælaudatus Gulielminus *Diſſert. de Sal. num.* 125. cum Peritioribus ſentit.

Ejuſdem cauſæ. 4. Hæc itaque ſic expoſita Fermentationis definitio, ad ejuſdem cauſas, effectuſque perſpicuos manu ducit. Cauſæ igitur ſunt Immediatæ primo, quæ in corpuſculis ſalino-ſulphureis ſe produnt; hæc enim inteſtine commota legitimam Fermentationem efficiunt. At quæ immediate dicta corpuſcula ad luctam concitare primo poſſunt, molecularum improportiones ſunt, in figura, levitate, gravitate, & motu vario, a quibus vitiata contemperatio proxime inſurgit, & hinc intemperati corporis diſſolutio ſuccedit, cui ſequitur libera particularum juxta proprium cujuſque niſum ad motum vagatio, unde inteſtinus tumultus concitatur. Cauſæ vero remotæ ſunt illæ, quæ ab extrinſeco provenire poſſunt, proprioque conatu mixti vinculum ſolvere, ſicque ſulphura a ſalibus liberare, ut illorum ſeparatio, & inde diſſidium inducatur. In iſtarum ergo cenſu Aer primo ſe offert, cujus effluvia, cum perſæpe fermentalem energiam poſſideant, intime in mixtis intruſa, inteſtinum tumultum ſuſcitare apta ſunt; ut in Vino floreſcentium vinearum tempore obſervatum eſt. In hac linea pariter nimia vi pollet externi motus violentia, ut in Terremotis, Tonitruiſque vehementibus, heterogenea fluida evertentibus, apparet; memini olim vidiſſe ab horrendo tonitru plurima vini dolia ſubverſa.

5. Effectus denique ſunt, liquoris fermenteſcentis particulas ita exagitare, ut alteram a priori ſyſtaſi diſparem conſiſtentiam perfectiorem, vel deteriorem ebulliens corpus acquirat. *Ejuſdem effectus.* Cum enim particularum diſſentio iſta fluidi mixtionem omnino deſtruat, ac in tumultu ſeparatis, aliis evolatis, aliiſque præcipitatis moleculis, quæ tandem ſuperſunt, in hujus commotionis termino, nova cum proportione, & commixtione ſimul coeunt, & componuntur, unde prioris mixti ſolutio, & nova ejuſdem conformatio emergit; ut ex muſto in Vinum tranſitus, & ex vino in acetum, vel in vappam degeneratio ſuadent; hic ergo legitimus ſemper effectus eſt. Cum enim integra corporis fermentantis mixtio non immutetur, legitimum fermentationis productum haud æque dignoſcimus; ideo Nonnullorum opinio claudicare videtur, qui cenſent quandam Fermentationem dari poſſe, quæ ſolam in qualitatibus, ut dicunt, miſti alterationem inducat, quem placitum Cordatioribus ingratum, Auctorum fidei relinquimus.

6. Hiſce demum pro præſenti ſcopo

Inteſtini motus differentiæ. ſatis expenſis, non adhuc integre Fermentationis naturam penetrare aſſequimur, niſi a quolibet alio inteſtino in fluidis æquivocante motu adhuc diſtinguamus. Scimus enim plurimos abſque diſcrimine Fermentationem, & Effervescentiam confundere, vel fallaci titulo diſtinguere, ſic cum plurimis melioris notæ Doctoribus celebr. Michael Ettmullerus *loc. ſupradat. theſ.* 18. *ambo re vera ſunt una eademque res, diverſus eſt ſaltem ſtatus ſalium;* quod explicat immediate. Verum tanti viri pace, non ſalium ſtatus hoſce motus diſcriminat, ſed diſſimile principium, a quo promoventur, terminuſque diverſus, a quo abſolvuntur. Clarioribus enim experimentis nunc patet, quod fermentatio Sulphur a ſalibus ſeparet, effervescentia vero in corpuſculorum penetratione conſiſtat; quæ quidem & differentes ortus, & diſpares progreſſus, diverſoſque fines oſtendunt. Hinc oritur ratio, cur Fermentatio, & Effervescentia paſſim ſeparatæ conſpiciantur, ut notavit Boyleus *de util. Philoſ. exper. part.* 2. *ſect.* 1. *exerc.* 2. *num.* 26. cur item Alkali, & Acidum Effervescentias non Fermentationes excitare poſſint, ut oſtendit Homberg. *Tom.* 3. *hiſt. & memor. reg. ſcient. ann.* 1701. & cur demum Effervescentiæ cito exoriantur, & deſinant, Fermentationes vero diuturna, tardaque molimina inſumant, ut docet Gulielminus *Diſſert. de ſalib. num.* 125. Non itaque hæ duo una, eademque res eſſe poſſunt; quæ tandem ad veram Fermentationis notionem ſufficiant; nunc adhuc Inſtituti petitio eſt ad particulare deſcendere, & inquirere, ut ſequitur.

C A P. VIII.

An Sanguis Fermenteſcat.

1 AFfirmativum plauſum potior Medentum ſchola declamat, quæ Fermentationis vocabulum ab uſu Chymico ad Medicum, & a fermenteſcentibus ſuccis ad ſanguinem ſimiliter fermentantem, noviter tranſtulit. Hæc autem famigerata opinio, etſi ultimo Intemperierum ſeculo plauſibili effulxiſſe lumine, viſa ſit, noſtra tamen lucidiori ætate, ſenſim jam obſcuraſſe dignoſcitur, & nunc *Sanguinis dignitas.*

Proſpicit occaſum, quæ jam reſpexerat ortus.

Nimis enim vilis fuit, valdeque impar Sanguinis cum cæteris fluidis paritas, cum hoc vitæ balſamum (*nulli balſamo comparabile*; Plato) vitalibus ditetur particulis, unde per ipſum Animæ functiones ad viventis machinæ œconomiam ſpectantes, expediuntur. Quamobrem Animæ ſolium eſſe, divina eloquia nos edocent. *Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt. Lib. Levitic. cap.* 17. *n.* 14. ac prudentiæ baſim Hippocrates cenſuit. *Opinor autem inter omnia, quæ in corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam ſanguinem: Hic ergo cum in conſtanti habitu perſiſtit, conſiſtit, & prudentia, ſanguine vero permutato, concidit ſimul & prudentia. Lib. de flat. num.* 20. Quis ergo ex fermenteſcentibus fluidis tali pollet dignitate, ut & Vitæ, & Prudentiæ fulcimentum eſſe poſſit, non video. Tollitur ſic a ſanguine Impetum facientis regimen, per quod vivens machina gubernatur; cum Fermentationis in ſanguine dominium nullam ſupra ſe vim audire, nec motum a proprio alienum ſecum admittere, nata ſit; ſuis enim legibus aſſueta, nullo alieno imperio ſociari unquam didicit; ideo ſemper vel potiori motui cedit, vel ſola efferè dominatur. Quamobrem qui hanc in ſanguine ſtatuunt, Enormonticum regimen omnino evertunt; at quam diſſona rationi, ac experimentis contraria hæc opinio ſit, brevibus pro nunc videbimus.

2. Flui-

Sanguis non fermenteſcit. 2. Fluida illa Fermentationi expoſita ſunt, quæ vinoſa ſyſtaſi conſtituuntur, ut pote in quibus acidos ſpiritus exaltare potis eſt; ideo fermenteſcibiles liquores deſtillati ſpiritum acidoardentem depromere comperiuntur; quod apud Cordatiores inſeparabile fermenteſcentis fluidi ſignum eſſe cenſetur. At ab ipſo ſanguine, plurimis hactenus tentatis experimentis, nunquam acidum ſpiritum deſtillare, periti Chymici potuere; audiatur ſaltem in hac re peritiſſimus Boyle, *qui lib. hiſtor. human. ſangu. part.* 4. *ſecund. tit.* 1. *pag. m.* 295. ſic profitetur. *Quantum ex hactenus factis experimentis conjicio, vix quicquam ſubeſt cauſæ, cur ab humano ſanguine vinoſum, aut ardentem ſpiritum expectem, licet communis hic ſit fermentationis in liquoribus effectus; atque eo minor mihi hujus rei ſpes effulget, quod minime conſtet, utrum nec ne vera aliqua ſit, ac proprie dicta, humano in ſanguine fermentatio, ſive intra, ſive extra corpus, quod nondum quicquam in ſanguine, aut urina compererim, quo ex ullo iſtorum liquorum ſpiritum ardentem exiturum, perſuaſum haberem*. Hactenus celebr. Boyle; & hinc primo ſuadetur, ſanguinem nec vinoſam naturam habere, nec inde connaturalem fermentationem expetere; cum inſeparabilem hujus effectum tot peractis experimentis aſſequi nunquam contigiſſet, quod pro primo cognito ſatis ſit.

Objiciunt primo, & reſpondetur. 3. Sed inſtare videntur, aſſerendo; quod ſanguis è vena detractus cito fermenteſcat, ut ſeparatæ illius partes in matula oſtendunt. Ergo innata fermentationis principia in ſe habere, cenſendum eſt. Reſpondetur primo, quod abſolute cenſeri nequeat, ſanguinem extra ſua vaſa fermenteſcere; cum citiſſima illius ſeri a ſanguinis craſſamento ſegregatio, non quidem tardæ fermentationis opus, ſed reſolutionis, & corruptionis potius effectum eſſe, tutius dijudicetur. Multi enim liquores, qui vinoſam indolem non habent, ſine Fermentatione, diſſolvi, & corrumpi obſervantur; ideo qui omnia, quæ putreſcunt fermentationis titulo inveſtire decernunt, motus hoſce diſpares confundunt, & inaniter in hac linea concludunt. Cum ergo aeris effluvia extravaſatum ſanguinem afficere, ac Enormontico deſtitutum vigore, cito contaminare, obſervamus, non quidem ex innato fermento, ſed ab externa violentia diſſolvi cogitur; quod ſi a dictis effluviis caute cuſtodiatur, etiam extravaſatus nulla afficitur corruptela. Hoc inquam comprobant prælaud. Boylei experimenta plurima, & in ſpecie illud expoſitum in *Hiſtor. human. ſang. part.* 3. *experim.* 15. *p. m.* 190. *Serum humani ſanguinis phiala incluſimus hermetice obſignata, ut obſervaremus, utrum manifeſtæ ullæ mutationes apparerent. Poſtquam liquorem anno integro obſignatum ſervaſſemus, is nullo modo viſus eſt coagulari, nec manifeſtum demiſiſſe ſedimentum, ſed non minus eſſe fluidum, quam cum primum in phiala fuiſſet incluſum; lendiculum ne minimum quidem, aut vermen generaſſe, viſum eſt; neque ulla oculo apparuit mater, ut loquuntur, ſubſtantiave recrementitia, quæ liquorem vel comitatur, vel prænotat putrefactionem*. Non ergo in ſanguine innatum fermentationis principium ineſt, quia in ſero potiſſimum ſuas vires exerere debuiſſet, cum reluctantium ſalium vehiculum ſit, luctæque paleſtra, quod & ipſemet Boyle cenſet, *eod. tract. part.* 4. *titul.* 1. *p. m.* 296. *Cum itaque ſerum ſanguinis contemplarer, ut ſane per quam veriſimiliter aptiorem illius partem, atque ut æque, aut certo magis aptam, quam integer ſanguis foret, ad fermentationem concipiendam, &c.* ſi ergo fermenteſceret ſanguis, in ſero primum ſua molimina oſtendiſſet. Non ergo etiam extravaſatum fermentare veritati conſonum eſt. Hoc item experimenta alia oſtendunt; & præcipue illud in eodem tractatu appendicis *experim.* 10. *p. m.* 325. Quod integer ſanguis (ut imperitos ſeri non fermentantis ſuſpicio non excuſet) tribus annis abſque fermentatione ſervatus, aperte demonſtrat; quæ inquam Cordatos quoſque ſatis convincere poſſunt.

4. Altera inſuper manifeſta ratio eſt. Sanguis nec innatam fermentationem admittit, ut vidimus, nec inſuper pro ſui natura, unquam admittere poteſt. Motus enim fermentativus, donec inteſtine *Sanguis recuſat fermentationem.*

teſtine

teſtine liquidum aliquod commovet, illius texturam omnino invertere ſolet; in illo namque intimo diſſidio, nec debitum corpuſculorum ſitum, nec proprium cujuſque nexum, neque figurarum proportionem, inter particulas violenti hoc motu agitatas, concipimus. Nullam equidem proprie dictam fermentationem abſque mixti tumultu, & corpuſculorum diſſidio intelligere quimus; cum ab ipſa certo particulæ a particulis dividantur, ſulphura a ſalibus ſeparentur; ideo donec fluidum mixtum fermentationi ſubjacet, nullam determinatam conſiſtentiam, ſeu naturalem, propriamque particularum mixtionem habere poteſt. At quia ſanguis naturaliter conſtitutus, propriam ſyſtaſin, & texturam, qua a cæteris fluidis diſcriminatur, habet, ut omnium oculis etiam extravaſatus oſtendit. Ergo ut ſuam ſervet naturalem mixtionem, nullam pro certo fermentationem admittere poteſt.

Objectio, & Reſponſio.

5. Sed dicent. Inſenſilem fermenteſcentiæ motum, quem aliqui ſaltem in ſanguine ſupponunt, non tantum inducere molecularum diſſentionem, ut mixti texturam evertat; quod liquet in vinoſis perpetuo fermentantibus fluidis, qui bene cum interrupto hoc motu propriam conſiſtentiam æque componunt; ut ex. gr. Vinum & ſemper fermentat, & innatam ſyſtaſin conſervat; ſimiliter ſanguis & naturaliter fermenteſcere, & propriam mixturam ſervare poterit. Reſpondetur primo; ſpecioſam hanc rationem plurima veritati haud conſona ſupponere, quæ cum falſa ſint, fallaciam concludunt. 1. Itaque ſupponit inſenſilem dari poſſe fermentationem, quæ abſque conſpicua mixti immutatione, nec illius nexum ſolvat, nec texturam invertat; quæ idealis fermentatio nimis a re ipſa diſſentit; cum genuinæ fermentationis natura talis certo ſit, qualis expoſita ſupra fuit. 2. Nondum inſenſilem, ſed & adhuc perpetuam dari in vinoſis fluidis ſupponit; quod experimentis manifeſto repugnat; cum quævis proprie dicta Fermentatio ſtatutum terminum habere, & fermentati jam fluidi mutationem oſtendere, ſoleat, & debeat; hoc paſſim obſervatur in vegetabilium ſuccis, qui ex impuro muſto per fermentationem in depuratos liquores traſmutantur, quæ depuratio propriæ fermenteſcentiæ terminus eſt. Quod ſi defecata fluida, ſtatuto ſuæ durationis tempore, iterum fermenteſcant, ab hac noviter incepta motione corrumpi tandem obſervantur. Qui vero defæcatum ex. gr. Vinum perpetuo fermenteſcere arbitrantur, ſequens experimentum vanam opinionem ſuadere poterit.

Vinum non ſemper fermenteſcit.

6. Anno itaque 1707. menſe Junii tria implevi vaſa cryſtallina ſatis ampla vino optimo, primum nempe vino ejuſdem anni, ſecundum vino antecedentis anni, tertium vino trium annorum; vaſa probe obſignata, prope feneſtram firmavi, ac pluries quotidie accurate exploravi, an vere *liquor depuratus* (verbis utor Williſii *lib. de febribus cap.* 1.) *blande fermenteſcens in perenni ſit motu, quo partes omnes, (velut atomi in tranſenna lucis varie permoti) quaquaverſus expanderent, & a ſummo ad ima, ab imo dein ad ſumma conſtanti circumgyratione contenderent.* Verum certo fateor, nec meo, nec adſtantium ſociorum accurato intuitu corpuſcula illa circumgyrantia nunquam per trimeſtrem conſpicere potuimus; vinum enim ſemper immutabile oculis oſtendebatur. Vaſa tandem menſe Septembris iterum recluſa, nec bullulæ in ſuperficie, nec viſibile ſedimentum apparuere, quæ fermenteſcentium fluidorum neceſſaria producta eſſe debent; ideo ex tunc omnis de vino ſemper fermentante ſuſpicio apud nos penitus evanuit.

Inſtantia.

7. Nec dicant, quod depurati Vini fermentatio ſub ſenſu cadere nequeat. Cum legitimæ fermentationes, quovis modo progrediantur, effectibus valde notis perpetuo manifeſtentur. Profecto bullulæ ſemper in ſuperficie viſibiles, ſemperque ſedimentum aliquod in fundo, ac ſæpe etiam ſuſpenſa nubecula in medio, ut propria illius indicia demonſtrantur; quæ vero dictos effectus non oſtendunt, commentitias fermentationes eſſe, merito cenſemus. Ideo laudatus Williſius, ut depuratum vinum fermenteſcere ſuaderet, corpuſcula ſaltem in ipſo circungyrantia, viſibilemque motum indigitare ſtuduit; ve-

verum quia obſervationibus non reſpondet, (ut quilibet experiri poteſt) ideo perpetuam in depurato vino fermentationem opinari, vanum eſſe ſuademur. Inſuper nec rationi conſonum eſſe videtur, quod Vinum per octo, decem, & plus annos ſervatum, perpetua tumultuatione agitetur, cum fermentativos motus indefinitos terminos habere poſſe, ratio, & experientia recuſent. Non denegatur autem, quod nova fermentatio depuratum vinum invadere poſſit, cum non raro ab intima, vel externa occaſione perturbari ſoleat, ſed tunc illorum mutationem, ſeu in vappam, vel in acetum degenerationem obſervamus, quæ fermentationis hujus definiti termini ſunt, ſicut illius ex muſto in vinum depuratio fermentationis terminus fuit. Perpetuas itaque, & inſenſiles, ſeu ſine propriis productis, legitimas fermentationes concipere, præoccupatæ mentis deliquium eſſe credimus.

Vana vini & Sanguinis paritas.

8. Vana ergo erit famoſa hæc de vino, & ſanguine pari paſſu fermenteſcentibus, paritas; quippe cum plauſibilem ſanguineæ fermentationis rationem a vinoſis perpetuo fermenteſcentibus fluidis, hujus opinionis Patroni deducere contenderint, hoc ſemel deficiente, alterum non concludit; Cum ergo falſum ſit vinoſos jam immutatos, ac depuratos liquores ſemper adhuc fermenteſcere; ſic item falſum erit, humanum ſanguinem, etſi purus ſit, perpetuam fermentationem ſubire. Hæc autem magna paritas, etſi contra Inventores concludat, nimis impropria tamen excogitata fuit; cum vividum ſanguinis fluidum, numero impare gaudens, liquoribus nullis æque, & recte comparari poſſit, ac multo minus vinoſis, qui aliquando fermentationis imperio ſubjacere coguntur; cum ſanguis nunquam, nec in venis, nec extra fermenteſcere, rationibus, ac experimentis demonſtratum jam ſit. Sed dicent, quod rationes plurimæ hunc inteſtinum motum ſanguini convenire debere, affatim ſuadent; adeoque validis fundamentis hæc innitatur opinio. Reſpondemus, quod ut in nullo, pro hac inveſtiganda, firmandaque veritate, deficere videamur, haſce rationes perpendere nunc aſſumimus; ut non veriſimili, ſed vero adhærere dignoſcamus.

9. Cum diverſas, & hinc inde excultas in hac linea rationes exactus Veterum, & Recentiorum conciliator Pompejus Sacchus diligenter compilaſſet, has ergo ad lidium lapidem revocamus, & ſi quas alias ab ipſo relictas nobis reminiſci contigerit, inſtantiæ titulo adnectere, non dimiſimus, ut æque omnibus ſatisfiat. Ad primam ergo, quam habet laudatus Pompejus *lib. Irid. febr. cap.* 2. nunc deſcendimus. Dicit itaque; *Quodcunque heterogeneis partibus conſtitutum, facile, imo neceſſario fermentationem ſubit, & maxime ſi fluiditate gaudeat; ubi enim ſunt principia diſſimilia, pro dominio ſtatim inter ea lis oritur, & unum alterum in motum provocat, ut ex victoria, & contrarii ſubjectione imperium in mixto ſibi firmet, &c.* Hæc prima ſpecioſa ratio, quia mixta heterogenea omnia fermenteſcere ſuadet; ideo nihil in hac linea concludit. Equidem non quodcunque mixtum heterogeneis conſtitutum neceſſario fermenteſcere debet; quod inter cætera vulgaris triticea paſta facile oſtendit, cui niſi fermentum addatur, ſemper azyma per ſe nunquam fermentabitur, etſi triticea hæc mixtio ex ſalinis, ſulphureis, terreis, & aqueis particulis certo conſtet; nec omnia, quæ fluiditate gaudent, cum vinoſam indolem non poſſideant, fermentationem audiunt, ut plurima ex mineralibus deſumpta fluida, fermentari prorſus neſcia paſſim oſtendunt. Imo & ipſi vinoſi liquores perpetuam fermenteſcentiam non admittunt, ut ſatis ſupra oſtenſum fuit. Itaque cum nec ſemper, nec omnia heterogenea mixta fermenteſcere poſſint, multo minus generica hæc ratio ſanguinem tangit, qui nimis a vinoſis fluidis diſtat, & quem nunquam etiam extra venas fermentationem audiviſſe, plurima experimenta docuere.

Non omnia liquida fermentant.

Chylus in ſanguine fermentatione non indiget.

10. Sed dicent. Naturalem ſanguinis exigentiam eſſe, novo ſemper chylo reparari; at quia muſtoſus eſt; (ut plurimi cenſent) ideo ut depuretur, perennem in ſanguine petit fermentationem. Hæc inſtantia, quæ nimium plauſum oſtentat, accuratum examen exi-

exigit, ad quod opus abſolvendum, integram Chyli antequam ſanguinem attingat, præparationem perſpiciamus oportet; ideo ejuſdem tranſitum a duodeno ad ſubclaviam uſque venam inſequi debemus. In primis ergo viis ultimo digeſtum, ac a lactearum oſculis ebibitum chylum, in hiſce vaſculis alteram digeſtionem ſubire, certe noſcimus; etenim primo cum propria vaſorum, quos ingreditur, lympha ſenſim copulatur; ſecundo per meſenterii glandulas tranſiens, nova inibi lymphæ copia madeſcit; tertio in receptaculo Pecquetano exoneratus, pleniori lympha ex inferioribus ramis aſcendente, viciniſque remeante, copioſius inundatur; quarto tandem ad thoracem aſcendens, extremas denuo lymphas a ductibus, illuc deſcendentibus, ultimo excipit; quod ſub celebri Malpighio non ſemel obſervavimus, ipſumque mirabilem hanc Naturæ induſtriam admirantem audivimus, ſimulque ſerio arbitrantem, quod aliud quidem, a mera chyli dilutione, (quæ tantum communiter creditur) urgentius negotium, in hac toties repetita lymphæ cum chylo mixtione, Natura expeteret. Per me ſaltem tuto ſuſpicor, quod dulcis chylus cum ſubacida lympha ſine conflictu non copulentur; eo pene modo, quem in Acidorum cum Alkalinis mixtione paſſim obſervamus; & ideo tam accurato Naturæ artificio hæc mixtio conſulta fuit, quia per plures repetitas efferveſcentias ultimam chyloſi fluidi perfectionem aſſequeretur, ut ſic tandem ultima digeſtione perfectus chylus in ſubclaviæ ingreſſu, non muſtum amplius, ſed initiatus jam ſanguis eſſe, & dici poſſit; ac poſt repetitas in maſſa circulationes, abſque ficta fermentationis ope, ſanguinea purpura decoretur. Quod ſi chylus vel propriis, vel alienis vitiis, Naturæ ſtudium eludens, ſanguinis amnim fædo torrente invadat, non ideo, ut depuretur, fermentatione indiget, ut in ſequentibus affatim notum erit.

Circulatio fermentationem recuſat. 11. Secunda Ratio ab eodem *inibi num.* 4. relata eſt. *Ex perpetuo ſanguinis motu, per circulum in corpore exacto, illius fermentatio colligitur; ab ipſo enim partes ſanguinis etiam craſſæ attenuantur, earum compages, & unio laxatur, ſpiritus excitantur, quæ omnia motum ſanguineis particulis imprimere apta ſunt, &c.* Reſpondetur primo; quod cum a Circulari motu craſſæ ſanguinis partes attenuentur, &c. ſuperfluum ergo erit, ad idem opus Fermentationem expetere; quod ſi a Plurimis ambo ad ſanguinis attenuationem, ac reviviſcentiam concurrere judicentur; (veritati litando) aſſerere cogor, quod ambarum motus recte concipere neſciunt; qui enim fermentationem æque percipit, cum altero motu, qui ſui juris non ſit, ipſam conciliare nunquam poterit, quod cordatiores Viri, ut proxime nunc videbimus, affatim dignoverunt. Secundo, quomodo ex circulari ſanguinis motu ejuſdem fermentatio colligatur, non video. Hæc deductio Clariſs. Kergeri fuit, qui cenſuit *lib. de ferment. ſect.* 3. *cap.* 2. *Sanguis eſt in perpetuo motu, quæ fermentationis cauſa adjuvans eſt;* quam ſententiam *antec. ſect.* 2. *cap.* 4. ſatis comprobaſſe credidit; unde celebr. Williſium refellit, qui oppoſitum (ut veritati magis conſonum) cenſuit, *lib. de Febr. cap.* 3. *Liquoris cujuslibet concuſſio, & exagitatio, in ipſo ſpontaneam efferveſcentiam, & orgaſmon impediunt;* ergo certe non coadjuvant; hoc idem & cordatiores dignoverunt, ut Boyle *in phyſic. exper.* aliique plurimi, inter quos etiam prælaudatus Gulielminus *in Diſſert. de Sanguin. nat. num.* 56. *in fine* ſtricte in hoc caſu fatetur. *Languida eſt in ſtatu naturali ſanguinis fermentatio, & a reliquis motibus omnino obruta.* Diſpares enim motus unum alterum refringere, ac validiori languidiorem cedere, neceſſum eſt; quia vehementiori impulſioni corpus motum obedire cogitur; unde cum validior ſit externus Circulationis impulſus, ab ipſo inquam inteſtina, quia languidior fermentationis motio ita obrueretur, ut proprios niſus, qui ſegniter procedere ſolet, exercere nunquam poſſet; ac nunquam in ſanguine ad perpetuum circuitum propulſo, perennique agitatione commoto, fermentationis primordia, quæ lenta ſegnitie inchoantur, exurgere poſſe, recte quidem Peritiores dijudicant.

12. Sed

12. Sed inſtare adhuc poſſunt. Quod celebris Majouu experimentis affatim ſuadetur, inſpiratum aerem in pneumatica vena inteſtinum ſanguinis motum, validamque fermentationem concitare, ut *idem tract. de ſpirit. nitr. aer.* diffuſe comprobat. Ergo alienus motus inteſtinam fermentationem promovere, experimenta demonſtrant; quod adhuc Celebr. Loverius, *tract. de cord. cap.* 3. propria autopſia oſtendit. Inſtantia hæc experimentis innixa, ex veris falſum deducit; verum quidem eſt, quod inſpiratus aer ſanguinem in pneumatica vena ocyter immutat, ac ex venoſo arterioſum efficit, ut *antec. cap.* 5. *a num.* 5. *uſque ad* 13. affatim oſtendimus. At quod hæc ſanguinis immutatio a fermentativo motu procedat, ex ipſis experimentis deduci nequit; ex iiſdem enim ſanguinis immutatio videtur, cauſa vero ſyſtematice adducitur. Qualis autem per nos ſit, *loc. nunc citat.* expoſitum fuit; ſufficit tantum hic noſcere, quod immutatio iſta ſanguinis non ſegniter quidem, ſed ocyter, & illico perficiatur, qui velox motus omnis fermentationis conatus utique tranſcendit; quamobrem ad hoc opus fermentativos motus advocare, inſulſum eſſe dignoſcitur. Nec urgeant; quod propriùs a ſanguinis innato fermento, quam ab aeris motu hanc functionem expetere deceat; cum hoc ab illa concitante promoto, phenomenon iſtud veriſimiliùs explicetur. Hanc inſtantiam validam tunc eſſe credimus, cum innatum ſanguinis fermentum præoccupati demonſtrent; & cum adhuc dari oſtenderent, quid in hoc negotio agere poſſet, periti Chymici recte noſcunt. Omnes enim Fermentationis Patroni cum celebri Helmontio confitentur, quod *fermentum non niſi lenta tarditate ſanguinem tranſmutare poſſit. Tract. Blas human. num.* 14. Cum ergo ocyſſima hæc ſanguinis tranſmutatio fiat, non quidem a lenta fermenti ſegnitie, ſed ab aeris elaſtico niſu expeti poteſt, ut *ſupra cit. loc.* expoſuimus.

In pulmone fermentatio nulla.

13. Tertia ratio ab eodem Pompejo *ibi num.* 5. ſic exponitur. *Ex tranſitu ſanguinis per loca calida, ut Cor, ejuſdem fermentatio comprobatur; ibi enim ope inſiti, & innati caloris hujus principis viſceris inſigniter effervеſcit, ſpumam oſtentans, æſtus, & agitationis argumentum.* Hæc ergo, & cætera hujus veteris farinæ, quæ cordatis Recentioribus male olent; quia cordis principatum, ejuſque innati caloris commentum, cum Galenicis oſtentant; ut penitus jam everſa, brevi calamo perpendimus. Nunquam itaque ſuaderi poteſt, quomodo inſitus cordis calor in inſtanti agere queat in ſanguinem, tam ocyter per Cor tranſeuntem, ut illico incaleſcat, & ſpumeſcat; nec inexhauribilem fomitem, qui ab aſſidua tranſeuntis ſanguinis dilutione accenſam inibi flammam tueri, ac perpetuare poſſit; nec denique indeficientem in corde mineram, ex qua ſanguis tranſiens fermentorum micas rapiat, ut in arteriis, veniſque fermentationem nutriat. Hæc, inquam, ſimiliaque plurima, ſemper ambigua, cordatiores Moderni penitus obliterare, merito ſategerunt; cordiſque machinam ad ſanguinis impulſionem inſtructam eſſe cenſuerunt, ut circulationis impetus in qualibet ſyſtole promoveatur. Calor autem Cordis non a proprio igniculo, ſed ab ipſo ſanguine illi communicatur; *unde non eſt, quod miretur, Cor viſcus eſſe calidiſſimum; id quod fefellit vitalis flammulæ propugnatores, qui ab excedenti caliditate in Corde, neceſſitatem ardentis in eo fomitis deduxere; cum non alius ſit in Corde fomes præter ſanguinem tranſeuntem.* Sic tutius veneratæ memoriæ Gulielminus *Diſſert. de Sang. nat. num.* 75. mecum in hac linea reſponſionem claudit.

In corde ſanguis non fermentatur.

14. Alteram tamen hujus tertiæ rationis clauſulam præterire non decet; addit itaque l. c. *Huc tendunt fermenta, quæ a partibus principalibus, hepate, liene, utero, cerebro, renibus ſanguini inſpirantur, dum per eas tranſit, quibus cordis fermentatio ſanguini conciliata, vel conſervatur, vel renovatur.* Hæc Opinio fermentorum ſeminium in viſceribus incolens, ſicuti ad Veterum facultatum excluſionem recte conduxit (gradatim namque a Priſcorum deliquiis recedere, expergefacta Scientia didicit) ita nunc ſub clariori luce, obſcuriorem antiqui erroris

Irrita in viſceribus fermenta.

correctionem eſſe, certo dignoſcitur. Equidem tot fermentorum ſpecies, quot olim diverſæ Facultates fuere, ſigillatim concipere, differenteſque viſcerum functiones per diverſa fermenta promotas percipere, impoſſibile quidem eſt. Nam ſi merum Fermenti vocabulum, quod ore facile dicimus, mente nondum ſatis dignoſcimus; quam ergo imperceptibile erit, tot fermentorum differentias diſtinguere, totque diſpares agendi modos in Cerebro, Hepate, Liene, Renibus, Utero, &c. æque dignoſcere? Merito itaque abſurdum hodie cenſetur, ſicuti Veterum facultates, ita viſcerum fermenta ſtatuere, cum ad eundem errorem per diverſas inextricabiles vias ambo conducant. Aptius itaque hoc negotium mechanica documenta revelant; cum a varia partium diverſis porulis, & glandulis compoſita ſtructura, ſibi conſimiles, ſeu proportionaliter figuratas fluidi hujus particulas ſecerni, aut percolari poſſe, veriſimilius deprehendamus.

Lienis fermentũ refellitur. 15. Sed inſtant inſuper. Tutam adhuc ſententiam eſſe, quod Hepatis cribrum, etiam mechanice conſideratum, ut bilem a ſanguine ſeparet; Lienis fermento indigere; non enim ſine aliqua fermentatione, bilis cum ſanguine ſtricte commixta, ſeparari poteſt; ergo ſaltem in Hepate ut neceſſaria dignoſcitur ſanguinis fermentatio, ſicuti & in Liene ad hoc opus paratum fermentum. Huic inſtantiæ reſpondetur primo; quod de Lienis fermento vana ſuſpicio ſit. Accuratiſſimus enim Malpighius *lib. de Lien. cap.* 6. de Lienis uſu valde anxius, experimento in Cane facto, a quo Splen integrum ademerat, nullum in annis pluribus læſæ ſanitatis vitium in ipſo obſervavit; & nuper in Anglia, & Gallia lienem a canibus adimere plurimi didicerunt, meliori, ac diuturniori, ut dicunt, illorum vita ſuperſtite. Similiter in humanis caſu accidit; primo Trallianus *lib.* 8. teſtatur, ſe militem curaſſe, cui tota lienis regio ferramentis candentibus exuſta erat, diuque ſic ſanum vixiſſe. Schenchius *lib.* 3. *obſerv.* item confirmat in Cadavere Mercatoris cujus dam nec veſtigium lienis fuiſſe inventum, quod & alii in cadaveribus inſpexiſſe teſtantur, & Bartolinus *cent.* 4. *anat. rar. hiſtor.* 51. Mulieris caſum refert, cui Empiricus medens integrum lienem excidit, ſicque illam poſt diuturnum morbum ad ſalutem reſtituit. Hæc, inquam, omnia ſimul perpenſa, de lienis fermento opinionem evertunt; cum homines, & animalia lienis uſu privata, debitam bilis in hepate ſeparationem, ſine qua vitalis œconomia ruit, non dimiſiſſe demonſtrent, ut ſine liene promota ſanitas convincit. Et certo adhuc, ſi ratione utamur, hæc veritas magis eluceſcit; equidem qui probe noſcit, tardam ſemper fermentationis motionem eſſe, hanc celeriter peractam bilis in hepate ſecretionem ab illius conatu perfici poſſe negabit; pauca certo momenta ſanguis a ſplene ad jecur permeans, paucaque adhuc per hepar tranſiens conſumit, in quo intervallo quid tarda fermentationis molimina efficere poſſint, non video. Nimis ergo inepte in brevi hoc ſanguinis tranſitu continuabilis ſeparatio a fermenteſcentia expetitur. Aptius per me quidem explicare videntur, qui hoc in hepate opus mechanico modo, nempe per cribrationem, ut ſupra diximus, fieri debere arbitrantur.

16. Quarta, & ultima Pompei ratio deducitur primo; *Ex neceſſitate, quam habet ſanguis talis fermentationis, quæ neceſſitas dupliciter probatur. Primo ut partium heterogenearum perfecta ſequatur mixtio; ad hoc enim ut craſſiores, & terreæ cum ſubtilioribus & ſpirituoſis uniantur, debent illæ attenuari, & quodammodo volatiliſari, quod præſtat, Effervеſcentia motu, & impulſu aliarum particularum, craſſiores particulas in minutiores partes comminuendo; unde ſubtilitas, & agilitas terreo, & fixo impertitur, & facillime omnium partium perfecta obtinetur unio.* Hæc prima probatio ſanguinis attenuationem, & ſpirituaſcentiam (quam ab inſpirati Aeris appulſu peragi experimentis, & rationibus *cap.* 5. *ſupra* demonſtravimus) a fermentatione emendicare nituntur, quod quantum a vero alienum ſit, ſequens reflexio ſuadet. Dicunt enim quod in arteriis, & venis ſanguis ubique fermenteſcat; non

tamen

tamen ubique pariter attenuari, ac ſpirituaſcere obſervatur, cum in toto venoſo genere craſſus, & ater, ac nunquam ſpumeſcens ſit. Non ergo a fermentatione (quam in tota maſſa perpetuari ſupponunt, & adhuc extravaſatum fermenteſcere contendunt) dicta ſanguinis attenuatio expeti poteſt; ſed melius dicam, ab aeris elaſtico niſu, a quo in pulmonis vena commotus ſanguis, ocyter attenuatus, roridus, ac ſpumeſcens evadit. Quam obrem quo plus ab hiſce reviviſcentiæ ſuæ cunabulis diſcedit, plus etiam craſſeſcit, ut in venis apparet; quod pro nunc ſatis ſit. Sed nec minus a veritate diſcedit hujus probationis conſequentia; cum enim deducat, quod ex fermenteſcente ſanguine *facillime omnium illius partium perfecta obtineatur unio*, falſo quidem ſupponit, perfectam liquidorum mixtionem, partiumque nexum, & unionem cum attuali fermentatione componi poſſe. Profecto non ad ſanguinis particulas uniendas, ac in unam ſyſtaſin componendas, ſed ad ipſas diſſolvendas fermentatio conducit, ut ex dictis *anteced. cap* 8. *num.* 4. ſatis conſtat. Verum ut clarius adhuc hæc veritas pateat, duplicem fermentationis aſpectum diſtinguere oportet; primum nempe in ipſius actu, alterum in termino. Fermentatio ergo in actu, ſeu *in fieri*, ut ſcholæ dicunt, tunc eſt, cum actualis, & continua inteſtina particularum lucta peragitur, quæ proprie mixti texturam omnino evertit; cum intima illa commotio particulas a particulis ſeparando, eorundem nexum diſſolvat; adeoque donec mixtum, fluidum præcipue, fermenteſcit, nulla determinata particularum unio haberi poteſt. Fermentatio autem in termino, ſeu *in facto eſſe*, ut dicunt, conſiderata, tunc certo, quia proprium opus jam perfecit, in fluido mixto jam quieſcente, particularum unionem, ac determinatam, pacificamque mixtionem ultimo reliquit; quia tunc omnes mixti partes, & proprio niſu, & debito ſitu, & figurarum proportione, ac exigito nexu abſque diſſidio fruendo, concordi unione colligantur. Hiſce igitur æqua lance perpenſis, ſupradatæ rationis æquivocum per ſe prodi-

tur, dum fermentationis jam factæ, cum illius perpetuo fieri confundat; cenſet enim ipſius effectum, compoſitam nempe ſanguinis mixtionem, ac ejuſdem particularum unionem, quæ haberi nequit, niſi in fermentationis termino, haberi ſimul, & in illius fieri; quod certo eſt Hirco-Cervum concipere, ſeu unionem cum diſunione componere. Itaque ſi propriam texturam actu in ſanguine ineſſe concedere cogimur, nequimus in ipſo concipere texturæ deſtructricem continuam Fermentationem.

17. Ultima tandem ſupra dictæ rationis pars inibi ſic extat. *Altera neceſſitas eſt depuratio ab excrementis, quæ melius aſſequi non poteſt, quam fermentatione, partes a ſanguinis perfectione recedentes ſegregante, unde purior, & magis defæcata maſſa ſanguis reſultat; eo modo quo vinum fermentando, ſua deponit excrementa.* Plauſibilis olim Vini, & Sanguinis paritas, cum nimis impropria antecedenti nu. 8. demonſtrata ſit, hic ergo nihil concludit. Equidem ſanguineæ depurationis opus, a vinoſis liquoribus valde diſſimile, alienam a fermentatione cauſam expetere, *libr. ſequent. de Febr.* expoſitum eſt. Sed ad argumentum pro nunc dicimus; quod ad ſanguinis continuas, & copioſas depurationes inepte nimis fermentatio advocatur, cum hanc naturalem in ſanguine qui ponunt, valde mitem, & ab aliis motibus quaſi obrutam eſſe debere, cordatiores cenſeant, ut ſupra *num.* 11. dictum fuit. Quamobrem ineptum eſt aſſerere, quod tam copioſa ſuperflua, quæ perenniter a ſanguine decedunt, languida fermentatio ſecernere poſſit. Recte namque ponderatis omnibus, quæ in hepate, liene, renibus, pancreate, cæteriſque glandulis quotidie deponuntur, inſuper & effluviis per inſenſilem perſpirationem evolantibus, quæ Celebris Sanctorius *in ſua ſtatica* tanti ponderis invenit, ut cenſeat multis in locis, & præcipue *ſection. 1. de ponder. aph.* 60. *Pluribus unica die naturali per inſenſibilem perſpirationem tantum evacuatur, quantum per alvum quindecim dierum curſu.* His ergo omnibus recte perpenſis, concludant

Sanguis a fermentatione depurari nequit.

F 2 inde

inde ſi poſſunt , quod diuturnas haſce ubertim , & per tot ductus eliminatas a ſanguine ſecretiones languida , & præpedita fermentatio ſeparare , ac deturbare idonea ſit ; ſicque ex palea trabem deducere , ac Milvum Aquilam eſſe , dicere etiam poterunt . Quamobrem ſecretiones iſtas , quæ ſine arcto nexu cum ſanguine fluunt , in qualibet corporis parte mechanico modo ſecerni , aptiori , tutiorique notione deprehendimus ; adeoque ineptos fermentationis conatus ad haſce depurationes vocare , undique futilis excogitatio eſt . Concludamus ergo , quod nulla ſanguinis neceſſitas inertem expetat fermentationem , nec ad hoc opus aptam nulla firma ratio ipſam oſtendat ; imo e contra experimentis , & rationibus conſtet , quod improprie , ac indecenter ſanguineo fluido imponatur ; ſicque tandem ex omni parte ſanguinis fermentationem vanum commentum fuiſſe , demonſtratum eſt . Hìc demum præliminaribus noſtris metam ponimus ; & a generalibus ad particularia Deo favente deſcendimus .

Quiſquis es o faveas , noſtriſque laboribus adſis .

LIBRI I. PARS II.

DE MORBIS ENORMONTICIS.

PRÆFATIO.

1 POtior humanæ Machinæ pars Impetum faciens eſt, quam a Continentibus, & Contentis, ſeu a Solidis, & a Fluidis, Medicinæ Pater æque diſcriminavit; cum re vera, & corporis pars, & potiſſima ſit, a cujus recto motu cæteræ partes ad vitæ munia exercenda ducuntur; & ideo illius exiſtentiam, & regimen in præliminaribus oſtendere, hactenus enixi ſumus, ut contemptum jam, iterum ſurgat, ac a poſteris ſaltem bene audiatur Enormon; cum diu nimis in medico Lycæo deſpectum ſiluiſſet, licet illius functiones, recte, vel improbe ductæ, præcipuas Phyſicæ, ac Medicinæ paginas impleant. Et certo quidem vitalis, animaliſque regiminis primus miniſter, ſæpeque dominus Impetum faciens eſt, quod, præter cætera, vehementes Paſſiones affatim oſtendunt, a quibus vivens machina, pro illius exceſſu, varia ſævitia vexatur. Propria ergo deliquia Enormon pati ſolet; ac ſub illius gubernio, quo vita, & valetudo diriguntur, cum debitas leges frangat, ac æquos limites concitatus irrumpat,

Exercet duram per ſumma pericula vitam.

2. Hujus ergo exceſſus in apertam ſcenam ducere, nunc accingimus, pluresque morbos, ab improbo illius impetu inductos, expendere, propriaque curativa methodo ſubjicere, animus eſt. Plurima vero, & in morborum dignotionibus, & in illorum curationibus, vulgarem ſemitam evitare, propriumque iter, meo videri, tutius premere, B. L. invenies. Scias tamen, quod in pluribus a trito calle deviare, Deo primum ducente, rationes, & experimenta me induxerunt. Novimus enim nonnullas morborum notiones claudicare, pluresque nudis conjecturis ductas, a recto longe recedere; ideo a principiis tutioribus, ac a probatis experimentis, æquas morborum ideas, tutaſque curationes deducere, ſtuduimus; quæ, inquam, ſi debitum centrum tangere, judicaveris, ipſis utito. Duplici enim ſtimulo in hiſce lucubrationibus incumbere propulſus ſum; primo, ut publico bono pro viribus conſulerem; altero ut, cum Peritus ſis, ad opus hoc perficiendum,

Et conferre manum, & procedere longius addas.

Seneca enim docente *epiſt.* 33. in fine. *Patet omnibus veritas, nondum eſt occupata; multum ex illa etiam futuris relictum eſt.*

3. Non omnes demum morbi ab Enormontico deliquio exorti, ſed illi tantum, qui ſine febre ut plurimum invadunt, ac atrociores, vel frequentiores contingunt, hic expenduntur; cum plurimos hujus cenſus, inter ſymptomata febrium *lib.* 4. jam expoſitos, reperire quiſque poſſit; ibi enim propria illorum ſedes eſt, quia febrium ſoboles ut plurimum eſſe ſolent. Singulis denique morbis, in quolibet Capitum fine, remediorum Appendices addimus, ut aliquod Medentibus commodum deferamus; plurimum enim differentibus Ægrotantium, ac Morborum circumſtantiis auxiliorum ſeries illæ æque contribuere poterunt; cum pro conditionibus aptum ad opus remedium, excitata reminiſcentia, cito ſeligere, potis ſit; hoc item B. L. tibi profuturum exhibeo. Fave igitur mihi, ſicut & tibi conſulere non neglexi, Vale.

CAPUT PRIMUM.

De Melancholico Delirio, ejuſque Curatione.

1 SI quid arcanum, ac inter phyſicas ambiguitates reconditum occurrere poteſt, Melancholicum Delirium eſſe arbitramur, quod inquam ſupra ſenſibilia tranſcendens, Mentis tribunal evertit, ratiocinium ſubvertit, Animamque inalterabilem variis illuſionibus ſubducit. Quamobrem non corporis, ſed mentis deliquium eſſe, illius dementia oſtendit; hoc ergo morbi genus a ſenſibus alienum percipere arduum nimis videtur; nam etſi deprehendimus, quod tunc mens delinquit, cum ſpirituum miniſterium deficiat, percipere vero, quod ex illorum defectu talem eclipſim patiatur, ut recta ab obliquis non diſcernat, falſaque pro veris dijudicet, difficile quidem eſt; hoc ergo penetrare, ac explicare, præſens occaſio petit; ideo ut pro viribus ad arduum hunc apicem aſcendamus, in primo greſſu illius naturam, vel illius eſſe deſcribimus, quod *ſit Mentis dementia ſine furore, ſed cum mærore, vel riſu, circa idolum vanum firmiter defixæ, inducta*. Externi vero illius fomites animales ſpiritus delinquentes ſunt, qui fædo miniſterio mentem fraudare ſolent, ut in Cauſarum indagine explicabimus. Hujus ergo Delirii ſcenam agunt Heracliti, Democritique dementes, lugubres illi tragædias, ridiculas iſti comœdias inſpectantes, ut Græcus ille delirans, ab Horatio *epiſt.* 2. deſcriptus;

> *Qui ſe credebat miros audire tragædos,*
> *In vacuo lætus ſeſſor, plauſorque theatro.*

Ita & iſti phantaſmata ſibi ficta ſpectare ſemper, illiſque gaudere, vel ab illis horrere, mentis errore induceuntur.

Pars affecta. 2. Hinc primo deducitur Partem præcipue affectam Mentem eſſe, depravatum enim judicium, ac erroneum ratiocinium ipſius deliquia ſunt, quæ cum non niſi ab ipſa Mente procedere poſſint, ipſam delinquere ſine dubio convincunt. Secundario animales ſpiritus, immediato Mentis miniſterio inſervientes, culpare convenit; cum ſine illorum ope impreſſas ſpecies Mens aſſequi nequeat; ideo dum ſpiritus iſti a debita puritate, ac alacritate diſcedant, vel concitatis motibus ducantur, decenti miniſterio Mentem defraudant; ſpecies enim a ſenſibus immiſſas, vario modo turbatas offerunt, unde judicium, & ratiocinium ſimul ab æquo, & recto declinare cogunt, & ſic Dementiæ primum lapidem ponunt. Mentis ergo error vitiato ſpirituum miniſterio præcipue imponitur.

3. Morbi vero differentias tres eſſe arbitramur; primam dicimus, cum Mens per ſe ſola, abſque aliena impulſione a recto aberrare ſoleat; altera cum ab animi motibus vehementius concitatis, ad errores inducatur; tertia demum a mala ſpirituum diatheſi illius perceptio, judicium, & ratiocinium pervertantur. Ergo hæ legitimæ affectus hujus differentiæ, ſicuti a Pathologia, ita magis a Therapeja non negligendæ, in Cauſarum ſcrutinio, & in Curatione clariores erunt. Contingentes vero diſparitates, ſeu potius ejuſdem morbi gradus haud rejicere convenit; prima ergo eſt, quæ vel triſte, vel jocoſum delirium oſtentat; altera quæ per varias dementias everſam Mentem deducit; nempe vel cum vagantibus, non fixis deceptionibus animus perturbetur; vel cum coacta Mens circa unicum vanum idolum firmiter applicata deliret; vel tandem cum in pluribus, aut in omnibus ratiociniis perpetuo deſipiat, qui ultimus melancholiæ gradus in Maniam ſæpe convertitur. *Differentiæ.*

4. Dementiæ demum ſigna, etſi facto jam morbo neminem lateant, *cum tria ſint, quæ occultari nequeunt, Amor, Vinolentia, & Inſania*, ex Plutarco; periti tamen in hiſce jam factis minime quieſcunt, ſed morbi hujus etiam primordia, & cauſarum ſigna rimari *Diagnoſis.*

mari nituntur; ideoque imminentis dementiæ primum, poſtea ex quo fonte dimanat, indicia requirunt. Ad primum ergo minitatæ Inſaniæ ſigna ſequentia eſſe ſolent; nempe fixa mæſtitia incipit, diuque moleſtat, donec ſenſim, tacitoque progreſſu triſtia pathemata inducat, nimirum a jucundis averſionem, ſocietatis faſtidium, ſolitudinis deſiderium, mentiſque ſtupiditatem; hinc ocyter aucto delirio, vel triſtantur ſine cauſa, vel rident; pavent, vel fabulantur, diſcurſuſque varios de concepta dementia ægri effutiunt; demumque omnino inſipientes, omnia propria negligunt, & tam ſuorum, quam ſui regimen contemnunt; parentes non raro, filioſque, ut inimicos abhorrent, propriumque corpus deſpectum, nec comere; nec nutrire curant, fixamque ſemper in ſpectrum terrificum, vel ridiculum phantaſiam confirmant; & ſic adeo tenaces dementiæ figuntur radices, ut neminem contraria ſuadentem audiant, rectaque monita ut doloſa, moleſtaque condemnent; & ideo a concepta inſipientia diverti nequeunt; quia Poeta docente,

Illos internus ſtupor, inſolabile pectus
Perpetuo premit.

Hac ergo brevi graphide morbi hujus tam incipientis, quam facti Diagnoſes abſolvitur. Cauſarum vero ſigna, cum ipſarum ſcrutinium perfecerimus, exponere haud negligemus.

Ardua cauſarum indago. 5. Arduum denique negotium, Cauſarum nempe indaginem aggredimur; multiplices enim, variæque ſemper facies, quibus Affectus iſte larvatus perſæpe inſpicitur, quomodo, & a quo fonte originem ſumat, deprehendere, difficillimum eſſe videtur. Non equidem tot larvas Proteum induiſſe, Poeſis effinxit; quot aſpectus varios Dementia hæc oſtendere ſoleat. Ideo haud unicam eſſe illius originem, differentes illius imagines oſtendunt. Noſcimus quidem, quod Mentis errores hanc tragædiam peragunt, unde ipſam certo delinquere, ſine dubio cenſemus; tot vero diſpares illius errandi modos, differentes etiam fomites, cauſaſque adjacentes culpare, non ambigitur. Quam obrem & Mentis deliquia, & delinquendi occaſiones inveſtigare intereſt, labor quidem non exiguus; nam Mentis tribunal, in quo judicia hæc peraguntur, cum a nulla inveſtigatione penetrari æque poſſit, nulla ideo demonſtratio revelat; ſicque vaga ſemper, ubi certitudo deficit, opinantium laborat indago. Hinc bene ſuaſus Ariſtoteles cenſuit, *Quod partem illam æternam, ac divinam* (de Anima loquitur) *minus contemplari licet; quia pauca illius ſenſui patent.* Ultra ſenſus ergo indago noſtra dirigi debet, ut ineſcrutabiles Animæ functiones aliquo modo rimari aſſequamur, ad quod opus ita impares vires ſunt, ut idem Philoſophus æque falſus ſit, quod *ſicuti veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent, ita & cognitio noſtra ad ea, quæ Animæ ſunt*, 12. *Metaph. text.* 1. Ideo in hoc abſtruſo negotio, ut quæ a ſcopo ſaltem non aliena videntur, pro viribus attingamus, omnia, quæ opem ferre poſſunt, lumina ex Metaphyſica, Morali, & Phyſica doctrina expetere intereſt; tot tamen munitus auxiliis, nihilo plus, quam plauſibilem opinionem conſequi credimus.

Cauſæ metaphyſicæ expenduntur. 6. Primo itaque a Metaphyſicis auſpicando, bivium nobis occurrit, mentis nempe, ac Voluntatis errores exhibens; utramque enim viam percurrere convenit, Mentis vero primum, Voluntatis poſtmodum, illa hic, & nunc, iſta in ſequentibus. Unicum ergo noſtræ indaginis proprium expendere eſt opus, Mentis nimirum in judicando Deceptio, cum ſpeciem ſimpliciter apprehenſam in altero mentis conceptu aliter dijudicet, quam realiter eſt, illique attribuat, quod ipſi non convenit, ut ex. gr. ſi dicat in primo conceptu *hominem hunc*; in ſecundo judicans *infenſum ſibi eſſe*; ac in tertio ratiocinando, *fugiendum eſſe*, concludat; dato, inquam, quod non infenſus, ſed amicus ſit, ex decepto judicio falſum ratiocinium deductum ſatis oſtendit. Hic ergo Mentis error ex variis cauſis oriri poteſt; relictis vero cæteris, quæ lineam noſtram excedunt, duas tantum indagare, ſatis erit. Prima ergo Mentis in judicando *Incuria*, vel *Præcipitatio* eſſe poteſt; cum nempe haud æque, recteque ponderat, quod primo percepit;

pit; ejuſdem enim delictum eſt, ſimplici ſæpe intuitu objecti corticem, non nucleum attingere; ideo vel ſimilitudine, vel obumbratione, aut alio quovis modo decepta Mens de objecto judicat, quod illi non convenit, falſumque judicium falſum etiam ratiocinium ſecum ducit. De hiſce paſſim extant inconſideratæ perceptionis, ac præcipitati judicii deliquia, in quibus non raro deflectere omnes poſſe, inſignium etiam Virorum retractationes, & controverſiæ demonſtrant. Altera Cauſa eſſe poteſt anticipatum quoddam, ſeu præoccupatum Judicium, quod aſſidua ſpeciei alicujus impreſſio ſibi uſurpavit; ſicque ob falſum præjudicium aliquid noxium dicimus, etſi proficuum vere ſit; ut ex. gr. Febrientes nonnulli medicinam deſpicere, & vinum expetere ſolent; quia vinum ex anticipato uſu, guſtuque bonum, medicinam vero ex præoccupata opinione malam eſſe, dijudicant. Iſta vero Mentis præjudicia ſæpius a pueritia incipiunt, & cum ætate adoleſcunt; adeo ut tam firma judicia imprimant, ut cum illa delere ſuadeamur, aut nunquam, aut raro aſſentiamur; & tunc duntaxat, cum fortior, & clarior notio anticipatum judicium ab illuſa mente, quaſi clavum clavo depellat. Ab his igitur Cauſis varia Mentis deliquia pendent, quæ, inquam, ex metaphyſicis hauſta, indaginem noſtram haud parum ſecundant, ut nunc videbimus.

Mens a ſe ipſa decipitur.

7. Primam ergo Mentis deceptionem eſſe diximus, cum non recte penetrat, quæ primo concipit, ſed ex incuria proprium judicium præcipitat, corticem objecti, non intimum attingens; ideo ſub hac illuſione falſa ut vera, & vera ut falſa dijudicare ſolet, deceptumque judicium, repetitis quandoque actibus comprobatum, magis ſemper a deluſo ratiocinio confirmatur. In hac ergo linea decipiuntur illi, qui ſe Deum, vel Regem, aut Animalem, vel Mortuum, vel ex vitro formatum, ſimiliaque plurima eſſe dijudicant, cum Vitri, Cadaveris, Belluæ, Regis &c. corticem ſibi applicant, horum vero nucleum, ſeu quid iſta vere ſint, minime conſiderant. Altera mentis deceptio ex illius præoccupato judicio ſæpe oritur, plurimaſque in hoc morbo illuſiones ab hoc puncto primum ſuas ducere lineas arbitramur; nil enim fortius ad erronea ratiocinia ducit, quam in falſa perceptione præoccupatum judicium. Sub hoc vexillo militant illi, qui vana, & inexiſtentia pavitant, & qui proficua horrent, nocua vero expetere nituntur. Unicus in hac linea caſus cæteros hujus cenſus illuſtrare poterit. Novimus olim nobilem Juvenem dementem, qui in anno magni frigoris, ita ab illius pavore præoccupatus fuit, ut per biennium etiam in media æſtate ad ignem adeſſe vellet, & cum violenter ab illo deduceretur, tremens flendo, ſe moriturum clamabat; hunc ergo, ut falſam mentis occupationem deleret, toto Syrii menſe in cubiculo ſine igne, cum ſodali, quem diligebat, claudere juſſimus; ſicque ſenſim præoccupantem opinionem correxit, & incolumen vitam duxit. Hæc demum, quo ad Metaphyſicas cauſas, ſatis ſint; nunc ad indaginem alteram Moralis oracula nos ducunt.

Morales Cauſæ exquiruntur.

8. Non paucas medicis inquiſitionibus ſuppetias Moralis Philoſophia contribuere poſſe, ultra plurima faltem Animi paſſiones, quæ non minimam Medicinæ provinciam occupant, facile ſuadent; ideoque illius conſilia, maxime ad hoc opus vocare, opportunum erit. Primum ergo noſcimus, Voluntatem ab Intellectu conduci, ita ut illa nec bonum ullum amplecti, nec a malo fugere ſoleat, niſi prævia Mentis cognitione ducatur, unde tritum illud, *nil volitum quin præcognitum*, ſancitum fuit. Noſcimus item, Intellectum ipſum a Voluntate moveri; ita ut Mens ad actum non deſcendat, niſi ab incitante arbitrio determinetur, unde vulgatum aliud, *intelligimus dum volumus*. Sicque viciſſim noſcere, & velle alterno impulſu moventur, ac certus hic ordo ſervatur, cum abſque turbatione proprium corpus Anima moderetur. At cum inquieta quælibet animi paſſio caput ſuperbum attollat, ac tumultus concitet, ſpirituum quietem ad acoſmiam ducens, populari furore mentis tribunal violatur, ac Voluntatis regimen evertitur, ipſaque ſeducta, ita Mentem excæcare ſolet, ut verum a falſo

falſo diſcernere, vel nequeat, vel negligat; imo violenta paſſionum tyrannis ita Mentem ſubdere ſolet, ut in objectum vel concupitum, vel moleſtum aſſiduam cogitationem defigere cogat; animi enim paſſiones Voluntati primo, quam Concupiſcentiæ viſco, vel Iraſcibilis impetu ſecum rapiunt; & inde Menti, quam ſæpius excæcare ſolent, vehementem vim inferunt; hanc ergo veritatem ut inſpiciamus, infandas in hac ſcena humanæ infirmitatis tragædias innuere ſaltem convenit.

Amoris violentia. 9. Duplicem in homine animalem democratiam ineſſe, notum jam eſt, utraque duplici etiam, ſed diſpari gubernio ducta, quarum duo ſuprema capita ſunt, Amor nimirum, & Ira; iſta iraſcibilis, ille concupiſcibilis reipublicæ Dictatores, qui ut animalitatis jura tueantur, ſupremum Animæ dominium ſæpius evertunt; cum & Voluntatem ſeducant, & Mentem ad dementiam perducant. Amoris ergo violentiam ſi reſpicis, quid aliud quæſo; *quam perditos homines, concupiſcentia vexatos, fixa ſemper cogitatione inſanientes invenies;* ut aſſerit Tullius *in* 3. *Tuſcul.* Ideo perita Vetuſtas cæcum effinxit Amorem, quia Mentis lumen ita in amaſiis excæcat, ut quid amant haud videant, ſæpeque illis ſit turpitudo voluptas. Deploranda quidem eſt, a concupiſcenti paſſione inducta cæcitas, quæ veſano ductu etiam deformitatem amplexatur; quia

> *Scilicet inſano nemo in Amore videt.* Propert.

Sed neque hic ſiſtitur cæca hujus violentia; non raro enim funeſta deliria excitaſſe, hiſtoriæ primum, & medicinæ acta demonſtrant; & tunc maxime cum ſpes, quæ diu concupiſcentiam aluit, deſperata evaneſcat, tunc inquam in atroces exitus, ſæpeque deplorandos, effera paſſio præcipitat; paſſim namque caſus extant, qui funeſtas Amorum tragædias vel morboſa ſemper vita, vel deſperata morte abſolutas oſtendunt, qui etiam manifeſtas mentis, ac voluntatis deperditiones, vitæque ſtrages ab hac Circe inductas, aperte demonſtrant.

Iracundiæ ferocitas. 10. Nec minus crudelis altera eſt Iraſcibilis paſſio, quæ homines in feras transformare ſolet. Cum enim excandeſcenti Ira vexatos inſpicere cupias, perlege præ cæteris Senecam, qui horridam hanc Megeram graphice depinxit. *Quidam e ſapientibus viris iram dixerunt brevem inſaniam; æque enim impotens ſui eſt, decoris oblita &c. lib.* 1. *de ira cap.* 1. perlege ultra & iracundum hominem propria Maniaci imagine furentem invenies, cui concordat Ovidius 3. *de art.*

> *Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ,*
> *Lumina gorgoneo ſævius angue micant.*

Hinc certo quidem Animæ regimen deperditum eſſe, ab externo furiæ potius, quam hominis aſpectu, dignoſcitur; ſicque ad horrendum animalis efferitatis triumphum mens ſeducta rapitur; unde quid mirum ſi *impotens ſui, & decoris oblita*, ad brutales impetus, ad arma, ad ſanguinem ruat; nec in exteros tantum, ſed & in ſuos, imo & in ſeipſum ſævire ſolet, dum alios lædere tentat. Inſpice quot cum Nerva, & Valentiniano Imperatoribus ab excandeſcenti ira enecatos, hiſtoriæ deſcribunt; audi ſimul Senecam, qui *lib.* 2. *de ira cap.* 36. ita loquitur. *Videndum quam multis ira per ſe nocuerit; alii nimio fervore rupere venas, &c.* & poſt multa, ne prolixus ſim, concludit. *Multi itaque continuarunt iræ furorem, nec quam expulerunt mentem, unquam recuperarunt; Ajacem in mortem egit furor, in furorem ira;* ſic ira in maniam convertitur. Ex hiſce itaque certis (quidquid de Ajace, qui inter doctas Græcorum Fabulas, & Hiſtorias vagatur, ſentiendum ſit) perſpicue patet, quantum haud alios tantum, ſed ſeipſum primo iracundus officiat, cum nondum Mentem, ac Voluntatem, quas apprime ſemper evertit, ſed & propriam vitam ſæpe conficere ſoleat.

11. Quid tandem paſſiones reliquæ in hac linea oſtendant, ex hactenus dictis facile deducitur; omnia enim hujus Hydræ capita proprium plus minuſve infenſum venenum effundere, ſemel concitata, ſæpe ſolent. Quæ vero præ cæteris Paſſio ad melancholica deliria facilius ducit, timidus Pavor eſt, qui *Cæterarũ Paſſionum effectus.*

Spiritus aſſidua triſtitia enervat, ac in terroris ſpectro ita deceptam Mentem figit, ut præconcepta pavitet ſemper imminentia pericula. Et o quam horridam Scenam Dementes iſti ſibi effingunt! Qui enim ad apertum ſibi carcerem, quique ad inſtantem ſupplicii mortem citò conduci credunt; alii ab inimicis veneno, vel armis interimi pavitant; alteri ne terræ vorago illos deglutiat, Cælive aura lethali peſte inficiat, e domo exire contremiſcunt. Contra vero non ſic horrida, licet nil minus noxia, Jocoſa deluſi Animi paſſio extat, quæ varias, ſed ridiculas, pro deceptionis modo, ſcorias ſibi fingunt; nonnulli aleas ludere, vel choreas ducere; alii muſicam, vel ſymphoniam audire, aut comicam ſcenam ſpectare, ſimilibuſque deliriis gaudere imaginantur, tantaque doloſa voluptate ab hiſce deluſi fruuntur, ut mentis extorſionem, ſalutiſque ob conſumptos ſpiritus deperditionem haud ſentiant; imo cum Dementi illo apud Horatium, a ſimili deluſione a ſodalibus excitato, clamant.

——— *Me occidiſtis amici,*
Non ſervaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas,
Et demptum per vim mentis gratiſſimus error.

Sic ergo jocoſa hæc paſſio ſardonico riſu ſpiritus conſumit, vitamque inter doloſa gaudia deperdit. Nec denique Animi motus reliqui in hac tragœdia complenda, propriam ſcenam vacuam relinquunt; omnes enim, cum diu mentem exagitent, ſenſim dementiam producere, apti ſunt.

Phyſicæ Cauſæ indagantur. 12. Metaphyſicis, ac Moralibus doctrinis pro noſtro ſcopo luſtratis, ad Phyſica theoremata examinanda, deſcendimus; iſta enim propriùs medicas indagines expetunt. Primo itaque dignoſcendum eſt, præcipuum Animæ operantis miniſtrum Enormon eſſe, ſine ipſo enim, dum terræ incola vivit, propriam machinam gubernare nequit; nec Mens ipſa abſque recto illius miniſterio ſpecierum impreſſiones percipere, ac de illis judicare æque poteſt. Hoc inquam omnes Delirantes oſtendunt, quorum perceptiones, judicia, & ratiocinia ſpirituum acoſmia pervertere ſolet. Ex hiſce certo notis deducitur primo; quod Mentis deliquia ex vitiata ſpirituum diatheſi non raro expeti debeant, & hoc Phyſicæ indaginis opus eſt. Opus autem arduum nimis; cum Enormonticum eſſe, & operandi vires non adhuc dignoſcantur; quid enim ſpiritus ſint, & quomodo ad tot differentes impulſiones determinantur? item quo aſſiduo famulatu Animæ ſerviant, ut ubique, ſed in Cerebro præcipue illius functiones perficiat? quomodo externos ſenſus exerceant, illorumque impreſſas ſpecies internis ſenſibus deferant, ut mentis perceptionibus ipſas exhibeant? ac demum qua vi ab Animi motibus, quos ipſi fovent, ita ſeducantur, ut contra rectricem Animam concitentur, ejuſdemque noſcendi, ac arbitrandi Potentias, nondum evertant, ſed cæcæ paſſionum tyrannidi adhuc ſubjiciant? hæc, inquam, cum ſenſus excedant, inſcrutabilia eſſe dignoſcimus; ideo non quod certum, ſed quod veriſimile hactenus, poſt tot deſudatas Phyſicæ, Chymiæ, ac Mechanicæ indagines, innotuit, pro viribus expendere aggredimur.

13. Primo itaque quid proprium, in arduis hiſce ambiguitatibus inveſtigandis Neoterici ſagaciores excogitarunt, æqua lance perpendere, proficuum erit; ideo ab inſigni Williſio, ac Recentioribus plurimis, auſpicari convenit. Celebris ergo Anteſignanus ille, ut ab inſulſa Veterum melancholici humoris opinione medentes revocaret, tutiori placito ſalſo-acidum ſuccum, nervis, ac ſpiritibus infenſum, in hanc ſcenam ducens, plurimas, eruditis exemplis innixus, ſpirituum labes demonſtrare laboravit. Et certo quidem cum hæc decantatæ Acidi noxæ (per quas hodie morborum turba deſcribitur) ad lidium lapidem vocentur, non infimam melancholici delirii originem detegere aſſequimur; verum ut cauto greſſu incedamus, non omnes in hac ſententia prælaudati Williſii ſenſus cum notis experimentis concordare video. Ille enim ſpiritibus acidis, chimico igne depromptis, animales ſpiritus hic aſſimilare nititur, ac in illorum conſimilem acidam naturam degeneraſſe docet. Hoc quidem claris experimen- *Opiniones ponderantur.*

rimen-

rimentis nimis alienum, imo & oppoſitum eſſe conſidero; ideo non contra Williſium, quem venerari decet, ſed veritati litando, ad ſequentes reflexiones deſcendimus.

Williſii ſententia expenditur.

14. Poſt deſudata ergo, & a nobili Boyle, & a Peritis poſt ipſum Chimica, & Mechanica experimenta, innotuit demum, quod ex ſanguine vario modo deſtillato, nullum unquam ſpiritum acidum, ſed alkalinum ſemper extrahere Indagatores potuere; quod aperte docet, Animales ſpiritus, qui certo in ſanguine primo gliſcunt, & ab ipſo ad cerebrum ducuntur, ex natura ſua mere alkalinos, & nunquam acidos, abſque propriæ naturæ deperditione, evadere poſſe; ideo acida omnia directe illis infenſa ſunt, cum eoſdem vel lædant, vel evertant; quod Hippocrates etiam in praxi ſaltem cognovit. Itaque cum Nerveus ſuccus (quem ſpiritibus vehiculum eſſe, ſuademur) acido aliquo viro inficiatur, permixtos ſibi ſpiritus ita lædit, ut varii morboſi affectus pro differenti aciditatis niſu, in nervoſo genere inſurgant; qui vel a præpedita, vel ab enervata ſpirituum energia emergere ſæpe ſolent. At cum hoſtile acidum impenſo gradu noxium, pari vi ſpiritus aggrediatur, tunc eandem pugnam in nervis ferocire arbitramur, quam inter Acidos, & Alkalinos ſpiritus permixtos obſervamus; & tunc omni reſiſtentia devicta, in alienam indolem animales ſpiritus invertuntur, non tamen Acidi evadunt, ſed aliam ab acido, & alkali diſparem ſyſtaſin induunt; ut alkali ab acido ſaturatum in tertium ſalem, enixum dictum, invertitur, novaque natura, & activitate inveſtitur. Ideo Animales ſpiritus ab acido viro ſubverſi, nec ſenſus, motuſque exercere, nec Animæ miniſterium præſtare poſſent; cum in moleculis alterius generis, & activitatis inverſi eſſent. Hæc ergo æque, recteque cognita, ſatis edocent, quod improprie nimis acidis ſpiritibus Animales ſpiritus comparantur, acidoſque effici poſſe, & propria munia exerere, falſo quidem ſancitum ſit; cum puriſſimos alkalinos ſpiritus ad corporis, & Animæ miniſterium Natura elegiſſet, ut ſatis experimenta ſuadent.

Acidi cauſa exponitur.

15. Hiſce tamen poſitis, non ideo a dictis Recentioribus omnino diſcedimus; acidum enim virus hanc ſæpe ducere affectionem, & nos cenſemus; hoc tamen in hoc morbo leni hoſtilitate militare, tutius arbitramur, quatenus liberam ſpirituum expanſionem præpedire, ac debilitare, non vero ipſorum naturam invertere, aptum ſit. Everſi enim iſti, nondum propria munia depravare, ſed omnino abolere, coacti eſſent; cum autem in tota morbi hujus latitudine ſpirituum functiones vitiatæ tantum, non abolitæ comperiantur; ideo recte cenſetur, quod ita lædantur, ut minus elaſtici, minuſque volatiles efficiantur; unde a torpido illorum miniſterio Mens non æque directa, nec æque percipere, & judicare, nec recte ratiocinari, potis eſt. Verum hæc omnia, intra Naturæ latebras ſemper abdita, ex hactenus notis opinari poſſunt, determinare vero minime poſſunt, niſi ab experimentis adhuc peragendis aliquid clarius innoteſcat. Alteram item phyſicam, nec minorem morbi hujus cauſam expendere convenit; etenim præter Acidum ingeſtum, ingenitam adhuc improbam ſpirituum diatheſin alteram dementiæ originem eſſe noſcimus. Profecto cum ſpiritus iſti craſſiori conſiſtentia progeniti ſint; impari officio Mentis functiones adeo fraudant, ut ad objecta percipienda, & judicanda, nec rite, nec recte valeat. Hinc plures inviſuntur, *qui plus corpore, quam mente pollent*, ut promit adagium; nonnulli enim tardo ingenio, alii magis obtuſo, Scientias, Arteſque, vel cum labore, vel nunquam diſcere poſſunt, quas perceptionum difficultates non quidem ab ipſa Mente, cum eadem in omnibus ſit, ſed ab organis indocilibus promanare dignoſcitur. Cum ergo Animæ organa mediaſtini ſpiritus ſint, ab hiſce Mentis deliquia petere convenit; hinc dementias plures a craſſa ſpirituum conſtitutione promanare non ambigimus. Qui enim a vanis terroribus agitantur, fixaque ſemper horrida ſpectra intueri credunt, vel cum mortuis vagare, aut mortuos eſſe fatentur, craſſis, torpidiſque ſpiritibus ducuntur; concludimus

Altera cauſa detegitur.

mus denique, quod cum minus alacres, minuſque volatiles animales ſpiritus ſint, minus quoque Mens noſcere, & judicare, ac pejus ratiocinari, ob improbum miniſterium coacta ſit.

Signa Cauſæ Metaphyſicæ.

16. Prænotionibus hactenus expenſis, ad cauſarum ſigna deſcendere ſupereſt; cum ergo plures morbi hujus origines jam detexerimus, propria ſingularum indicia exponere, nunc aggredimur. Et primo ex Metaphyſicis notionibus percepimus, quod unicum Mentis deliquium, abſque ulla corporis læſione, dementiam inducere aliquando poteſt; cum ergo Delirantem integra corporis ſalubritate gaudere, dignoſcamus, tunc primum indicium deducimus, quod Mens ſola in hac dementia delinquat. Alterum ſignum eſt, cum aſſidui diſcurſus circa delirium diu antea præceſſerint, qui ſæpius frequentati mentis actus, Inſaniæ habitum firmare certo poſſunt, licet a nulla alia labe coadjuventur. Tertium denique ſignum a juvantibus, & lædentibus deſumi poteſt; cum enim pharmaca omnia læſiſſe potius, quam juvaſſe compertum ſit, ad directam medelam confugere decet, quæ ſolam mentis alienationem ſuggerit, Patientem nimirum per hilarem converſationem, muſicæ, ac ſymphoniæ jucunditatem, venationis, vel joci oblectationem, cæteraque ſolatia, gaudiaque, a tetra fixatione diſtrahendo. Hujus vero cauſæ, quæ ſenſus excedit, nullum ſignum proprium indagare aſſequimur; ideo cum Dementis corpus firma valetudine frui Medentis peritia dignoſcat, tunc ablegatis pharmacis, quæ vires hic minuunt, & delirium adaugent, in ſola mentis ab inſania diſtractione incumbere intereſt; ſed hæc medela clarius infra patebit.

Cauſæ Moralis ſigna.

17. Altera item cauſa ab animi motibus orta, ut ex Morali doctrina deduximus, propriis non raro ſignis innoteſcit. Primum ergo eſt diuturna vehementis paſſionis vexatio, ut cum Amor, Ira, Triſtitia, ſimiliave pathemata diuturno mœrore mentem agitaverint, aſſiduaſque cogitationes in commotam paſſionem defixerint, quos motus ſenſim dementia ſubſequuta fuerit, quod indicium præbet, ab hac origine dimanaſſe; item ſi Patientis natura paſſioni conveniat, ut ſi Amaſium, vel Iracundum, aut Meticuloſum, &c. hominis genium propendere conſtet, tunc certo pene indicio innatum dementiæ illius fomitem attingere quimus: quæ inquam, plurimum & morbi notionem, & illius curationem facilitare poſſunt. Hanc ergo dementiæ ſpeciem a commoto Animo, & inde a concitatis ſpiritibus foveri noſcimus; equidem ob aſſiduam in vehementi pathemate fixationem, illas cerebri, objectum ſervantes, fibras ſpiritus frequenter proterendo, innatam illarum undulationem in fixam quaſi convulſionem pervertunt; ſicque ſpecies a paſſione promotas concitatæ menti firmiter offerunt, illamque juxta animi præſtigium continua imagine decipiunt. Spiritus vero in hac morali cauſa non niſi motu peccare ſolent, ideo propria paſſionis ſigna illorum acoſmiam plus, minuſque gravem facile revelant.

Phyſicæ Cauſæ ſigna.

18. Non tamen ita contingit, cum vitiata ſpirituum diatheſis dementiam foveat; duplici enim vitio in hac linea depravari poſſunt, vel ab ingeſto acido, vel ab ingenita craſſitie, ut ſupra oſtendimus, ambo enim ad Mentis miniſterium æque exercendam, impares ſpiritus reddunt, & ideo utriuſque vitii ſigna innuere, eſt opus. Et primo inſenſi acidi ſigna in arterioſo fluido prædominantis, ex quo fonte Cerebri, Nervorumque tabes iſta dimanet, *in Tract. de Febr. cap. de intermit.* jam expoſuimus; ideo longam illorum ſyndromen ibi perlegendam dimittimus. Alterius vitii ſigna, nempe cum ſpiritus, craſſi, torpidi, minuſque volatiles ſint, ſequentia eſſe poſſunt. Primo ſenſus, motuſque ab hiſce ſpiritibus promoti ſegniter exercentur, plus, minuſve tamen pro torporis gradu, & conditione. Secundo profundo, diuque protracto ſomno indulgent iſti, vigiliis nimiis, laboribuſque contrarii. Tertio taciturni, ut plurimum, ſunt, & cum loquantur, vel inſipida verba effutiunt, vel ſi erudita lento conatu depromunt. Quarto ad alacres actiones inepti ſunt, audaces nunquam, iracundi raro, ſed ad odium proni, quod ſæpe abditum fovent, timidi enim ſunt, & facile in omni-

omnibus pavitant. Quinto Iſtorum pulſus tardi, & parvi, ſæpeque obſcuri inviſuntur; languida enim ſpirituum energia cordis motus ſegniter promovet; ſic pariter Mentis functiones laborioſo conatu aggrediuntur, torpidoque progreſſu, ac imperfecto ſæpe fine abſolvuntur; impares namque ſpiritus iſti nec recte percipere, nec rite judicare Menti permittunt, unde ratiocinii erroribus anſam præbent. Hæc ergo indicia ſpirituum torporem, & craſſitiem oſtendunt, quæ clariora eo ſunt, quo magis torpidum Enormonticum genus extat.

Cauſæ remotæ innuuntur. 19. Cauſæ demum remotæ, quæ Dementiæ ſtimulos non raro addere poſſunt, alteram adhuc indaginem poſtulant, in qua Veterum veſtigia relinquimus; cum ad varia viſcera inaniter exſcrutanda perducant, Lienem nimirum, Hepar, Uterum, & Præcordia culpando; quia in hiſce dementiæ radices latuiſſe crediderunt. Noſtro autem calculo, in hoc morbo phyſicè inſpecto, primo Chylum, deinde ſanguinem, demumque Cerebrum prophaſes cauſas eſſe poſſe ſancimus. Chylum apprime, improbe digeſtum, culpare convenit, qui cum craſſa illuvie ſordeſcat, vel acida labe redundet, ſanguinem invadendo inficere debet; ſicque vel craſſi ſpiritus ex impura maſſa gignuntur, vel acida lues per ipſum ad Cerebrum defertur; unde utrique cauſæ proprium fomitem tribuit. In Cerebro pariter corticales glandulæ, ſuccum nerveum ab arteriis haurientes, cum vel acida labe, vel craſſa illuvie fædatus ſit, nervis, quos alunt, dementiæ fomites tribuunt, ut ſupra dictum fuit. Cæteræ item non naturales res proprium hic ſtimulum addunt; & primo Aer noxius deliria iſta facile ſollicitat, in autumno enim, in quo aer præ cæteris temporibus inſenſus eſt, Dementes iſti vel delirare incipiunt, vel graviori inſania vexantur; ideo 3. *aph.* 22. ſancitur. *Autumno multi æſtivi morbi fiunt &c furores, & melancholiæ.* De Cibo, & Potu idem dicimus, quod de Chylo ſupra innuimus. Somnus item, & Vigilia, ſicuti Motus & Quies aliquod, ſed parvi momenti, ſtimulum deferunt, quos in ſequenti num. 23. iterum recenſemus. Excreta vero, & Retenta ſicuti vario movo hic ponderantur, ita præciſam reflexionem poſtulant; ex Menſtruis ergo, ac Hæmorrhoidibus retentis hanc inſaniam ortam fuiſſe plurimi cenſent, hoc tamen aſſertum diu inter litigia vagavit; vanam vero de vaporibus, ab infimis partibus ad cerebrum aſcendentibus, opinionem fuiſſe, apud ſaniores jam conſtat; cum ſolis arteriis cerebri clauſtrum penetrare, Natura dediſſet; nec nervorum conſenſus hæc ſatis explicat; ideo dementiæ hujus fomitem, conſueti fluxus manſionem, ſanguiniſque redundantiam eſſe poſſe, tutius arbitramur; hoc etiam experimenta ſuadent, inter quorum copiam non infimum illud Sennerti eſt; deſcribit ipſe mulierem, quæ nunquam menſtrua vidit, & ſana vixit, donec frequenti phlebotomia uſa fuerit; *qua demum omiſſa in dementiam incidit, ſed ſola venæ ſectione repetita, brevi perfectæ ſanitati reſtituta fuit. Pract. lib.* 1. *part.* 2. *c.* 13. ſola ergo phlebotomia & hanc, & ſimiles plurimas dementias curavit; hujus igitur culpa ſola ſanguinis redundantia eſſe debet. Animi demum Paſſiones, quantis, ad dementiam inducendam, viribus polleant, ſatis ſupra expoſuimus; & hic demum prolixæ Cauſarum indagini terminum ponimus.

20. Nunc Prognoſin audire intereſt; varia tamen, pro morbi hujus conditione illius oracula ſunt. Primo itaque tetrum Delirium periculoſius, quam jocoſum eſſe, 6. *aph.* 53. etiam docetur; ideo difficilius curari poſſe, obſervationes confirmant; ambo tamen nullam audiunt medelam, cum altas radices egerint, ac inveterata jam ſint, imo aliquando in Maniam terminaſſe, compertum eſt; item ſi ab acida lue ducta ſit, cum acidiorem gradum acquiſierit, (quod non raro contingit) Epilepſiam, aut Apoplexiam inducere, vel aliud nervoſi generis detrimentum producere ſaltem poteſt. Incurabilis etiam cenſetur hæreditaria Dementia, non ſemper tamen, cum hanc omnino curatam, non ſemel viderim. Incipientem vero, aut poſt acutos morbos emergentem non nimis arduè devinci poteſt; non raro pariter ſola Natura *Prognoſis.*

demen-

dementias curaſſe, Hippocrates docuit, 6. *aph.* 21. *In inſanientibus ſi varices, vel Hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ ſolutio*. Prope eſt, ut credam, quod medicatrix Natura, quadam inſtituta metaſtaſi, infenſum acidum intra varicis carcerem cohibeat, ne ultra dementiam foveat; ideo a cuſtodia ſolutam denuo inſaniam reducat, ut obſervationes loquuntur. In hac linea rarum caſum *Rodericus a Fonſeca* in hoc aphoriſmo deſcribit. Ruſticus quidam ulcus habebat in coxa, ſupra quod ingens varix erat; ut ulcus ſanaretur, factum eſt cauterium ad genu alterum, ut eo materia verteretur. *Poſt tres dies in famem caninam incidit, inde in febrem acutam, poſtquam inſania correptus, mortuus eſt quatuordecim dierum ſpatio*. Hinc opinari tuto potes, quod acida lues a varicis congrumato ſanguine deducta primo famem caninam, poſtea febrem, & inde inſaniam, demumque mortem progenuiſſet. Aphoriſmus ergo iſte Medentibus prognoſticum, ſimulque curationis regulam præbere poteſt, ad quam tandem deſcendimus.

Curatio Diætetica

21. Curationis limina denique tangimus, quarum jura præ primis Diæta tenet; hujus ergo conſilia, ſine quibus inaniter ſæpe therapeja inſtituitur, audire primo convenit. Diæta igitur in hoc affectu, cum deviatam Mentem curare nequeat, depravatam ſaltem ſpirituum, ac ſanguinis diatheſin propriis legibus ſubdere poteſt; ideo conſuetum ſex rerum non naturalium uſum moderari ſic jubet. Aer primo cænoſis vaporibus infectum, aut auſtrali humiditate gravem, omni ſtudio vitare oportet; ſpiritus enim debili elaterio præditos, minuſque volatiles in his aeris conſtitutionibus magis langueſcere coguntur; cauſam reddit Sanctorius *ſtatic. ſect.* 2. *aph.* 8. *In cænoſo aere prohibetur perſpiratio, meatus implentur, ſed non denſantur, fibræ laxantur, non roborantur, & pondus perſpirabilis retenti lædit, & ſentitur*. Impurus enim, & craſſus aer ſpirituum torporem nutrit, illorumque elaterem, & volatilitatem enervat; ideo fibræ laxantur, non roborantur, corporiſque pondus, & laſſitudo ſentitur. Sic nimis frigidus, nondum nervis infenſus eſt, ut docuit Hippocrates, ſed ſpiritus jam torpeſcentes ad languidiorem ſegnitiem inducit; ideo prælaudatus Sanctorius *ſect.* 2. *aph.* 1. *Aer frigidus corpora debilia refrigerat, eaque vincendo calorem, ponderoſiora efficit*, quod perſpicuum langueſcentium ſpirituum indicium eſſe ſolet. Contra vero Aer purus, temperatus, & nitidus ſpiritus recreat, & ad alacres expanſiones invitat. Impurum ergo aerem, humidumque nimis evitare, & ad regiones puriores confugere, vel ſaltem appropriatis ſuffumigiis &c. corrigere intereſt; frigidum vero Laris ardentibus temperare, corpuſque debitis veſtibus tectum cuſtodire convenit.

Cibi Potuſque norma.

22. Cibus pariter, & Potus aptam perfectæ digeſtioni materiam ſuggerant; ideo nec acida, nec craſſa lue cibaria polleant, ne illorum vitiis chylum, & ſanguinem inficiant; qualis enim chylus, talis & ſanguis, & qualis ſanguis, tales ſpiritus ſunt; quare viſcidos vel acidos cibos, quia dementiæ pabulum tribuunt, omni ſtudio vitare oportet. In hac ergo linea eſſe primo carnes bubulas, ſuillas, caprillas, cervinas, leporinas, ſimileſque cenſetur; inter pennates vero anſeres, fulicas, anates, cæteraſque in aquis nutritas; piſces maris pariter, maxime armatos, vel ſine ſquammis, ut peſſimas anguillas, quarum viſcida lues digeſtionum fermenta deludit; vitanda item ſunt ex triticea farina condita cibaria, ut lagana, artocreæ, cæteraque omnia ex eadem maſſa confecta; item lacticinia, maxime quæ caſeoſam craſſitiem in ſtomacho deponunt; legumina ſimiliter, ſicuti & fructus horrei omnes; vinum denique licet omnino denegandum haud ſit, tenue tamen ſemper, & avara manu, cum fomes in ſanguine ſit, exhibendum erit, memores quod ſæpius inſaniam gignere ſoleat, ut etiam ex Hippocrate 7. *aph.* 7. notum eſt; ideo cum vinum permitti debeat, nec auſterum, nec dulce, quod veneficum acidum occultat, neque in argilloſa terra genitum, cum tenace viſcidum in digeſtionibus exerat concedatur. Cibandi denique modus Ægri conditionibus reſpondeat, moderationem vero

non

non excedat; epulæ namque, ſicut nimia parſimonia, nondum Dementibus, ſed & omnibus noxia ſunt, audi celebrem Staticum *ſect.* 3. *aph.* 11. *Stomachus plenus, & vacuus minuunt perſpirationem; plenus eam divertit per ciborum corruptelam, vacuus eam trahit, ut impleatur.* Nondum ergo ventriculi repletionem, ſed præcipue illius inanitionem; quæ ſæpe Dementibus familiaris eſt, vitare fas erit; ideo qui a cibo abhorrent, omni ſtudio verbis, & factis proleɫtandi, ſtimulandi, & cogendi ſunt, ut alimentum capiant; cum diu vacuus ſtomachus lethales ſyncopes advocare ſæpe ſoleat, ut non raro in praxi vidimus.

Somnus & Vigiliæ. 23. Somnus, & Vigiliæ pariter medium ſervent, ſomno potius indulgendo, cum Dementibus opportunum conferant auxilium; defatigatos enim ſpiritus ad quietem revocat, fixaque phantaſmata ab aſſidua imaginatione divertit; ideo quo magis deviata Mens delirat, eo plus confert ſomnus, & vigiliæ nocent; vigilando namque dementiæ ſpecies continuo recoluntur, & ſic magis fixantur, dormiendo contra ſenſim obliviſcuntur; *Atque omnes pariterque ſilent, pariterque quieſcunt.* Somnus ergo, cum aliter haberi nequeat, arte ſaltem conciliandus erit, ut infra docetur. *Motus, & Quies.* Motus vero & Quies alteram paginam volvunt, oppoſitaque lege diriguntur; quies enim ſedentaria, otiumque ſolitarium dementiam nutriunt; quia ſpiritus magis torpidos reddunt, ac in inſaniæ ſpectro immotam mentem defigunt. Motus econtra, ac exercitatio decens corporis impuritates expurgant, ſpiritus attenuant, & alacriores efficiunt, ut Sanctorii Statica docet *ſect.* 5. *aph.* 9. *Exercitio corpora leviora fiunt, omnes enim partes ab excrementis purgantur, ſpiritus tenuiores fiunt.* Motus ergo in hoc affectu quieti præferendus erit, qui tamen ad exercitia jucunda mentem divertat, ſpiritufque a torpore diſſolvat; hinc venationes valde juvaſſe, compertum eſt; magis vero regionis mutatio, & ad alienas terras peregrinatio, quæ animum a fixa imagine detrahunt.

Excreta, & Retenta. 24. Excreta etiam, & Retenta, ut debitum tributum ſolvant, omne opus impendere intereſt; cum ab hiſce depravatis dementiæ fontes perſæpe aperiantur. Retenta enim, quavis ex parte eliminanda, ſanguinis ſuperflua, illius motus primo minuunt, & inde illius molem inficiunt, unde morborum turba, & ſpeciatim Inſaniæ facile oriuntur; ideo Menſium, ac Hæmorrhoidum fluxus propriis temporibus liberos, ac liberales præſervare intereſt. Seminis item retentio, cum deceat, evitare oportet, multam enim vim ad dementiam in diſpoſitis corporibus inducendam, ſemen diu retentum contribuere, obſervationes teſtantur; ſic immodice effuſum nervoſum genus fatiſcere, ſpiritufque langueſcere tandem cogit. Perſpirationis denique opus, quod nimis ponderat, minuſque ponderatur a plurimis, congruis exercitiis coadjuvare convenit; quantum enim ad Enormonticam alacritatem promovendam, ac ſervandam libera perſpiratio conferat, corporis impuritates, ab ipſa præpedita retentæ, oſtendere poſſunt; cum ideo corporis pondus augeant, quia ſpiritus torpeſcere cogunt, quorum alacritas magna ex parte illius gravitatem minuat. Corporis pariter lubricitatem conſervare arte ſaltem curetur; excernenda enim recrementa, diu in inteſtinis retenta, caput nimis gravaſſe, tetraque phantaſmata ſuſcitaſſe, Practicorum obſervationes teſtantur.

25. Animi demum Paſſiones quam manum ad Inſaniam promovendam proferant, ſatis oſtendimus ſupra; ideo ab iiſdem productum jam morbum, ne ſemper foveri, magiſque creſcere, ac perennare contingat, omni ſtudio illarum perſiſtentiam devincere, ac inveteratam paſſionis ſpeciem validis diverticulis, ac oblectamentis ab animo diſtrahere oportet; aſſidua enim concitatæ paſſionis recogitatio ſeductum judicium confirmat, mentiſque deceptionem, & dementiam perennat. Hic itaque intereſt, contraria contrariis curare; contra Amorem odium ſuſcitare, & contra iram timorem artis munus erit; at Pavor, Mærorque, qui ſæpe cæteris durius animum premunt, omneque mentis lumen extinguunt, difficilius etiam devincuntur; fatuus enim *Animi paſſiones.*

enim timor ea, quæ certo non ſunt, ut certa eſſe expaveſcit, quod malum pavidis animis, etiam non dementibus, contingere ſolet, ut *Ovidius ad Laodam*.

Nos ſumus incertæ; nos anxius omnia cogit,
Quæ poſſunt fieri, facta putare, timor.

Pavor iſte pavidis innatus altas adeo radices in Dementis animo figit, ut difficillime ſæpius evelli poſſit; omni ideo conatu uti oportet, ne magis ſemper timida imago firmetur, quod ſæpe aſſequimur, cum ad alacres actiones Patientem incitemus, ſed de hiſce auxiliis in Curatione ſermo erit.

Cauſarum diſcretio. 26. Ad pertinacem morbum ultimo expugnandum accedimus; remediis vero ex pharmacia, & chirurgia non deſumendis, nec ſemper quidem, nec iiſdem tantum, neque eadem methodo uti debemus; cum differentes Inſaniæ Cauſæ diverſas, propriaſque expetant curationes. Novimus enim primo ex metaphyſica indagine, quod Mens ipſa tantum, abſque ulla corporis labe delirare ſæpe poſſit; ideo non expetita pharmaciæ remedia inſonti, ſanoque corpori applicare velle, Medentis magis, quam Patientis dementiam eſſe, cenſemus. Quamobrem in hac linea primum curativa Methodus Mentem ſolum reſpicere, illique proſpicere debet, ut propriam morbi cauſam, non aliam immerito culpatam, expugnare Medens nitatur. Mentem ergo inſanam, non niſi a ſana mente curatur; quare nec pharmaciam, nec chirurgiam (niſi cum judicii deceptio deceptione altera hiſce mediis eludi ſimul, ac ad rectum revocari debeat) ad hoc opus intrudere intereſt; cum pharmaca quælibet, phlebotomique omnes Mentis tribunal directe attingere nequeant; propria ergo medela eſt, everſam mentem ad rectum judicium convertere, cui directæ indicationi pro varia Protei hujus forma, vario etiam remedio ſatiſfacere oportet.

Mentis deviatæ Curatio.

Curatio prima. 27. Primo itaque cum ſeductum Mentis judicium impropria ſibi appropriare deprehendatur, corpus vero integra valetudine frui, apertis ſignis noſcatur, non herbis, ut dicitur, ſed verbis, non pharmacis, ſed rationibus falſam mentis perceptionem, deceptumque judicium ſuaviter, ſed efficaciter primo exponere, effectibuſque demonſtrare, ac veris contrapoſitis ſeductam mentem a deceptione redimere oportet; hæc vero a valde grato, fideliſque exiſtimato Dementis ſocio ſuaderi debent, ut facilius recipiantur; hac inquam medela nonnullos, in hac linea non inveteratos dementes integre curatos, jam vidimus. Cum vero inaniter ſuaſionis labor impendatur, dimiſſis verbis ad opera deſcendere oportet, Dementem vel ſequendo, vel ipſi refragando; ſic enim indomitum morbum domare, ſæpe contigit, ut inventa plurima, fauſto eventu tentata, ſatis oſtendunt. Dementiam ergo ſectando, qui ranas ex. gr. in corpore detinere aſſerebant, dato purgante, ac in ſcaphio ranas occultè poſitas, Patientibuſque poſt evacuationem oſtenſas, a mentis morbo redempti evaſerunt, innumeri conſimiles caſus in Practicorum actis perleguntur, ad quorum exempla ſimiles medicationes inſtitui poſſunt. E-contra vero cum Dementibus adverſari oporteat, Inſaniæ contrarium invenire, & ad opus applicare intereſt, ſed exempla medicationem facilitant. Regulares nonnulli Laicum de vitro factum ſe dicentem, qui primo Medentes plurimos inaniter defatigaverat, manibus, pedibuſque ita percuſſerunt, ut ejus corpus undique lividum, ac humi proſtratum relinquerent; quo facto Conventus Primas gementem improperavit: *Vide nunc ſi ex vitro, vel ex carne factus ſis.* Demens vero, qui tot pharmaca diu deluſerat, pugnis, & calcitratibus convaluit. Exemplum alterum ſub celebri Malpighio a nobis Bononiæ inſpectum, non reticemus. Divitis mercatoris Filius dementia captus, Papam ſe eſſe aſſerebat, ad quem vocatus Malpighius Dementem pluries inviſit, ac de corporis valetudine certior factus, ut mentis deliquium corrigeret, conſilium dedit; quod prædilectus Patientis ſocius, quem Cardinalem creaverat, Dementem inviſendo, lugens aſſereret, ambos a Pontifice Romano pœna capitis damnatos eſſe, quo facto altera die de ſero fictos

ſatel-

ſatellites pro amborum captura domum invaderent, amboſque ſimul devinctos ad effictum carcerem ducerent; ubi ſocius acriter Dementem culparet, quod ſui cauſa ad mortem duceretur, illumque redargueret, ac imprecaretur. Sic Malpighius, & hæc omnia Pater, ſociuſque fecere, ſicque Dementis inſania concitato mortis terrore, ſenſim evanuit. Hæcce igitur propriæ conſimilis Dementiæ medicationes ſunt, quas vulgaribus Medicis, qui cuilibet Inſano helleborata præſcribunt, perſpicuas eſſe cupimus;

Ut æque diſcant ſcitari, & quærere cauſas. Juven.

At cum Mentis morbus, ob inductos errores, producto aliquo corpus inquinaverit, tunc appropriatis pharmacis etiam uti, æquum erit; cum quid cauſæ petent, Periti noſcere debeant.

Moralis animi commoti Curatio. 28. Non ſic tamen allevantur ſemper a Paſſionibus inducta deliria; ſæpe namque corpori integrè ſano animi motus contingunt, qui ſola ſpirituum ataxia in motu, non in diatheſi, vitiata Mentis judicium evertere ſolent; ſæpiuſque adhuc non niſi ex impuro ſanguine paſſiones excitantur; ut ex. gr. cum nimia bile redundet, ad iraſcibiles impetus pronus eſt; bilis enim ſulphur accenſum, ſpiritus ad exploſiones impellit, conſimili pene modo, quo Poeta cecinit. *Admotas rapiunt viva jam ſulphura flammas.* Contra vero cum Acidæ ſanguinis moleculæ ſulphureas obruant, ad mœſtas, pavidaſque paſſiones Animus propendet; ideo deliria iſta primas in ſanguine radices defigunt. Prioris ergo generis inſaniæ abſque pharmacorum ope, ſed propria ſpiritalis ataxiæ compeſcentia ſæpe curantur. Hæc ergo nunc, altera in ſequentibus. Ex meris ergo Paſſionibus ortæ Dementiæ vario Marte vincuntur; & primo quæ ab inſano Amore originem ducunt, a ſuſcitato contrario ſæpe devictæ fuere; hoc tamen opus hic eſt, ut Odium proſternat Amorem, ſicque in animo commutati affectus, ac in mente variatæ ſpecies Dementiæ fomites primo ſubripiunt; hoc ſemel nobis non arduè contigiſſe memini; cum Dementem ab amico ſuaderi juſſiſſem, quod Amaſia venenum paraverat, ac Rivalis ſicarium, ut ipſum interimerent, ſicque ſenſim ſuaſus Demens, ad mentem rediit. Timoris vero paſſio difficiliores dementias nutrire ſolet, maxime cum pavidas naturas invadat, quod ut plurimum evenit; hujus tamen tutius remedium eſt, ad hilares, alacreſque niſus Dementem concitare, & facilius intentum aſſequimur, cum timoris ideam ſecundamus, ex. gr. qui ſatellitum capturam, aut mortis ſententiam imminentem pavitant, vel venena a domeſticis, ſimiliave formidant, una cum ſocios ſibi gratos, currum, vel equum aſcendere cogatur, & ſub fugæ titulo, ad terras varias hilari ſemper peregrinatione ducatur, donec tetrum phantaſma evanuerit; hoc auxilio nobilem dementem redemptum vidimus. Similia remedia plurima in hoc genere inventa apud probe Practicos perleguntur, quæ in caſu, & cauſa rectam medendi normam præbere poſſunt; quamobrem hoc penſum, niſi alia petant, pharmacis tribuere, nefas eſt.

29. Alterum vero Dementiæ genus, quod a ſanguinis culpa dimanat, illius ſordes depurare indicat; ideo potiſſima curationis intentio erit, Inſaniæ radices a ſanguine primo evellere, ut auxiliis cæteris tandem morbus areſcat. Hæc autem medela pro diſpari fomite, etiam variabilis eſt; ideo cum vaſta hæc delirandi propago infinitos pene palmites oſtentare ſoleat, ad duo ſaltem capita omnes conſtringimus, quæ & duo depravati ſanguinis genera, & utriuſque Concupiſcibilis, ac Iraſcibilis paſſiones comprehendunt. Primum itaque ſanguinis vitium eſt, cum ſulphureæ illius moleculæ plus æquo redundent, & ſic Enormonticos niſus concitent. Hinc paſſiones illæ, quæ nimium fluida commovent, facile inſurgunt; cum ſulphureæ particulæ plus æquo exaltatæ ad rapidiores motus ſanguinem impellant, ut *in Tract. de Febr.* expoſuimus; hæc vero ſulphurum violentia eo magis effrænis evadit, quo minus Acidi ſales (quibus ſaturata ſulphura frænantur) in ſanguine gliſcant; unde ſine obice indomito pene incendio exardeſcunt; ex hoc ergo fonte Ira excandeſcens, Amor flagrans, Audacia præceps, ſimileſque furentes Animi mo- *Phyſica Curatio altera.*

motus dimanant; quorum denique ſcatebram exhaurire, niſuſque compeſcere, ſequens, vel ſimilis curativa methodus æque poterit.

Curatio Univerſalis. 30. Primo itaque an hic phlebotomia conveniat, multi multa loquuntur, quæ hic recolere, diſſidia miſcere eſt, nullumque fructum lucrari; ideo rectius cum Sanioribus ſentimus; quod hic proprie univerſalis regula militat; nimirum venæ ſectionem tunc opportunam fore, cum ſanguinis vel plenitudo, vel turgentia imminutionem, aut compeſcentiam expetat; ideo cum exaltata ſanguinis ſulphura imminentem illius turgentiam minitentur, tunc phlebotomiam primo celebrare ſatagimus, quæ ſi unica vice præſcribi debeat, uncias decem nunquam in hoc caſu, & cauſa, excedere jubeo. Cum autem Patientis deſtitutæ vires phlebotomiam renuant, uti non conferentem dimittere intereſt; nec quæ de hæmorrhoidibus aperiendis jactitantur, hic locum habere dignoſcimus, cum hoc auxilium & parum conferens, & minus commodum in Dementibus eſſe queat. Celebrata ergo, vel dimiſſa venæ ſectione, inquirere adhuc oportet, an Vomitio (quam in hoc affectu Practici tanti faciunt) tentare conferat? Hoc remedium per ſe proprie Ventriculi culpæ ſuadebunt, quæ a recta diagnoſi indigitantur; cum ergo expeti dignoſcatur, ſine Croco metallorum nunquam præſcribimus, ideo vel *Tartar. emetic.* vel *Syrup. aut Oxyſachar. vomit.* cum appropriatis vehiculis propinamus; poſt Emeticum vero, cum exigatur, paregorico aliquo uti convenit, ne ſtomachi tonum relaxetur. Hiſce demum peractis, ut univerſalia abſolvantur, cum recrementorum ſordes inteſtina occupare videantur, lenienti aliquo, ex Rhabarbaro compoſito, expiare convenit. Patientis demum in his, cæteriſque remediis ſumendis renitentiam omni ſtudio devincere intereſt, ut ſalutis metam attingamus; quod opus, & labor Medentis, & Aſſidentium ſagacitati relinquitur.

Particularis Curatio. 31. Poſt Univerſalia illico ad particularem Curationem, quæ ſulphureas particulas in ſanguine prædominantes ſubigat, & ad æquam mixtionem reducat, deſcendere convenit, in quo caſu ſequentia opportuna eſſe, pluries comperti ſumus, videlicet.

℞. *Nitri Stybiat. optim. ſcrup. ij.*
Tartar. Vitriolat. ſcrup. j.
Magiſter. Corallor. ſcrup. j. ſem.
M. f. Pulv. pro duab. Doſib.
Vel cum Syrup. de Agred. Citr. q. s.
M. f. boli duo, vel plures pro duab. Doſ.

Hæc mane, & ſero duabus horis ante cibum, cum Juſculo Acetoſæ, & Endiviæ alterato, præſcribatur. In Vere autem, dum prohibentia non renuant, Vegetabilium Succis uti, proprium erit, in qua cauſa ſequentes opportuni ſunt.

℞. *Succ. depurat. Acetoſæ, Endiv. aa. unc. ij.*
Spirit. Nitri dulcific. gut. xij.
M. & cum Juſcul. ſupradat. mane ſumatur.

De ſero autem ſupradictæ Mixturæ doſin unam in juſculo pulli, vel cum conſerva roſarum q. s. ex bolo ſumere, ac in eorundem uſu diebus xx. circiter continuare debet, interpoſito etiam, cum exigatur, lenienti aliquo, ut alvus obedientiam ſervet. Abſolutis demum hiſce Catharticum appropriatum exhibeatur: ex. gr.

℞. *Syrup. de Pomis Reg. Sabor. unc. iv.*
Extract. Ellebor. nigr. ſcrup. ſem.
Rhabarb. ſcrup. j.
Sacchar. Citrat. Drach. j.
M. f. Pot. pro Doſi.

Si vero Pilulæ magis conferre poſſe videantur, cum maxime per epicraſin purgandum ſit, noſtris, in appendice datis, vel ſequentibus uti poteſt.

℞. *Pil. de Succin. Craton. Drach. j. ſem.*
Extract. Ellebor. nigr. ſcrup. ij.
Tartar. Vitriolat. Drach. ſem.
Ol. Aniſi deſtillat. gut. iij.
Syrup. Viol. q. s. f. Pilul.
Pro tribus Doſibus.

Hæ vero intra dies novem ſumantur, tribus item inter utramque doſin vacuis diebus ſequenti mixtura quatuor horis ante prandium in brodio pulli uti debet, videlicet.

℞. *Cinnabar. nativ. lotæ Drach. j. ſem.*
Magiſter. Succini
Cran. human. aa. Drach. j.
M. f. Pulv. pro vj. Doſ. ut ſupra ſum.

ſed

ſed pro præſenti genere hæc ſatis ſint; cum reliqua hic exigita, infra expoſita inveniri poſſint.

Altera morbi ſpecies. 32. Alterum in hac linea morbi genus, ab Acida ſanguinis labe ductum, triſtis, pavidiſve motibus, ac deliriis anſam præbens, ſicuti doloſo greſſu procedere, ita pertinacius Curationi reſiſtere ſolet; ſenſim enim radices ſuas adeo fortes in ſanguine defigit, ut nec Patiens, nec Familiares morbum detegant, donec firmata Delirii fundamenta, claris effectibus Dementiam pandant; ſæpius enim pavidæ naturæ imponitur, quod tacito greſſu in mente deviata molitur, ſicque firma radice morbus creſcit, & difficilius curatur. Hæc ergo Dementiæ ſpecies, cum ab Acida lue in ſanguine luxuriante producatur, ac altero ſubſequenti phyſico generi conformis ſit, æqualem, imo eandem curationem expetit; quia idem fomes, acida nempe labes, utraſque dementias nutrit; ideo ne crambem bis coctam apponamus, unicam utrique communem medelam nunc exponere aggredimur.

Acidi gradus exponitur. 33. Ad Acidum ergo infenſum, potiſſimum Dementiæ promotorem, pleno Recentiorum ore improperatum accedimus; nos pariter, ut in phyſica indagine explicavimus, veram quidem, non tamen unicam morbi hujus culpam eſſe cenſemus; at non ideo in eodem Williſii currimus ſtadio. Acidum enim in hiſce deliriis hypnoticorum minus infenſum eſſe, tutius dignovimus, cum ſpirituum torporem duntaxat, non autem fixationem inducat, ac multo minus quod ipſos vere acidos reddat; quam inverſionem animales ſpiritus pati, ſimulque ſenſus, motuſque munia exercere, impoſſibile cenſemus; cum ad dicta peragenda non acidos, ſed alkalinos ſpiritus Natura elegiſſet, ut ſupra oſtendimus. Acidum ergo in hoc affectu Enormonticam vim, ita cohibet, ut ad liberas expanſiones inepta evadat, torpidaque ſegnitie Mentis miniſterium exerceat. Hic ergo hoſtis in ſanguine primo exaltatus, cum ipſo per arterias cerebrum petens, animales ſpiritus inibi invadit, & ut Acidum vini ſæpe ſolet, ita illos afficit, & inficit, ut pene ſopitos, ac vere torpidos reddat; quamobrem ſic fœdati, non ad objecta recte percipienda, ſed ad tetra inſomnia fingenda, deluſam Mentem inducunt. In hac itaque urgentia recta Curatio erit, infenſum acidum intra ſanguinis clauſtra exaltatum, antacidis ſubigere, ac demum eliminare, ut Enormontica energia ab hoſte redempta, libero niſu Animæ muniis inſerviat; quam intentionem ſequentibus aſſequi poterit.

34. Præmiſſis ergo univerſalibus, quarum methodus hic quoque opportuna, ſupra expoſita fuit, ac pro morbi conditionibus aptari poteſt, peculiarem hoſtilis Acidi expugnationem ſic aggredimur. Primo itaque Mixtura ſequens præſcribatur. *Acidi infenſi remedia.*

℞. *Aq. Borag. Meliſſ. aa. unc. ij.*
Cord. Saxon. frigid. unc. j.
Tinctur. Martis cum ſucc. pomor. extrat. Drach. ij.
Ebor. pp. Corall. pp. aa. Dr. ſem.
Confect. Alcherm. complet. ſcrup. ij.
Spirit. Roſar. ambrat. gut. ij.
M. pro Doſ. mane 4. horis ante cibum ſumend.

Prandium vero frugale ſit, & cum brodio pulli, pulloque elixo abſolvatur; de ſero autem cæna brevis ſit, cubitumque iturus ſequent. Opiat. ſumat.

℞. *Conſerv. flor. Anthos unc. j.*
Tinct. Mart. ſuprad. Drach. j.
Ebor. pp. Corall. pp. aa. ſcrup. j.
M. f. Opiat. pro una Doſ.

In hiſce abſorbentibus per dies xv. inſiſtere convenit, & a purganti abſtinendum, aliquo ad ſummum Clyſmate contenti, & abſolutis hiſce, ſequenti vel alio appropriato uti convenit.

℞. *Extract. Panchimag. Croll. Drach. ſem.*
Rhabar. ſcrup. ij.
Cum Conſerv. Roſ. ſolut. q. s. f. boli pro Doſ.

Poſt horam bibat Aqu. Nocer. vel Seri Caprill. depurat. lib. j. ſem. Purgantia plurima pro gratificatione, vel conferentia in Appendice ſeligi poſſunt.

35. Vernali vero tempore vegetabilium ſuccis utimur. ex. gr. *Remedia in Vere.*

℞. *Succ. Fumar. Meliſſ. aa. unc. ij.*
Spirit. volatil. ſal. dulc. gut. viij.
M. in brod. pulli flor. Hyperic. alterato, ac horis 4. ante cibum ſumat; de ſero

autem ſequentes rotulæ cubitum ituro utiles erunt.

℞. *Tartar. Martial. Drach. iij.*
Magiſt. Eboris Drach. ij.
Zacchar. Citr. q. s. f. Rotul. Dr. j. pro Doſ.

In horum ergo uſu diebus xv. continuare oportet, ut hypochondriorum labes, quæ chylum primo inficiunt, corrigere aſſequatur.

Seri Uſus. 36. Una, vel altera Methodo abſoluta, ad Seri uſum accedere intereſt, cujus vires in hac urgentia celebres ſunt; acidos enim ſales in ſanguine rebelles aſſiduo uſu corrigit, & ad æquam moderationem reducit. Hoc ergo auxilium, cum toleretur, per menſem ſaltem præſcribi debet, & ut efficacius ſit, Tinctura ſequenti commiſceri poteſt, videlicet.

℞. *Seri Caprill. colat. lib. j.*
Tinctur. Flor. Hyperic. Drach. j.

M. & propina pro Doſi, quæ ſenſim ad lib. ij. creſcere debet. Item quotidie ſeſquihoram ante cænunculam, bolum ſequentem ſumat.

℞. *Eſſent. Fumar. Drach. ſem.*
Confect. Alcherm. ſcrup. j.
Spirit. Roſar. ambrat. gut. ij. M. f. Bolus.

Dum Sero utimur, a purgantibus abſtinemus; maxime ſi per urinam vergere, ac per hanc viam ſordes eliminare, Natura innuat; tunc illam diſtrahere nefas eſſet, fas vero coadjuvare, quod aſſequitur, *ſi ſpirit. volat. ſal. dulc. ad gut.* aliquot cum Sero permiſceatur. Obſervationibus enim conſtat, quod urinæ ſaturatæ copia Dementiæ terminum impoſuiſſet; ideo hunc motum Catharticis divertere, Periti non audent. Cum autem poſt dies circiter xv. urina tenuis, & pauca videatur, nec aperta diaphoreſis appareat, tunc omni octava die *cortic. Ellebor. nigr. optim. præparati ad Drach. ij.* in Sero propinando per noctem infundi poterit, colatamque aſſumere, ſicque ultima Seri potio præſcribi poteſt.

Cerebrum roborantia. 37. Expiato demum ſanguine, Cerebri urgentias haud negligere intereſt, ut infenſi acidi reliquiæ omnino deleantur, ſicque libera Spirituum expanſio promoveatur, ac integre Mentis miniſterium reſtauretur; hunc ergo ſcopum ſequens, per dies xv. continuata, methodus conſequi poteſt.

℞. *Aqu. Anagallid. compoſit. unc. ij.*
Apoplectic. Ludovic. unc. j.
Confect. Alcherm. Drach. ſem.
Spirit. Lilior. convall.
Ceraſ. nigr. aa. gut. vj.
Ambr. gryſeæ gr. ij.
M. pro una Doſi

Quam horis 4. ante prandium ſumere, ac alteram duabus horis ante brevem cœnam reſumere debet, cubitum vero iturus ſequentem opiatam.

℞. *Conſerv. lilior. Convall.*
Flor. Hyperic. aa. lib. ſem.
Eſſent. Croci orient. gut. xxx.
Spirit. Ceraſ. nigr. gut. xx.
Ol. deſtill. Majoran. gut. x.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. j.

Hiſce demum remediis conferens Diæta reſpondeat, quam non reſpuat Patiens, cum mentis ſalutem expetat.

38. Altera item Dementiæ cauſa, innata nempe Craſſa ſpirituum diatheſis, propriam Curationem adhuc petit; hæc vero quanto facilius noſcitur, tanto difficilius devincitur, cum innatam conſtitutionem immutare, non Medentis, ſed Creatoris opus ſit. Hos igitur prognoſtico relinquere, melius eſſe videtur, quam artis opera perdere; verum quia impium eſt, Ægros abſque auxilio dimittere, ideo aliquo, morbum ſaltem minuente, remedio ſublevandi ſunt; ne ergo in deterius prolabantur, plurimumque alleventur, ſequentia conferre poſſunt. Et primo præmiſſis Univerſalibus, quæ nondum primas vias, ſed & ſanguinis molem repurgent, ad appropriata deſcendere, tandem oportet; ideo per menſem mane, & ſero duabus horis ante cibum ſequenti mixtura utatur. *Craſſi ſpiritus Curatio.*

℞. *Aq. Anagallid. compoſit. nræ unc. iv.*
Magnanimit. optim. unc. j.
Antimon. diaphor. C. C. philoſ. aa. Drach. j.
Confect. Alcherm. complet. Dr. j. ſem.
Spirit. volatil. Sal. dulc. gut. xv.
M. pro duab. Doſ. mane, & ſero ſumend.

Cubitum vero iturus ſequentes Rotulas ore teneat, ſuccumque deglutiat.

℞. *Ol.*

℞. *Ol. deſtill. Majoran. Lavendul. aa. gut. xij.*
Spirit. Magnanimit. gut. xx.
Sacchar. in Aq. Peon. ſolut. unc. iv.
M. f. Rotul. ponder. Drach. j. pro Doſ.

Victus item ratio huic intentioni conferens ſit; attenuantia, non incraſſantia ſeligat; Vinum nec dulce, nec auſterum, ſed maturum bibat alacriter, quod in hoc caſu cor mœſtum lætificat.

Culpati Lienis Curatio. 39. Cauſas demum remotas, quas Plurimi tanti pendunt, brevi greſſu luſtrare adhuc ſupereſt. Primum ergo Lienem, pro dementiæ minera culpatum invenimus; hæc autem opinio ex lienis uſu deducta fuit; cujus munus eſt, acidum ſanguinis recrementum cribrare, & per ſpleneticum ramum in portam venam, & inde in hepar illud transferre, ut bilis ibi ſeparationi deſerviat; & ideo acidi promptuarium ſplen eſſe dicitur; quod vero Melancholiæ ſedes ſit, Priſcis relinquimus. Itaque cum ad Acidum exuberantem abſorbendum, ac eliminandum ſatis ſupra conſultum ſit, privatas Lienis culpas, ſi adſint, adhuc reſpicere convenit. Primo itaque in Curatione ſupra expoſita, loco opiatæ num. 34. cubitum iturus aſſumendæ, ſequens ſubſtituatur.

℞. *Calcis Nitri regenerat. Drach. iij.*
Tartar. Martial. Drach. ij.
Cinnamom. acerrim. Drach. j.
Ambr. gryſ. in Spirit. Cort. Citr. ſolut. gr. iij.
Conſerv. flor. Anthos unc. xv.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. j.

Calx Nitri regenerati fit, ſi Nitro cum carbonibus fixato, Spirit. Nitri rectificati ſenſim inſtilletur, donec ebullitio ceſſet, hinc Spiritu abſtracto, Calx Nitri regenerati in fundo remanet. Cum autem obſtructiones in Lienis regione conſpicuæ ſint, tunc & ſequentibus uti convenit; primo affecta pars *ol. Cappar. cum ol. deſtillat. Saſſafras permixto* illinatur, ſtatimque Emplaſtro de Meliloto, aut de Galbano, vel ſequens, quod efficax eſt, applicetur, videlicet.

℞. *Succor. Cicut. Ebul. Nicotian. aa. unc. ij.*
Olei Cappar. lib. ſem.
Coqu. ad ſuccor. conſumpt. Olei colat. adde
Styrac. Calamit. unc. j. ſem.
Ceræ flavæ q. ſ. ut f. Emplaſtr.

40. Alteram in femineo ſexu Dementiæ cauſam Uterum vitiatum eſſe cenſetur; Experimentis enim noſcitur, quod ſola menſium ſuppreſſio non raro Deliria excitavit, ut ſupra dictum fuit. Noſcimus item, quod Uterus, animalis fabricæ officina, non ſine ſpirituum copia dirigatur, qui per nervos ſexti paris, & aliunde in ipſum deſcendendo, illius Janitores, ac rectores ſemper adſunt; ideo cum ille infenſa labe ſordeſcat, tumultum inibi concitant, quam commotionem Cerebrum illicò, & ita ſentit, ut ipſam ſpirituum regiam ad acoſmiam evertat, ſicque non raro Mentis eclypſim inducat. Hujus ergo curatio interdum facilis, ſæpeque difficilis eſt. Facilis inquam cum ex ſola menſium manſione dementia oriatur; hiſce namque promotis, celeriter inſania cedit, ut ſupra num. 19. jam vidimus; difficilius vero curatur, cum acida lues altas in utero radices egerit; in hac enim ab auxiliis remota parte hunc munitum hoſtem eliminare, arduum eſt. Verum cum hæc curatio longe nimis a pomæriis noſtris nos duceret, alibi reſervamus; hic vero appropriata nonnulla innuere placet; & primo poſt univerſalia Pilulæ ſequentes utiles erunt. *Ex Utero dementiæ Curatio.*

℞. *Extract. Rhabarb. Drach. j. ſem.*
Reſin. Jalapp. Drach. ſem.
Caſtor. Myrrh. aa. ſcrup. j.
Confect. Alcherm. incompl. Dr. j.
Aloe in ſucco Matricar. nutrit. Drach. ij.
M. f. Pilul. pro tribus Doſ.

Pilulas iſtas de quarto in quartum repetere convenit, ac in triduo purgationis vacuo mixturam ſequentem mane, & ſero ſumere.

℞. *Aqu. Menth. Salviæ aa. unc. iij.*
Tinct. Mart. cum ſucc. pom. extr. unc. ſem.
Magiſt. Solub. Corall. Drach. ij.
Elixir. Vit. Paracelſ. gut. xv.
F. Mixtur. pro duab. Doſ.

41. Hypochondria pariter, cum pravis ſuccis depravata ſint, a Dementiæ culpa eximi nequeunt; altas enim in hiſce partibus non raro proprias radices ita figere ſolet, ut ad illas eruendas, *Ex Hypochondriis curatio.*

omnes

omnes Artis conatus impendi debeant. Potiſſima vero hujuſce origo vitioſum Acidum perſæpe eſt, quod in lymphaticis vaſculis hærens, chylum primo, & inde ſanguinem propria labe inquinat; unde affectiones emergunt, quas antea expoſuimus. Verum cum ad hanc cauſam eliminandam, ſatis ſupra curativas methodos jam dederimus; ideo & hic palinodiam canere vitamus. Externum tamen affectæ parti appropriatum auxilium addere, fas eſt; cum ergo in Abdomine circa Hypochondria rugitus, ac murmura, ſenſibileſque durities percipiantur, tunc poſt univerſalia, & dum appropriata curatio progreſſum facit, ſequens Emplaſtrum, internis auxiliis fœderatum, propriam opem conferre poterit.

℞. *Gum. Amoniac. in acet. ſolut. unc. ij.*
Succor. Beton. Abſinth. aa. unc. iij.
Coquat. lento igne, demum adde
Styrac. Calamit. Myrrh. aa. unc. j.
Ol. expreſs. Nuc. moſchat. Dr. vj.
Ceræ q. s. ut f. Emplaſtr. Hypoch. applic.

Hoc inquam recte uſum Hypochondriorum infarctus, doloreſque tollere ſæpe vidimus; ideo & in hoc caſu proficuum etiam fuiſſe, comperti ſumus; & hæc tandem in hoc morbo curando ſatis eſſe poſſunt.

APPENDIX.

Cum variæ corporum ægrotantium conſtitutiones, differenteſque morbi hujus gradus, & complicationes, cæteræque Ætatis, Sexus, Temporum, &c. circumſtantiæ ſupradatas in hoc affectu Curativas methodos in nonnullis variare poſtulent; ideo quæ adhuc apta remedia medelam hanc facilitare poſſe dignovimus, hìc pro appendice, ad Juniorum gratiam diſtribuere duximus; nec Peritis etiam, quorum memoriam interdum inopem remediorum copia facit, ingratum opus effeciſſe conſidero; cum hæc auxiliorum ſeries facile reminiſcentiam excitet, ut magis opportuna, magiſque pro indicatis proficua ſeligere decernat; conſideratio iſta ſingulis ſequentibus morbis propriam remediorum appendicem addere mihi ſuaſit, Senecæ monitu edocto: *Quod tibi bonum eſt, alteri facere ſtudeas*. Itaque a Purgantibus auſpicando, aptiora in caſu, & cauſis æque perſpectis, ſequentia eſſe poſſunt.

Syrup. de Epithim. Meſue
de Pomis Reg. Sabor.

Utrique ſi addas vel Extract. Ellebor. nigri ad Scrup. ſem. vel Magiſter. Lapid. Lazuli ad gr. vj. efficaciores erunt.

Item *Syrup. Elleborat. Clariſſim. Virorum*
Horſtii, Quercetan. Cnoffelii.
Pilulæ pariter purgantes Tartareæ dictæ
Quercetani, Bontii, Schroderi

Necnon & noſtras, quas ſemper proficuas comperti ſumus, videlicet

℞. *Aloes ſuccotr. Epithym. ſucco nutrit. un. ſem.*
Magiſter. Lapid. Lazul. ſcrup. ij.
Extract. Ellebor. nigr. Drach. j.
Confect. Alcherm. complet. Dr. ij.
Cum Syrup. de Epithym. q. s.
F. Pilul. parv. quarum Doſ. Dr. ſem.

In illorum deficientia ſequenti modo pro urgentia confecimus

℞. *Extract. Ellebor. nigr. gr. viij.*
Magiſt. Lapid. Lazul. gr. vj.
Confect. Alcherm. complet. Dr. j.
Ol. Aniſi deſtill. gut. ij.
M. f. boli parvi pro una Doſ.

Appropriata ſelectiora, & ad varios uſus hic proficua ſequentia ſunt, & primo ad Spiritus recreandos.

Syrup. D. Schilling. qui fit

℞. *Succ. Borag. Bugloſs. aa. lib. j. ſem.*
Pomor. redolent. lib. j.
Gran. Cherm. Drach. ij.
Spec. Diamargar. frigid. Dr. ſem.
Diambr. ſcrup. ij.
Sacchar. albiſs. lib. ij. M. f. Syrup.

Item Tinctur. noſtra Meliſſæ, quam ſic conficere jubeo.

℞. *Fol. Meliſs. Fumar. aa. manip. ij.*
Flor. Hyperic. Borag. aa. pugill. ij.
Spec. Diamoſc. dulc. Drach. ij. ſem.
Aqu. Meliſs. ſpirituoſ. q. s. ad extrahend. Tictur.
Expreſs. adde iterum omnia dicta per tres vices.
Demum Decant. Tinctur. Doſ. Drach. ij.

Item Cardiac. Cæleſte Batei, ſicuti & plura illius Pharmacop.

Cum

Cum vero ſoporem conciliare intentio ſit, ſequentia conferre poſſunt.

Extract. Gran. Quietis D. Cnoffel. quod fit

℞. *Extract. Opii Theb. Succo Citri parat. unc. ij.*
Extract. Hyoſciam. ſimil. modo par. Croci Orient. aa. unc. j.
M. diligent. & vaſe vitreo ſerva. Doſ. ad gr. iv.

Vel Mixtura ſequens noſtri uſus, videlicet.

℞. *Laudan. Cydoniat. Liquid. gut. x.*
Sulphur. Vitriol. narcotic. gr. iij.
Spirit. lilior. convall. gut. vj.
Conſerv. Roſ. rubr. q. s. ut f. bolus pro Doſ.

Validius auxilium ad hoc opus in ſequenti capite deſcribitur. Plurima demum remedia ad varios uſus hic opportuna ſequentia eſſe poſſunt, nempe

Spiritus Saturni ad gut. iv.
Spirit. Vitriol. Epilept. ad gut. v.
Spirit. Meliſſ. ver. ad gut. vj.
Spirit. Roſar. ambrat. ad gut. ij.
Spirit. Volat. ſal. dulc. ad ſcrup. ſem.
Eſſent. Mart. cum ſucc. pom. extract. ad ſcrup. j.
Eſſent. Anagall. terreſtr. ad ſcrup. ſem.
Eſſent. Flor. Hyperic. ad gr. xv.
Extract. Croc. orient. ad gr. iij.
Extract. Caryophyll. hort. ad ſcrup. j.
Tinctur. Corall. vera ad ſcrup. j.
Tinctur. Solis ad gut. v.
Tinctur. Gran. Cherm. ad gut. xv.
Tinctur. Confect. Alcherm. ad gut. x.
Magiſt. Solubil. Margarit. ad gr. xv.
Magiſt. ſolubil. Corall. ad ſcrup. j.
Olei Camphor. moſchat. ad gut. ij.
Olei Succin. rectific. ad gut. viij.
Elixit. Propriet. Paracel. ad gut. x.
Elixir Vitæ noſtrum ad gut. xij.
Flores Lunæ Burri ad gr. iv.
Bezoard. Lunare ad ſcrup. ſem.

Hæc tandem, plurimaque alia magis vulgaria, vel minus utilia in caſu, & cauſa petenti compoſitiones varias ſuggerere poſſunt, ſed hæc ſatis pro nunc, cum in ſequenti capite adhuc plura lineam hanc prolatare debeant.

CAP. II.

De Mania, Ejuſque Curatione.

1 Delirium præcedenti atrocius nunc ſe offert, cum illud pavidum ſæpius, hoc ſemper ferox invadat; ideo Græcis Mania, Latinis Inſania deſcribitur. Morbus mentem evertens, & corpus exagitans, cum nec ſuos ſæpe noſcat, nec ſibi ſæpius parcat Inſanus. Quamobrem nunc Cynantropiam, & nunc Lycanthropiam efferum hunc affectum græca ſedulitas nuncupavit; quia perſæpe ut Canes, Lupive Maniaci propinquos, ac ſeipſos mordere ducuntur. Atrox ergo morbus deſcribi poteſt, quod *ſit inſanus Mentis furor, internos, externoſque ſenſus depravans ab Enormontica excandeſcentia inductus*. Immanis hæc paſſio ſine febre conſpicitur, non vero ſine magna ſanguinis incaleſcentia, in qua radicitus germinat Inſaniæ hujus occaſio, ac ab illius turgenti maſſa morbus hic perennatur, qua ebulliente furor excandeſcit, quaque imminuta miteſcit, ut infra clarius videbitur. *Deſcribitur.*

2. Partes affectæ ex definito morbo innoteſcunt; Mens enim apprime delinquit, ut inſanum illius judicium, ac erronea ratiocinia ſatis oſtendunt; cum ab ipſa quidem prudentiam, vel Inſaniam, ſicuti ſapientiam, aut vecordiam procedere debere, affatim noſcatur. Mens ergo hic afficitur, quia Enormontico miniſterio fraudatur, ac ab internis, externiſque ſenſibus depravatis illuditur, cum aliud a recto diſſonum illius judicio pertinaciter ſiſtant. Hinc alteram partem affectam Enormon ferociter concitatum eſſe, dignoſcimus, cujus acoſmia internos, externoſque ſenſus prævaricare cogit, unde abſurde objecta Mentis intuitum, judiciumque decipiunt. Delictum hoc maximum animalibus ſpiritibus æque imponitur, cum ſenſuum errores improbus illorum niſus apprime inducat; ideo ipſi, ut potiſſima pars affecta communi ſententia damnantur. *Partes Affectæ.*

3. Differentias propriè dictas, nullas hic eſſe arbitramur, cum pene magis, *Differentiæ.*

gis, & minus una ab altera Mania, vario tantum idolo ducta, differre ſoleat, gradu nempe mitiori, vel intenſiori, diverſaque decepta imaginatione diſpares: Plures verò Inſaniæ ſpecies a *Platone in Phædro* expoſitæ, cum proprie morboſæ Maniæ non ſint, ut furor Poetarum, Vaticinantium impetus, aliique inibi erudite deſcripti furores, ſanæ Mentis Inſaniæ, conſtantiſque potius, quam everſi judicii exceſſus eſſe dignoſcuntur; ideo extra pomæria noſtra vagantur. Quomodo a conſimilibus deliriis Mania differat, exponere decet; & primo a melancholica Dementia diſtat, quia in iſta pavor potius, quam furor ſcenam agit, ac inſipida quadam veſania deluſa Mens deſipit; in Mania vero impavidus animus cum audacia, & furore debacchatur. Differt item a Febrium delirio, quia hujus genetrix febris eſt, quæ ita illud nutrit, ut ſine ipſa evaneſcat; Mania vero febrem nullam audit, quæ ſi ſemel, & fortiter invaderet, inſaniæ fomites aliquando diſſolveret. Denique ob cauſas fortuito invadentes differentiæ adhuc emergunt, Therapeiæ non inutiles; cum aliud petat a philtris conducta Inſania, aliud etiam a venenis, & aliud a morbis perperam curatis; quæ, inquam, prophaſes diſparem curationem repoſcunt.

Diagnoſis. 4. Diagnoſis demum intuentibus perſpicua eſt; cum Maniacum noſcere, ipſum videre, vel audire ſufficiat; iſtis enim proverbium aptari poteſt, *loquere ut te noſcam*; ſic pariter iſtorum aliquem inſpicere, & diſcernere idem eſt, cum horum figura ſæpius inſaniam exprimat; luridus enim, deſpectuſque aſpectus, frons rugoſa, & turbida, oculi torvi, furoremque ſpirantes, genæ turgentes, ac atro ſanguine tinctæ, os aridum, dentium ſtridore, voceque clamoſa reſonans, geſtus demum effrænes, ac feroces nil aliud ante oculos niſi Maniacum exponunt. Hoc idem oſtendit ingens iſtorum robur, quo funes, fores, ferreaque vincula frangunt; hoc item impenſi frigoris neglectus, paucuſque ad verbera ſenſus, minuſque ad abſurda peragenda reſpectus, furenteſque impetus æque comprobant; hoc tandem perpetuæ ſæpe vigiliæ, diuturnæ inediæ, vitæque, corporiſque deſpectus adhuc demonſtrant. Hæc vero Inſaniæ ſigna non omnia omnibus, nec ſemper æque conveniunt; cum ſolius extremæ Inſaniæ propria ſint, nec ſemper motus iſti ferocire videntur, quia Maniæ fervor interdum compeſcitur, & tunc quaſi cogitabundi tacito murmure ſilent, vel colloquia veſana blaterant, aut mœrore, aut laxatione depreſſi, propriis phantaſmatibus occupati, ſine ſtrepitu vel ambulant, vel decumbunt, qualibet revoluta idea ocyter ſurrecturi. Hæc ergo Maniacorum Ilias eſt; nunc ad illorum cauſas explorandas tutioribus experimentis ducimur.

5. Proprias Dementiæ origines *ante-ced. cap.* detectas hic adhuc reflectere, ac pro aliquo Inſaniæ fundamento aliquando ſupponere convenit; melancholica enim Deſipientia primum Maniæ lapidem ſæpe poſuit, cum Enormon ad delirandum diſpoſitum, ex fumo flammam, ex favilla incendium ſæpe ſuſcitaſſet. Cauſæ itaque omnes, quæ levem Dementiam inducunt, plus ſolito ſpiritus ad ataxiam concitando, Maniam tandem producunt. Verum hæc perſæpe, non ſemper tamen ita neceſſario contingit, ut alias adhuc origines Mania oſtendere nequeat; cum ob proprias etiam invadere ſæpe ſoleat. Noſcitur primo, Maniam immanem cauſam culpare, quæ humanitatis jura omnino ſubvertat. Sed in homine nulla vis extat Enormontica excandeſcentia ferocior; hanc ergo tantæ cladis originem apprime culpamus. Quid vero in hoc caſu, & in qua parte furentem concitet Enormon, illiuſque furores jugiter foveat, clare tunc videbitur, cum experimenta infra notanda, æque perſpecta habeantur. Quamobrem ut tuto greſſu hujus Nili ſcatebram detegamus, more noſtro prænotiones aliquas inſtituere duximus, quæ ad intimiora recte perſcrutanda, nos ducant. *Cauſarum indago.*

6. Primum ergo indaginis noſtræ lumen ab Hippocrate ſumimus, qui *lib. de flat. n.* 20. prudentiam, recto diametro inſaniæ oppoſitam, deſcribens, ita loquitur. *Opinor autem inter omnia, quæ in corpore ſunt, nihil magis ad pru-* *Spirituum vitia ex Sanguine.*

prudentiam conferre, quam ſanguinem; hic ergo quum in conſtanti habitu perſiſtit, conſiſtit & prudentia; ſanguine verò permutato, concidit ſimul & prudentia. Hæc ergo ex Coacis tripode primo intuitu valde arcana ſententia, abſque fideli experimentorum auxilio ex profundo veritatis puteo emergere nequit; ideo in ſequentibus illorum manum impendimus. Supponimus tamen primo, quod volatiles arterioſi ſanguinis particulæ ad cerebrum ductæ, per corticales illius glandulas una cum inſito ſucco ad nervorum oſcula mittantur, ſicque animalium ſpirituum titulo inveſtiuntur. In hoc ergo ab arteriis ad nervos tranſitu, pro præſenti ſcopo, duo ſaltem conſideranda occurrunt, particulæ nempe, quæ a ſanguine diſceſſerunt, & ſuccus ille nerveus dictus, ab iiſdem glandulis pro ſpirituum vehiculo contributus. Ut ergo a potiori auſpicemur; particulæ illæ ab arteriis ad cerebrum ductæ, cum ex ſanguine genitæ ſint, propriam illius diatheſin tenere debent; unde ſancitum fuit; *qualis ſanguis tales ſpiritus*; probus enim ſanguis optimos ſpiritus gignit, improbus verò propria lue illos inficit; ſic in quavis geneſi orta proles paterna labe ſignatur, ſicque *Fonte ex impuro ſordida ſcatet aqua*; ut ergo ſpirituum vitia dignoſcamus, Fontis luem, ex quo emanant, exquirere intereſt; proprium ergo Inſanorum Sanguinem recto ſcrutinio ſubdere nunc aggredimur.

Inſanorū Sanguis expenditur.

7. Potior in hac indagine inquiſitio experimentis innititur, quæ in obſcuris hiſce latebris tutum lumen promittunt. Primum ergo experimentum a Phlebotomia deſumimus; ſanguis enim detractus perſpicuas illius conditiones ſenſibus exhibet. In hac ergo linea quot hactenus perlegi, ac audivi Peritos, qui venæ ſectiones Maniacis opportunas celebrarunt, unanimi ſenſu fatentur omnes, emiſſum iſtorum ſanguinem, impenſo calore fervidum, craſſum, & atrum inveniſſe, quod & nobis in diuturna praxi ſimilem inſpicere ſemper contigit. Ex his ergo notis, tuto deducitur primo, quod Inſanorum ſanguis calore tam intenſo vitiatur, ut detractus in vitro effervеſcere videatur; diuque fervidus ita perſiſtat; ut poſt horam extravaſatum adhuc calentem invenerim. Hoc ergo poſito; explicatur primo; quare Maniaci, tali ſanguine præditi, frigus impenſum haud ſentiant, illiuſque moleſtiam nec audiant; cum illorum ſanguis ebulliens, omnes, (*cum Boreæ penetrabile frigus adurat*) hyemis rigores eludat. Secundo illius craſſities congeritur ita, ut prementi cultro reſiſtat; unde particulas forti elaterio præditas ipſum componere oſtendit, quarum volatiliores ad cerebrum ductæ, animales ſpiritus, ad impenſas exploſiones diſpoſiti, evadunt; & hinc alterum inſaniæ productum exponi poteſt, ſtupendum nempe iſtorum robur, cui ſæpe nec funes, nec ferrea vincula reſiſtere poſſunt; cum validum ſpirituum elaterium robur invincibile ipſis conferat. Tertio atrum ſanguinis colorem reflexiones ſuas petere noſcimus; ſed quia de fluidorum coloribus ambiguæ nunc opiniones nil certi (quod quærimus) afferant; & quia jam dicta indaginem noſtram ſatisfacere; ideo de illius colore nullam potius, quam inſulſam inquiſitionem tentavimus, Senecæ monitu ducti, qui docuit. *In ambiguis ſententiam formare, cum poſſit, bonum eſſe dijudico, cum vero non poſſit, reticere melius eſt, quam incertum pro certo firmare*.

Illius redundantia oſtenditur.

8. Alterum adhuc ſanguinis vitium illius redundantiam eſſe, experimentis etiam oſtendi poteſt, quorum præcipua ſunt Practicorum æque tentata phlebotomiæ pericula, quæ inquam ſerio docent, Maniacorum ſanguinem turgenti plenitudine peccare. Præ cæteris ergo apprime celebrem ſui temporis *Platerum* ſeligimus, qui candide refert, Maniacos innumeros a Chirurgis quibuſdam profuſis venæ ſectionibus, diutine repetitis, integro mentis uſui reſtitutos fuiſſe; quod & ipſe poſtea, illorum exemplo ductus plenas haſce ſanguinis effuſiones inſequendo, Inſanos plurimos integre ſanaſſe, teſtatur. Hoc idem experientiæ lumine ducti veteres ſaniores Practici poſt ipſum fælici eventu comperti ſunt. Hoc idem lumen Recentiores haud latuit, cum pene omnes (ſi Helmontianos excipias, qui Corinthum petunt, & pauci ap-

pellunt) peritiores Medentes repetitas in hoc morbo plebotomias præcipiunt ; quia iteratis venæ ſectionibus imminuta ſanguinis redundantia, vaſorum diametro illius æquilibrium reſtituit, ſicque præcipuum morbi fomitem extinguit. Experimenta ergo iſta facile ſuadent, quod potior inſaniæ cauſa nondum ex Quali, ut ſupra vidimus, ſed adhuc ex Quanto, imo apprime ex ipſa ſanguinis redundantia, quæ cætera illius vitia inducere ſolet, deduci debeat. Veruntamen ſanguinis plenitudo iſta, pluribus æque perpenſis, non in mera quantitate tantum, ſed in illius turgentia magis conſiſtere debet; ut ipſa Maniæ ſymptomata, nunc explicanda, clarè oſtendere poſſunt.

Sanguinis turgentia. 9. Enormonticam in ſanguine turbationem dignoſcere, & cum Inſaniæ ſymptomatis æque conferre aggredimur. Quid ergo Enormon in ſanguine ſit, ex procœmialibus expoſitis colligi poteſt; quomodo vero excandeſcens, ſanguinis turgentiam concitet, in Tractatu de Febribus declaratum eſt. Quod vero illius furor Maniæ phænomena inducat, nunc videre intereſt; noſcimus ergo quidem, quod Impetum facientis opus ſit, omnes in humana machina motus ciere; hic enim Animi paſſiones excitat, & ad concupitas metas perducit, cum autem effrænis evadat, ad ferocientes impetus cæco audaciæ ſtimulo conducit; hic corporis vires placido fluidorum nectare, placidiſque motibus nutrit, cum verò furens fiat, ita validas vires excitat, ut ad ſtupenda facinora illas impendat; hic in ſanguine gliſcens, vitalem calorem moderato motu perennat, cum turgeſcit poſtea, ita vitalem flammam accendit, ut quodlibet atrocius frigus eludat; hic tandem modum tenens Animæ imperio proſequitur, cum vero ad exceſſus præcipitet, humanum Animum in ferinum evertit, & ſolus ille eſt,

Vertere qui poteſt homines in mille figuras.

Cum ab hoc furente ſeducti, ad varia brutorum genia, geſtaque ferocia Inſanientes ducantur. Enormon ergo eſt, qui humanam machinam vel placida moderatione gubernat, vel ferocienti excandeſcentia ſubvertit; quieſcente enim illo, omnes corporis motus ſilent; illo autem impellente, & membra ad motus, & Mens ad ratiocinium excitantur; illo demum ferociente, univerſa machina cum ipſo ad furores concitatur; cum ſolus ille omnia corporis organa impleat, omnia Mentis miniſteria exerceat, omniaque vitæ jura, ſicuti moderatus tuetur, ita excandeſcens proſternat. Hæc demum, apud me perſpicua, qui negat, caute videat, ne inter has obſcuritates in pejus cadat.

10. Ex his ergo expenſis, quæſitum alterum facile deducitur, nempe quod ſuccus nerveus aliqua etiam labe infectus ſit; hic enim a tali ſanguine, tot vitiis deturpato dimanans, cum propria lue a cerebri glandulis ebibitur, inſitoque veneno tinctus, una cum temeratis ex geneſi ſpiritibus, ad nervorum oſcula transfertur, in quibus acri mordacitate infeſtus, ingenitam ſpirituum ferociam ad efferos impetus magis ſtimulat. Quod autem ſuccus iſte nerveus ab aliqua, in cerebri glandulis inſita, lue depravari poſſit, ut aliquorum opinio eſt, per me ſuperfluum effugium eſſe, arbitror; cum apertam morbi ſcatebram in turgenti ſanguine ineſſe, ex oſtenſis dignoſcamus. Innumeris quippe conſtat experimentis, quod minorata ſanguinis mole, ac ejuſdem turgentia ſopita, ſenſim inſania evaneſcat; quod non eſſet cum Maniæ radix in Cerebri glandulis deliteſceret. Quid ergo notius quærimus? & ad quid ultra ineptis conjecturis ducimur, ut in hoc morbo effictam Cerebri luem inaniter pavitemus? Non ergo ſolius nervei ſucci culpæ tot varias Maniacorum clades imponere, æquum erit; niſi tot experimentis firmatam morbi hujus Curationem denegare, Præoccupatus quiſque non vereatur. Standum itaque Peritis in arte, compertiſque fauſtis, rectæque rationi fæderatis experimentis æque fidendum eſſe cenſemus, potius quam ſubdolis conjecturis candidam Veritatem maculare. *Succi nervei vitium.*

11. Inſaniæ demum prophaſes plurimæ numerantur, quæ a ſex rebus non naturalibus dictis emergere ſolent; & primo ab Aeris æſtu nimio, dum ſcilicet Sirius ardet, *æſtivi morbi fiunt, furores* *Cauſæ remotæ.*

rores &c. 3. *aph.* 22. docemur ; Aeris enim ardores ſpirituum exploſiones provehunt , unde major in ſanguine turgentia creſcit , quæ vel Maniæ fores aperit , vel ipſius furores adauget. Caſum vidimus in Juvene , perdito amore vexato , qui ab Amaſia excluſus , diu triſtis degit , ac ſub Caniculæ ardoribus ita furioſus evaſit , ut ruptis vinculis , vitam in aquis demergeret . Cibus vero Potuſque maxime haud parvum in Mania calculum addunt ; Ebrietas primum vera Inſaniæ ſoror eſt, & Cato *nil aliud eſſe Ebrietatem, quàm inſaniam voluntariam* dicit , ut Plinius refert ; ſic in Obſervationibus extat , plures Bacco ſæpius litantes , Maniacos tandem evaſiſſe , vinum enim ſicuti ſobriis vitæ balſamum , ſic Ebriis mentis venenum eſſe , quotidie inſpicitur . Hoc idem pariter introſumpta plurima , deteriori virulentia prædita , ut Felis cerebrum, ſolani radix, Hyoſcyami ſemen , aliaque nondum nativa , ſed & artefacta mentis venena ſunt ; ſic & philtra , poculaque amatoria , de quibus vulgatum extat carmen :

Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Excreta , & Retenta nil minus Inſaniæ fomites ſuggerunt ; hæmorrhoidum enim , ac Menſium retentiones , ſanguinis molem augendo, Maniæ ſtratum parare ſolent ; veneficum ſimiliter ſemen retentum eſſe , obſervationes referunt ; præ aliis mirandam , ac nefandam Virginis hiſtoriam a *Dominico Leone cap. de Mania* deſcriptam , perlegere ſufficit . Animi demum Paſſiones quanta vi ad Inſaniam excitandam polleant , *in anteced. cap.* ſatis expoſuimus .

Prognoſis. 12. Prognoſis tandem vario lapillo ſignatur . Inſaniæ primo inveteratæ, ut incurabiles ad lethum uſque perſiſtunt, & ſi quando curationi parere videantur , vel ſtupidos Patientes relinquunt, vel qua data manu extemplo reſurgunt. Sic illæ quæ a philtris ex longo tempore ſumptis, inductæ fuere, difficillime vincuntur ; ſic etiam illæ quæ rabidam ferociam oſtentant , curationi reſiſtere ſolent . Contra vero quæ furore facile placabili ducuntur , non nimis arduo expugnantur ; reliquas item etſi pertinaces recte curatas , arma demum ceſſiſſe , ac ſine regreſſu deceſſiſſe , non ſemel vidimus . Proprio demum jure plures per ſe Natura curare aſſueſcit , ut Hippocrates, & experientia docent, cum ad exteras partes vel varices excitando, vel uterum, aut hæmorrhoides aperiendo , morbi fomitem eliminare ſtudeat ; plura demum ad hanc prognoſin ſpectantia *in anteced. cap.* jam expoſita perlegi poſſunt ; nunc ad Curationem accedimus .

13. Primum ergo medelæ greſſum Diæta ſiſtit , progreſſum vero Chirurgiæ , & Pharmaciæ relinquens ; hæc ergo nunc primas Curationis leges imponit , quibus recte ſervatis , facilius morbi pertinaces expugnari poſſunt; at hiſce neglectis , Medentium labores deperduntur . Potiſſimum itaque illius regimen Sex res , non naturales dictas , moderari jubet ; & primo Aeris exceſſus temperare docet, cum enim impenſe frigidum ſit , licet illius moleſtiam Maniaci ſæpe non ſentiant ; quia vero corporis peripheriam claudit , ſanguinis redundantia magis augetur , cum perſpiratio præpediatur , quod quanti ponderis malum ſit , *Sanctorii Statica* ſatis perpendit . Item Aer nimis æſtuans Maniam excitare facile poteſt , ut ſupra oſtendimus ; utroſque igitur Aeris exceſſus pro viribus moderari oportet, ac æſtivos ardores præcipue , qui cauſam nondum augent , ſed ad effectum inducunt; in hunc finem periti veteres, dum Sirius ardebat, frigida balnea Maniacis præſcribebant . Cibus, & Potus item , ne ſanguinis æſtum foveant , æqua moderatione dirigantur ; dulcia , acria , & aromatica cibaria, quæ flammæ fomitem addunt , vitare intereſt ; Vinum præcipue omnino arcendum eſt, merum enim oleum eſſe , quod ſanguinem flagrare adigit , Ebrii paſſim oſtendunt ; unde Athenei carmen , ex græco ſic redditum extat : *Inſanire facit ſanos quoque copia vini*. Motus pariter , & Vigiliæ excedentes moderari convenit ; Somnus vero , & Quies conciliare ; priores enim concitatos jam ſpiritus ad excandeſcentias impellunt , poſteriores vero illorum ataxiam compeſcunt . Excreta , & Retenta , Na- *Diæta.*

turæ tributa ne fraudent, omni ſtudio prævidere, ac providere oportet, plurimas namque Inſanias fraus iſta produxit; ideo & Menſtrua, & Hæmorrhoides, & Hæmorrhagias conſuetas apertis foribus liberas, ac liberales conſervare fas eſt, ne retenta ſanguinis redundantia in turgentiam tandem, Inſaniæ progenitricem, degeneret. Animi demum Paſſiones, ſummam moderationem hic expetunt, ut *in anteced. cap.* ſatis dictum eſt; at quia mens demens ſuaſiones non audit, quæ ſaltem in manu noſtra ſunt, haud negligantur; omnia ideo coram Maniacos ita componere eſt opus, ut ad timorem potius quam ad iracundiam illos ducat; timor enim ſanguinis ebullitionem compeſcere, ira vero magis excandeſcere cogit. Odioſa ergo omnia, quæ Furentem magis, quam pavidum reddunt, caute ſubducantur, jucunda vero, quæ furores mitigant, ſæpius illius oculis, aut Menti exhibeantur. Sed hæc pro Diæta ſatis; nunc ab hujuſce ſororibus conſilia petere ſupereſt.

Curatio. 14. Potiſſimam medendi rationem in Mania a ſanguinis redundantia, turgentiaque deſumimus; his enim ſatis imminutis, Inſaniæ fundamenta illico ruunt; cum ſanguis ad moderatam molem reſtitutus, pacificis tunc motibus dirigatur, nec ultra concitatum, ſed ad diſciplinam revocatum Enormon, haud amplius Animæ vim facit, ſed recto famulatu illi deſervit. Sanguinis vero redundantiam minuere, turgentiamque detumeſcere, nil citius, tutiuſque quam ſæpius repetita phlebotomia æque poteſt. Hæc ergo apprime potiſſimam Curationis intentionem abſolvere debet; verum ne tantum remedium in abuſum, ac detrimentum degeneret, opportunis regulis illam dirigere duximus, ut ad fauſtam metam tuto demum conducat.

Venæ ſectionis regulæ. 15. Prima ergo regula eſt, Patientis vires æqua lance perpendere, quæ ſatis ab Inſani robore, ferociaque dignoſcuntur; conſtantes ergo vires remedii tolerantiam dimetientur; cum ſanguinis miſſiones tandiu ex brachiis, pedibuſque repetere oporteat, donec naturalis vigor, aperta dejectione, furoriſque humiliatione, ulteriores effuſiones recuſet. Altera eſt, quod nec plures in die, nec adhuc quotidie, ſed alternis tantum diebus venæ ſectiones inſtituantur, die autem vacua confortantibus auxiliis, quæ utramque paginam impleant, vires ſubſtineantur, ut inflicta vulnera decens confortatio reſtauret, morbique furores una ſimul infringat, hæc vero auxilia infra determinantur. Tertia eſt, quod ſanguinis mittendi Quantitas a Morbi ferocia, Patientis vigore, Anni tempore, cæteriſque permittentibus æque perpendantur, nec omnes æquali ſemper pondere librentur. ex. gr. in Juvene ferociente, veris tempore, ultra libram ſanguinis prima vice emitti poteſt; gradatum vero minuendo, ad libram unam, tertia vice ad uncias decem, ac demum ad octo deſcendere decet, in qua doſi tandiu inſiſtere oportet, donec laſſati furores, viresque debiles, ſanguinis effuſiones claudere innuant. Quarta demum regula eſt, phlebotomiæ ordinem ſtatuere; rectius ergo erit, ut primo ſuperiores, deinde inferiores venæ aperiantur, quod ratio nota, fauſtaque experientia ſatis edocent; in hoc enim ordine cum minori ſanguinis effuſione intentum ſcopum attigiſſe, pluries compertus ſum; hiſce igitur pro cauta directione prænotatis, Curationem ſic auſpicamur.

16. Prima ergo die Potionem ſolutivam aliquam cum decenti regimine propinare oportet, ut primæ ſaltem viæ hac dilutione expientur. Valida enim purgantia in principio nondum impropria, ſed & noxia eſſe poſſunt. Ad hanc verò potiunculam ſumendam gratis blanditiis, aut minis, verberibuſque, cum renuat, Eger compellatur; quæ blanda, vel rigida magis conferens norma in quolibet remedio utendo, ſervari debet. Altera die prima ſanguinis miſſio celebretur in brachio dextero, & ad uncias quindecim circiter pro exigentia, & circumſtantiis, qua die juſculis ex verveci, & pullis, in quibus lactucæ decoctæ ſint, in prandio, & cæna Patiens utatur, pulluſque elixus concedatur, ac pro potu Aqua deſtillata Anagallid., vel Lactuc., cum ſucco Limon., ad gratiam præbeatur; hanc ergo diætæ regulam toto primo *Methodus curativa in primo ſtadio.*

cura-

curationis ſtadio ſervare oportet. Tertia vero die a venæ ſectione libera, ſequentem mixturam, quæ vires confortare, & turgentem ſanguinem moderari æque poteſt, exhibere intereſt.

℞. *Aqu. de ſucc. Lactuc. unc. ij.*
Cord. Saxon. prim. unc. j.
Magiſt. Solubil. Corall. ſcrup. ij.
Confect. Hyacinth. Drach. j.
Spirit. Vitriol. antepilept. noſtri. gut. viij.
M. detur 4. horis ante prand.

Veſperi vero 2. horis ante Cœnam de ſequenti Opiata ſumat.

℞. *Conſerv. Roſar. rubr.*
Flor. Nymphea aa. unc. iv.
Confect. Hyacinth. Drach. iij.
Sal. Prunell. optim. Drach. ij.
M. f. Opiat. Doſ. unc. ſem.

Hanc ergo methodum qualibet die a phlebotomia libera continuare decet, donec ſanguinis miſſioni terminus imponatur. Quarta item die ſanguis ex brachio ſiniſtro mittatur ad libram unam. Sexta vero ex Saphena pedis dexteri ſimiliter ad libram unam. Octava demum ex pede ſiniſtro ad unc. x. Hiſce demum peractis, ſequentes reflexiones docebunt, an primum Curationis ſtadium continuari, vel abſolvi poſſit.

17. Primo itaque perpendere oportet, ad quos diminutionis gradus Inſania declinaverit. Ut plurimum enim poſt dicta remedia vel furores evanuiſſe, vel plurimum remiſiſſe, non ſemel vidimus. Cum vero furor licèt mitior caput adhuc attollere auderet, certum erat indicium, quod non adhuc extincta ſanguinis turgentia eſſet; adeoque phlebotomiis inſiſtendum eſſe ſuadebat. Dum ergo in hoc caſu vires laxatæ non ſint, quod ex furoris pertinacia dignoſcitur; bis adhuc in utroque pede ſanguinis miſſiones replicare, & in qualibet vice ad unc. viij. deſcendere oportet. In inveterato autem morbo adhuc pluries, imo tandiu pedum venas tundere intereſt, donec nimis dejectæ vires, phlebotomiam tolerare amplius nequeant. In hiſce vero caſibus, non alternis diebus, ſed bis, aut ſemel in hebdomada venam ſecare tutius erit; cum non Inſanum extinguere, ſed ſanum reddere, ſtudeamus. Nec exemplum a Platero celebratum, tutum eſſe dignoſcimus; humanus enim vigor an ultra ſexageſimam brevi tempore inſtitutam phlebotomiam ſervari poſſit, licèt a tanto Viro relatum, fidem omnino ſuperare videtur. Per nos ergo, cum poſt duodecimam Venæ ſectionem furores non relaxentur, curationis ſpes adempta eſt. Convaleſcentiæ vero ſigna ſunt, Patientis motus haud amplius efferi; vox non ultra clamoſa, ſed humilis; pacatus vultus, aſpectuſque placidus, demiſſæ manus, geſtaque cætera æque compoſita, & quaſi verecundo ſuffuſus rubore aſpici vereatur Patiens, tunc reſtauratæ Mentis indicium præbet; & tunc primam hanc remediorum pharetram dimittere, & mitiorem aſſumere decet.

18. Pertinacioribus ergo devictis hoſtibus, haud ultra ſanguinem effundere, ſed Vitæ, Mentiſque caſtra, ab infenſis devaſtata, ac ab auxiliis enervata, iterum reſtaurare, alterum curationis ſtadium eſt. Primo itaque diebus ſaltem octo, vel ultra pro languoris petitione congruis auxiliis Patientis vires reficiantur; ideo victus apprime non avara manu miniſtrari debet, ſenſim tamen in dies cibum optimum in prandio addere; cænam vero ſemper decenti frugalitate moderari. Reſtaurantia vero auxilia pro conditionibus ſequentia, vel ſimilia, eſſe poſſunt. *Curatio ſecundi ſtadii.*

℞. *Aqu. Anagallid. compoſit. unc. ij.*
Cord. Saxon. prim. unc. j.
Magiſt. Solub Margarit. ſcrup. j.
Confect. Alcherm. Drach. ſem.
Syrup. Corall. optim unc. ſem.
M. pro una Doſi matutina.

Mixtura hæc, vires reficiens, & Inſaniam deprimens, horis 4. ante prandium per dies plures Patienti præbeatur; de ſero autem ſeſquihoram ante brevem cænam ſequentis Opiatæ unc. j. ſumat.

℞. *Conſerv. Caryophyl. hortenſ. lib. ſem.*
Flor. Peoniæ unc. iij.
Confect. Alcherm. Drach. iij.
Tinctur. Meliſs. noſtræ unc. j. ſem.
M. f. Opiat. utend. ut ſupra.

Hiſce demum auxiliis Manias, quas non diu inceptas inviſimus, omnino devictas vidimus; illas vero, quæ diutius invaluere pertinacius obſtitiſſe, ob-

ſer-

ſervavimus; ideo effi caciora etiam auxilia tentare compulſi non ſemel fuimus; horum ergo ſequentia potiora ſunt.

In Inveterata Curatio Emetici uſus. 19. Cum poſt ſupradictas phlebotomias, ad ultimam uſque tolerantiam productas, inveterati morbi pertinacia ſine miteſcentia inſoleſcere adhuc audeat, duo primum, ſatis experta, remedia, Emetica nempe & Cauſtica ad uſum vocare intereſt. Et primo fortem vomitionem provocare, ac replicare, ſæpe juvavit; hoc enim auxilium Periti merito conſulunt; illorum vero rationes licet variæ, fauſtis tamen effectibus innituntur, quos proprii ſyſtematis modulo explicare quiſque curavit. Certum tamen eſt, in Mania inveterata compeſcenda, proficuam ſemper concitatam vomitionem fuiſſe; quam per conſenſum Ventriculi cum cerebro explicare ſatis poſſe, non video; nos vero ne inſulſa loquamur, ſolius fauſti eventus contenti ſumus. Emeticum ergo in hoc morbo apud Veteres famigeratum Elleborus albus fuit, utpote unicus declamatus Inſaniæ domitor; Veruntamen cum hoc doloſum remedium (ut Hippocrates, & experientia docent) lethales convulſiones ſæpe induxerit; ideo ad minus infenſa, nec minus efficacia, ex croco metalloſum parata, emetica confugere duximus; formulæ vero ſequentes eſſe poſſunt.

℞. *Oxyſac. Emet. ex Croc. metall. unc. j.*
Sal. Abſinth. eſſential. ſcrup. j.
Aqu. Menth. unc. ij.
M. f. Emetic. pro Doſi.

vel ℞. *Tartar. Emetic. optim. gr. vj.*
Diaſcord. Fracaſtor. Drach. ſem.
Extract. Menth. ſcrup. j.
M. f. bolus emetic. pro Doſ.

Si vero cum celebri Lindano ad Elleborata deſcendere placuerit, ſequenti per me uti poterit, quod in robuſtis Maniacis opportunum erit.

℞. *Oxymell. Elleborat. unc. j.*
Confect. Alcherm. Drach. j.
Aqua Menth. odorat. unc. ij.
M. f. Emetic. pro Doſ.

Unum ergo, vel alterum ex dictis ter, vel quater pro exitu alternatim replicare convenit, & cum opus ſit paregorico etiam uti.

Cauſtici uſus. 20. Emeticis demum abſolutis, cum nec ab hiſce Mentis reſtauratio obtineri poſſit, ad Cauſticum etiam deſcendere, indomitus morbus ſuadet; hoc enim remedio Veteres, ac Recentiores Practici, pertinaces Manias expugnaſſe, teſtantur, quod & nos in inveterato Maniaco, qui ſupradata remedia deluſerat, fauſte comperti ſumus. Cauterium ergo actuale vel in nucha, vel in ſuturæ coronalis medio excitare eſt opus, ac tandiu apertum ſervare, quandiu furores evaneſcant, mentiſque dilucidatio reſurgat; quod ſenſim poſt octo dies in caſu noſtro inſpexiſſe memini. Hanc vero indomitæ Maniæ victoriam an præmiſſis auxiliis, an vero ſoli Cauterio, an demum ſequentibus una ſimul cum illo exhibitis remediis, attribuere debeamus, adhuc ambigimus. Certum tamen eſt, quod poſt Cauterium dictum Mens eluceſcere incepit; ideo niſi integram, magnam quidem hujus victoriæ partem huic tribuere decet; ideo in arduis hiſce caſibus remedium tantum haud negligere, æquum erit. Huic autem ſoli omnino fidere, non intereſt, ſed ſupra data præmittere, & una cum ipſo remedia ſequentia componere juvabit; primo itaque.

Auxilia Matutina ℞. *Aqu. Anagallid. compoſit. unc. ij.*
Magiſt. Lapid Lazul. ſcrup. ſem.
Spirit. Vitriol. antepilept. gut. vj.
Ol. Camphor. deſtill. gut. v.
Moſchi optim. gr. iij.
M. pro Doſ. hor. 4. ant. prand. ſumend.

Aquam Anagallidis compoſitam tali modo conficere jubeo.

℞. *Anagallid. flor. phœnic. manip. vj.*
Flor. Hyperic. manip. iij.
Ellebor. nigr. pp. unc. ij.
Gran. Chermes unc. ſem.
Aqu. Anagallid. deſtill. lib. vj.
Spirit. Vitriol. non dephleg. unc. ij.
M. omnia in MB. tepido, & ſic ſtet per biduum.
Poſt deſtill. ad ſiccitat. Doſ. ad unc. ij.

Radix Ellebori pro hac Aqua ſic præparatur. Contund. radic. ac phlegmate Vitriol. ſæpius irrorentur, lenique calore lign. ſpatul. tandiu agitentur, donec fætor evaneſcat; iterumque irroretur, ac loc. calid. per biduum ſervetur.

21. De

21. De ſero autem tribus horis poſt brevem cœnam ſequentem pilulam deglutire cogatur, qua concitati ſpiritus ad quietem ducuntur, videlicet.

Auxilia Cætera.

℞. *Sulphur. Vitriol. philoſoph. Dr. ij.*
Magiſt. ſolubil. perlar. Dr. j. ſem.
Extract. Croc. Orient. Drach. j.
Ol. deſtill. Camphor. ſcrup. j.
Moſch. optim. gr. xij.
Cum Syrup. de Papav. ſimplic. q. s.
M. optime, & f. maſs. pro pillul. Pacific.
Cujus Doſ. gr. xij. in pilul. parva.

Quæ etiam vel in aqu. lactuc. propinari, vel in Conſerv. Roſ. aſſumi poterit. Celeberrimum remedium, quod & vigilias depellere, & concitatos ſpiritus compeſcere perſæpe potuit. In hac, & in antecedenti formula ol. camphoræ deſtill. cum Moſcho ſociavimus; quia hæc duo in Maniam ſumma vi pollent; hoc primum *a Paracelſo* didicimus, qui *Tract. 2. cap. 4. de Philoſ. vitali*, *Ol. Camphor. cum Ol. Moſch.* præſens in Mania remedium eſſe deprædicat; quod etiam *Prævotius* Doctor Patavinus experimentis propriis confirmat; hinc ſæpius feliciter nos etiam uſi ſumus. Methodum hanc demum pluribus diebus continuare oportet; cum vero intra dies 20. Maniacus ad mentem non redeat, deſperata res eſt.

22. Cæteras tandem Inſanias vel a Philtris, vel a Venenis &c. inductas, pro Cauſarum petitione, non arduè ex dictis relevare quiſque poterit; multiplicatæ vero phlebotomiæ, quæ ab hiſce cauſis minime indicantur, dimitti debent. Pro Mania ſaltem a philtris inducta, poſt Univerſalia, & ſpeciatim Vomitoria ſupradata, quæ in hoc caſu, & in cæteris omnino expetuntur, loco mixturæ matutinæ *nu.* 16. expoſitæ, ſequenti magis appropriata uti poterit

℞. *Magiſt. Calcul. human. ſcrup. ſem.*
Sal. volatil. Tartar. gr. vij.
Spirit. volutil. ſal. dulc. gut. v.
M. pro Doſ. matutin. hor. 4. ante cib.

In juſculo pulli, in quo Petroſelin. decoct. ſit; de ſero autem ſequentem horis tribus poſt brevem cœnam aſſumere debet.

℞. *Ol. Camphor. deſtill. gut. iij.*
Moſch. deſtill. gut. ij.
Liquor. Calcul. human. gut. viij.
In brod. pull. dicto M. pro Doſ.

Calculus humanus in Mania a philtris promota ſpecificum arcanum eſt. Aliis item ſupra dictatis auxiliis, cum opus adſit, tuto etiam uti poterunt, at illorum ſelectio Peritis relinquitur; hæc tandem Curationis fontes claudunt, ſat enim prata biberunt.

APPENDIX.

Paucis hic expedimur, cum in antecedentis Capitis Appendice plurima etiam ad hoc opus proficua jam dederimus, quæ vero auxilia in hac linea etiam addi poſſunt, ſelectiora ſaltem, nobis nota, memorare non negligimus; ideo primum quo ad Cathartica, ultra jam expoſita, unicum ſaltem validiſſimum, ſemel tantum a nobis expertum, cum opus urgens expetat, ſequens eſſe poteſt.

℞. *Aloe ſuccotr. Succ. Fumar. diu nutrit. unc. ſem.*
Maſs. Pilul. Tartar. Quercet. Drach. ij
Extract. Ellebor. nigr. Drach. j.
Maſtich. Cinamom. aa. ſcrup. j.
Cum Syrup. Roſar. ſolut. q. s.
M. f. Pilul. Doſ. ſcrup. ij. ad Dr. j.

Hiſce tandem poſt Univerſalia, cum valida purgatio expeti videatur, uti poterunt. Quod vero hic magis urget, Enormon compeſcere eſt; ideo primum pertinaces vigilias expugnare oportet; ad hunc ſcopum primo, ut gradatim progrediamur, ab externis auſpicamur; inter innumera ergo ſequens proficuum ſemper expertus ſum.

℞. *Spirit. Vin. non dephlegm. unc. ij.*
Camphor. Drach. ſem.
Moſch. ſcrup. j.
Opii in nodul. ſcrup. ij.
Solvant. & f. liniment. temporib. applicand.

Cum hoc externo ſequens internum fœderare intereſt.

℞. *Ol. Camphor. deſtill. Drach. ſem.*
Moſchi deſtill. ſcrup. j.
Laudan. Cydoniat. Liquid. Dr. j.
M. & ſerva pro x. Doſib.

Item

Item ad ſpirituum ataxiam compeſcendam, proficua eſſe poſſunt, ſequentia.

Sedativ. magn. Archei. D. Cnoffell.
Vel noſtrum antec. num. 21. datum.
Syrup. de Croco Batei. cui addi poteſt.
Magiſt. ſolub. Perlar, ut efficacior ſit.
Syrup. Hynoptic. Balſamic. D. Goddard.
Nepenthe in Mania, quod ſit.
℞. *Opii ſuper laminam ferri calentis exiccat. & pulver. Drach. ij.*
Diſſolv. in Aceto Sambuc. unc. v. & coletur, adde
Succi Chermes Drach. j. ſem.
Succ. Meliſs. Drach. j.
Ol. Camphor. deſtill. ſcrup. j.
Ol. Moſch. deſtill ſcrup. ſem.
Sic mixta omnia Balnei calore exhala ut f. Extract. Doſ. gr. vj.

Item Eſſent. Anagallid. & Hyper. cum Sanguin. Aſini confect. proficua deprædicatur; nos tali modo interdum uſi ſumus, videlicet.

℞. *Eſſent. dictar. aa. ſcrup. j. ſem.*
Extract. Alcherm. cum ſucc. pom. confect. gr. xv.
M. pro Doſ. in vehicul. propr. ſumend.

Hæc denique huic lineæ punctum ponunt; nunc ad alia deſcendimus.

CAP. III.

De Spaſmo Ejuſque Curatione.

Spaſmus deſcribitur. 1. SPaſmi vocabulum a Græcis receptum, Latinis *Convulſio* dicitur, quo titulo præternaturales, ac involuntarii motus exponuntur; priores, quia non juxta Naturæ leges, ſed contra illas peraguntur; involuntarios vero, quia tumultarii Motores, abdicato Voluntatis fræno, ſtimuloque alieno ducti, muſculos torquent potius, quam moveant. Muſculis enim (motus inſtrumenta cum ſint) animales ſpiritus utuntur, vel ad Naturæ genium, vel ad Voluntatis imperium exequendum; iiſdem etiam abutuntur, cum iiſdem parere, aliunde irritati ſpiritus recuſent. Duplex vero hujus vitiati motus ſpecies membra divexat, altera *Tonica* dicta, quæ ſemper dolorifica eſt, altera *Colonica*, quæ dolorem non audit; priorem hic ſcrutamur, alteram alibi jam inviſimus. Ex hiſce igitur notis Tonici Spaſmi deſcriptio facile deducitur. Eſt ergo Affectus iſte *præternaturalis, & dolorifica muſculorum contractio, ab irritato ſpirituum impetu contra voluntatem inducta*; deſcriptio hæc a ſupradictis ſatis explicatur.

2. Partes affectas, a variis Doctorum placitis inter litigia deductas, noſtro calculo tamen nil aliud quam Muſculos eſſe, cenſemus; in illis enim partibus, in quibus naturales motus peraguntur, in iiſdem proprios motus depravare, doloremque ſic excitari, ſpiritus ferocientes æque poſſunt. Enormon equidem dolorificæ depravationis hujus cauſam certo, non ſubjectum eſſe poteſt; ideo cum ab infenſis irritetur, vel propria thymoſi excandeſcat, convulſionem hanc non ipſe patitur, ſed ipſe idem efficit; & illam producit, donec illius furor compeſcatur. Qui ergo hic animales ſpiritus affectam partem eſſe cenſent, inter Cauſam, & Effectum, ſeu melius inter agentem, & patientem non æque diſtinguunt; cum hoc dolorificum productum in muſculis patientibus a ſpirituum ferocia convulſis, peragatur; nec aliam proximam, præter concitatos ſpiritus, cauſam hic emendicare intereſt, cum ad ipſos æque ſpectet motus dirigere, vel depravare, & ſine ipſis nullum motum exerceri poſſe, cadavera demonſtrant; hæc vero in cauſarum indagine clariora fient. Nec fibræ nerveæ tantum, ut Aliis placet, ſed & carneæ ſimul paſſionis tragædiam abſolvunt; cum nunquam muſculus ex laxato contractus evadat, niſi nervoſi, & carnoſi generis filimenta, quæ ipſum conſtruunt, ſimul contracta ſint, ut *cap. de Paralyſ.* ſatis oſtenditur. Muſculus ergo integer, affectæ partis nomine venit, ac in ipſo vehementer contracto doloris ſenſus invadit. Hæc denique moleſta ſenſatio, licet in Cerebri tribunal definiri debeat, non ideo cerebrum *Partes affectæ.*

brum ipſum, ut Alii opinantur, affectam partem eſſe, æque arbitratur. Nec minus ipſa inalterabilis Anima, quam hujus paſſionis ſubjectum eſſe, nimis injuſte opinati ſunt Alii; non enim una cum muſculis ſimul convellitur cerebrum, quod ſemel convulſum (ſi poſſet) mors illico inſequeretur; minuſque contrahitur Anima, quæ quanta nunquam eſt, cum vere ſpiritus ſit; ſolus certo qui contrahitur, & convellitur muſculus eſt, ſoluſque ideo ſpaſmi hujus affecta pars dici debet.

Differentiæ. 3. Differentiæ demum, quæ morbi ſpeciem mutant, duæ tantum eſſe poſſunt; prima *Tonica* dicta, ſemperque dolorifica; altera *Clonica* doloris expers. Spaſmus ergo Tonicus, de quo hic agimus, non ſpecie, ſed gradibus, vel invadendi modis tantum diſcriminatur; horum primus *Empro*ſ*thotonos* Græcis dicitur, in quo anteriores corporis muſculi ita convelluntur, ut totum corpus anteverſum contrahatur; alter *Opiſthotonos* dicitur, in quo retroverſum corpus, caputque ſpeciatim convellitur; *Tetanos* tertius, in quo omnes externi muſculi ita fortiter contrahuntur, ut omnia membra rigida, & immobilia obdureſcant; in hiſce invadendi modis alii pariter intelliguntur; primo cum ſpaſmus totum corpus præter caput occupat; ſecundo cum caput ſolum convellitur; tertio cum pars aliqua tantum rigeſcat, quas convulſiones nominibus propriis græca aliàs nimis ſedula cura fraudavit. Particulares etiam Convulſiones plurimæ ſunt; ut primo *Strabiſmus*, in quo alteruter, vel plures oculi muſculi contrahuntur, ut vel deorſum, vel ſurſum, vel ad latus oculum defigant; 2. *Spaſmus Cynicus*, aut *riſus Sardonicus*, in quo labia riſum affectant, ac tota faciei pars extorta contrahitur; cum vero inferior mandibula convellatur, os, & guttur ſimul arcte clauduntur; 3. *Satyriaſis*, aut *Priapiſmus*, in quo penis nervum rigide, ac dolorifice diſtenditur. Internarum vero partium Convulſiones, cum extra pomæria iſta ſedes teneant, exquirere nunc haud convenit.

Diagnoſis. 4. Spaſmi Diagnoſis ita per ſe perſpicua fit, ut aliena graphide non indigeat; patientem enim ſpaſmodice contractum videre ſufficit, ut Convulſionis indicia præ oculis ſint. Verum quia conſimiles affectus adeo proprias facies confundunt, ut parili conformitate imperitos illudant; ideo pro Juniorum ſaltem lumine conſimiles hoſce morbos diſcriminare oportet. Et primo Corpus convulſione Tonica affectum, motu duntaxat non ſenſu privatur, ut dolor ſpaſmi hujus comes oſtendit; Epilepſia vero ſpaſmi figuram ſimulans, convulſum corpus dolore non afficit, nec membra rigida figit, ſed hinc inde contorquet; in Paralyſi item reſoluta pars aliqua, ſine dolore dimovetur, ſæpeque in iſta flaccida, frigidaque pars eſt, in ſpaſmo autem haud frigida, ſed rigida, duraque perſiſtit. In hoc denique Mentis lumen non deficit, at in Epilepſia, Apoplexia, & Syncope integram eclipſin mens patitur. Ex hiſce igitur conſimilium morborum paſſiones diſtinguuntur, & Spaſmi diagnoſis illuſtratur; ſed hæc de facto jam morbo, de imminenti vero ſigna qui cupit, *in Tract. de Febr.* jam expoſita reperiet; cum ad hunc affectum curandum, non niſi jam facto morbo Medicus advocetur, ideo præcedentia ſigna hic recenſere deſiſto, & ad morbi fontem inveſtigandum deſcendo.

5. Cauſas ergo indagare, non adeo facilis labor eſt, cum undique conjecturæ ambiguæ, a diſpari pathologia deductæ tenebris tenebras addidiſſe, videantur. Quiſque enim obſcura morbi hujus latibula penetrare, abditaſque origines exquirere proprio lumine deſudavit, vario tamen eventu; Veteres enim procul a centro divagare non perceperunt, cum in humorum quadriga hujus morbi Auctorem ducere, crediderunt. Recentiores vero immediatam Spaſmi originem detexerunt, cum ſpirituum ataxiam æque culparunt; at quia ſpiritalis hujus concitationis varios fomites effinxerunt, (qui enim Acidum, qui Acre, & qui Viſcidum quid exoticum, nerviſque infenſum addidere) ideo pro cujuſque ſyſtematis varietate zizaniæ plurimæ in hoc ſeminio inſertæ fuere, quæ ut Cadmi dentes mordacitates etiam nunc pullulare non *Cauſarum indago.*

deſinunt. Veruntamen ſibi quiſque curet, nos hæc vitamus diſſidia, ſcientes quod

——— *ſummum eſt,*
Alterum ab alterius dente perire, nefas. Alciat. embl. 180.

Propriam ergo Spaſmi cauſam in concitato ſpirituum impetu æque cognitam, nunc recto calculo ab exoticis concauſis diſcernere primo convenit, ut propriam tanti morbi naturam a contingentibus ſtimulis denudatam, intimius noſcere aſſequamur. Remotas vero, ac ſæpius accidentales occaſiones, quæ tot diſſidia in theoria, & in praxi concitant, exactius indagare adhuc intereſt, ut pro viribus minus certum a magis veriſimili diſcernamus. Ad hæc igitur facilius aſſequenda, Notiones aliquas more noſtro præmittere duximus, ut ad arduum apicem conſcendendum, quaſi gradus inſerviant.

Propria cauſa indagatur. 6. Primum ergo, ut vera Spaſmi natura dignoſcatur, cauſaque intima, ſine qua nunquam hæc affectio emergit, a cæteris contingentibus diſcriminetur; exquirere oportet, an ſemper ſuccus aliquis, quovis titulo nervis infenſus, ita neceſſarius ſit, ut ſine ipſo ſpaſmus induci nequeat; & cum abſque ipſo morbus iſte invadat, de illius natura nullo pacto eſſe poteſt. Indagini ergo huic primum lumen perſpicua experimenta ſuggerunt; nervorum nempe læſiones externæ, a punctura, vel contuſione, aut combuſtione inductæ, quarum quælibet poſita, illico ſpaſmus invadit; punctum enim a ſpina, vel phlebotomo nervum, aut ab ictu, vel caſu contuſum, aut ab igne actuali, vel potentiali combuſtum, protinus convulſio inſequitur. Hinc perſpicue conſtat, quod ſuccus nullus in intimis nervis intruſus, dictas convulſiones induxerit; cum externa tantum nervorum læſio ſpaſmum in hiſce caſibus producere poſſit. Nervorum enim irritationes iſtæ ideo convulſionem ſollicitant, quia veram ſpaſmi cauſam, ſpiritus nempe in nervis excubantes irritant, & ad concitatas exploſiones compellunt. Quodlibet ergo nervos lædens, ac ſpiritibus infenſum, cum mere contingens ſit, nullo modo ſpaſmi naturam integrare, nec intimam illius cauſam eſſe, tuto cenſetur; occaſiones tamen ſunt, quæ nervos infeſtando, illorum ſpiritus ad exploſivos impetus concitare ſolent.

7. Sed clarius adhuc hæc veritas eluceſcit, cum Convulſiones plures, nervis etiam ab omni externa moleſtia liberis, a meris animi paſſionibus inductas, æque perpendamus. Quanta enim vehementia pathemata vi polleant, ad animi excandeſcentias concitandas, ſatis alibi dictum fuit. De Amoris paſſione caſum vidimus, quem hic exponere inſtituti meritum petit; Juvenis quidam nobilis in pauperem Virginem cæca pectoris flamma ductus, cum ab indignato Parente audiviſſet; quod vel pauperem Puellam, vel pinguem hæreditatem ex animo pelleret; illico lectum petens, querulus, ac delirans mortem vocando, intra horam ſpaſmo Opiſthotono correptus fuit, quo per biduum continuo divexatus, remedia omnia reſpuens, ſola tandem deflexi Patris de concupita ſponſa promiſſio, ſenſim; ante oculos noſtros rigidum corporis arcum laxando, intra horæ ſpatium tenſa membra naturali tono reſtituit. Spaſmum ergo hunc, a Parentis indignatione promotum, ſola ejuſdem commiſeratio, concitatum Filii ſpiritum placando, confeſtim curavit. In hoc inquam caſu vanum quidem eſt, infenſum in nervis ſuccum culpare velle, cum hoſtem hunc paterna verba è nervis depellere, nunquam potuiſſent; ſed placato ſpiritu, ſpaſmus evanuit, cum *remota cauſa, removeatur effectus*. Similem pene caſum ab Ira inductum, Cardanus refert; pluresque haud diſſimiles a paſſionibus inductas Convulſiones, a ſpiritu placato demum ſopitas, Medentum obſervationes deſcribunt. Hiſce itaque certis, affatim ſuademur, quod ſoli, & per ſe tantum concitati ſpiritus hanc tragædiam peragere ſoleant; concitantes vero occaſiones, cum vel adeſſe, vel abeſſe poſſint, ſpaſmi naturam non attingunt, ſed accidenter illi contingunt; quod tandem pro primo cognito habemus.

Clarius exponitur

Acidi opinio examinatur. 8. Alterum adhuc inveſtigare ſupereſt, occaſiones nempe, quæ ſpaſmi Auctorem concitant; harum ſeries va-

ria

ria pro Doctorum placitis hinc inde vagatur, cum nunc Acidi, nunc Acres, & nunc Viſcidi ſucci in hanc ſcenam ducantur; ſingulos ergo examinare nunc intereſt; & primo vulgata plurimorum opinio de Acido hanc tragædiam ducente a recta ratione minime plauditur; propria enim Acidi activitate cognita, tuto deprehenditur, quod impropriè nimis ad tonicum Spaſmum provocandum advocetur. Conſtat enim experimentis, quod Acidorum vis propria, unicaque ſit Alkalina corpuſcula incuneare, ac figere, ſimulque congeſta, in ſal fixum degenerare, ſicque volatilitatem deperdere; quæ inquam affectio tantum abeſt, quod ſpaſmi naturam explicet, ut potius illius oppoſitum oſtendat. Invaſum enim in nervis Acidum, Alkalinos illorum ſpiritus figere deberet; at in ſpaſmo efficiendo, non quidem fixati ſpiritus, ſed ad vehementes expanſiones compulſi eſſe debent, ut rigidas nervorum tenſiones efficiant; cum fixati motum omnem deperdant, ſicque non convulſos, ſed flaccidos nervos relinquerent; ideo in ſpaſmo tonico acidum fomitem culpare, qui ſpirituum exploſionem deperdat, nec morbo, nec rationi conſonum eſſe dignoſcimus. Nec Acidorum ſpecies variæ, diſpareſque configurationes, quæ varios effectus exerendo, hic ad merum effugium advocantur; cum corpuſcula illa, quæ relicta coagulandi, & figendi facultate, alienas ab hiſce vires exerere poſſunt, Acidorum nomine inſcribere velle, non quidem Phyſicam, ſed Poeſim inſequi eſt. Acidum ergo fomitem in Tonico ſpaſmo culpare nequimus; licet in Clonica convulſione aliquando adeſſe poſſit, ut *de Febr. Coagulativ.* expoſuimus; cum in iſta non quidem rigidam muſculorum tenſionem, ſed meram concuſſionem eſſe, dignoſcere quiſque poſſit.

Acer ſuccus. 9. Poſt Acidum, æquo titulo nunc excluſum, alter ſuccus, Acer nempe, conſiderationi ſe offert, hic inquam, ut altera ſententia tutior oſten dit, aptiùs quidem mordacitate propria ſpaſmodicum affectum provocare, potis eſt; cum vel intra nervos cum nerveo ſucco intrudatur, vel ab extra, quavis de cauſa compulſus, nervorum corticem, aut fibras erodat, ſpiritus inibi cubantes primo ad vehementes impetus concitat; utpote quia illos non figere, ſed exaſperare, aptus ſit. Corpuſcula enim acria volatilia (talia hic eſſe debent, cum intra nervos non niſi ſpirituoſi ſucci penetrare queant) proprium inrequietum impetum in nervis exerunt, propriaque mordacitate nerveas fibras moleſtant; ſicque duplici ſtimulo animales ſpiritus concitati, nervos, & inde muſculos convellunt. Similiter cum extra nervos, quavis occaſione ductæ, acres particulæ illorum corticem erodant, ab illarum moleſtia excubantes inibi ſpiritus ad excandeſcentias inducuntur; unde ſpaſmus concitatur; acres enim ſuccos mordicare ſemper, Variolæ, Puſtulæ, Scabies, ſimiliaque plurima cutim erodentia tubercula facile oſtendunt. Viſcidi pariter ſucci, cum acri militent virulentia in hanc ſcenam ingredi poſſunt; nervos enim eodem modo ab extra ſaltem afficere, ac mordere ita ſolent, ut univerſam ſpirituum rempublicam ad tumultus inducant; quod conſimiles plurimi, ab Utero ſaltem ſcatentes, morbi aperte demonſtrant; cum acres in ipſo ferocientes ſucci, nervulos mordicando, tot modis, quot morbis Cerebri arcem ad commotiones inducant, ut Hyſterica paſſio, Epilepſiæ, & Deliria ab utero orta, oſtendere poſſunt. Succus ergo quilibet, acri mordacitate pollens, Tonicum Spaſmum provocare, potis eſt; & hæc tandem pro Cauſarum indagine ſatis ſint. *Viſcidus ſuccus.*

Prognoſis. 10. Varia hujus morbi facies differentes Prænotiones expetunt; Proteus enim eſt, in diſſimiles formas mutabilis, licet ſemper idem, ac ab eadem ſemper intima cauſa, diſpari modo ducta, productus ſit; nunc tonico, & nunc clonico apparatu ſe induit, & in his etiam formis ſæpe varius oſtenditur; hinc diverſi illius exitus diſſimilia Prognoſtica ſuggerunt. Verum ne a pomeriis noſtris diſcedamus, Clonica convulſione, quam alibi ſatis expendimus, dimiſſa, Tonici ſpaſmi tantum prognoſin exquirimus. Et primo Tetanus cæteris atrocior, ac Emproſthotonos, & Opiſthotonos, qui parum minori militant ſævitia, hæc inquam variæ Morbi

hujus figuræ, cum diuturno rigore, acerboque dolore, crudiſque ſymptomatis comitatæ perſiſtant, *in quatuor diebus* interimunt; *ſi vero hos effugiant Patientes ſani fiunt*; ſic 5. *aph.* 6. docemur; extremam enim hanc Enormonticam excandeſcentiam difficillime compeſcere, nec diu tolerare Natura poteſt; ideo brevi greſſu ad vitæ metam ſæpe ducit, maxime cum atrocia ſymptomata, *lib.* 3. *de morb. num.* 13. 14. ab Hippocrate deſcripta, ſpaſmum inſequantur. At cum Febris emergat, ſalutis fiducia reſurgit, ut 4. *aph.* 57. notatur. *Qui a convulſione, vel diſtenſione nervorum tenentur, Febre ſupervenlente liberantur*. Non ſemper tamen, ut aliquando inſpeximus; nam ſi febris ultra tolerantiæ limites excandeſcat, & præcipue ſi ſecunda die ferociter invadat, tunc lethalis eſſe poteſt, ut in nobili Viro jam vidimus; cum in hoc caſu nervoſum, & venoſum genus in univerſalem perniciem conſpirare oſtendat; unde *tertia die, aut quinta, aut ſeptima, aut decimaquarta æger perit, ut ibidem Hippocrates* docet; hæc inquam plus, minuſve protracta mors, pro morbi ferocia, & Naturæ tolerantia intelligi debet. Cum vero febris moderatos limites non excedat, nec tam proſpero greſſu invadat, deſperatiſque ſymptomatis ſociata non ſit, morbi ſolutionem tuto denunciat. Quatuor in ſpecie ſymptomata mortem ad fores adeſſe innuunt; primum Reſpirationis, Vociſque interceptio; ſecundum ſudoris diſſolventis profuſio; tertium acutum delirium; ultimum tandem Vomitus per nares dejectio, quod *ubi moriturus eſt*, emergere, inibi docuit Hippocrates; horum vero quodlibet invadat, mortis prænuncius eſſe ſolet. Convulſiones autem, quæ non integram machinam, ſed partem aliquam, ut brachia, vel crura, pedeſve, aut oculum, labia, vel penem, ſimiliave afficiunt, cum nec tantæ molis ſint, nec tam atrociter affligant, leviora pericula ducunt; excipe tamen Caput, quod licèt ſolum ſpaſmodica tenſione rigeſcat, cum animalis œconomiæ potior pars ſit, illius damna tota machina ſentit, & vitam non raro perſolvit. Spaſmi demum, qui a contingentiis procedunt, pro cauſarum diſparitate vario modo invaleſcunt, & differenti prognoſtico ſignantur; de ſingulis Hippocrates loquitur; & primo Convulſiones ab Elleboro inductas lethales eſſe 5. *aphor.* 1. docetur; violentum enim Veratrum Enormonticas concitationes compellere, anò, & catò provocatas ab ipſo everſiones oſtendunt, ideo etiam 4. *aph.* 16. *Elleborum periculoſum eſſe, cum convulſiones faciat* adhuc repetit; & certò quidem hypercatharſes omnes a quovis purgante inductas, ſpaſmum ſollicitare poſſe, 5. *aph.* 4. itidem docetur, quæ inquam, cum compeſcentia remedia non audiant, lethales evadunt. Sic pariter cum in hæmorrhagiis convulſiones emergunt, malum omen portendunt, ut 5. *aph.* 3. notatur; æqua enim lance humorum, & ſanguinis excedentia profluvia perpendi debent; item ex vulnere cum ſpaſmus inſurgat, 5. *aph.* 2. lethalis dicitur. Convulſiones vero iſtæ, licèt interdum Clonicæ ſint, hìc innuere ſaltem ſpaſmi Prognoſes quærebant.

11. In Curationis limine Diætæ leges audire primo convenit, quæ propriam ſex rerum non naturalium provinciam æque moderantur. Primo itaque Aeris ardores, maxime cum latrat Canicula, vitare, Hippocrates docet, 7. *aph.* 13. *Ab æſtibus fortibus Convulſio, & Diſtenſio mala*. Æſtivi enim ardores, impenſique ignis calores, ſpirituum exploſiones concitant, quæ in corpore diſpoſito ſpaſmi cunabula præparant; memini olim Juvenem bene nutritum ab æſtiva inſolatione Tetano correptum inviſiſſe, quem in quarto febris invaſit, & a morte redemit. Victus item ratio toto morbi ſtadio, in Tetano præcipue, tenuiſſima eſſe debet; cum acutiſſimus hic morbus de vita, & morte in quarto deliberet; juſcula ergo tantum, ex pullis junioribus confecta, bis in die, vel ter ad ſummum exhibita, ſufficere poſſunt; facilius enim in acutiſſimis eſt, nutrire potu, quam cibo; rigida vero regula iſta reliquis minus acerbis Convulſionibus aptari nequit, cum non præcipitem, ſed longum ſtadium percurrant; nimium enim tenuis cibus hoſce interimeret, maxime ſi doloris ſævitia vires diſſi-

Diætæ leges.

diſſipet ; ideo recte ſancitur 1. *aph.* 7. *quod tantum cibi indulgendum eſt ; quanto morbus extremis eſt mollior*. Qualitas vero ciborum, nondum primam cauſam, ſed & occaſionales, cum adſint, reſpicere debet ; cibos ergo, qui ſpiritus acoſmiam non foveant, ſed compeſcant, ſimulque occaſionalem fomitem non augeant, ſed infringant, ſeligere intereſt. Cavendum ideo ab illis, qui pingue nutrimentum ingerunt, vel acres particulas deferunt, ut aromatica omnia, ac volatilium ſelectæ carnes, quæ ſpirituum progeniem ubertim propagant, ac volatiliores procreant ; quamobrem pro Ægri conditione Vitulina, aut Vervecina carne, pulliſque junioribus ad ſummum uti poterit. Vinum omnino vitandum eſt, niſi languescentes vires oligophorum, & paucum expetere poſſint. Somnus item, & Vigiliæ debita moderatione dirigantur, ſomno potius indulgendo, quam iſtis, cum ille ſpiritus compeſcat, quos iſtæ ad ataxiam ſollicitent ; ideo cum dolor ſoporem prohibeat, hypnoticis opportunis illum conciliare, artis erit, duplici nempe motivo, & ut concitati ſpiritus quieſcere, & ut perſpirabiles ſordes ſub ſomno facilius eliminari poſſint, ſicque ſpaſmum fovere deſiſtant. Motus, & Quies in hoc affectu ponderationem recuſant, cum immobile corpus motus leges non audiat. Excreta pariter, & Retenta nil aliud hic petunt, niſi quod illorum ſegnities ad opus, provocetur, vel effrænes fluxus compeſcantur. Animi demum Paſſionibus hoc unicum remanet monitum, quod *Tullius* 3. *Tuſcul.* expoſuit. *Exiiſſe a poteſtate dicimus eos, qui effrænati feruntur, aut doloribus, aut iracundia &c.* Qui a doloribus ducti e Mentis poteſtate exeunt, dolores excandeſcendo non effugiunt, ſed in pejores præcipitant ; quia doloris cauſam magis exaſperant ; oportet ergo Paſſionibus frænum ponere, ne ad efferatiores tumultus Enormon provocetur ; ſicque dolor minuitur, cum doloris cauſa tolerantiæ fræno parere cogatur. Hæc innuit Diæta ; quid vero Pharmaca poſſint, expendere ſupereſt.

Curatio Tetani. 12. Spaſmum ergo, cum acutiſſimus ſit, cito tutoque compeſcere & licet arduum, omnes labores impendere, imminens vitæ periculum jubet ; aſperiori enim morbo validius occurrere, potiſſimum Artis noſtræ penſum eſt. Tetanus enim quarta perſæpe die vitæ interitum molitur ; ideo in ipſo morbi exordio efferam ſpirituum concitationem domare fas eſt, ne furoris metam attingat ; de hoc ergo nunc, de reliquis vero minus exitialibus differentiis, in ſequentibus ſermo erit. Primo itaque perpendere convenit, an Tetanus a ſpirituum propria thymoſi tantum, vel ab invaſo ſimul fomite promotus ſit. Noſcimus primum, cum a meris animi paſſionibus, ſimilibuſque procatarcticis cauſis, quem nullum infenſum ſuccum in fluidis deferunt, ſed Enormon ad excandeſcentias commovent ; affectio iſta ortum duxerit. Alterum vero noſcimus, cum ex effrænata victus licentia ſuccum nervoſum genus concitantem invaſum eſſe deprehendamus, quod ex propria diagnoſi deduci poteſt ; ambo itaque caſus noſtram nunc impleat paginam, ſic demum ad utrumque oppugnandum deſcendimus.

13. Ad primum ergo, cum a ſola ſpirituum exploſione. Tetanum inductum eſſe dignoſcamus, quid citius, tutiuſque ipſum compeſcere valeat, ad opus vocare intereſt. Inter cætera vero auxilia, phlebotomia ſe offert, a qua fluidorum turgentia ſæpius imminuta fuit. Hoc remedium in conſimili caſu etiam conſuluit *Hippocrates lib. de rat. vict. acut. num.* 37. ideo auctoritati, experientiæ, ac rationi firmiter innixus, phlebotomiam in Tetano præcipere nunquam ambigo ; pluries enim ab iſta promptum auxilium inſpeximus ; extremo enim huic morbo, extremum remedium deberi, ratio pariter ſuadet ; cum nullum celerius præſidium, quam propera fluidorum imminutio ſpirituum orgaſmon compeſcere æque poſſit ; notum quidem eſt, proximum ſpiritalis ataxiæ fomitem ſanguinis redundantiam eſſe, qua ſemel imminuta, rapitur cum fomite flamma, ſicque ſpirituum compeſcuntur furores. Hoc ergo auxilio utimur, maxime cum corporis habitus, ætas vegeta, vireſque robuſtæ, vel conſuetæ hæmorrhagiæ ſuppreſſiones, cæteraque *Phlebotomia primum.* ſimi-

ſimilia hoc ipſum petant remedium ; ut plurimum enim in virenti ætate , robuſtaque corpora Tetanus invadere ſolet , ac ſæpe adhuc poſt diuturnas hæmorrhoidum ſuppreſſiones , ut pluries vidimus . Sanguinis demum quantitas pro indicantibus menſurari debet , ut cito , & conferenter tanto utamur auxilio .

14. Celebrata ergo phlebotomia, eadem die lenem purgationem , pro primarum viarum expiatione duntaxat , inſtituere convenit; ideo ſeſquihora poſt venæ ſectionem , vel Potion. magiſtr. ſolutiv. vel aliud ſimile propinetur ; ut appropriata remedia celeriter exhibenda , per deterſas vias illibata ducantur. In hoc negotio præparantibus uti vanum eſt , cum acutiſſimus morbus inducias renuat ; at ſi tenax maxillarum conſtrictio , ut ſæpe contingit , oris oſtium auxiliis claudat , tunc validum clyſterem applicare , ac repetere juvabit , ſimiliter inunctiones circa aures primum ex oleo Buxi , poſtea Theriacam recentem cum ſucco Rutæ malaxatam apponere intereſt , ut oris introitus aperiatur , quæ non ſemel poſt phlebotomiam , ac replicata clyſmata, dictaſque inunctiones apertum vidiſſe memini; ſtatimque radicis peoniæ, vel liquiritiæ fruſtulum inter dentes immittere oportet , ut recluſum ſervetur ; ac reſpirationi primum, & auxiliorum intruſioni facilis aditus pateat . Præmiſſa ergo Potione purganti de mane , debitoque tenuiſſimo victu Patiente refecto , eadem die poſt veſperas hora una ſaltem ante juſculum cœnæ , ſequentem mixturam propinet .

℞. *Cremor. Cinnabar. ſcrup. ſem.*
Spirit. Vitriol. antepilept. gut. xv.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. x.
Aqu. Flor. Tiliæ unc. j. ſem.
M. pro una Doſi.

Cremor Cinnabaris, ac Spiritus Vitriol. antepilepticus in Cap. de Epilepſia jam expoſiti ſunt . Altera pariter poſt juſculum hora Opiatam ſequentem ſumat .

℞. *Conſerv. Flor. Tiliæ*
Roſar. aa. Drach. j.
Spirit. Vitriol. antepilept. gut. x.
Laudan. Cydon. liquid. gut. vj.
M. f. Opiata pro Doſ.

Hiſce demum peractis primam Curationis diem claudere ſoleo .

15. Altera die valde mane ſupradictam mixturam exhibere , ac item hora ſaltem ante juſculum prandii ſimilem alteram replicare , & ſic pariter hora una ante juſculum cœnæ tertiam ſimilem propinare oportet , ut pluries replicato compeſcenti remedio ſpirituum ferocia parere compellatur . Cum verò dictum auxilium , quod validum eſt , ad manus non ſit , ſequenti etiam efficaci uti convenit . *Altera die .*

℞. *Tinctur. Spaſmodic. gut. xv.*
Spirit. volatil. Vitriol. gut. vj.
Cinnab. Ungar. ter. ſublimat. gr. vj.
Aqu. Ceraſor. nigr. unc. j. ſem.
M. ſimiliter pro Doſi.

Tinctura antiſpaſmodica , a Celebri Pharmacop. Jo. Hieronymo Zannichelio inventa , fit. ℞. Theriac. 3. annor. unc. vj. Spirit. Ceraſ. nigr. offa Helmont. fortificat. infund. ad eminent. 2. digitor. digerat , ac per decantat. Tinctur. a fundo ſeparetur . Unam ergo vel alteram ex dictis Mixturis ter in die uſque ad Quartum incluſive , qui fatalis eſſe ſolet , propinare oportet , eodem ſemper tenuiſſimo victu utendo , ac opiatam poſt cœnæ juſculum continuando . Externa demum auxilia internis fœderare, adhuc intereſt ; plures enim ad opus tantum connectere manus , *mortali urgemur ab hoſte* ; ideo primum totam dorſi ſpinam ſequenti linimento ter in die inungere eſt opus .

℞. *Ol. deſtill. Succin.*
Lumbr. terr. aa. gut. xij.
Spirit. Camphor. gut. x.
Pingued. Caſtor. ſcrup. ſem.
M. pro una vice , cum recens ſemper parandum ſit .

Item pedum , manuſque volas linteis , ſequenti Decocto madidis , fovere, continuo intereſt .

℞. *Fol. Lactuc. Solan. Nympheæ aa. manip. iij.*
Flor. Camomill. Melilot. Verbaſc. aa. pugill. ij.
Capit. Papav. alb. contuſ. num. x.
Aqu. Fontis lib. xij.
Coqu. ad mediam , & tepid. utatur ut ſupra .

Hæc ergo ad quartam uſque diem continuata , non ſemel fauſta comperiiſſe con-

confiteor, cum ſuperato Quarti periculo, ſenſim rigida membra, febre non raro auxiliante, ad naturalem tonum reſtituta inſpexerim. Hæc demum in Tetano primi caſus, nunc ad alterum deſcendimus.

Ab Acri labe Curatio. 16. Cum vero ab Acri ſucco Tetarum inductum fuiſſe dignoſcatur, tunc ſupradatam methodum haud dimittere, ſed aliquid adhuc illi adijcere, juxta exigentias, conveniet. Primum ergo etiam in hoc caſu, imo & in hoc præcipue, Venæ ſectio inſtitui debet; dum tamen prohibentia non reclamitent. Acris enim lues, in ſanguine primo gliſcens, cum ipſo quidem ad cerebrum aſcendit, & inde in nervos deſcendit; in ſanguine ergo redundans, phlebotomiam certo expetit; acres enim particulæ, utpote inrequietæ, ad vehementes commotiones ſanguineam maſſam concitare ſolent, ut pluries alibi oſtendimus. Cum ergo motus hoſce nil citius, tutiuſque, quam tempeſtiva phlebotomia compeſcere poſſit; hujus ideo auxilii neceſſitas perſpicua hic quoque oſtenditur; maxime quia per ipſam venæ ſectionem & ſpirituum excandeſcentia, & illius fomes una ſimul imminuantur. Depleto igitur ſanguine, perpendere adhuc intereſt, an acris hæc lues propriam originem in ventriculo condat; equidem ex accenſa bile in ſtomacho regurgitata, (quod ſæpe Picrocholis, ac morbo huic obnoxiis contingit, ut lethales in Tetano vomitus, ſupra *num.* 10. indicati, oſtendunt) ſulphureo acres illius particulæ inibi radices figunt, quæ morborum germina pullulare ſæpe ſolent, ac non raro ſpaſmi ſeminium evadunt; hujus ergo in ſtomacho latitantis hoſtis diagnoſtica ſigna examinare intereſt, & cum iſta occultum infenſum tuto pandant, ut cito eliminetur, illico poſt phlebotomiam Emeticum propinare, eſt opus; quod ſi convulſæ maxillæ oris oſtium claudant, auxiliis *ant. num.* 14. expoſitis uti convenit. Vomitorium vero ex *Oxyſacchar. emetic. ad unc. j.* cum appropriato vehiculo præſcribatur, & cum opus ſit, decenti paregorico ſtomachi vomituriționes compeſcantur. Semel vero Emeticum uti convenit; ſuccus enim iſte facile mobilis vomitorium cito audit, ac diutius concitari, maxime in hoc caſu, non patitur; ideo cum ſtomachi everſiones plus æquo producantur, Paregorico ſequenti uti oportet.

℞. *Aqu. Papav. Erratic.*
Acetoſell. aa. unc. j. ſem.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xv.
Spirit. volatil. Vitriol. gut. vj.
Sal. Abſinth. eſſential. ſcrup. ſem.
M. pro Paregor. unius Doſis.

Poſt ſeſquihoram circiter panatella exhibeatur, quæ licet victum tenuiſſimum excedat, in hoc caſu tamen concedi debet, & ſic pariter omni die uſque ad quartum. Poſt veſperas autem, hora ſaltem ante juſculum, quod tantum cœnam abſolvat, mixturam *n.* 14. *vel* 15. ſupra datam, una cum Opiata poſt juſculum, eadem inibi præſcripta methodo aſſumere debet; & ſic primam curationis diem claudere.

17. Altera item die cum Clyſteres purgantes, in antecedenti die non expetiti, applicati non fuerint, ventriſque ſtypticitas evacuationem repoſcat, clyſmate valido uti convenit, quod ante omnia primo mane applicetur, quo reddito ad mixturæ uſum accedatur, iiſdem, ac eadem methodo, quam *num.* 14. & 15. ſupra datum eſt. Unicum vero caſum (cujus Tetanum ab Acri lue promotum fuiſſe dignovi) olim habuiſſe memini; in hoc ergo cum tertia die, dictis auxiliis adhibitis, nullum levamen inſpexiſſem, timens ne in quarto Patiens decederet, ſupradatæ mixturæ aliquid addere, ac pluries in die replicare ſtuduimus, quod ſequenti modo, fauſto tandem cum eventu, præſcripſimus.

℞. *Cremor. Cinnab. ſcrup. ſem.*
Spirit. Sangu. human. gut. xij.
Vitriol. antepilept. gut. xv.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. x.
Aqu. Papav. errat. unc. ij.
M. pro una Doſi.

Hæc doſis per ſex vices intra 24. horas replicata fuit, & poſt quartum Tetanus ſenſim, repetitis omnibus auxiliis, tandem evanuit. Sic denique in cæteris hujus cenſus, omnibus antea datis externis auxiliis uti convenit; quæ omnia in acutiſſimis hujus morbi ſpeciebus ſatis eſſe poſſunt.

18. Spaſ-

Spaſmus non acutus. 18. Spaſmus item, qui nec tam celeri greſſu periodum abſolvit, nec integrum corpus proſternit, ſed partem aliquam tantum occupat, non tam arcta indiget curatione; alia enim & minus periculoſa, & minus curatu ardua convulſionis ſpecies eſt; aliiſque occaſionalibus cauſis interdum concitata, quas in internas, externaſque diſtinguere, morbi diſparitas petit. Et primo interna occaſio non ab alio, quam ab Acri ſucco, nervos affectæ partis intime vexante, tuto deducitur; hæc enim aura quaſi ſpiritibus infenſa, cum aliquam nervorum originem invadat, per omnes illius nervi ramulos una cum ſpiritibus intruſa, animalem inibi œconomiam evertit; ſicque partem illam, ab affecto nervo directam, ob moventis excandeſcentiam, ad rigidam tenſionem occaſio iſta compellit. Hunc ergo acerrimum hoſtem in hac quoque ſpaſmi ſpecie, iiſdem pariter ſupra datis auxiliis, ac eadem, minus tamen rigida, methodo expugnare oportet; cum enim hujus periodus diuturna ſit, ideò nec remediorum aſſiduitate, nec Diætæ ſævitia uti convenit, ſed methodum ſequentem inſequi decet.

Curationis methodus. 19. Primum itaque Phlebotomiæ auxilium, cum prohibentia non renuant, minimè dimittendum eſt; eadem enim hic ratio militat, quæ *ſupra num.* 16. expoſita fuit. Sic pariter cum acris lues radices in ſtomacho fixiſſe, ex propriis ſignis dignoſcatur, expetito Emetico etiam uti oportet, ſemel verò tantum, ne acri ſucci fervor, plus æquo concitatus, effera ſymptomata inducat, morbumque ſimul adaugeat. Emeticum verò ſupra datum, hic quoque opportunum erit, ſimiliter, & paregoricum, cum expeti videatur; hæc prima curationis die de mane; Cibum in prandio haud tenuem omnino eſſe, Patientiſque conditionibus conferentem, ne vires a diuturniori ſpaſmo dejiciantur, miniſtrare intereſt; vinum verò, quovis permittente inaudito, prohiberi debet; cum ineluctabile prohibens ſpaſmus ſit. Veſpere verò ſeſquihoram ante cœnam, quam unica panatella abſolvere debet, unam vel alteram ex ſupra datis mixturis aſſumat, ac Opiatam pariter ut inibi dictum fuit; ſicque prima curationis dies claudi debet. Altera die, cum ex procatarcticis cauſis opus eſſe noſcatur, lenienti etiam Catharctico uti expedit, ut primis viis expiatis, appropriata remedia ſine labe proprium penſum abſolvant; quod item magis opportunum erit, cum poſt Emeticum ſtomachi exagitatio diu perſiſtat, indicans quod acris lues, non omnino eliminata, in motu ſit, ideo per catharſin facilè depelli poſſit, & debeat; Catharcticum verò appropriatum Potion. Magiſtr. ſol. commun. cujus infuſ. Rhabarb. additum ſit, per me cenſeo. Veſpere demum eadem uſurpentur, quæ ſupra nunc diximus; ſicque ſequentibus diebus mane, & ſero uſque ad ſeptimum mixturæ indicatæ ſimul cum cæteris internis, externiſque remediis, accurate replicentur; parti verò ſpaſmo affectæ ſequenti Barbette unguento illinantur.

℞. *Ol. Limac. Ol. Lumbric. Ol. Seſam. aa. unc. j.*
Pingu. Ariet. Vulpin. aa. unc. ſem.
Butir. non ſalit. Drach. vj.
Spirit. Vin. unc. iij.
Coqu. ad Spirit. conſumpt. addendo
Ol. deſtill. Spicæ Roriſmar. Succin. alb. aa. Drach. ij.
M. & f. l. a. Unguentum.

20. Haud valde diſſimilem Curationem pariter petunt Convulſiones illæ, quæ vel a purgantibus excedenti doſe propinatis, aut a Venenis, vel alio quovis infenſo induci poſſunt. *Spaſmus ab intro-ſumptis.* In hac linea horrendam olim tragœdiam vidiſſe memini; integram enim familiam a venenatis Fungis atroci ſpaſmo interemptam inſpeximus. Horum omnium caput, collumque rigide convulſa erant, ac inexpugnabilis maxillarum conſtrictio, facies lividæ, ac membra nigris petechiis fædata, pulſuſque omnino deperditi, proximum indicabant interitum. Hiſce miſerrimis nullum externum, ex tot adhibitis, auxilium profuit; nam os omnium ita clauſum erat, ut nullis tentatis remediis unquam aperiri potuerit; omnes demum intra ſex horas è vita ſimul deceſſerunt. Vah delicioſa tubera terræ ſemper noxia, ſæpeque lethalia, hic *Cicero pro Cælio* audiri meretur. *Vitium ventris, & gutturis non ſolum minuit ætatem hominibus,*

bus, *ſed etiam aufert*. Sed ad noſtra redeamus; in dictis ergo, ſimilibuſque caſibus, cum ſpaſmus Caput occupet, os apertum ſervare apprimè convenit, ut ſuggerendis auxiliis pateat ingreſſus; remedium verò præcipuum, multis indicationibus expetitum, Emeticum validum eſſe debet, ut venenum aſſumptum omnino eliminet; ideo bis, terve illud replicare opus erit. Quod ſi oris janua pateat, intimæ tamen fauces convulſæ, remediis aditum inhibeant; tunc primo linguæ radicem, ac fauces mixtura ſequenti illinire intereſt.

℞. *Ol. deſtill. Lumbric. terr.*
Succin. aa. ſcrup. ſem.
Spirit. Camphor. gut. xij.
M. pro liniment. ſæpius applicand.

Ol. deſtill. Croc. orient. cum ad manus ſit, ſolum ad hoc opus ſufficit. In deſperato vero caſu poſt remedia, *ſupra num.* 14. pro hac exigentia expoſita, per horas aliquot replicata, ſequenti externo uti poteſt.

℞. *Succ. Tithymal. Cataput. minor. aa. unc. ſem.*
Colocynth. Ellebor. nig. aa. drach. ij.
Cortic. median. Samb. Drach. iij.
Concif. cum mell. q. s. f. Cataplaſm. quod ad os ventricul. apponatur.

Plures ab hoc externo vomitus ſperare licet, ut multoties in deſperatis hiſce, ſimilibuſque caſibus compertus ſum. Cum vero intentioni ſatisfecerit, removendum erit; ac Oleo expreſſ. Nuc. Moſchat. Balſam. Peruvian. ac Succ. Menth. probè mixtis, tota Ventriculi regio illinatur, & cum opus ſit, paregoricum aliquod propinetur. Evocato demum veneno, dum ſpaſmus perſiſtat, cæteris ſupradatis adhuc uti convenit, donec integra ſalus reſtituatur; & hæc tandem quo ad intimas morbi hujus occaſiones ſatis eſſe poſſunt. Cæteræ vero ſpaſmi ſpecies, quæ vel a nervorum vulnere, aut punctura, vel uſtione, ſimilibuſque externis emergunt, Chirurgiæ curationibus reſervantur.

APPENDIX.

Plurima hic etiam, ad Juniorum gratiam, Peritique reminiſcentiam; ac Patientum gratificationem addi poſſunt, quæ hinc inde clariores Medici reliquerunt; pauca tamen ſolito more ſeligere ſtuduimus. Et primo purgantia dimittimus; cum ſæpius Morbi hujus cauſa purgationem non indicet, ſed ſpirituum ſedantia potiſſimum expetat; ideo pro hiſce, quæ propriam cauſam reſpiciunt, aliqua adhuc annuere decet, videlicet.

Sedativum magnum Cnoffellii.
Eſſent. ſang. human. Rulandi.
Spirit. ſangu. human. ſimplex.
Sulphur. Vitriol. narcot. Batei.
Balſam. ſuccin. Butei.
Pulv. Convulſiv. Horſtii.
Antidot. Convulſ. Sennerti.
Elixir. Vitriol. noſtrum, quod fit

℞. *Fol. Beton. Salv. Lavend. aa. manip. iij.*
Specific. Cephalic. Michael. Drach. iij.
Sacchar. Candidiſſ. unc. iij.
Ol. Vitriol. Spirit. Vin. aa. lib. j. ſem.
M. & diger. per menſem, filtra, ac ſerva. Doſ. Drach. ſem.

ſpecificum hoc eſt in conſimilibus urgentiis tutiſſimum, pluries a nobis compertum.

Inter Externa demum non infimæ activitatis ſunt.

Oleum Saponis Batei.
Balſam. Nervin. Scheffer.
Oleum Lumbric. terr. deſtillat.
Unguent. Convulſ. Barbet.

Aliaque plurima tam externa, quam interna remedia, quæ ſequent. capit. de Epilepſia deſcribuntur, Periti ſaltem ad hanc opem advocare poterunt.

CAP. IV.

De Epilepſia ejuſque Curatione.

1. NOminibus variis hinc inde conſcripta Epilepſia perlegitur; nunc enim Caducus, nunc Comitialis, & nunc Herculeus morbus, aliiſque nomenclaturis deſignatur a Plurimis, quæ apud Veteres perlegi poſſunt; cum nos dimiſſo cortice, morbi nucleum petamus. Arduam vero indaginem aggredimur, quæ tot ſapientum labores inaniter perſæpè defatigavit; cum tam repentino, quam occulto impetu jaculatum hoc fulmen inſpiciamus, ut quis intimus fulminans ſit, quaque vi machinam viventem concutiat, proſternatque violentia, difficillimè penetrari ſortiatur. *Opinionū varietas.* Veteres primo veram cauſam cum prophaſi confundendo, nunc a pituita cerebri ventriculos invadente, nunc a melancholico vapore ad cerebrum aſcendente, & nunc alii aliter caduci originem deducere ſategerunt; hinc vel Ideopathicum, vel ſympathicum eſſe, unanimiter ſtatuere; ſic quo plus lucem a conjecturis quærebant, eo magis

—— *Ibant obſcuri ſola ſub nocte per umbras.*

Ideo inter illos oculatus Crato (ut Hofman. in Commento Galeni refert) Veteres caligare videns, petere ſolebat. *Quod utinam Epilepſiæ cauſam ante finem vitæ ſuæ aliquis oſtendiſſet*. At nec minus Neoterici ab hujus morbi centro diſtantes lineas duxerunt; cum & ipſi a meris exteris cauſis Epilepſiæ ortum, & eſſe deſumere niſi ſunt; qui enim Acre, & qui Acidum virus, ut proprium hujus tragædiæ Actorem in ſcenam ducunt; ſicque occaſionibus aliquando contingentibus, intimam Caduci cauſam poſtpoſuere. Hæc, inquam, aliorum meſſis eſt; quid vero noſtra Ceres promittat, videbimus.

Opinio noſtra. 2. Qui ergo rectè penſitat, intimeque conſpicit morbum, ſolam Enormonticam acoſmiam Epilepſiæ naturam conſtituere dignoſcet; nec exteram ullam a perturbato ſpiritu alienam cauſam intimum Caduci conſtitutivum exiſtimabit. Sola enim ſpirituum ataxia univerſam animalem æconomiam, quæ illius juris eſt, tam citò evertere poteſt; cum ſolus ille, qui motus, & ſenſus ducit, eoſdem in inſtanti depravare, ac omninò dimittere poſſit. Sic ergo deficiente ipſo, motus ſenſuſque omnes eclipſes patiuntur; cum omnium regimen ſpirituum motùs ordinatus dirigat, inordinatus dirimat. His ergo præcognitis, Morbus iſte ita deſcribitur. *Eſt*, inquam, *Epilepſia ſubitaneum ſpirituum animalium deliquium, ab illorum acoſmia inductum, quo ſenſus, motuſque illicò deficiunt, ſymptomatiſque plurimis aditus panditur*. *Deſcriptio morbi* Symptomata ſunt, mentis alienatio, ſenſuum feriatio, membrorum concuſſio, artus, pollicíſque contractio, dentium ſtridor, labiorum ſpuma, integraque, pro morbi modo, nervoſi generis jactura; nec horrida hæc ſcena abſolvitur, niſi ad innatos, compoſitoſque motus animalis ſpiritus redeat, tunc citò, & integrè propria ſenſus, motuſque munia vitalis machina inſtaurat; tota ergo hæc tragædia Enormon ſolum peragit, ſed infra clariori lumine hæc dignotio eluceſcet.

3. Partes adhuc, quas caducus pervertit, omnia, & ſingula, pro motu, *Partes affectæ.* & ſenſu inſtituta, organa ſunt, hæc inquam, vario modo ab effræni ſpiritu vexantur; deperditum enim Enormon, debita moderati regiminis jura violare compulſum, motus inſtrumenta extorquet, ſenſuſque organa evertit; unde illa convulſiones patiuntur, & iſta objectorum impreſſiones non audiunt; ſed ſtupida omnia

Torpore inerti, & morte imitata quieſcunt.

Partes itaque, quas Epilepſia divexat, ſenſus motuſque organa eſſe, illorum ſubverſiones oſtendunt; nec niſi inane ſtudium conſidero, acutius aliquid in hac indagine philoſophari velle; cum & longè a morbi centro hæc inveſtigatio conducat, & ad praxin dirigendam inutilis, ac perniciosa perſæpe ſit. Sic pariter tot inventæ Caduci morbi Differentiæ, *Differentiæ.* quæ pro Diſſidentium placitis inaniter multiplicantur, adhuc controverſæ, ac indefinitæ vagantur; cum re vera ultra magis, & minus, nullam propriè dictam differentiam Epilepſia digno-

dignoſcat. Equidem unica ſemper intima ipſius cauſa eſt, quæ unicum pro turbationis modo plus, vel minus atrocem morbum efficere poteſt. Quæ vero ab externis occaſionibus differentiæ petuntur, non morbi ſpecies, ſed conditiones multiplicant; ideo de hiſce ſicuti nihil pro nunc, ita in Curatione decens ſermo erit.

Diagnoſis cautiones. 4. Signa item morbi hujus æquo ampliori campo a Pluribus deſignata fuiſſe perlegitur; cum convulſivos affectus alios, aliorumque morborum effectus, intra Epilepſiæ cancellos aggregare, non reputaverint. Nos autem illorum placita, etſi non deſpicimus, minimè tamen approbamus; cum illas tantum epileptico charactere ſignatas Affectiones eſſe noſcamus, quæ integram ſenſus, & motus, plus minuſve acerbam deperditionem inducunt; quæ vero motus, aut ſenſus aliquem uſum relinquunt, ad alias morborum claſſes reduci debere, tutò dijudicamus. Sic Monialis illa *Riverii cap. de Epilepſ.* deſcripta, ad furorem uterinum potius, quam ad Caducum pertinere arbitramur. Sic illam Pueri currentis, *Curſivam Epilepſiam a Boetio de affect. omiſſ. cap.* 6. nuncupatam, ad maniam potius reduci debere. Sic pariter alteram ſtantis, & delirantis a *Benivenio de abdit. morb. cauſ. cap.* 97. deſcriptam. Tandemque conſimiles caſus plurimos, a Practicis caduco morbo attributos, eadem virga quadrare, fas eris; ne ſub tanto equivoco improbæ curationes inſtituantur. Conſimile quid Bononiæ ſub celebri Malpighio inſpicere mihi contigit. Nobilis, & nubilis Virgo Annorum 26. deſperato amore ducta, in hyſtericas paſſiones incidit, quibus cum vexabatur, repentè ſurgere, choreas ducere, in riſum, & fletum ſolvi, vana plurima loqui, tandemque ruere cogebatur, motibuſque variis convulſivis paroxyſmum epilepticum ſimulabat, audiebat tamen, videbat, truncíſque verbis ad interrogata ſæpius reſpondebat. Ab aſſiſtentibus Medicis per annum circiter pro Epileptica curata, imo vexata fuit; tandem ab acerſito Malpighio rectius cognito morbo, appropriatis uterinis remediis, & cum ſpe concupiti ſponſalis (tantæ moles erat, animi furores compeſcere) citò, & integrè reſtitutam vidimus. Cavendum ergo ſemper, ne deceptam Diagnoſin non cura, ſed incuria ſequatur; hæc obiter, ſed appoſitè pro tuta ſignorum dignotione, præmittere duximus, nunc ad illorum indaginem accedimus.

5. Propria ergo Epilepſiæ ſigna duplici claſſe deſcribuntur, Antecedentia nempe, & Concomitantia, quorum ſeries ſequens eſt. Antecedentia primo nec ſoli, nec ſemper Epilepſiæ conveniunt, ſed cum aliis Cerebri morbis promiſcua eſſe ſolent; ſunt itaque Capitis gravitas, vel dolor invadens; ſomnus, qui laborem faciat; vel Vigiliæ plus ſolito moleſtæ; Vertigo item, vel oculorum Caligines, aut coruſcationes; aurium tinnitus, vel ſurditas ex templo inſurgens; narium fœtor gravis, vel ſternutatio moleſta; linguæ contractio, vel diſſolutio, quæ loquelam præpediat; oris Oſcitatio, membrorum Pandiculatio, aut convulſio incipiens. Cum verò ſtomachus caduci fomitem ſuggerat, tunc pro culpæ modo, vel anorexia, vel inſolita edacitas, aut præcordiorum tenſiones, vel anxietates, anhelituſque difficultates emergunt. Quod ſi Uterus furens caduci ſtimulos addat, tunc mentis furores, vel dementiæ primo invadunt; vaſorumque urinæ, vel ſpermatis relaxationes emergunt, quæ adhuc Hypochondriacis Epilepticis contingunt. Animi demum pathemata, pro ægri propenſione repente ingraveſcunt, unde terrores, aut mœſtitiæ, vel abſque ſtimulo iracundiæ inſurgunt, quæ buccinæ quædam ſunt, inceptam ſpirituum acoſmiam evulgantes. Horum ergo aliqua, vel plura cum emergant, & maxime cum in paroxyſmi limine aliàs emerſerint, vexilla certo ſunt, quæ morbum imminentem denunciant. *Signa antecedentia*

6. Concomitantia demum ſigna, vulgi etiam oculis conſpicua ſunt, non omnibus tamen propria omnia innoteſcunt; ideò proprias notas diſtinguere nunc intereſt. Primo itaque Paroxyſmus vel præmiſſis nunciis, vel inopinatus invadit; præmittit, inquam, cum ultra ſupra data ſigna, muto quodam delirio, confuſoque diſcurſu Patiens ca- *Signa concomitantia.*

capiatur, quod Enormonticæ acoſmiæ primordia prodit; hinc mæror, vel fletus, convulſioneſque incipientes, nunc labia, nunc oculos, demumque membra invadunt; & cum extremos acoſmiæ limites Enormon attigerit, pleno impetu paroxyſmus ingruens, repentino lapſu ægrum proſternit, & cum gravis morbus ſit, membra omnia convulſionibus exagitat. Os item vel clauſum dentibus ſtridet, vel apertum morſibus linguam lacerat; duroque ſæpe anhelitu animam expirare oſtentat. Oculi pariter vel lacrimas fundunt, vel protuberantes exitum tentare videntur. Sæpe etiam manuum pollices arctiſſimè contrahuntur; fæcum item, feminiſque meatus cum graviori morbo relaxantur. Jacet denique humi ſemivir ſemivivus; & cum lethum evadat, ſub paroxyſmi termino convulſiones, ac dentium colliſiones ſenſim compeſcuntur,

Spumaque ſtridentes circumfluit albida rictus.

Excuſſo demum morbo, pavida confuſio vitæ oculos aperit, motuſque reſtituit, ac illatas clades oblivionis in urna claudit, ne patiens ſciat, quæ dura perpeſſus ſit. Stupenda nimis affectio, quæ illico a ſpirituum culpa inducitur, ac illico etiam a ſpirituum emendatione corrigitur! Hæc ergo caduci ſigna, plus minuſve ſevera, ejuſdem atrocitatis gradus exponunt, quæ recta lance perpenſa, ſingulos morbi modos diſtinguere, ac a ſimilibus affectionibus diſcernere poſſunt.

Cauſarum indago. 7. Expedita Diagnoſi, ad arduam cauſarum indaginem nunc accedimus, in quarum ſcrutinio haud nimium defatigare confidimus; cum favente Deo, veram Caduci cauſam claro lumine inſpicere credamus. Noſcimus enim, exaſperatum Enormon unicum Epilepſiæ auctorem, ac productorem eſſe; ſine cujus depravato impetu, ac inordinata impulſione Caducus morbus nec eſſe, nec concipi poteſt, ut infra notum dabimus. Hæc tamen unica ſemper Epilepſiæ cauſa, propria ſæpe thymoſi excandeſcere ſolet, & ſæpius etiam alieno ſtimulo irritatur, & ad acoſmiam compellitur; externus verò hic ſtimulus haud cauſa quidem, ſed mera Caduci occaſio eſt, quæ veram morbi cauſam contingenter provocat. Hoc verò exterum irritans cum adſit, nec ſemper idem eſt, nec eodem ſemper modo Epilepſiam ſollicitat; cum quodlibet nervis infenſum proxima occaſio eſſe poſſit, quæ ſpirituum concitet acoſmiam. Duplex ergo indago ad morbi hujus penetralia nos ducit; prior propriam Caduci cauſam; altera occaſionales contingentes exquirit; ad utramque igitur pro viribus explorandam, ac explicandam accedimus.

8. Et primo legitimam Caduci cauſam concitatum Enormon eſſe cenſemus; cum acoſmiæ impetu ductus, univerſam animalem œconomiam evertere cogatur; hæc veritas ſic oſtenditur. Integra Epilepſiæ tragædia ſenſus, motuſque ſubita depravatione, ac peperditione abſolvitur. Ille ſolus ergo, qui motus, & ſenſus exercet, producit, ac perficit, ille inquam propria, ſibi ſoli reſervata munia depravare, ac abolire, potis eſt; nec extraneum quodlibet hæc jura uſurpare unquam poterit. Actio enim, qua talis, non niſi a proprio Agente, a quo ſuum eſſe, & proprietates deſumit, oriri, & perfici, vel depravari, & deperdi, æque poteſt. Infenſa ergo illa, quæ in hac linea cauſarum titulo decorantur, nil aliud prorſus agunt, niſi quod legitimum ſenſus, & Motus Actorem, in operis exercitio perturbant, & ad excandeſcentiam ſollicitant; iſta enim ſicuti animales functiones producere nequeunt, ita in illarum depravatione ut occaſiones perturbantes ſe ingerunt, quibus aliquando invadentibus, (nam contingenter in hac ſcena eſſe, & abeſſe poſſunt) a regulato regimine animales ſpiritus diſtrahuntur, ſicque a recto ordine deflexi ataxiam concipiunt, propriaſque functiones depravant, & cum extremum acoſmiæ gradum attingant, ad propria munia omnino impares, animalem œconomiam ſubvertunt; ſolitis enim ac moderatis impulſionibus deſtituta organa, ac inſueto ſpirituum furore vexata, alia convulſa ſtrepunt, aliaque ſtupida ſilent. Hæc ergo haud perpenſa, licèt alias nota, & neglecta veritas, præpoſteris inveſtigationibus anſam præbuit, veramque morbi hujus Cauſam variis, ac ſæpe non exiſtentibus, *Epilpeſiæ cauſa.*

bus, occaſionibus poſtponere ſuaſit. Verum ut clarius adhuc elucеſcat; Epileptici paroxyſmi lapſus, & ſurrectionis conditiones, ſimulque Juvantia, & lædentia æqua lance ponderare adhuc intereſt.

Caduci Lapſus perpenditur.

9. Et primo Caduci Lapſum intus, & extra inſpectum, nil certo aliud, quam ſpirituum ferocientium ſubverſiones oſtendunt. In Paroxyſmi limine apprimè videmus, confuſum Patientem, attonitumque obmuteſcere, vel incondita blaterare, riſuve ſardonico, vel fletu vexari; demumque, ſubito quaſi fulmine tactum, illico ruere; proſtratum inde convulſivis motibus concuti, ſæpeque dentibus ſtridere, vel linguam mordere; tumentes oculos extuberare, variis ſæpe coloribus faciem mutare; ſemen, ac fæces conſtrictoriis apertis muſculis profundere; demumque ſemimortuum palpitare, gravique anhelitu ſpiritum fugacem attrahere, obſervamus. In hac ergo tragica Epileptici ſcena quid quæſo inſpicitur, niſi ſpiritalis acoſmiæ, furoriſque ubique impreſſa veſtigia? ſed hæc externæ ſtrages ſunt; quid vero mentis lumen, quod ſecretiora ſcrutatur, in intimis adhuc detegat, videamus. Sub cute primo contractos muſculos videt, convulſivo niſu agitari; quia plus æquo a vehementi ſpirituum appulſu vexantur. Senſuum organa ſilere, nullamque objectorum impreſſionem audire; quia exundante ſpiritu inflati nervi, placidas undulationes, quibus organa modulantur, amiſerint. Cerebri tribunal ſpecierum controverſias non judicare; quia ſpirituum acoſmia illarum ordinem confundit, ac evertit. Sic Mentis lumen a nimio ſpirituum impetu exagitatum, ac pene extinctum deficere. Animam denique ipſam ab Enormontico tumultu quaſi fugacem, in ſanguinis regione, ut vitam tueatur, ſe condere;

Sic domus interior fremitu, miſeroque tumultu
Miſcetur. Virg.

cum Poeta concludimus. In hac ergo ſincera Epilepſiæ graphide alium neminem tantæ cladis Auctorem, præter Enormon, cæco ataxiæ ductu ferocientem dignoſcere ſcio; ſingulæ namque ſtrages iſtæ illius furorem declamant. Equidem ſicuti Senſus, Motuſque munia tunc rectè peraguntur, cum placidæ ſpirituum expanſiones decenti ordine ad opus dirigantur; ita tunc depravantur, cum rectus ipſorum ordo, ac regimen ab acoſmia perturbentur; ſicque pro confuſionis gradu major, minorve organica depravatio ſæpe contingit; ut ex. gr. in Vertigine pauliſper; in Delirio autem magis; in Caduco tandem maximè organorum depravationes, ac deperditiones inviſuntur.

Reſurrectio exponitur.

10. Caduci lapſu inſpecto, illius diſcuſſionem expendere adhuc intereſt; plurima enim in hac reſurrectione latitant neglecta, quorum aliqua relevare inſtituta indago petit. Primum ergo ſit, dignoſcere qua virtute Epilepticus, ad funeſtum prope lapidem proſternatum, tam facilè ferocem paroxyſmum excutiat. Scimus enim plurimos ſine medico auxilio, proprioque tantùm niſu morbum diſcutere, & quaſi Anthei ſimiles

Cui tellus robur, vireſque miniſtrat.
Lucan.

ab humo ſurgere, validoſque ut antea priſtina munia reſumere, perpeſſamque cladem nec memorari. Hæc, inquam, ſerio perpenſa, firmiter ſuadent; quod tot functionum lapſus Enormon ſolum inducat, ſolum reſipientem ocyter inſtauret: proprios enim defectus ſolus ille tam cito corrigere poteſt, quia ſolus deliquit; ideo ſolus ille reficit, qui ſolus defecit. Et certo quidem dum ab extera cauſa tot ſtrages inductæ fuiſſent, non utique tam cito, nec ad integrum ſemper, abolitæ functiones incolumes reſurgerent; nec ſine virium jactura (ut cæteri morbi oſtendunt) Naturæ cum extero pugna abſolvi poſſet; nec ſine aliquo impreſſo læſionis veſtigio exterus hoſtis decederet; nec tandem abſque ſenſibili eliminationis ſigno morbidus fomes evaneſceret. Quæ cum in caſu noſtro non adſint, manifeſto ſuadent, quod extraneum nullum Epilepſiam intimè ducat, proprioque influxu producat; ſed unicum delinquens Enormon ſit, quod cum propria deliquia corrigat, integram illico ſalubritatem reſtauret. Nec dicant; quod extraneum hoc infenſum, cum

cum ſumme volatile ſit, in ipſa cum ſpiritus lucta facile diſſipetur. Quia hæc ideata materia volatilis, ac inventa in hoc affectu pugna, falſa quidem clavi reſonant, & a vero diſſona eſſe, nunc videbimus.

Altera ejuſdem ponderatio.

11. Alteram adhuc ponderationem promptus iſte poſt lapſum ad priſtina munia ſpiritalis regreſſus denuo ſuggerit. Noſcimus enim Epilepticos excitari, quaſi a gravi ſomno ſurgentes, nulla ſpaſmodica pœna vexatos, nec quæ paſſi ſunt deplorantes; hæc ergo ſatis nota, vanam omnino pugnam illam oſtendunt, quam Recentiores plurimi a ſpiritibus cum extero infenſo fieri debere, contendunt; hæc inquam ſi defacto eſſet, non utique ſine aliquo dolorifico ſenſu contingere poſſet, cum quilibet hoſtilis ſuccus, quantumvis volatilis in cerebro, vel in nervis intruſus, abſque moleſta ſenſatione nunquam eliminetur; inſuper nec devictum hoſtem, ſine plurimo ſpirituum languore poſt lapſum Enormon reſurgeret, unde non abſque lenta priſtinæ integritatis reſtauratione victoria iſta contingeret; cum non tam exigui momenti hæc pugna foret, hoſtem tantum, qui repente ſpiritus dejecit, ac viventem machinam proſtravit, ſubigere tandem, & eliminare. Verum quia de facto nec oppreſſi, nec defeſſi ſpiritus ad propria munia revertuntur, non a conflictu quidem, ſed ab erroribus ad priſtinam diſciplinam reduci, melius dixerim. Non ergo prompta hæc reſurrectio victoriæ titulo inſcribi debet; cum ideatus hic hoſtis nec tam brevi pugna, facilique marte vinceretur, nec ſine multa ſpirituum conſternatione conſequi poſſet; quod ſatis oſtendit, unicum & Caduci lapſus, & ſurrectionis auctorem Enormon eſſe.

Juvantia conſiderantur.

12. A juvantibus item non exiguum lumen petere quimus, quod ut primo aſſequamur, juvantia in paroxyſmo expendere intereſt. Artis itaque dogma eſt, auxiliis excitantibus, intus & extra adhibitis, Epilepticum a lapſu revocare. Opportuna quidem, tutaque medela, Enormon excitare, ut ad ſua munia revertatur; verum in hac medendi regula, quæ unica hic eſt, nihil proprium contra effictum hoſtem remedium dirigitur, etſi credant, quod illius violentia ſpiritus oppreſſos teneat, hujuſque ruinæ ſit cauſa. Quare ergo ad violentum infenſum expugnandum, & eliminandum, ut liberetur Enormon, potiſſimam in hoc caſu indicationem Ars accuratiſſima negligit, & ad ſpiritus revocandos tantum, omnia impendit auxilia? Notum eſt, quod curatio non aſſequitur, niſi morbida conſiſtenti cauſa primo removeatur. Attamen ſit, vel non ſit hoſtis iſte, hic certo negligitur, & cum hac medela morbi cauſa debellatur, incolumiſque ut antea Patiens reſtituitur. Nec dicant aliqui, quod ſpiritus excitantia remedia utrumque ſcopum attingant; cum ab inducta narcoſi ſpiritus ſolvant. Quia vel cauſa iſta continens in cerebro, aut in nervis adhuc adeſt, vel cum ſpiritus devicit illico evanuit; ſi primum dicant; certo quidem excitantia remedia nunquam juvarent, niſi cauſa perſiſtens apprime devicta, & eliminata fuiſſet, ſicque liberati ſpiritus excitantibus cito parerent; quod certo experitur, abſque alienæ cauſæ deturbatione, ut patet; ergo extera cauſa nulla eſt. Si vero alterum dicant; arduum eſt concipere, quod cauſa, quæ tot clades induxit, tam cito evaneſcat; ſed adhuc dato quod ſit, ſpiritus figenti vinculo aſtrictos excitantia remedia non ſolvunt, & cum ab hiſce auxiliis excitentur, citoque ad propria munia reſurgant, ut notum eſt; ergo ab acido infenſo non figuntur, ut dicunt; ſed hæc reſponſio clarior *ſequ. num.* 17. eluceſcet. Nec Alii demum inſtent, quod in paroxyſmo ad lapſus reſurrectionem tantum, non vero ad morboſæ cauſæ deturbationem excitantia remedia dirigantur; quia hæc inſtantia ſupra datas rationes non effugit, & multo minus ſequentes, ad quas nunc deſcendimus.

Juvantia prophylactica.

13. Extra paroxyſmum vero cum prophylactica Juvantia expetantur, ut Caduci cauſæ radicitus extirpentur; in Practicorum monimentis excultam illorum ſilvam undique pullulare quiſque reperiet. At veritati litando, Pauci quidem hujus lineæ centrum tangere ſortiti ſunt; cum in hoc morbo varia ſemper excogitata lædentia extranea, ſine quibus hujus ideam concipere neſciunt,

ſciunt, ſemper etiam illorum juvantia extra centrum divagare duxerint. Qui enim ad Acre, qui ad Viſcidum, & qui tandem ad Acidum expugnandum inquiſitiones impendunt, variaque pro cujuſque placito auxilia congerunt, quorum nullum Caduci morbum expugnat, ſed proprias verberat umbras, cum acria, viſcida, & acida nuda hic phantaſmata ſint, mentis producta potius, quam morbi hujus Cauſæ, & clarius infra videbimus. Nunquam ergo Epilepſia expugnabitur, niſi vitiata ſpirituum diatheſis, quæ ſola illius cauſa eſt, apprimè corrigatur, & ad debitum naturalem tonum reſtituatur; unicum hunc rectæ medelæ ſcopum (abſit jactantiæ vanitas) noſtra diu fauſta comperta remedia attingunt; nullamque prorſus aliam, nec infenſos ſuccos corrigendi, nec illos eliminandi, energiam poſſident; attamen cum debita methodo uſurpentur, Epilepſiam certo, & integrè curare ſolent; quam metam vulgares, diuque repetitæ Purgationes nunquam attingunt; quia falſis indicationibus ductæ, non contra veram, ſed in efficta cauſas militare contendunt; ideo ſub hiſce methodis incurabilis ſemper Caducus morbus in Artis opprobrium triumphare videtur.

Lædentia perpenduntur.

14. A Lædentibus tandem ut rectam dignotionem ſeligamus, vulgaria litigia vitare convenit; cum illud lædere quiſque cenſeat, quod hypotheſis propria pernicioſum incuſat. Inter cætera ergo Lædentia unicum ſaltem indaginis noſtræ proprium exponere intereſt; quo enim dato, Caduci lapſum facilè ſecum ducit, hoc, inquam, non a conjecturis quidem, ſed ab experimentis deducitur, quæ nondum ab aliis Practicis, ut ipſorum obſervationes teſtantur, ſed & a nobis pluries inſpecta fuere; horum ergo duo ſaltem memoramus. Primum experimentum vidimus in Clerico Dominicano, quem Caduci obnoxium minitati morbi terror ita concuſſit, ut ocyter in paroxyſmum dilapſus ſit; illi enim avidè ſtudenti jocosè dixi. *Dimitte libros, quia Caducus ad fores adeſt;* at ille parumper cogitans, *jam jam ſentio;* reſpondit, & poſt pauca tumultuantia verba illico cecidit; ac morbum, quem in lunæ quadraturis patiebatur, terrore percitus, intempeſtivè ſuſtulit. Similem alterum in Nobili Juvene inſpeximus, cui de Matris ſtatu petenti reſponſum dedi. *Per me conclamatam eſſe, citoque mori debere;* brevi intervallo in Caducum extemporaneum, cæteris antea perpeſſis atrociorem, incidit. Hoſce caſus ergo, plurimoſque ſimiles in Medicorum paginis perlectos, alta mente retinui, ſemperque magis dignovi, quod ad Epilepſiam in obnoxiis excitandam, ſpirituum ataxiam concitare ſufficiat, quæ ſola, (qualibet abſente ſuppoſita cauſa) cum extremum terminum tanget, illico Epilepticum proſternere potis eſt. Simile ſtadium currunt Animi paſſiones vehementes, quæ Caduco fores aperiunt, cum ſpiritus ad tumultum commoveant. Inter innumeros hujus lineæ caſus, unum ſaltem ab accurato *Gabelchovero Cent. 4. curat. 23.* deſcriptum ſeligimus; Virum nempe iracundum, qui ſæpius ad iræ motum in Caducum ruebat, ſæpeque ſola frigidæ aquæ profuſione illico a paroxyſmo reſurgebat. In hoc, inquam, caſu duplex conſideratio ſe offert; prima eſt Animi motus paroxyſmum excitans; altera remedium a paroxyſmo liberans; in priori lædens cauſa, non Acidum, nec Acre, neque Viſcidum quid, ſed ſimplex Animi motus apertè oſtenditur; in altera vero non pharmaca, morbidas efficta cauſas eliminantia, ſed mera frigidæ aquæ profuſio remedium eſt, quæ nullam hic, niſi ſpirituum furores compeſcendi vim poſſidet. Caſus ergo iſte quaſi Cathedram aperit, quæ verum Caduci lædentem, propriumque juvantem declamat, illum in ſpirituum ataxia, & hunc in illorum compeſcentia manifeſte exponit; qui ergo inſuaſus plus ultra inquirit, videat, ne decipiatur.

Aliorum opiniones audiũtur.

15. Ad integram vero illuſtrati propoſiti firmitatem noſtra hæc Diſcuſſio non adhuc ſufficere videtur, niſi contrariorum partes audiantur. Sic & Solonis monitum fuit. *Sententiam ferens audi & juſta, & injuſta.* Cauſas ergo cæteras, a plurimis in hanc ſcenam inductas, audire primo, ac illarum juribus ſatisfacere, adhuc ſupereſt. Primum itaque perpendere eſt; an hæc

extera

extera Cauſa ſit ? Secundo quid determinatè ſit ? Tertio demum qua propria vi Caducum producere poſſit ? Quæ omnia recte expenſa aliorum placitis æque ſatisfacere poſſunt.

An ſit extera Cauſa? 16. Ad primum itaque an ſit hæc extera Cauſa, quæ Caducum ducat, & producat, meritò dubitatur. Nulla enim ratio firma illius exiſtentiam demonſtrat; imo diſſitæ, ac repugnantes ſententiæ illius eſſe, oppoſitis viribus deſignatum, evertunt potius, quam oſtendant. *Quod enim verum eſt, ſemper idem eſt, nec eſſe mutat, nec formas;* cum Seneca loquor. Ambiguum ergo, imo & inexiſtens erit, quod pro aliorum placito varias induit naturas ac differentibus viribus in eundem effectum conſpirat. Hanc enim Epilepſiæ cauſam, ab Hippocrate uſque nunc, naturam ſæpe, vireſque variaſſe legitur, & nunc etiam ambigua ſapientum mentes non explet, ſed illudit; ideo nec ab illis firmiter ſtatuitur, a quorum ideis Protheus iſte deceſſit. Secundo non dum ab ulla tuta ratione, ſed nec ab ullo experimento hactenus firmari potuit, quod extera cauſa quælibet Epilepſiam producat, qua tandem ablata, morbus iſte deceſſerit. Quot enim in hac linea Doctores perlegi, neminem inveni, qui experimenta oſtenderet, quod ab aliquo, Acidam, Acrem, aut Viſcidam luem expugnanti, remedio Caducum perdomitum vidiſſet; imo ſub qualibet harum hypotheſi, etiam nunc a Peritioribus contra phantaſmata iſta quot inaniter tenduntur arcus, quot medicæ pharetræ exhauriuntur? At validiſſimis armis diu tentata Epilepſia indomita ſemper, in Medentum ignominia triumphat; quia non in ipſam propriè, ſed in effictas ideas pertinaciter pugnatur. Concludamus itaque, quod harum Cauſarum exiſtentia, cum a firma ratione nulla, nulloque tuto experimento comprobari poſſit, non vera quidem, ſed mera chymera ſit.

Quid hæc Cauſa ſit? 17. Alterum quæſitum, nempe quid proprie ſit, vel eſſe poſſit? tam arduum eſt divinari, ut hinc inde Peritorum indagines inaniter hactenus labores, & operam impenderint; quod ſæpe contingit, cum falſo ſuppoſita inquirantur. Quæſierunt, inquam, quid propriè Caduci cauſa ſit, & conjecturis ducti, dixerunt primo, Pituitam in cerebro latitantem veram Epilepſiæ cauſam eſſe; at cum a primo invento ſe deceptos vidiſſent, aliud invenire Poſteri ſategerunt; ſicque viciſſim deluſi ſemper, ita numeroſas culparunt Cauſas, ut illas recenſere tædeat; cum omnes effictas eſſe, opinionum inconſtantia demonſtret. Unicam tamen, quæ hodie communi plauſu medicinæ cathedras implet, æqua lance perpendere eſt opus. Caduci ergo Cauſam Acidum quoddam volatile eſſe contendunt, a quo ſpiritus animales figuntur ita, ut ad ſenſus, motuſq; functiones impares reddantur; ſicque Caduci lapſus ab ipſo producatur. Acutè quidem, ſed minus rectè; qui æque perpendit, æque adhuc dignoſcit; quod ſemel fixati ſpiritus, ad innatam expanſionem (qua propria munia exercent) ultra reſurgere nequeant, ut Chymica experimenta facile demonſtrant. Itaque cum ab hoc Acido animales ſpiritus incuneatos eſſe dicant, nunquam certo, nec ſponte propria, nec arte medica a fixatione reſurgerent; ſicque primus Caduci lapſus ultimum vitæ limitem poneret; quod ut falſum experientia paſſim oſtendit; cum poſt quemlibet paroxyſmum (niſi lethalis ſit) liberi ſpiritus ad propria munia reſurgant, quæ veritas manifeſta excogitatam ab Acido ſpirituum animalium fixationem omnino falſam demonſtrat. Nec dicant, quod ſpirituum minera nunquam deficiens, deperditis loco, novas turmas continuo nervis contribuat, quod perpetuum effluvium, donec animal vivit, nemo ſapiens ignorat. Nam hæc inſtantia gratis adducitur; cum nemo certo ſciat, an in hoc caſu vel recentes, vel revocati priores ſpiritus demiſſa munia reſumant; imo tam ſubitus, & integer ſenſus, motuſque reſtitutus vigor excitatam potius primitivi ſpiritus energiam oſtendit; cum alias econtra Enormontica vi ſemel deperdita, non ſubito quidem, ſed ſenſim, languidoque convaleſcentiæ progreſſu a regeneratis ſpiritibus vitalis œconomia exerceatur, quod æque notum objectionem refellit. Sed adhuc inſtare poſſunt, quod non Acida omnia inſolubilem

Acidum ut cauſa refellitur.

bilem ſemper Alkalium fixationem inducant; ſed non raro, ut Acidum vini ſæpe efficit, narcotico duntaxat ſopore animales ſpiritus ligant, quos excitantia facile ſolvunt, & a veterno diſcutiunt. Hæc inſtantia veriſimili quodam larvata, veritatem eludit; equidem cum Acidum hoc merum ſoporem inducat, quare igitur compunctiones, & concuſſiones Epileptici minime ſentiunt, quas Lethargici ſæpe audiunt, imo & ignis uſtiones nullum ſenſum in illis excitat? ideo per ſopitos ſpiritus Caducus morbus non exponitur. Adde inſuper, quod univerſales convulſiones dentium ſtridores, linguæ morſus, ac oris ſpumæ agitatos, ac ferocientes potius, quam ſopitos ſpiritus oſtendant. Nullo itaque modo extera hæc Acidi cauſa cum Epilepſia convenire poteſt.

Qua vi hæc cauſa agat.

18. Tertium quæſitum denique, qua nempe vi, & quomodo hæc extera cauſa Caducum producere poſſit, perpendere adhuc ſupereſt. Dimiſſis ergo cæteris, quæ ab hac tragædia excluſa jam ſunt; Acidam tantum luem, adhuc nunc ſcenam hanc implentem, expendere, & quomodo hæc Acidi violentia in ſpiritus agat inquirere aggredimur. Dicunt itaque, quod acidi ſpicula ſpiritus Alkalinæ naturæ incuneando, illorum expanſionem adimunt, & in emortua corpuſcula figunt; & recte, cum enim hoc Acidum adeſſet, ita quidem contingere deberet; ſed quia hoc non contingit, ideo Acidum iſtud non adeſt. Non ita evenit certo, ut ex ſupra expoſitis notum eſt; cum hanc ſpirituum in hoc morbo deperditionem prompta illorum ſurrectio æque refellat. Item hæc, inquam, Acidi cum Alkalinis ſpiritibus conflictatio nec ante, nec in ipſo Caduci paroxyſmo concipi poteſt; cum ſine magna effervescentia hæc ſpirituum cum Acidis pugna contingere nequeat. Hoc enim ad oculum externa experimenta demonſtrant; mixtio namque Spirit. Vin. cum Spir. Nitr. illico tantam effervescentiam excitat, ut vas, in quo luctam agunt, non raro diſrumpant. Quid ergo in conflictu ſpiritus animalis (qui præ omnibus tam nativis, quam artefactis ſpiritibus exploſivam vim poſſidet) cum forti Acido contingat, nemo ſapiens ignorat.

Effervescentia ergo talis, cum a nullo Caduci phęnomeno unquam oſtendatur, & occultari quidem nequeat, cum adeſſet; concludere certo intereſt, quod vanum hujus conflictationis inventum, ac inanem ſimul hanc de Acido hypotheſin eſſe dignoſcatur. Sed ut clarius adhuc hæc veritas eluceſcat; nullum hujus conflictus, & effervescentiæ locum aptum, ac ab inflammatione immunem determinare poſſunt; & primo in nervis ipſis (in quibus apprime hæc pugna fieri deberet) aptum effervescentiæ hujus locum nemo unquam inveniet; cum in tam exilibus vaſculis, quorum cavitates nec cum microſcopio deteguntur, conflictatio tanta excitari nunquam poſſit; hæc enim ſitum exigit amplum, ut particularum niſus, & reſiſtentiæ, ac penetrationes tandem libero motu exerantur; quæ, inquam, in inſenſilibus nervorum vaſculis recte concipere nemo poteſt. Item nec in Cerebro, ut plurimi credunt, hæc effervescentia ſine certa inflammatione vel ſaltem aliis ſenſibilibus, ac dolorificis ſignis contingere poſſet, ut a ſimili cauſa orta Phrenitis oſtendit. Nec minus in muſculis, ut alii cenſent, abſque dolore gravi concipi poteſt. Ergo nullibi; cum nullibi quidem apertæ clades, quas conflictus hic ſecum duceret, in Caduco morbo appareant. Verum & nos nimis hactenus cum exteris hiſce cauſis conflictum fecimus; attamen

Anceps pugna diu, ſtant obnixi omnia contra.

Cordatis vero aſſenſum linquimus, quorum proprium eſt, cujuſque rei eſſe ab evidentiori origine dignoſcere; & cum ſola ſpirituum acoſmia evidens hujus morbi origo ſit, alienas cauſas imponere, ac vecordiæ aſylum effingere, ſapientis non eſt; unde concludere tandem liceat, quod hæc in Caduco morbo extera cauſa mera quidem Chymera ſit.

Propria cauſa dilucidatur.

19. Expedita demum Cauſarum indagine, ac extraneo quovis ab hac ſcena depulſo, proprium nunc Epilepſiæ ductorem intimius inſpicere ſupereſt. Verum aperto lumine hunc exponere humana imbecillitas nequit; cum vitiatæ ſpirituum conſtitutiones, quæ ſub ſenſu non cadunt, a priori nunquam, & ab

& ab effectibus raro demonſtrari poſſint, ideo a principiis notis ad ignota deſcendere intereſt. Primo itaque notum eſt, quod in quolibet individuo certa quædam Idioſyncraſia ſit, quæ in ſingulis varia unum ab alio diſcriminat; hæc ergo nondum a Solidis, Fluidiſque partibus, ſed ab Enormonticis præcipuè dependet. Enormon enim, poſt Animam excelſam, ſupremus vitalis, animaliſque œconomiæ moderator eſt, ſub cujus regimine corpus movetur, & vivit, ac ſine ipſo merum cadaver marceſcit. Poteſtas ergo iſta pro varia ſui conſtitutione proprias vires exerit, nempe vel perfecte cum vigeat, vel imperfecte cum langueſcat, vel depravato modo cum morbida diatheſi conformetur; generica hæc notio particularibus exemplis magis dilucidatur, cum depravatas ſpirituum diatheſes aliquas inſpiciamus. Prima ergo illa ſit, qua Iracundi conſtituuntur, quorum conformatio ad excandeſcentias prona, facilè propria thymoſi concitatum; ſpiritus iſtorum plurimo, ac ſubtili elaterio pollent, cujus acuta vis impreſſiones moleſtas impatienter audit, ocyterque excutere tentat, unde ſpirituum exploſiones oriuntur. Huic penè oppoſita diatheſis altera eſt, quæ Tolerantes conſtituit, quorum ſpirituum elater duriſſimus, ſiniſtris impreſſionibus diu reſiſtens, tardo conatu ab illis excutitur; horum enim elaſtica vis fortis læſiones minus audit, & magis ſuſtinet. Inter has demum Pavidorum diatheſis eſt, quæ ad minacem quamlibet impreſſionem facilè concutitur, iſtorum ſpiritus debili elaterio pollent, unde impreſſionibus facilè cedunt, ac debili niſu ad proprium elateris modulum reducuntur. Hæcce ſaltem, effectibus notæ ſpirituum diatheſes amplam quidem, ſed parum excultam, Enormonticam provinciam oſtendunt; ad quam incognitam terram luſtrandam, utinam exploratores penetrare ſuſciperent.

Spirituum diatheſis in caduco. 20. Ex hiſce diſcuſſis ergo, lumen aliquod exurgit, quod Epilepticorum Enormon parumper illuſtrat. Sicuti namque variæ ſpirituum diatheſes diverſas in humanis affectiones ducunt; ita propriam in Epilepticis etiam ſpirituum conformationem adeſſe noſcimus, quæ ad facilem turbationem illos indúcat; eodem enim pene modo, quo pavidus animi motus Timidorum ſpiritus agitare, & concutere ſolet; ſimili modo, inquam, morbida Epileptici ſpiritus diatheſis, ad turbationes prona, facilè in acoſmiam incidit, quæ Caduci lapſum producit. Novimus enim, quod univerſa Epilepſiæ tragædia ab agitato ſpiritu integre deſcribatur, ut aperte quidem omnia morbi hujus phænomena exponunt; ideo talem in Caduco ſpirituum diatheſin concipere debemus, qualem & externa corporis agitatio demonſtrat, & interna mentis, ac ſenſuum eclipſis oſtendit, ut *ſupra num.* 9. expoſitum fuit; quæ vera morbi hujus graphis certum quaſi ſpirituum elaterem, Pavidorum non diſſimilem eſſe indicat, cum nulla paſſio magis quam timor ſpirituum conſternationem, & acoſmiam ſollicitet; unde timor præ cæteris animi motibus Epilepſiæ fores aperire ſolet; quia conſimbolæ quaſi paſſiones eſſe videntur; utraque enim ſpiritus primo concutiunt, & inde ambo illorum acoſmiam inducunt; at non æqualiter ambo horridas ſcenas oſtentant. Timor namque, ut Cicero loquitur, *metus concutiens eſt, ex quo pallor, & tremor, ac dentium crepitus conſequitur;* & ut Ovidius de perterrito cecinit

——— Sine ſanguine lumina mæſtis
Stant immota genis, nihil eſt in imagine vivum.

cum extremum timor gradum attingat, ad ſummum Lipothymiam inducat. Epilepſia vero ad atrociorem conſternationis gradum ſpiritus trahit, cum omnem prorſus animalem œconomiam deperdere cogat, & ut Hippocrates loquitur; *omne corpus undequaque contrahitur, nimirum partes ſuas ad tumultum, ac turbationem, contingunt que ex ſpiritus perverſione totius omnino corporis ſubverſiones. Lib. de Flat. num.* 21. Et certo quidem omnes Caduci clades a ſola ſpirituum perverſione manare, ſatis ſuperque dignoſcimus.

21. Hæc ergo in re tam ardua Hypotheſis noſtra eſt, cui adhuc aliquid deficere poſſe videtur, ut ad ultimam lineam perducatur. Dicimus enim, quod ſpiritus animales a regulato regimine

Caduci occaſiones innuuntur. mine ad tumultuantem acoſmiam impellantur; unde Caduci lapſus dimanat; aliquando etiam ab intempeſtiva prophaſi Enormonticam acoſmiam provocante, epilepticus paroxyſmus advocatur; habet enim ut cæteri morbi, etiam iſte procatarcticos fomites, a quibus remote ſaltem ſpirituum regimen perturbari aliquando ſolet. Inter hoſce itaque primam occupant lineam Animi paſſiones vehementes, quæ ut oſtendimus, ſpiritus ad tumultus concitant, quem in obnoxiis promotum, ſæpe Caducus inſequitur; horum exempla pene innumera in Medentum obſervationibus perleguntur. Secundo *Ætas* maxime puerilis, quæ facile morbi huic ſubjacere Hippocrates, & experientiæ teſtantur. Tertio Lunæ phaſes, quas pluries cum Epileptico lapſu concurrere, obſervatum eſt; aſtrales vero influxus alios (quia nunc extra codicem ſcribere non arridet) nec refellere, nec approbare ducimur; neque hic ſaltem præclariſſimi Pici Mirandulani ſenſus reticere nequimus; ait ille, Icarum Aſtrologos deſignare, *qui pennis temerariæ profeſſionis in cœlum ſe ſubtollentes, cum de cæleſtibus dogmatibus, quibus ſublimari videntur, quid ſunt prædicturi, in pelagum ruunt mendaciorum, lib.* 1. *cap.* 9. *in Aſtrolog.* quod tot Phyſicorum ora, in hoc morbo aſtrologantium, niſi claudere, obloqui ſaltem poteſt. Quarto Victus errores graves, ut potulentorum, vini maxime, cum mentem dementet, ebrietas præcipue, quæ ſæpius & Catoche, & Caducum provocaſſe perlegitur. Quinto tandem quævis aliæ tam fluidorum, quam ſolidorum culpæ, quæ cum nervos lædere queant, ſpirituum turbationem primo, & inde acoſmiam, Caduci originem ſuſcitant. Hæc ergo, & ſimilia plurima externæ occaſiones ſunt, quarum ſtimulo ſpirituum tumultus commoveri aliquando poteſt; non autem quod iſtæ (ut falſo creditur) infenſum quid, vel Acidum, vel Acre ſpiritibus communicent; quod morbi hujus cauſa nuncupetur; cum Caducus affectus unicam ſemper ſpirituum acoſmiam ut propriam ſui cauſam dignoſcat; alia vero quovis modo ſtimulantia, ut occaſiones reſpiciat.

Syſt. Medic. Roſetti.

22. Abſoluta pro viribus Cauſarum indagine, nunc ad morbi Prognoſin deſcendere ordo petit. Epilepſiam ergo periculoſum, & diuturnum affectum eſſe, paſſim obſervatur, maxime cum præpoſtera curatione tractetur; cum vero ægri conſtantia, Medentiſque peritia uno fœdere ad medelam aſpirent, non arduo quidem indomabilis alias morbus expugnatur, ut experientia patet. Prognoſticum vero illud, omnium ora, & volumina implens, quod idiopaticum Caducum difficilius curari, contingat, quam ſympathicum, ut dicunt, apud nos verborum ampullæ ſunt; nam propria Caduci cauſa ſemel cognita, haſce per eſſentiam, vel per conſenſum inanes hic verboſitates reputamus. Quæ vero difficilius curantur, inveteratæ Epilepſiæ ſunt, quia pertinacior, diuque ad lapſus habituata, ſpirituum propenſio curationi fortius reſiſtit; ſic pariter hæreditarius Caducus laborioſè expugnatur; non quia ſeminalis aliqua labes, cum plaſticis ſpiritibus propagata, ut dicunt, indelebili charactere morbum obſignet (quod vetuſtatis effugium ſatis alias refellimus) ſed quia eandem ſpirituum conformationem Filius a Patre derivans, inſitam Caduci propenſionem firmius retinet, quæ ab ortu ſortita ſpirituum diatheſis cæteris difficilius immutationem audit. Minus vero acquiſitæ, recenteſque medelam recuſant; nec illæ poſt vigeſimum quintum annum exortæ, (licet *Aph.* 7. *ſect.* 5. ad mortem uſque damnatæ) cum decenter curentur, non nimis arduo marte expugnantur. Periculi demum titulo, ac atrocitatis gradu Epilepſiæ ſignantur; cum ſenſus, motuſque integram, ac diuturnam deperditionem inducant, difficilemque reſpirationem, fæcum, feminiſve relaxationem oſtendant; quia ultimam ſæpe vitæ lineam deſignant. Contra vero mitiores ſunt, quæ nigris hiſce haud ſignantur lapillis; cum minus periculoſæ, magiſque medelam audiant. Cætera tandem hujus morbi prognoſtica, ſicuti nimis ambigua, quia proprio cujuſque hypotheſis typo exculta, ita in Doctorum paginis curioſis relinquimus; & ad expetitam morbi hujus medelam plenis votis nunc ducimur. *Prognoſis.*

 23. Cu-

Diætæ leges. 23. Curatio itaque fœderata Diætæ, Chyrurgiæ, & Pharmaciæ manu æque dirigitur, horum ergo auxilia petere, ac perpendere convenit, ut utilia ab inutilibus eligamus. Primum itaque ærarium Diæta pandit; plurimum enim iſta propriis legibus medicationi conferre ſolet, quamvis pharmaca non adhibeat, cum recto regimine invigilet, ut curatio perficiatur. Contra vero cum iſta delinquat, univerſa perſæpe medela corruit;

Et ſubito caſu quæ valuere ruunt.
Ovid.

Tantum enim poteſt vitiata iſta deſtruere, quantum cæteræ ſimul Medicinæ ſorores ædificare nituntur; ideo ut recta primum Diæta in tam ardua curatione utamur, a Veterum regulis diſcedere, apprime convenit; relinquimus ergo inſulſa plurima, ad nauſeam uſque controverſa, ut illa Galeni, & Avicennæ diſcordia, quorum primus Apium ut innocuum in Epilepſia concedit, & alter contra ut infenſum prohibuit; pro quorum ſententiis firmandis, diu inter Factioſos digladiatum fuit; ſic ſimilia plurima diſpari ſorte in Medentum libris vagantur, quia differentes Caduci cauſæ hinc inde culpantur. Evitatis ergo hiſce, ut rectam Diætam inſtituamus, ad ſingulas illius partes examinandas deſcendimus.

De Aere. 24. Sub Diætæ limine Aer primo ſe offert, hæc certo ad ſpirituum animalium diatheſin probè, vel improbè conformandam plurimum contribuit, ut *in antec. part.* 1. *cap.* 5. expoſitum fuit; ideo hujus noxas, ut fulmina quaſi evitare convenit; & primo impuris effluviis quovis modo inquinatum aerem effugere; ac a ventis tam aquilonaribus, quam auſtralibus exagitatum, nimis nempe gelidum, aut humidum, placido Larium calore, vel ſuffumigiis appropriatis corrigere; cum hæc duo exceſſus Epilepticis infenſiſſimi ſint, ut ex Hippocrate, ac experientia conſtat; item a nocturnis crepuſculis, ac meridianis odoribus declinare omnino intereſt; pervigil demum cuſtodia ad hujus noxas vitandas eſſe debet, cum frequenter ambientis hujus maleficia nos premant, & facile intimius inſinuata nos lædant. Qui ergo in cænoſo, vel alio titulo infecto aere quovis jure tenentur, cum ab hoc morbo redimi cupiant, Hippocratis monitum 2. *Aph.* 45. de loco, aereque mutandis, ſequi debent, ut ab hoc infenſo evaſi, facilius, auxiliante medela, ſalutis portum attingant.

De Cibo, & Potu. 25. De Cibo autem, Potuque vaniloquas controverſias vitamus, nam ſicuti de Apio inter Veteres, ſic de plurimis hodie perſtrepunt Recentiorum diſſidia; cum quilibet Medens, pro hypotheſis varietate differentes victus regulas præſcribat. Varia namque ſub variis formis inviſa hujus Prothei facies

Tot varias Cauſas agere, & componere leges,
Illuſos duxit.

Ideo acria vetat, qui ab acri hunc morbum duci opinatur, ſic acida qui acidum, & ſic viſcida qui viſcidum culpant. Approbare autem nequeo rigidas Plurimorum ab acidis, omnibus averſionem; per me enim cibos omnes, qui acidum, ſed moderatum, ingerit ſuccum, in hoc affectu non improbare, ſed laudare ſentio; cum temperatum Acidum ſtomachi fermenta coadjuvet, unde chylificatio perficitur, & debitam ſanguinis conſiſtentiam firmat, quę nimis hic flexilem ſpirituum elaſticitatem ad firmiorem conformationem reducit; regula tamen iſta interdum exceptionem patitur, quam Periti erit diſcernere. Acria vero omnia, quæ ſpiritus ad tumultum facile provocant, omnino vitare fas eſt; hanc lineam tenent ea, quæ acri ſale volatili turgent, ut Allia, Porri, Cæpæ, Sinapis, Coriandri, Cumini, Piper, Caryophylli, cæteraque hujus indolis. Carnes item volatilium, quas a proprietate nocere dicunt, cum ſæpius noxiæ compertæ ſint; ut Perdices, Coturnices, Qualiæ, Paſſeres; quadrupedum pariter, ut Suillæ, Caprillæ, Hedumque juniorum carnes vitentur. Potus demum quo ad aquam vergit, eo melius; Vinum enim quo meracius, eo pejus, cum per ſe ſemper Enormonticum tumultum, qui primus Caduci gradus eſt, facilè concitet, quod idem potiſſimum de Spiritu Vini cenſemus. Nec optimi etiam Cibi repletiones minus noxias eſſe, compertum eſt; cum Epileptico

pticos plures a lautis commeſſationibus ſurgendo, illico in Caducum ruiſſe, obſervationes referant. Contra pariter diuturnæ inediæ quantum Epilepſiæ contribuant, Diodori ſaltem caſus a *Galeno lib. de ven. ſect. cap.* 9. relatus, oſtendere poteſt. *Is enim ſi quando famem diutius ſuſtineret, illico Epilepſia correptus convellebatur.* Extrema ergo iſta, repletiones nempe, ac inediæ, quæ nimium Hippocrate docente *lib.* 3. *de Diæt.* Enormon exagitant, provido Patientum regimine moderari debent.

Motus & quies, ac Somnus & Vigiliæ.

26. Motus item, & Quies, ſicuti Somnus, & Vigiliæ debitas viciſſitudinis leges ſervare curent. Motus primo excedens, cum ſpiritus ultra vires exerceat, ad immoderatos impetus illos ducit; memini olim vidiſſe in quadam venatione Socium juvenem, plus æquo defatigatum, intempeſtivo Caduci lapſu concidere: Et certo quidem nimia ſpirituum agitatio in obnoxiis Caduci ſtimulus eſt. Magis adhuc ob eandem rationem nimium protractæ Vigiliæ eundem paroxyſmum provocare poſſunt; ideo Hippocrates Convulſiones, & Deſipientiæ familiares Vigiliæ ſocias indicavit 7. *Aphor.* 17. plurimum enim iſtæ ſpiritus exercendo exagitant, quod delirium, a vigiliis inductum, facilè oſtendit. Nec Somnus nimius, ac ſedentaria Quies innoxia ſunt, ambo enim torpidos ſpiritus reddunt, ſicque ſenſus, motuſque torpeſcere ſolent, quod non raro in obnoxiis diſpoſitio evadit, ad integram motus, ac ſenſus deperditionem promovendam. In omnibus itaque hiſce Græci ſapientis trutina uti convenit, Auſonio dictante:

Menſuram optimum, ait Cleobolus Lindius, in re.

Excreta, & Retenta.

27. Excreta item, & Retenta pari negotio ad æquas leges reduci debent, quæ enim excernenda ſunt, cum plus debito retineantur, nervoſo generi proprias noxas inferre ſolent; ſic ex diuturna fæcum retentione Caducum ſæpe invaſum apud Practicos legimus. Contra etiam immoderatum excernendorum profluvium convulſiones provocare poſſe 5. *Aph.* 4. docetur. Fluida vero, quæ vitam alunt, cum ruptis habenis profluant, ſpirituum deperditiones inducunt; hinc ex hemorrhagiis convulſiones ortæ, 5. *Aph.* 57. & 7. *Aph.* 9. ut improbæ judicantur; ſic plurimos Caduci lapſus ab excedenti, tam ex utero, quam ex naribus profluvio contigiſſe, Medentum acta deſcribunt; ideo in Epilepticis præcipue haſce reparare effuſiones, quæ ultimam vitæ lineam aliquando duxerunt, providæ artis eſt munus. Nec denique minus damnum ſeminis diuturna profuſio inferre ſolet, cum ab hoc motivo Caduci paroxyſmos atroces emerſiſſe, Medentum obſervata denuncient; venas enim depauperat Venus, nervumque ſurripit nervis; hinc primo ex *Sanctorii Statica ſect.* 6. *Aph.* 19. *Coitus immoderatus lædit viſionem, quia ab oculis ſubducit maximam ſpirituum copiam*; & 6. *Aph.* 10. *Inde fiunt palpitationes in ſuperciliis, & artubus, & deinde in membris obtinentibus principatum.* Quæ convulſionis primordia facilè in obnoxiis Caduci lapſum inducunt, & ad lethum aliquando conducunt. Coitus ergo ab Epilepticis tali fræno coarctari debet, ut Enormonticum theſaurum non dilapidet.

Animi motus.

28. Animi motus tandem inter Epilepſiæ promotores primam lineam tenent; cum immediatè ſæpius ſpiritus ad acoſmiam concitent; ideo præ reliquis omni ſtudio vitare plurimum hic intereſt; neque in hac palæſtra Medentum arma, ſed Patientum reſiſtentiæ magis juvare poſſunt. *Paſſio enim animi non medicinis, ſed alia paſſione contraria ſuperatur.* Sic prælaudatus *Sanctor. in Static.* 6. *Aph.* 12. Doctrina tamen iſta, licet in genere vera, in caſu autem noſtro tuta non eſt; cum nec ſine magno mentis, animique conatu, nec ſine nova provocata læſione hic quadrare poſſe conſidero; quia vehemens animi motus non niſi ab oppoſito vehementiori, non minus hic perniciofus, inclinari poteſt. Qui ergo hac regula in affectu utuntur (ut alias vidimus) dum Scyllam evitant, Charybdim impetunt. Ideo ad tutiores regulas Patientem reducere convenit, ut occaſiones adimere, quæ animi motus concitare ſolent. Qui ergo ad iram proni ſunt, controverſias evitent, a vino meraci abſtineant, motum violentum adhorreant, ardentem ſolem, ignemque fugiant, ac cæ-

cætera, quæ ſpiritus exagitant, angue pejus effugiant. Qui vero Pavidi, & Meticuloſi oppoſitam ſcenam agunt, iiſdem utantur, quæ Iracundis prohibentur, horum enim bilem, obtuſo ſulphure præditam, vino meraciori, exercitiis validis, & ſimilibus ad volatilem ſyſtaſin exaltare intereſt; cum bilis acuata pavores eludat. Tandem cum Patiens erudita mente polleat, contra paſſiones proprias armatura valida induat; nil fortius munit animum, quam morale aliquod dogma firmiter in pectore conditum, ut cum Iracundus ſit, illud Plutarchi ſæpius mente revolvat. *Cordis iram ſedare, magni animi eſt, Fabricii, Metelli; iraſci vero, mordicare, & rodere, Formicæ, & Muris.* Demum ſæpe recogitet, quod horrendos Caduci lapſus, provocant, qui effrænes animi motus non refrænant.

Curatio. 29. Diæteticis legibus expoſitis, ad curativas methodos accedimus; in cujus bivio Prophylacticam primo, deinde curativam in Paroxyſmo perluſtrabimus; prior enim vera Epilepſiæ curatio eſt, cum morbi radices evellere curet; altera vero a paroxyſmo Patientem diſcutere ſolum intendit. Propria ergo morbi hujus medela duplicem primo Epilepſiæ conditionem diſtinguere debet, primam nempe, in qua morbus iſte a nullo extraneo ſtimulo provocatur; alteram, in qua paroxyſmi ab aliquo externo ſollicitantur; variæ namque conditiones iſtæ diſtinctas curativas methodos etiam expetunt. Prior ergo nunc audiri poſtulat, quæ ab extero nullo ſodali comitatur, contra quem arma cudere Medela iſta cogatur; ideo remedia quælibet, præter univerſalia, quæ primas vias diluant, extra directam Epilepſiæ curationem impendere, haud intereſt. Hæc ergo probe præcognita, plures aliunde præpoſteras indicationes curativas, nondum irritas, ſed & noxias eſſe redarguunt; qui enim ad Acrem, vel Acidum, aut Viſcidum fomitem expugnandum, curationis nervum impendunt, Artis vires deperdunt:

Ut quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis
Incaſſum furit. Virg.

Sed inſuper in Ægri damnum, ac Medentis opprobrium curatio dirigitur, quia

Omnia perverſa præpoſtera ſunt ratione. Lucret.

Recta itaque Curationis intentio erit, vitiatam ſpirituum diatheſin pro viribus immutare, & ad debitam integritatem reſtituere, quod ſequentibus auxiliis conſequi, non deſperamus.

30. Apprime itaque Univerſalia remedia æqua methodo inſtituere convenit, ut appropriata auxilia per determinatas vias non fædata percurrant, integriſque viribus metam, ad quam deſtinantur, attingant. Cauta vero Medentis ſolertia in præliminaribus hiſce requiritur; ut quæ vel ſtomachi, vel inteſtinorum ſordes ſint ſagaciter detegat, ac deturbet. Quamobrem cum Ventriculus propria inquinamenta nutriat, quod ex alibi datis ſignis facilè dignoſcitur, tunc emeticum appropriatum præſcribere, eſt opus; nec ab illis ex Croco metallorum paratis, diſcedere convenit, cum ab hiſce minus incommoda, magiſque proficua eliminatio procedat; ideo vel Tartar. Emetic., vel ſyrup. aut Oxyſacchar. ex eodem croco parat. præſcribere, & cum opus exigat, repetere adhuc poterit; cum autem alternis diebus uti debeat, die ab emetico vacua, pro ſordium qualitate digerentia præſcribantur, maximè cum viſcida lues ventriculum infarciat. Poſt vomitum inteſtina expiare, adhuc oportet, ac potiſſimum cum Vomitio vel non indicata, vel non conferenti dimiſſa fuerit. Purgantia vero pro corporis, ac ſordium conditionibus eligere providi Medentis erit, quorum ſeries, cum prolixam digreſſionem exigeret, præterire duximus. In his vero uſurpandis, decem, vel quindecim ad ſummum dies impendere, ſatis erit, cum hujus generis Epilepſia externos fomites (qui prolixiora peterent) non habeat; ideo ne viribus noceat, ſpirituſque magis exagitet, expiatio brevis opus ſolvit. *Univerſalia remedia.*

31. Expeditis univerſalibus ad appropriata remedia deſcendimus quorum energia eſt, vitiatam ſpirituum diatheſin corrigere, & ad debitum tonum reducere; plura ergo ad hunc ſcopum apta hic exponimus, cum hoc diſcrimine tamen, quod primæ lineæ remedia *Appropriata remedia.*

nun-

nunquam certo ſine morbi victoria Patientem dimiſerit; reliqua vero morbum integrè ſemper non expugnaſſe, ſed illius ferociam plurimum minuiſſe comperti ſumus. Efficaciſſimum ergo ſequens eſt, videlicet.

℞. *Sulphur. Vitriol. philoſoph. unc. ij.*
Spirit. Vitriol. antepilep. unc. iij. ſem.
M. in vaſe clauſ. & diger. dieb. tribus. poſt ad uſum ſerva, cujus Doſ. Drach. ij.

Sulphur vitriol. philoſ. pro hac mixtura ſequent. modo confici jubeo.

℞. *Vitriol. Roman. q. v. calcinetur Sole in Leonem per vitrum cauterizant. calcinatum pulveriſetur, demum*

℞. *Vitriol. hujus calcinat. lib. ij.*
Sal Armoniac. triturat. lib. j.
M. in vaſe apto ign. aren. ſublimentur.

Sublimati Flores, pulveriſent. & cap. mort. reſtituti, denuo ſubliment. quod tertia vice replicetur. Flores demum Aqu. Pæoniæ deſtill. diluantur, & exiccentur. Poſtea cum Spirit. Vin. Tinct. extrahatur, abſtractoque demum Vin. Spirit. Sulphur Vitriol. in vaſ. fundo reſidens, probè exiccat. ſervetur. Spiritum vero Vitriol. antepilept. pro hac mixtura ita confectum volo.

℞. *Vitriol. Roman. lib. v.*
Urin. Puer. ſani lib. x.

M. & diger. vaſ. probè clauſ. in MB. tepido dieb. octo, poſtea deſtilletur ad ſiccitat. Phlegma deſtillat. vaſ. clauſ. ſervetur pro conficiend. Aqu. Antepileptic. noſtra. Caput mort. in retorta ignis gradib. deſtilletur, quod ter cohobetur, & ſimiliter deſtilletur. Spiritum denique acidulum, & ſulphureum vaſe probè clauſo ſervare convenit.

Remedii uſus. 32. Mixtura ergo noſtra, quæ ex dictis duobus componitur in ſequenti Aqua antepileptica propinari debet. Aqua vero ſic conficitur.

℞. *Phlegmat. Vitriol. ſupra dat. lib. j.*
Spirit. Vin. non dephlegmat. lib. j. ſem.
Liquor. Tiliæ temp. & mod. debit. collect. lib. vj.
Flor. Pæoniæ. Tiliæ aa. manip. vj.
Cinamom. acerrim. contuſ. unc. ſem.
M. omnia in vitr. amplo, & diger. dieb. tribus.
Poſt. deſtill. ad ſiccit. & probè ſerva.

Integri demum hujus Remedii uſus ſequens in adultis eſſe debet.

℞. *Mixtur. ſupr. datæ ex ſulphur. & Spirit. Vitriol. Drach. ij.*
Aqu. antepilept. nunc datæ unc. j. ſem.
M. & propin. mane, & ſero per dies xx. pro Doſi duabus tantum horis ante cibum.

Cibum in his diebus optimè nutrientem, ſed non implentem eſſe, Remedium petit; nam frugalitas & temperantia tam in victu, quam in cæteris non naturalibus dictis, cum deficiant, Remedii virtus debilitatur ſæpe, ſæpeque fruſtratur. Quia quod illa peragere molitur, inſolens intemperantia demolitur; recta ergo diebus hiſce frugalitas eſſe debet. Vinum præcipuè toto Curationis tempore & parcè uſum, & oligophorum eſſe debet. De ſero item hora ſaltem poſt brevem cœnam ſequenti opiata uti convenit.

℞. *Conſerv. Flor. Tiliæ unc. viij.*
Lilior. Convall. unc. vj.
Spirit. Vitriol. antepilept. Drach. iij.
M. f. Opiat. cujus Doſ. Drach. v.

33. Cum autem ſupra datum remedium in omnium manibus non ſemper adeſſe poſſit; (licet ut ſpero, fauſta illius experimenta familiare tandem illud reddere debeant) ideo ſequentia ſaltem, faciliori labore acquirenda, ac parumper minori virtute, in Epilepſia mitiganda ſaltem prædita, & cum diutinè utantur, illam extirpare adhuc poſſunt, exponere non dimitto. *Remedium alterum.*

℞. *Cinnabar. Ungaric. ſubtil. pulver. q. v.*

Pone in vaſe vitriato, cui affund. aqu. Pæon. deſtill. ad eminent. 4. digitor. Diger. per diem, poſtea coqu. ign. lento, ut in ſuperficie cremor aſcendat, quem cochlear. argent. collig. exicca, & ſerva, item

℞. *Virid. Æris criſtallin. lib. j. ſem.*

Pulveriſat. in retort. vitr. loricat. deſtill. igne reverber. gradatim aucto; ſpiritum deſtill. igne aren. rectificetur & ſervetur demum

℞. *Cremor. Cinnabar. ſupradict. ſcrup. ſem.*
Spirit. Virid. æris nunc dat. ſcrup. j.
Aqu. ex Flor. Pæon. deſtill. unc. j. ſem.

M. pro

M. pro una Doſ. manè, & ſero ſumend. & per dies xx. continuand.

Alterum non minus efficax remedium ſequenti modo conficimus.

℞. *Spirit. virid. æris ſuprad. unc. v.*
Cinnabar. Ungar. optim. unc. iij.

M. in vitr. prob. clauſ. & in fimo equino per menſ. diger. poſtea len. calor. ſpirit. abſtrahatur & Cinnabar. infund. Aqu. Pæon. pluries lavetur demum ſiccat. ſervet. ad uſum, videlicet

℞. *Cinnabari hujus ſcrup. ſem.*
Aqu. de Flor. Pæoniæ unc. ij.
M. pro una Doſ. ut ſuprad. utend.

In inveterato morbo. 34. Cum autem inveteratam Epilepſiam curare contigiſſet, ut in Virum quadragenarium olim inviſiſſe memini, qui a pueritia Caduco morbo ſemper vexatus fuit; & licet per annos plurimos vernali, ac autumnali purgatione uſus fuiſſet, multaque ſpecifica chymica fruſtraſſet, nunquam Caducum expugnare ſortitus fuerat; me tandem petens, favente Deo, ſequentibus auxiliis per menſem adhibitis a pertinaci morbo integrè liberatus fuit. Poſt univerſalia ergo, mixturam noſtram ſequenti modo exhibui.

℞. *Mixtur. Sulphur. Vitriol. & ejus ſpirit. Drach. ij.*
Cremor. Cinnabar. noſtri ſcrup. ſem.
Aqu. antepilept. noſtræ unc. ij.
M. pro una Doſ. bis in die per menſem continuand.

Huic interno externum aliud auxilium adjunxi, linimentum nempe Cervici, & ſpinæ Dorſi applicandum, videlicet

℞. *Ol. deſtill. Buxi ſcrup. j.*
Succin. Drach. ſem.
Pingued. Caſtor. Drach. ij.
Spirit. Lilior. Convall. ſcrup. ij.
M. & bis in die per menſem utatur.

Victu non tenui, ſed frugali uſus ſum, & poſt breviſſimas cænas Opiatam ſupradatam non dimiſimus, Vinum vero ſequenti modo medicatum bibere præcepimus.

℞. *Vin. tenuiſ. & matur. lib. vj.*
Aqu. Flor. Tiliæ deſtill. lib. ij.
Antepileptic. noſtræ unc. iv.
Spirit. Vitriol. antepilept. noſtri drach. j. ſem.
M. in Vitro clauſo pro pot. quotid.

Hanc ergo methodum per menſem continuare jubeo, licet ante menſem Caduci lapſus evanuiſſe videatur. Expedita demum curatione, in vetuſta Epilepſia per annum ſaltem tribus diebus circa Novilunia manè duntaxat unam ex datis Mixturæ doſibus exhibeo; ſicque, benedicente Deo, pertinacem nullam hactenus offendi, quam omnino expugnatam non vidiſſem.

Ceteræ per conſenſum dictæ. 35. Ad Epilepſias demum per conſenſum nuncupatas diligentius inveſtigandas, & curandas deſcendimus, haſce, inquam, refellere nequimus; compertis enim obſervationibus conſtat, quod non raro ex manifeſta viſceris alicujus culpa Caduci paroxyſmus emerſerit. Satis etiam ſuaſus ſum, quod ex qualibet corporis parte cum inſenſa lues nervos exagitet, inibi certo ſpirituum ataxia incipiat, & inde ad mentis arcem aſcendens, enormonticam Rempublicam ad tumultus concitet, ſicque in obnoxiis Caducus excitetur. Hanc ergo irritationem ubique in corpore, ubi nervi permeant, ſuſcitari poſſe, perſpicuæ obſervationes teſtantur, qua data, cum ſpirituum acoſmiam ſuſcitare apta ſit, illicò in Epilepticis paroxyſmum ſollicitat. Veruntamen quod hæc ipſa per ſe tantum Epilepſiæ cauſa nuncupetur, non æque hactenus a plurimis arbitratum fuit; cum per ſe ſola irritatio iſta non quidem morbum producat, ſed ſæpe, nec ſemper etiam in obnoxiis Caduci ſtimulum inducat; alia enim morbi ſpecies eſt nervorum irritatio, alia Caduci prolapſus; illa tamen occaſio eſſe poteſt, quæ interdum hanc excitare ſolet, cum veram Epilepſiæ cauſam ad actum ſollicitet. Hæc ergo apud nos perſpicua veritas, in cauſarum indagine ſatis firmata, indicationes curativas, olim a fallacia deſumptas, audire vetat, ut infra videbitur. Curatio ergo ſub hoc genere tres potiſſimum Caduci Prophaſes expendit; primam nempe, quam in Cerebro arma cudere dicunt; ſecundam in Ventriculo; tertiam quæ in Utero; hinc alias item quæ in infimis, externiſque partibus Epilepſiæ ſtimulos addere poſſunt, de quibus ſingulis nunc ſermo adeſt.

Caducus ex cerebro invaſo. 36. Prima igitur Prophaſis eſt, quæ Cerebri regionem invadens, Idiopathica nuncupata fuit; cum ab ipſa immediatè

diatè ſpiritus figi debere, ſicque motus deperdere, credidere; unde proximam Caduci cauſam in hac Enormontica deperditione conſiſtere, hactenus opinatum fuit. Verum licet in aliquibus morbis, ex cerebri crimine ortis, Enormonticam jacturam denegare haud æquum ſit; in Epilepſia tamen, cum ſpiritus cito reparentur, non quidem deperditos, ſed acoſmia ductos, ab ordine deviatos fuiſſe, apertè demonſtrant; cum ſemel deperditi, propria munia nec ultra, nec minus ocyter, ac tam promptè ad integrum exercere potuiſſent, ut clarè a Caduco reſurgentes oſtendunt. Sic pariter æque nota diſparitas inter Epilepticos, & Apoplecticos demonſtrat; cum iſti ob veram ſpirituum deperditionem, ſegniter nimis, cum a lapſu reſurgant, proprias vires inſtaurent; Epileptici vero illico ſurgentes ad propria munia reſtituantur. Affectam verò ab hoſte invaſo partem nervorum principium eſſe debere credimus; illic enim vel ſuccum valdè volatilem, vel aliquam,ætheri parum diſſimilem, auram ab arteriis evehi arbitramur, quæ a ſanguinis ſero libera, nervorùm oſcula ſubiens, anomalos inibi motus concitans, ſpirituum tumultum, & inde acoſmiam, Caduci cauſam, ſollicitet. Hæc ergo noſtra veriſimilis opinio abſtruſum gordium iſtud facilius explicare videtur, quam vel a cerebri glandulis, vel ab arteriis immediatè, acidam lympham emendicare, quæ graviora ſemper detrimenta inferret; ſufficit enim talem hic detegere luem, quæ nil plus, quam ſpirituum ataxiam provocare apta ſit; cum cætera, quæ ipſos figere, ac deperdere poſſunt, veram Epilepſiæ naturam confundant magis, quam exponant, effectuſque acerbiores, & a morbi more alienos inducere debeant; ſicque improprias indicationes curativas ab effictis cauſis deſumendo, hiſce innixa Medicatio, incurabilem ſemper Caduci pertinaciam relinquit.

Hujus diagnoſis. 37. Hujus Prophaſeos Diagnoſis ab aliarum deficientia potius, quam a propriis ſignis deducitur; cum enim nec ſtomachi, & hypocondriorum, nec Uteri vitia manifeſta appareant, cerebrum affectum eſſe conjicere æque poſſumus. Aliquando tamen nonnulla licet ambigua indicia invaſum hoſtem, cerebrumque occupantem denunciare poſſunt, in hac linea ſunt Vertigines frequentes, oculorum caligines, ſenſuum defectus, motuſque languores, & ſimilia, quæ inquam in obnoxiis apparendo, non omnino infida ſigna ſunt, ut pluries deprehendimus. Equidem cum aura infenſa, cerebrum invaſa, non integra vi polleat, ut ſpiritus ad acoſmiam inducat, tunc vertiginem ſaltem, oculorum caliginem, ſenſuum, ac motuum ſegnitiem primo promovet; & cum poſt dicta ſigna Epilepticus paroxyſmus aliquando contingat, tunc ab hac occaſione provocatum fuiſſe, tutius concludere licet. Nimis vero arduum eſt, certam hujus diagnoſin afferre, qui, cum Peritos etiam aliquando deludant, ideo ſignis hiſce cautam fidem præſtare, optimum erit.

Hujus Curatio. 38. Curationis tandem ſcopus eſt, non quidem præpoſtera methodo Capitis vitia, inaniter ſuſpicata, corrigere; cum in hoc caſu inſons cerebrum ſit; nam illius ideatæ culpæ ſymptomata graviora, imo & morbos a Caduco diſſimiles producere, certo poſſent. Hæc ergo affectio non Cerebri, ſed ſanguinis labem culpat, ſuccum nempe ſumme volatilem, qui cum ab arteriis diſcedat, nervorumque oſcula pervadat, inibi exploſiones exerit ſpiritus infenſas, unde motuum anomaliæ concitantur, in quo diſſidio ſpirituum acoſmia, & inde Caducus emergit. Hanc ergo volatilem in ſanguine latitantem luem corrigere, & enervare recta curatio petit, quem ſcopum ſequentibus auxiliis conſequuti ſumus; horum ergo uſus poſt univerſalia, quæ primas vias expediant, ſequenti methodo inſtitui debet.

℞. *Magiſter. ſolubil. Ebor.*
Solubil. Corallor. aa. dr. ij.
Cremor. Cinnab. noſtri drach. j. ſem.
Antim. Diaphor. optim. drach. ij.
M. Doſ. hujus Mixtur. drach. ſem.
In Aqu. Antepilept. noſtræ unc. ij.
de Cinnamom. ambrat. unc. ſem.
Pro omni mane per dies xv.

De ſero autem hora ſaltem ante brevem cœnam ex ſequentibus rotulis unam ſumat.

℞. *Magiſter. Solub. Ebor. Drach. j.*
Solub. Margar. Drach. ſem.
Eſſent. Ambr. gryſ. gr. ij.
Sacchar. albiſs. q. ſ.
M. f. l. a. Rotul. ponder. Drach. ſem.

Abſolutis hiſce Potio purgans mitis tamen præſcribatur; demumque ad appropriatam Curationem *ſup. num. 31. &c.* præſcriptam accedere intereſt, ac per dies viginti, & in vetuſta Epilepſia per menſem continuo uſu inſiſtere, nihilque ex inibi datis dimittere oportet.

Caducus ex Ventriculo. 39. Ex Ventriculo pariter impulſus quoſdam Epilepſiam ſumere, obſervatum eſt; aliquos enim vidimus, qui cum tempeſtivo mane alimentum non ſumerent, in paroxyſmum inciderent; cauſam hic eandem eſſe ſuadeor, quæ Picrocholos divexare ſolet, bilis nempe, in ventriculo invaſæ, mordicatio, qua ſpiritus concitati, digeſtionum fermenta ita exaltant, ut inedia moleſtiſſima evadat, ſæpeque animi deliquia inducat; hoc idem in Epilepticis lapſum provocat, ſicut in Picrocholis lypothymiam. Verum nondum bilis tantum, ſed & viſcida Ventriculi lues Caduci lapſum inducere potis eſt, maxime cum inibi acrimoniam conceperit, tunc enim illius tunicæ nervulos mordicando, ſpirituum excubias ad tumultum provocat, ſicque primum Caduci ſtimulum acuit. Obiter hic ſtupendam nervoſi generis armoniam tangere ſaltem eſt opus. Hæc, inquam, univerſas Microcoſmi regiones ſub unico ſenſus, motuſque regimine componit ita, ut extremæ etiam partes Capiti ſummo proprias communicent plagas; nervuli enim in pede, vel manu compuncti ſpirituum arcem illico pulſant, illorumque commotionem in cerebro concitant; unde doloris ſenſus, & convulſionis motus Enormonticam paſſionem, & turbationem oſtentant. Ad noſtra ergo; ſi tantum in manu, pedeve nervuli punctura molitur, quid ultra in Ventriculo pungens moleſtia poterit, ubi non nervulus, ſed innumeræ nervulorum propagines a nervis ſexti paris, per illius tunicam propagatæ, multiplices ſpirituum turmas pro chyli fabrica vehentes, viviſſimam ſenſationem, nullibi certo parem, poſſidere videntur. Qui ergo hæc non ignorat, hujus viſceris mordicatæ ſenſus quantum in caſu noſtro ponderent, æque dignoſcet.

40. Dictæ ergo Ventriculi labes propriis ſignis deprehenduntur; Et primo *Hujus diagnoſis.* Bilis in ipſo exundantis indicia ſunt, eſuries aliquando impatiens, graviſque inediæ moleſtia, ſtomachi ardores, borborygmi, doloreſve ſæpe pungentes, vomituritiones frequentes abſque vomitu, vel cum pauca ſucci amari excretione, ructus item nidoroſi, amaroris veſtigia in ore imprimentes; hæc & ſimilia plurima bilis in ſtomachum exundationem oſtendunt. Nec viſcida lues propriis vexillis caret; anorexia enim perpetua, ac jejunii tolerantia facilis, Vomitus non faſtidit, niſi liquatum gluten acriori morſu ventriculi convulſionem provocet, acriſque tunc limus evomitur; gravitas, ponduſque ſemper præcordia premunt, gravius tamen poſt aſſumptum cibum moleſtant; fluctuationes in ſtomacho ſenſibiles interdum audiuntur, ac ructus inſipidi, ſed grave olentes in cibi digeſtione; quæ nunquam perficitur, frequenter faſtidiunt; hæc, inquam, Viſcidi ſtomachum infarcientis indicia ſunt.

41. Curationis denique ſcopus præcipuus erit, primo a ſordibus Ventriculum expiare, quod appropriatis emeticis cito, tutoque aſſequitur; diſpares vero pro differenti lue Emeticorum formulæ inſtitui debent, & licet nunquam a Croco metallorum diſcedere oporteat, mixtura tamen cuique propria ſit. Ideo *Curatio.* *Emeticorum Uſus in bile.* cum Bilis redundans ventriculum occupet, ſequens Emeticum opportunum erit, videlicet.

℞. *Oxyſacchar. Emetic. Ludovic. unc. ſem.*
Aqu: Menth. Roman. unc. iv.
Sal. Abſinth. eſſential. gr. vj.
M. & propin. pro Doſ.

Poſt vomitum vero vel Seri deſtill. vel Aqu. Nocer. ad lib. ij. propinare intereſt; at ſi bilis excandeſcens plus æquo vomitiones frequentes protrahat, tunc paregoricum ſequens opportunum erit.

℞. *Diaſcord. Fracaſt. drach. j. ſem.*
Sal. Abſinth. eſſential. ſcrup. ſem.
Laudan. liquid. Cydoniat. gut. xij.
Spirit. Vitriol. gut. x.
M. pro una Doſ.

In lue Viſcida. Cum vero Viſcida lues ſtomachum inficiet,

ciet, primo per tres dies præparanti aliquo uti oportet, ut tenax gluten, quod emetica ſæpe illudit, ad facilem deturbationem diſponatur; hoc opus præcipue adjuvant vel ſtomachicum Poterii, aut Ludovici, vel Confectiones aromaticæ uſitatæ in appropriatis vehiculis exhibitæ. Demum ſequenti emetico uti convenit.

℞. *Syrup. Emetic. ex Croc. metall. parat. unc. j.*
Oxymell. Scyllitic. unc. ſem.
Aqu. Scabioſ. Betonic. aa. unc. ij.
de Cinamom. unc. ſem.
M. f. Emetic. pro Doſi.

Hoc ergo tertia vice, cum exigi videatur, repetere eſt opus, duobus vero diebus intervacuis relictis, præparantia, ut innuimus, exhibeantur, & cum opus petat, Paregoricum haud dimittatur. Poſt emeticum tandem in utroque caſu Catharcticum aliquod exhibere intereſt, ut una ſimul inteſtinorum lues, quæ ſæpe a ventriculo deſcendit, omnino eliminetur; inter cætera utrique Caſui aptæ ſequentes Pilulæ ſunt.

Purgatio in utroque Caſu.

℞. *Magiſt. Tartar. purgant. gr. xv.*
Extract. Rhabarb. ſcrup. j.
Balſam. Peruvian. q. ſ. ut f. Pilul. pro Doſ.

Stomachi roborãtia in Bile.

42. Purgationibus abſolutis, ad approbriata roborantia deſcendere intereſt, ut Ventriculus ad naturalem tonum reſtituatur, & ita illius energia firmanda eſt, ut ad priſtinam labem haud ultra revertatur. In primo ergo caſu Bilis vel nimia, vel nimium volatilis emendari petit, ne ultra proprios duodeni limites aſcendens, pylorum adigat, & ventriculum invadat. Opportuna ad hoc opus remedia, cum longè nimis a pomœriis noſtris nos ducerent, conſulto Peritis hanc provinciam relinquimus; maxime quia vitiatæ bilis correctiones in *Tract. de Febr.* ſatis expoſuimus. Roborantia verò in hoc caſu proficua ſequentia eſſe poſſunt.

℞. *Stomachic. Ludovic. ſcrup. ſem.*
Magiſt. Corall. rubr. gr. viij.
Sal. Abſinth. eſſential. gr. vj.
Ol. Cinnamom. deſtill. gut. ij.
Aqu. Menth. odorat. unc. ij.
M. pro Doſi matutin.

Cum vero bolus magis faveat, dimiſſa aqua Menthæ, cum Balſam. Peruv. vel cum Conſerv. Roſar. q. ſ. f. placentula, cui aqu. Menth. ſuperbibatur; hæc mixtura duabus horis ante cibum, quem temperantia miniſtret; ſumi debet, ſimiliterque ante cænunculam opiata ſequens.

℞. *Conſerv. Roſ. rubr. unc. ſem.*
Spec. Aromatic. roſat. Drach. ſem.
Ol. Cortic. Aurant. gut. ij.
M. f. Opiat. pro Doſ.

In horum uſu demum quindecim dies ſaltem impendantur; poſtea illico ad ſupra datam Epilepſiæ medelam tuto accedere poſſumus.

Roborantia in Viſcido.

43. Stomachum pariter, a Viſcido limo expiatum, appropriatis roborantibus munire adhuc intereſt; arduum vero in hoc caſu eſt habituatam Ventriculi culpam ita delere, ut ultra in aſſuetum vitium non relabatur. Periti ergo erit, propriam viſcidi hujus cauſam detegere; plures enim eſſe poſſunt, precipue vero vitiatæ glandularum lymphæ, quæ digeſtionibus fermenta deferunt; vel ciborum indigeſtæ reliquiæ ſtomachi parietibus inhærentes; aut aliæ plurimæ, quarum indaginis, vel curæ hic locus non eſt. Roborantia ergo in hoc caſu, (quæ nonnullas hujus Viſcidi cauſas diripere etiam poſſunt) ſequentia ſunt.

℞. *Specier. Diacalaminth. Meſuæ drach. ſem.*
Extract. Zedoar. ſcrup. ſem.
Tinctur. Abſinth. pontic. gut. xij.
Elixir. Vitæ Matthiol. drach. j.
Aqu. Menth. odorat. unc ij.
de Cinnamom. unc. ſem.
M. pro una Doſi.

Hac mixtura manè, & ſero duabus horis ante cibum per dies ſaltem duodecim uti convenit; poſt cænam vero lectum petens opiatam ſequentem ſumat.

℞. *Conſerv. Betonic. unc. ſem.*
Spec. Stomach. Quercetan. ſcrup. j.
Elixir. Propriet. Paracelſ. gut. xij.
M. f. Opiat. pro Doſ.

Hiſce abſolutis demum, Epilepſiæ curatio inſtituatur, pro ut ſuo loco ſupra expoſita fuit.

Caducus ex Utero.

44. In Utero pariter Caduci occaſiones atrocia cudere arma, obſervatum adhuc eſt; fæcunda enim hæc regio, ad

ad humanam propagationem deſtinata, cum ab infenſis exoticis invaſa ſit, *omnium morborum occaſio eſt, ut lib. de loc. in homin. n.* 59. *Hippocrates* docuit. Inter omnes autem morbos hyſterica paſſio frequentius auditur, quam Caduci ſimilem affectionem eſſe credimus; quia licet diverſa ſymptomata ducant, ab eadem tamen, vario modo affecta cauſa produci, non ambigimus; nec alia notio affectiones haſce diſcriminat, niſi varia ſpirituum diatheſis, quæ ad hunc potius, quam ad alterum prona, vel hyſtericum, vel caducum lapſum inducere, apta eſt. Eadem, inquam, cauſa, ſpirituum nempe Acoſmia utrumque morbum, differentibus comitatum ſymptomatis efficere ſolet. Occaſiones vero, quæ utrumque ſollicitant, ſicuti multæ ſunt, ita ſingulas deſcribere, ab inſtituto aliena res eſt. Plurimos equidem in Utero, ac in Teſtibus ſuccos gliſcere, ſemperque ferveſcere, generationis hæc minera exigit, quorum quilibet cum extra modum vitietur, ac ſupra tolerantiam moleſtet, ſpirituum regimen, quod hanc provinciam gubernat, pervertendo, inibi tumultum excitat, qui vel hyſtericum, vel Caducum affectum producit. Satis enim eſt, ſpirituum acoſmiam ſuſcitare, ut alteruter morbus, ad quem magis proni ſpiritus ſunt, illico emergat. Hic ergo vitiati ſucci Diagnoſin haud exponimus; quia Inſtituti limites nimium excedunt; præcipuam vero uteri culpam, quæ frequentius Caduci lapſum provocat, innuere ſaltem, brevibuſque remediis propellere, non dimittimus.

Curatio ejuſdem. 45. Potiſſima ergo Epilepſiæ occaſio Menſtruorum detentio eſt; hujus vero Pathologiam, cum ad alienam morborum claſſem pertineat, hic reticemus, ne ab inſtituto recedamus; remedium vero in hoc caſu nobis familiare ſequens eſt.

℞. *Fol. Dittam. cretic. Sabin. aa. manip. vj.*
Radic. Acori Petroſell. aa. unc. iv.
Aqu. font. Vin alb. aa. lib vj.

M. inciſa, & coqu. vaſe clauſo ad conſumpt. mediet. Decoct. calido affunde
Myrrh. elect. unc. j. ſem.
Caſtor. pulver. drach. ij.
Cortic. Aurant. flav. unc. ij.
Cinnamom. acerrim. unc. j.

Contund. omnia per ſe; & in Decocto ſuprad. affuſa diger. per triduum, poſtea deſtill. ad mediet. Aqu. deſtillat. ſervetur; reſiduum vero fortiter expreſſ. ad Extract. conſiſtent. reducatur cujus Drach. j. in Aqu. ſuprad. unc. ij. uſus erit, qui dieb. x. ſaltem imminente menſtrui tempore, continuetur poſtea

℞. *Extract. Rhabarb. drach. ij.*
Agaric. drach. j.
Caſtor. Croc. orient. aa. drach. ſem.
Ol. Nuc. moſchat. expreſſ. ſcrup. ij.

M. cum ſucc. Artemiſ. q. ſ. f. Pilul. pro tribus Doſib. quarta quaque die utend. duobus vero diebus vacuis Aqu. ſuprad. repetat. Demumque ad Epileptica remedia deſcendatur.

46. Cæteræ demum corporis partes, & maxime artus ad Caducum excitandum proprium ſæpe ſtimulum addere, plurimis obſervationibus conſtat. *Caducus ex artubus.* Quod vero ex artubus aura quędam aſcendat, ut Patientibus videtur, opinionis illuſio eſt; cum exteram auram, per nervos aſcendentem concipere, mera vecordia ſit. Anguſtiſſimi enim nervulorum ramuli, ſubtiliſſimos ſpiritus vix exprimentes alienorum corpuſculorum, quantumvis volatilium, admittere nequeunt. Per me itaque arbitror, extraneum nullum ſcenam hanc agere, ſed ſpiritus ipſos in extremis nervorum ſurculis excubantes ab infenſo quovis concitatos, propriam commotionem (ut mos illorum eſt) cæteris ſpiritibus communicare; & ſic per nervum ipſum ad cerebrum uſque tumultuoſa undulatio ſcandens, aſcendentis auræ impreſſionem Patientibus exhibeat; hoc adhuc ſuadent ligaturæ cruribus, aut brachiis fortiter adſtrictæ, quæ inferiores ſpirituum turbas per conſtrictos nervos aſcendere vetant, ſicque Caducum lapſum vitare ſæpe ſolent. Hujus denique Curationem Periti plures ſolo cauſtico affectis digitis admoto, non raro conſequuti ſunt, quo bis nos ipſi fæliciter uſi ſumus; hoc ergo ſæpius in hiſce caſibus ſufficit, dummodo in ſanguine morbi ſcaturigo non deliteſcat; interdum enim ab arteriis cum ſero, acri ſale turgido, infenſus ſuccus ad artus deponitur, qui nervulos mordicando ſpiritus irritat, & in obnoxiis Ca-

du-

ducum provocat. In hoc ergo caſu remediis *num.* 38. ſupra datis uti primo convenit, demumque ad appropriatam curationem deſcendere.

Paroxyſmi Curatio. 47. Prophylace tandem expedita, Terapejam in Paroxyſmo excutiendo, audire adhuc ſupereſt. Raro autem ad Caduci lapſum Medentis auxilium exquiritur; at cum atrocior, ac diuturnior ſit, *tunc medicas urget cito adhibere manus*. In hoc ergo caſu Artis opus eſt, deviatos ſpiritus ad conſueta munia revocare, quem ſcopum ſalia volatil. Corn. Cerv. vel Succin. aut Fuligin. &c. naribus applicata, ſæpe conſequuntur; in atroci caſu ſequens proficuum ſæpe fuit.

℞. *Succ. Rutæ unc. j.*
Eſſent. Caſtor. ſcrup. j.
Spirit. Sal. Armoniac. gut. xv.
M. & cum bombac. in nares indatur.

Suffitus item maxime in mulieribus ex Galban. & Caſtor. pulverizat., & in charta involutis, & accenſa naribus, fumum præbeat. Cucurbitulis etiam crures, coxaſque vexare, ac ligaturis eaſdem obſtringere; manus, ac digitos cum ſucco rutæ fortiter fricare, convulſaſque partes Oleo Juniperino illinire. Oris oſtium apertum ſervare intereſt, ut reſpiratio facilitetur, ac auxiliorum aditus pateat, & inſuper, ne maxillæ, denteſque convulſivo impetu ducti, linguam ſcindere poſſint. Cum vero ex Ventriculi culpa Caducus oriatur, emeticum exhibeatur, ſin vero Clyſterem acrem injicere juvabit. Quod ſi ab utero fomitem ſumat, ſequens mixtura præſentanea erit.

℞. *Aqu. Meliſſ. Rutæ aa. unc. j. ſem.*
Tinctur. Caſtor. ſcrup. j.
Spirit. Sal. Armoniac. gut. xij.
M. & ſenſim totam ſumat.

Nec phlebotomiam (maximè cum menſtrua, vel hæmorrhoides ſuppreſſæ fomitem dediſſent) ex ſaphena celebrare dimittatur; cum præſens conditio requirat, quod alias morbus non petit.

Paroxyſmi atrocis remedia. 48. Cum autem pertinaciſſimus affectus, hiſce deſpectis omnibus, immotus adhuc perſiſtat, tunc extremum morbum extremo remedio tentare, ſeu ad ignem confugere, cauterioque circa nucham inurere intereſt. Item in hoc arduo caſu herrinis fortibus ſternutationem provocare decet, ad quod opus Vitriol. vel Ellebor. alb. cum ſucco Rutæ mixt. opportunum erit. Sternutatio enim ſicuti leni paroxyſmo non convenit, ita in pertinaci opportuna eſt, ut ſenſum, & motum excutiat. Cucurbitulam magnam ſummo capiti affigere, & ſcarificare plurimi jubent; verum licet in Apopletico lapſu opportuna ſit, in Caduco tamen, cum morbi cauſa diſpari modo diſpoſita ſit, ideo quid conferre poſſit, non video, niſi aliud experientia docuerit. Quod vero fauſtum inveni, experimentum eſt, in *Guaineri Practica* deſcriptum. Sanguinem nimirum ex vena auris externi fundere, & cum illo calenti Epileptici labia illinire, ac in os intrudere; quo facto, qui horis quinque cum morte luctabatur ſtatim ad ſenſus, motuſque reſurgere vidimus. An vero huic, vel plurimis antea uſurpatis remediis excuſſio hæc attribui debeat, non facile dijudicari poteſt, ſicut nec deprehendere, qua propria vi ſanguis iſte tam cito conferre potuiſſet. Futuris ergo experimentis remedium iſtud commendatum relinquimus; & cum æque conferat, ut ſacram anchoram in periculis hiſce ad uſum vocare, fas erit.

Confortantia. 49. Reſtitutus tandem Patiens, confortantem aliquam, ſimulque antepilepticam potiunculam ſumat, maxime cum plures in die lapſus morbus repetere ſoleat; ſicque confortati ſpiritus non facilè ad acoſmias inducuntur; hunc ergo ſcopum Mixturæ ſequentes tangere poſſunt.

℞. *Aqu. antepilept. noſtræ unc. j. ſem.*
Cremor. Cinnabar. noſtri ſcrup. ſem.
Magiſt. ſolubil. Perlar. gr. viij.
Eſſent. Ambr. gryſ. gr. ij.
M. & pro una Doſ. propin.

vel ℞. *Aqu. Apoplect. Ludovic. unc. j.*
de ſucc. Rutæ unc. ſem.
Magiſt. ſolubil. Corall. ſcrup. ſem.
Spirit. Flor. Tiliæ gut. xij.
Eſſent. Ambr. gryſ. gr. ij.
M. & ſimiliter utito.

Vel cum Pauper Patiens ſit, brodii cyathum ſorbeat, in quo ſucci Rutæ un. j. permixta ſit. Hæc tandem ad Paroxyſmum expugnandum ſufficiant; cum autem pertinacem Caducum, qui ſemper ferocius repullulat, omnino evellere

re tandem expetatur, ſupradata eradicativa curatio ad uſum vocetur, quæ, favente Deo, integram morbi victoriam nondum promittere, ſed impertiri aſſuevit.

APPENDIX.

Licet ſupra expoſita remedia indomitam Epilepſiam expugnare apta ſint; quibus tamen Corinthum adire, non eſt animus, ſequentia ſaltem a Peritis ſelecta innuere, non dimittimus, cum pro varia morbi hujus conditione adhuc proficua eſſe poſſint.

Primo itaque Remedia omnia, quæ celebris Cnoffellius contra Epilepſiam ex Pyrotechniæ theſauro ſeligere didicit, quæ rite confecta, recteque adhibita, ſpem deludere haud ſolent; horum prolixam ſeriem, brevitati noſtræ incommodam, qui cupit in Hoffman. Clau. Schroder. titul. Epileptic. invenire poterit. Item

Elixir. Vitriol. Batei, Corvus Epileptic. aliaque in ejuſdem Pharmacop. Pulv. Epilept. Craton. & Pulv. Epilept. de Gutteta, qui fit

℞. *Radic. Pæon. Semin. ejuſdem aa. unc. ſem.*
Viſc. Quercin. Sambucin. aa. dr. v.
Cran. human. Ungul. Alcis pp. aa. unc. j.
Moſch. Ambr. gryſ. aa. gr. vj.
F. Omn. pulv. Doſ. ad Drach. ſem.

Syrup. antepilept. Quercetan. & alius Witzelii in Schroder Pharmacop.

Elixir Epileptic. & Hyſteric. Hoffmanni in Clau. Schroder.

Pilul. Epilept. S. Cloſſ. in Schrod. Aliæ Hoffman. in calce Clau. Schroder.

Electuar. Epilept. Magn. Ducis Hetruriæ.

Arcan. Antepilept. Bartholin.

Balſam. Sulphur. Pæoniat.

Balſam. Nervin. Schefer.

Bezoardic. lunar, item Calx Lunæ, Luna potabil.

Cephalic. Specific. Michael.

Cran. human. præparation. plurimæ.

Cerebr. & Sanguin. human. præparation.

Extract. Bacc. Juniper. Buxi, & Ceraſor. nigr.

Flor. Antimon. Croll.

Flor. Lunæ Burri.

Lapis Butleri, Mercur. aureat.

Mumia præparat.

Magiſteria Corall. pæoniat. de Spin. Viper. de Ungul. Alcis.

Olea deſtillata.

Antimon. Erneſti. Bacc. Juniper. Buxi. Fuligin. Lilior. Convall. Semin. Pæoniæ. Succin. Viſci colurn. & alia.

Spiritus.

Ceraſor. nigr. C. C. ſuccinat. Lilior. conval. Lign. heracl.

Succin. Sangu. human. Veneris. Vitriol. antepilept.

Tincturæ.

Corallor. Hyperic. Lunæ. Saſſafraſ. & Veneris.

Cæteraque innumera hujus lineæ remedia, quæ vel vulgariter nota, vel parum proficua relinquimus.

CAP. V.

De Apoplexia ejuſque Curatione.

1. Alter Enormonticus lapſus, priori atrocior Apoplexia eſt, quam variis nominibus *Græcia ſolers, ſuaque in compendia pugnax*, nuncupare placuit, ut Aphonia, Paraplegia, &c. quibus Latini etiam addiderunt alia, ut Morbus attonitus, Syderatio &c. quæ, inquam, vocabula, etiam alienis morbis communia, hunc noſtrum involvunt potius, quam explicent; ideo hæc inutilia, curioſis grata, relinquimus, & ad intima morbi pro viribus penetranda progredimur. Apoplexia ergo morbus acutiſſimus deſcribi poteſt quod *ſit repentinus animalis machinæ lapſus, ob Enormonticum in nervis inhibitum influxum; unde Cerebri curia clauditur, motus, ſenſuſque depereunt, Cor, & Pulmo ingemunt, iſtum reſpirationes, illud pulſationes defatigant*. Adeo Capitis jacturæ viventem machinam affligit, ut univerſa *Deſcriptio.* mem-

membra cum ipſo langueſcant, & niſi caput reſurgat, poſt ipſum mori cogantur. Enormon enim tam in venis, quam in nervis præcipuus vitæ promotor, cum ſenſuum munia deperdat, langueſcit ita, ut niſi jacturas redimat, ipſi quoque *ſupereſt ſpes nulla ſalutis*.

Pars affecta. 2. Pars autem, quæ gravatur, Mentis regio eſt, Caput nempe, ſeu Cerebrum; non tamen Cor, ut nonnulli arbitrantur, qui ſyncope cum Apoplexia confundere, non vident. Licet enim ambo congeneres morbi videantur, non tamen ab eodem fomite ducuntur, nec eandem ſedem occupant, nec eandem cladem inferunt. Diſpari enim modo a ſyncope in corde patitur Enormon, quam in cerebro ab Apoplexia patiatur; cum ſenſus, & motus tantum iſta ſubvertat, cor autem, & pulmones ad propria munia relinquat; illa vero ſenſus, motus, reſpirationem, & pulſus illico ſupprimat; item difficilius ab Apoplexia, quam a ſyncope vitæ integritas reſurgit, cum iſta nullam læſionem, illa vero paralyſin relinquere, ſoleant, quæ, inquam, diſcrimina non diſtinguere, obſcuram ſcientiam magis tenebrare eſt. Partem itaque affectam Cerebri ſubſtantiam eſſe, obſervationes docuere, non autem ejuſdem ventriculos, ut credidere Veteres. Ex anatomicis inſpectionibus patet, quod in alienis ab Apoplexia morbis, dicti ventriculi multa illuvie oppleti, reperti ſint; & econtra in Apoplecticis inſpectis, nullam in iiſdem luem exploratam fuiſſe. Hoc primum celebris *Fernelius lib.* 2. *de addit. rer. cauſ. cap.* 15. poſt ipſum accuratiſſimus in hac linea *Wepferus*, ac plurimi poſtea inſpexiſſe, teſtati ſunt; hæc vero in Cauſarum indagine clariora fient.

Differentiæ. 3. Morbi hujus Differentiæ a Practicorum Principe binæ tantum deſignantur 2. *Aph.* 42. *Fortis*, & *Debilis*, quas ad Medentum normam deſcripſit, cum fortem ſolvere impoſſibile eſſe, alteram non facilè curari poſſe, docuerit. Recentiores item anatomicis inſpectionibus edocti, alias adhuc Practicis nondum utiles, ſed cognitu neceſſarias differentias detexerunt, primam nempe a lympharum lue, alteram ab extravaſato ſanguine ortas, utraque Cerebri ſubſtantiam opprimente. Tertia demum in ipſis, caput ſcandentibus, arteriis detecta fuit; cum congrumatus in iiſdem ſanguis, cerebrum aſcendere nequeat, ſicque debito ſpirituum tributo nervos defraudat; differentias haſce, quæ therapejam dirigunt, probè cognitas habere Practicis intereſt, ne indecentes curationes inſtituant. Diſparitates demum, quæ morbum hunc a ſimilibus diſcriminant, indicare ſaltem eſt opus. Et primo pulſus, & reſpiratio Syncopen ab Apoplexia diſtinguunt, cum in iſta ſemper appareant, in illa vero nunquam; item Epilepſiam ab Apoplexia convulſivi motus diſcernunt. Lethargus tandem ſenſus, motuſque non opprimit, nam compuncti dormientes moventur, & ſentiunt, Apoplectici vero excuſſi, & exuſti, nec ſenſum, nec motum oſtendunt.

4. Signa denique ſæpe lethalia Apoplexiam comitantur, ac eo magis quo fortior morbus eſt; gradibus enim diverſis, Fortis cum ſit, deſcribi poteſt. *Diagnoſis.* Primus ergo eſt, cum reſpiratio difficilis anhelitu inæquali exerceatur, pulſus vero a naturali non nimium diſtet: Secundus gradus eſt, quando anhelitus cum ſtertore confunditur, pulſuſque languidi, parvi, vel inæquales ſint. Tertius tandem quando reſpiratio, & pulſus ita obſcurentur, ut non appareant, tunc mortem fores pulſare portendunt; gradus demum iſti in Apoplexia forti alter alterum ſenſim inſequitur, donec mors invadat, & *fata noviſſima claudat*. In debili vero Apoplexia non ita ægre reſpirat Patiens, pulſuſque ſæpius naturales oſtenduntur, ac brevi hora paroxyſmus excutitur, ſed non raro in Paralyſin devolvitur. Concomitantia ſigna hæc ſunt, Præcedentia vero incertam ludunt aleam, cum varia ſæpius indicia morbum prænuncient, propria enim latentis cauſæ vexilla ſunt, quæ infra in Cauſarum ſignis diſtincta ſerie exponuntur.

5. Cauſas denique nunc inquirere aggredimur, rectam vero illarum notionem a veteri ſchola emendicare non decet; cum hactenus perpetuum diſſidiorum fomitem nutrire docuerit. Ideo ſaniores tandem, ut *Fernelius* primo *Cauſarum indago.* inſpe-

inſpectionibus edocti, Galeno terga vertendo, de cerebri ventriculis infarctis opinionem evertere ſtuduerunt. Ex ipſo itaque anatomiæ ſcrutinio tutius, quam a conjecturis morbi hujus promotrices cauſas indagare, (primariam vero, utpote omnibus notam, innuere tantum,) nunc expedit. Primo igitur ſatis firmatum eſſe credimus, quod Enormonticus niſus vitales ſimul, & animales actiones in organis recte diſpoſitis ad proprios fines conducat; nullumque vitæ munus, nec ſenſus, & motus ullus in viventi machina peragi poſſit, niſi illius impulſus diſpoſita organa exerceat; ſolus enim

Causa primaria.

Motor agens famulos operas diſpertit in omnes. Mant.

Ideo deficiente Motore ſpiritu, organicus famulatus ab omni motione feriatur. At ſicuti eaſdem actiones perficere, vel depravare, aut abolire, ad illius impulſum rectum, vel indirectum, aut deficientem primario ſpectat, ita ſecundario ab organis ipſis probè, vel improbè diſpoſitis, functionum perfectiones, vel depravationes, aut abolitiones procedere poſſunt. Primariam ergo morbi hujus cauſam Enormonticum in nervis inhibitum influxum eſſe, nemo hactenus negavit; ſecundarias vero, quæ tot diſſidia duxerunt, ad rectam trutinam vocare, nunc ſupereſt.

Secundariæ cauſę.

6. Sat hodie noſcitur, quod Veterum opiniones ambiguam ſemper de cauſis hiſce controverſias agitaſſent; unde Peritiores, dubia litigia nauſeando, anatomicas inſpectiones petere didicerunt. Horum ergo intuitu in detecto Apoplecticorum cerebro, lymphæ ſtagnantis illuvies, ac ſæpius extravaſati ſanguinis copia, reperta fuerę; hinc de ventriculis a pituita infarctis cantilena obmuteſcere cæpit. In hac linea omnium primus, qui deceptis Galenicis oculos aperuit, celebris *Fernelius* fuit, qui, *ut num.* 2. tetigimus, duo Apoplecticorum capita recluſa inſpexit, in quorum altero ſanguinem, in altero humorem craſſum, cerebri ſubſtantiam exundantem invenit, ventriculos autem nulla lue fœdatos inſpexit. Poſt ipſum adhuc plurimi, ſed cæteris præſtantius celebris in hac palæſtra *Wepferus lib.* 6. *de Apoplex.* qui diu in hac indagine deſudavit, & ſupra viginti Apoplecticorum capita recluſa inſpexit, ac eaſdem cerebri lues in omnibus invenit, ventriculos vero ab hac ſorde liberos reperiit; plurimas item ſimiles inſpectiones ex peritioribus Medicis deſcribit *Schenchius obſerv. lib.* 1. *de Apoplex.* Hæc ergo anatomica experimenta tuto ſuadent; quod dicta in ipſo cerebro ſtagnantia recrementa capillares arterias comprimunt ita, & opprimunt, ut nec arteriis vitalem ſuccum tribuere, nec nervis proprios ſpiritus ſumere permittatur; unde nervoſum genus ſpiritali ope deſtitutum, fatiſcere cogitur, ſicque ſenſus motuſque functiones omnino dimittere. Hoc idem adhuc *Hippocr.* 4. *de rat. vict. acut. tex.* 23. *ex Gal. com.* ſic docuit. *Si repente quis obmutuerit, id venarum interceptiones faciunt, ſi id ſano homini, ſine alia vehementi cauſa, acciderit*. Ecce Apoplexiam ſub verbo *obmutuerit*, nam Aphoniam pro Apoplexia ſæpe uſurpat Hippocrates; & ecce illius cauſam, nempe *venarum interceptiones*, ideſt arteriarum, quas Priſci ſæpius unico venarum titulo nuncupabant. Interceptæ igitur cerebri arteriæ, ne proprium effluvium nervis contribuant, illico Apoplexiam emergere, neceſſum eſt.

7. Hæc autem arterioſi ſanguinis interceptio non ipſi cerebro tantum contingere poteſt; ex aliis enim anatomicis inquiſitionibus æque conſtat, quod arteriæ carotides, quæ cerebro ſanguinem deferunt in nonnullis Apopletico lapſu extinctis, circa jugulum, in aliis (ut in caſu a nobis inſpecto) ſub ingreſſu cranii congrumato ſanguine infarctæ detectæ fuerunt; a quo ſufflaminato ſanguinis aſcenſu, capillares cerebrum, ac nervos nutrientes arteriæ, vitali ſucco deſtitutæ, nervoſum genus ſpiritali alimonia defraudant; unde Apoplexiæ tragædia in ſcenam ducitur. Hanc morbi hujus cauſam non obſcure comprobant caſus a *Wepfero de Apopl.* expoſiti; primus eſt Juvenis cujuſdam Anglæ, quam ſuſpendio damnatam, & ut mortuam a reſti ſolutam, dum tumulo condere parabant, reſpirationem duxiſſe, obſervatum fuit; hinc celebris Willius, aliique peritiores Angliæ Medici ipſam a mortis faucibus evellere,

Carotides infarctæ.

re, cogitaverunt, quod fauſto eventu ſortiti ſunt. Alter caſus ruſtici cujuſdam Hondingenſis eſt, quem a Militibus arbori appenſum fuiſſe, ac tandem præciſo laqueo, diu pene mortuum jacuiſſe, reſtitutum denique, ſenſim ad vicina dumeta ſe contuliſſe; hos ergo caſus prælaudatus Wepferus contra Galeni aſſertum enarrat, qui pluribus in locis, & præcipue *lib. de util. reſpirat. cap.* 5. acerrimè ſtatuere nititur, *cerebro exiguum commodum a corde ſuggeri, exiguumque incommodum ligatis carotidibus perſentire*. At nunc, quod clarius Anatome lumen

Exuit implicitum tenebris humentibus orbem. Stat.

Galeni caligines per ſe tandem evaneſcunt. Caſus ergo iſti, aliique plurimi ſimiles facilè ſuadent, quod cum ſanguinis ad caput aſcenſus quovis modo intercipiatur, cerebri munia langueſcere, ac ſenſus, motuſque organa ſilere cogantur. Hæcce itaque hactenus expoſitæ cauſæ licet inter ſe differentes ad unicum tamen ſcopum directè conſpirant; arterioſum nempe ſanguinem proprio cuique modo præpedire, ne cerebri meditullium pervadat, nervorumque propaginibus ſpiritale ſubſidium conferat; ſicque nervoſum genus langueſcens a ſenſus, motuſque functionibus illico feriatur.

Narcotici cauſa. 8. Diſpari vero modo altera adhuc cauſa, ad morbum hunc promovendum incedit, Narcoticum nempe virus in cerebri meditullio ſæpe ab arteriis evectum; ab hoc namque ſanguinis effluvium non intercipitur, ſed narcotico veneno animales ſpiritus perimit; cum ipſorum exploſivum impetum liget, & quaſi mortua corpuſcula omnino immobiles reddat, unde Apoplexiæ lapſus invadat. Hanc ſpirituum cladem non raro a nimio Vini meracis ſupra vires abuſu induci poſſe, *Hippocrates* jam docuit, 5. *Aph* 5. *Si ebrius quiſpiam repente obmutuerit, convulſus moritur, niſi &c.* Nec experientia refragatur; plurimi enim caſus illorum, qui a vini abuſu, & in lethali narcoſi, de qua aphoriſmus loquitur, & in apoplecticum lapſum inciderunt, apud Practicorum obſervationes perleguntur. Heu proditoria ebrietas, quæ inſipientes decipit, cum voluptatem in pœnam vertat; Audi *Senecam epiſtol.* 83. *in fin.* *Dic ergo quare ſapiens non debeat ebrius fieri: Proba iſtas, quæ voluptates vocantur, ubi tranſcenderint modum, pænas eſſe*, & pœnas interdum Capitis, dum Apoplexiam inducunt. Non ambigo quidem narcoticum hoc virus etiam ex nimio Nicotianæ abuſu aliquando gigni poſſe. Vidimus enim Nautam ſexagenarium forti apoplexia correptum, ac ocyter enecatum; cui aperto cranio, nil aliud conſpicuum detectum fuit, præter cerebri ſubſtantiam exuſtam, inſolitaque ſub meninge duritia tactui reſiſtentem. Inquiſitis procatarcticis cauſis, audivimus a famulis, (quia Navilii dominus erat) hominem hunc in victu temperatum, niſi quod enormi quantitate tabacci, per nares, & per os fumando, ita abuteretur, ut libram intra quinque dies conſumeret, ac per annum ante lapſum quaſi demens eſſet, propriaque negotia Nepotis humero impoſuiſſet. Hinc tuto conjicimus, quod tantus Nicotianæ abuſus morbum hunc, & mortem demum induxiſſet. Omnia ergo, quæ narcoticam vim exerere poſſunt, introſumpta ſpiritus figere, ſicque motus, ſenſuſque munia ſubripere, apta ſunt.

9. Plurimam pariter huic morbo anſam præbent conſuetæ hæmorrhagiæ ſuppreſſiones; ut non ſine valida conjectura Periti plurimi autumant. Et certo quidem cum poſt diuturnam menſtruorum vel hæmorrhoidum, aut narium hæmorrhagiæ retentionem Apoplexia emergat, tuto arbitrari decet, conſuetum ſanguinis effluxum, ad externas partes determinandum, quadam facta metaſtaſi, per carotides in cerebrum exonerari; unde apoplecticæ clades emergunt; huic noxæ facilius Euſarcos ſubjacere, aſſidua praxis docuit; quorum ſanguinis copiam, per ſolitas hæmorrhagias non eductam, caput non raro petere, ſicque cerebri ſubſtantiam opprimere, ſæpius experientia ſuaſit. Item inter externas cauſas fortes capitis concuſſiones, vel contuſiones, aut Cranii compreſſiones merito primas tenent. Fortiter enim ſuccuſſum cerebrum, vel cum calvariæ depreſſione compreſſum, propriam cladem arteriis *Propbaſes ceteræ.*

communicare cogitur, cum ſimul cum illo patiantur, ſimulque comprimantur, unde ſolito cum nervis commercio protinus intercepto, nervoſum genus arterioſo ſpiritu deſtituitur, ſicque motus, & ſenſus deperditiones oriuntur. Denique nec intimi Animi motus ab hac culpa eximi poſſunt, ac potiſſimum Ira, quæ cum vehemens ſit, ſanguinis fluentum quaſi turgeſcere, ac exundare cogit. Novimus enim Iracundos, qui poſt excandeſcentias in hæmorrhagias atroces incidebant, quorum duo alterum hæmorrhoidum fluxus, alterum Apoplexia, omni ſpreto remedio, tandem interemit; hæc ſæpe furoris pæna eſt, nam

——— *quodque habet proprium furor,*
In ſe ipſe ſævit ———

Senec. in Hercul.

Cauſarum ſigna. 10. Cauſarum indagine pro viribus expenſa, ipſarum ſigna exquirere adhuc ſupereſt; cum ad therapejam rite, & recte inſtituendam primario conducant. At quia multiformis, ut diximus, iſta cauſarum noxa eſt, ideo diſſimilia illarum ſigna diſtinguere intereſt. Et primo tunc viſcidæ lymphæ collectionem in cerebro factam eſſe conjicimus, cum caput gravitatibus diuturnis affectum fuerit; ex naribus, & labiis continua lymphæ copia exundaverit; oculi pene tumidi, ſæpiuſque caligantes, lacrimanteſve appareant; facies palleſcens, aut livida, vel tumida ſit; omnes corporis motus languido niſu ducantur, ſenſuſque haud parum diminuti exerceantur; corporis habitus ſubpinguis pallentem colorem affectet; ætas verò ſeniles potius annos percurrat; animi demum pathemata luctuoſa frequenter affligant; proximum vero ſignum, quod ultima imminentis morbi vexilla explicat, erit, cum lymphatica lues per os, & nares ſolito excernenda, omnino ſupprimatur, & maxime ſi temporis conſtitutio non aquilonia, ſed auſtrina fuerit, quæ lymphæ fluxus promovet potius, quam detineat, tunc Apoplecticus lapſus ad fores eſſe indicatur. Alteram vero cauſam extravaſatum nempe in cerebro ſanguinem detegunt; Capitis dolores graves diutius infeſti, & maxime cum a cubitu Patiens ſurgat, vel cum caput deorſum inflectat; tunc vertigines non raro tenebricoſæ moleſtant, ac pondus dolorificum frontem, & tempora gravare ſolent; facies, & oculi præcipuè livido rubore afficiuntur, ac rubro ſæpe colore viſio inficitur; ſic ſenſus cæteri, motuſque animales lento ſæpe vigore exercentur, ac interdum etiam cum impetu, ſed inconſtanti ducuntur; Mentis inſueta hebetudo, ac Memoriæ defectus invicem ſæpe recurſant; frequentes ad iracundiam, vel ad cachinnos prolapſus ex animo irrumpunt; corporis habitus euſarcos, & ſanguineus; ætas demum vigens potius, quam ſenilis; proximum vero Apoplexiæ invadentis ſignum eſt, vertigo tenebricoſa diu in die moleſtans, cum aſſidua, ſine cauſa, corporis laſſitudine ſociata, maximè ſi verno tempore, dum ſanguis augetur, & poſt conſuetæ hæmorrhagiæ ſuppreſſiones contingat. Tertiam denique cauſam, ſanguinis nempe intra carotides arterias congrumationem, pauca, & ambigua ſigna prænunciare poſſunt; certiora tamen indicia ab Acido in ſanguine prædominante, ac ejuſdem particulas coagulante, tutius deſumuntur; de quibus affatim *in Tract. de Febrib.* cum dictum ſit, ideò hic prolixam palinodiam recinere tædet. Cæteræ demum externæ cauſæ ab illarum vel abuſu, vel caſu per ſe denunciantur; ideò dimiſſis hiſce, ad Prognoſin accedimus.

11. Acutiſſimi hujus morbi genium per ſe ſemper funeſtum prænunciat eventum; magis vero, vel minus atrocem ſola reſpiratio, quæ inter vitæ jacturas non deperdita, ſed nec intacta relinquitur, portendere poteſt; hæc, inquam, prout magis, minuſve læſa conſpicitur, plus etiam, vel minus exitioſum morbum denunciat; reſpiratio igitur obſcura properam mortem innuit, & maxime *cum ſpuma circa os fuerit*, *ut* 2. *Aph.* 43. docetur; cum conatu pariter ac ſtertore gravi, & inæqualiter ducta, periculoſum præcinit affectum, qui ad ſeptimam uſque diem funera prorogare ſolet, *niſi febris apprehenderit*, 6. *Aph.* 51. ut Hippocrates, & experientia loquuntur. Febris vero non mitis, quæ in hoc caſu *pernicioſa eſt*, *ut in Coac. præn.* notatur; *Prognoſis.*

ſed

ſed Acuta eſſe debet, ut morbi fomitem valida criſi depellere poſſit; plures enim Apoplecticos vidimus, cum pauca febri fata ultima claudere, aliquos etiam cum diuturna febricula in paralyſin incidere, quod unicum in hoc caſu, mortem eludens, refugium eſſe ſolet. Libera vero, nec nimium difficilis reſpiratio, morbum facile ſuperare, promittit, ſed ſæpius recidivas moliri minitatur; ideo hujus curatio peritum, accuratumque Medentem petit, ut altas morbi radices evellere ſciat; nec unquam fauſtis hic prædictionibus indulgeat; firmo tenens animo, ac ore præcinens *Hippocratis* monitum. *Solvere Apoplexiam fortem impoſſibile; debilem vero, non facile*, 2. *Aphoriſm.* 42. Quamobrem ſicuti fortem non omnino deſperare, ac dimittere, ſed opportuna tentare, providi Medentis eſt; ita debilem Apoplexiam omnino curari poſſe, tuto promittere, imperiti eſſe videtur; cum Artem, quæ ſcopum non tangat, ſemper morbus illudat. Natura vero per ſe ſola ſæpe, nunc per os, nunc per aures, & ſæpius per hæmorrhagias conſuetas, morbi fomites eliminando, (ut Medentum obſervationes teſtantur) integram opem conferre aſſuevit; quæ, inquam, documenta ſunt, ut prænotiones noſtras, ac præcipue medendi methodum, ſub ipſius regimine dirigamus, quæ regula omnes curationes æque, tutoque dirigit; tutior enim ſemper medelæ centrum tangimus, cum cognitis morbi cauſis, naturæ ſibi proſpicientis molimina proſequamur; & ſic ad therapejam accedimus.

Curationis intentio. 12. Curationis itaque ſcopus, cum differentes cauſas oppugnare, ac expugnare contendat, ideo per diſpares methodos aſſequi tuto poterit; non enim eandem remediorum vim lympha viſcida, & ſanguis extravaſatus, in cerebro ſtagnantes æque petunt; nec eandem adhuc ſanguinis grumeſcentiæ carotides arterias infarcientes; nec ſimiliter eandem aliæ prophaſes, quæ omnes cuique propriam therapejam requirunt. Quamobrem ſingulatim omnibus proſpicere, propriamque cuilibet curativam methodum tribuere intereſt. Primo itaque more noſtro Curationis limina aperire Diæta deberet; ſed quia nec iſta ob varias morbi cauſas unicam victus legem, omnibus æque proficuam, ſtatuere poteſt; ideo nunc ſileat, ſed poſt ſingulas curationes ſuas cuique proprias regulas exponat, ut cum cæteris auxiliis propriam manum omnibus tribuat.

Lymphæ ſtagnantis Curatio. 13. In Paroxyſmo igitur, ut ab ipſo urgens curatio auſpicetur, morbi fomites explorare primo intereſt, ad quod opus cauſarum ſigna *ſupr. num.* 10. enunciata tuto conducunt. Cum itaque apoplecticus lapſus ab exundata in cerebro lympha inductus dignoſcatur, appropriatam ſibi ſequentem methodum repoſcit. Primo igitur Phlebotomiam in hoc caſu, ut inutilem, imo pernicioſam omnino relegamus; cum lymphæ culpas haſce ſanguinis miſſio non expiare, ſed potius gravare poſſet. Alterum vero remedium, Vomitionem videlicet, cum commode inſtitui queat, proficuam eſſe, ratio, & experientia ſuadent; nec oppoſitæ Nonnullorum detrectationes vim habent, quia licet in aliquo Apoplectico pernicioſum emeticum fuiſſe, obſervatum ſit, in hoc tamen caſu, & cauſa tali, proficuum ſemper comperti ſumus; ſicuti contra in altero ab extravaſato ſanguine caſu perpetuo lædens eſſe, tuto noſcimus, ut infra dicetur. Inconſulta ergo exhibitio Emeticum injuſto crimine notavit; cum tali cauſæ tale remedium juvet, licet alteri noceat. In hoc ergo caſu Emeticum nobis familiare ſequens eſt.

℞. *Syrup. Emet. ex Croc. metal. parat. unc. ſem.*
Oxymell. Scyllit. drach. ij.
Aqu. Menth. Beton. aa. unc. j.
de Cinnamom. deſtill. unc. ſem.
M. & propina pro Doſ.

Cum vero fauces ita clauſæ ſint, ut deglutitionem inhibeant, tunc ad vomitum excitandum, ſequenti cataplaſmate utor; quo deſperatum Apoplecticum a nimis diuturno paroxyſmo poſt vomitum redemptum vidimus.

℞. *Succ. Tithymal.*
Cataput. minor. aa. drach. v.
Colocynth. Ellebor. nigr. aa. drach. iij.
Cortic. med. Sambuc. drach. vj.

Conciſ. cum Mell. q. ſ. f. Catapl. Region. Stomach. apponend.

Ab hoc externo vomitus plurimi promoventur, & cum ſatis intentioni reſponderit, dejiciatur, ac Ol. Nuciſt. cum ſucc. Menth. & Balſam. Peruv. ſimul permixt. ſtomachi regionem ſæpe illinire convenit, ac poſtea ſequentem Paregoricum ſumere.

℞. *Aqu. Menth. odorat. unc. j.*
de Cinnamom. unc. ſem.
Sal. eſſential. Abſinth. ſcrup. ſem.
Laudan. Cydon. liquid. gut. xij.
M. f. Paregoric. pro Doſ.

Sanguinis ſtagnantis Curatio. 14. Cum autem ſanguis, vel in cerebro extravaſatus, vel in carotidibus arteriis congeſtus Apoplexiæ origo ſit, tunc Emeticum & inutile, & exitioſum excludere intereſt; cum vomitionum conatus ſanguifera vaſa ad novas eruptiones cogere poſſint, effuſum vero ſanguinem a cerebro evocare nequeant. Hoc ergo ſub hac cauſa dimiſſo, ad phlebotomiam ut æque indicatam confugimus; ambo enim hæc ſanguinis vitia, vel in arteriis congrumatus, vel ab ipſis effuſus, venæ ſectionem expetunt. Nec famigeratum illud celeberrimi Celſi monitum nos deterret; cum obſcuris temporibus illis, anceps auxilium in Apoplexia phlebotomiam judicaſſet, *cum ægrum vel liberet, vel jugulet*, ut ſcribit; quia neſciebat, ex qua cauſa proficua, vel exitioſa evaderet; Ætatibus namque illis nimius erat anatomiæ defectus. Peritus vero ille nihilominus cenſuit: *Melius eſſe ancipiti remedio uti, quam nullo, cum multa in præcipiti periculo rectè fiant, quæ alias eſſent omittenda.* Anceps ideo dixit auxilium; quia prohibentes, vel petentes fomites tunc abditi latebant; nunc vero cognitis demum cauſis, non anceps ultra, nec jugulans, ſed æque proficuum extat phlebotomiæ remedium. In his ergo caſibus, cauſiſque petentibus, venam in paroxyſmo aperire primo intereſt, & pro Ægri conditionibus ad libram circiter ſanguinis extrahere eſt opus; quod ſi validum prohibens phlebotomiam recuſet, tunc ſaltem cucurbitulas decem ſcarificare jubeo, unam magnam ſupra colli verticem, quatuor ſuper ſcapulas, reliquas poſtea coxis affigere, ac ex omnibus repetitis integra ſanguinis libram extrahere; interim auxilia externa ad opus vocare, cito convenit.

15. Ad quemlibet ex quavis cauſa lapſum Apoplexiæ reſurgendum, factis primo ligaturis, ac frictionibus, in nares, & aures Aqu. Regin. Ungar. dictam, cum Ol. deſtill. Nuc. Moſchat. mixta intrudatur; frontem, & tempora, pulſuſque, ac præcordia Balſam. Apoplect. illinantur; verticem, & nucam Ol. deſtill. Succin. vel Fuligin. inungere, & linguam ſequenti mixtura fricare intereſt. *Externa in paroxyſmo.*

℞. *Extract. Salviæ gr. vj.*
Caſtor. gr. iv.
Ol. deſtill. Nuciſt. gut. ij.
Spirit. Armoniac. gut. xij.
f. Mixtur. utend. ut ſupra.

Item in Ægri cubiculo ſuffitum ex Caſtor. Succin. & Juniper. Bacc. conficiatur, ac ſequens, vel ſimile Clyſma injiciatur.

℞. *Centaur. Min. Origan. Rutæ aa. manip. ij.*
Semin. Cartham. Synap. Fænicul. aa. drach. ij.
Colocynth. in pet. ligat. unc. ſem.
M. & coqu. in Aqu. q. ſ. ad conſump. tertiæ.
In Colatur. unc. vij. diſſolv.
Electuar. Hieræ picr. unc. j. ſem.
Ol. Caſtor. Abſinth. aa. unc. j.
Sal. Armoniac. drach. ij.
M. f. Clyſter, bis etiam repetend.

Hiſce demum irritis omnibus, perſiſtente Paroxyſmo, capiti detonſo, vel cucurbitulam magnam affigere, & ſcarificare, vel linimentum ſequens applicare eſt opus.

℞. *Pingued. Caſtor. drach. ſem.*
Ol. Galban. deſtill. ſcrup. j.
deſtill. Salv. ſcrup. ſem.
M. f. Linim. utend. ut ſupra.

16. Uſurpatis demum hiſce (niſi Cerebri labes inexpugnabiles ſint) revocatum Patientem ſperare licet. At cum excuſſo paroxyſmo, linguæ paralyſis, quæ ut illius reſiduum ſæpe remanet, ad liberam loquelam recuperandam, ſequenti mixtura uti expedit. *Extra paroxyſmum*

℞. *Elixir. Vit. Matthiol. unc. ſem.*
Aqu. deſtill. Nuc. moſch. drach. j.
Sal. volatil. Salviæ gr. x.
M. & ſuper linguam ſæpius inſtilla.

Item

Item illico Aqu. Apoplect. propria Patientem refocillare, ac poſt horam ad ſummum optimo juſculo, in quo Ol. deſtill. Salv. gut. ij. permiſt. ſit, Ægri vires reficere convenit. Altera vero die ad opportunam Curationem accedere oportet, nec cunctandum eſt in morbo, qui faciles recidivas molitur, ideo infenſam celebri luem ocyter eliminare fas erit; neque fidere licet, quod poſt reſurrectionem expiatum jam cerebrum ſit, cum luem tantam integre ſemper diſcutere, Natura nequeat; quæ, inquam, reſidua, cum recenti affluxu ad acmin iterum aucta ſit, novum priori pejorem paroxyſmum inducere ſolet. Cum vero facta jam metaſtaſi, ad corporis partem aliquam Naturæ niſus potiorem luem impuliſſet; ut ſaltem ab illius reſiduis, antequam creſcant, cerebrum expietur, ac effuſionis fontes claudantur, ſequentibus auxiliis primo uti, deinde ad Paralyſin expugnandam, remediis, capite ſequenti exponendis, uti adhuc intereſt; nunc ergo præſentem ſcopum tangere aggredimur.

Lymphæ ſtagnantis Curatio. 17. Primo itaque lympham in cerebro ſtagnantem expurgare, ac ad naturalem ſtatum capitis, & nervorum munia integrè reſtituere, præſens intentio eſt. Cum igitur ex indicantibus ſignis lympham in cerebro funeſtam hanc ſcenam agere deprehendamus, Emeticum apprime, ut ſupra dictum eſt, exhibere iterum, & cum opus ſit, altera die repetere convenit. Expurgato ventriculo, caput item exundatum ab illuvie redimere, Purgantia nunc præſcribenda, æque, ſed ſenſim poſſunt:

Purgantia interna.

℞. *Extract. Ellebor. nig. ſcrup. j.*
Panchymag. Croll. ſcrup. ſem.
Aqu. Salv. Betonic. aa. unc. ij.
Syrup. Flor. Pæoniæ unc. j.
M. f. Potiuncul. pro una Doſi.

Vel in forma ſolida, quæ magis proficua eſt.

℞. *Maſſ. Pilular. Cochiar. ſcrup. ij.*
Extract. Panchymag. Quercet. ſc. j.
Magiſt. Jalapp. gr. vj.
Syrup. de Stæchad. q. ſ. ut f. Pilul. pro Doſ.

Quodlibet ex dictis non ſemel tantum, ſed pro tolerantia, quater ſaltem repetere eſt opus, tribus interpoſitis diebus a purgatione vacuis, in quibus omni mane Juſculum ſumat Caponis exenterati, in quo ſequentia includantur, ut ſimul bulliant.

℞. *Fol. Salv. Serpill. Beton. aa. manip. j.*
Semin. Synap. pulver. drach. ſem.
Nuc. Moſchat. conciſ. ſcrup. ij.
Cinnamom. acerrim. ſcrup. ſem.
M. pro ſupradicto uſu.

Juſculum Caponis hujus tribus horis ante prandium ſumat, ac de ſero ante brevem cœnam, aliqua ex mixturis ſequentibus utatur.

℞. *Aqu. Flor. Tiliæ unc. ij.*
Apoplect. Ludov. unc. j.
Tinctur. Succin. ſcrup. ij.
Sal. volatil. Salviæ gr. vj.
Syrup. Flor. Pæon. unc. j.
M. pro Doſ.

vel ℞. *Aqu. Salv. ſerpill. aa. unc. j. ſem.*
Spirit. Cran. hum.
Ceraſ. nigr. aa. gut. x.
Syrup. Flor. Tunic. unc. ſem.
M. pro Doſ.

Efficacior, cum expetatur, licet inſuavior, ſequens erit.

℞. *Aqu. Lavend. Salv. aa. unc. j. ſem.*
Apoplect. Ludov. unc. j.
Liquor. C. C. ſuccinat. gut. xv.
Eſſent. Caſtor. ſcrup. ſem.
Spirit. Sal. Armon. gut. x.
Syrup. de Stæchad. unc. j.
M. pro Doſ.

18. His tandem peractis; cum Purgantium vis per arterias delata, capitis regionem diminuta nimis aſcendat, ideo viſcidam lympham inibi liquare potius, quam omnino educere apta eſt. Quamobrem propinquiores aditus etiam reſerare intereſt, ut a purgantibus præparata lues, per Os, Aures, & Nares cito educatur; ad hoc opus ergo ſequentia tuto juvabunt; & primo Apophlegmatiſmi per Os educentes. *Purgantia externa.*

℞. *Maſtich. Pyrethr. aa. drach. ij.*
Zinziber. Synap. aa. drach. j.
Nuc. Moſch. Cinnamom. aa. dr. ſem.
Ceræ q. ſ. ut f. paſtill. ponder. dr. j.
Unicum pro vice maſticand. & expuend.

vel ℞. *Maſtich. Pyrethr. aa. drach. j.*
Semin. Synap. Piper. Long. aa. ſcrup. ij.
Euphorb. correct. ſcrup. ſem.

Mell.

Mell. Anthoſat. q. ſ. ut f. Electuar.
Cujus fruſtul. in ore ſaliv. ducat.
vel ℞. *Fol. Salv. Roriſm. Majoran. aa. manip. j.*
Flor. Pæon. Tunic. Lil. Convall. aa. pug. j.
Pyrethr. Staphiſagr. aa. unc. ſem.
Semin. Synap. Raphan. aa. drach. ij.
Vin. alb. q. ſ. m. & coqu. ad med.
℞. *Colatur. hujus lib. j.*
Mell. Anacardin. unc. ij.
M. f. Gargariſm. ad eundem ſcopum.

Varios hoſce Apophlegmatiſmos pro Patientis gratificatione præſcribere curavimus, ut facilius, & bis in die, donec opus ſit, alterutro ad lubitum utatur, quod pariter de Errhinis, Ptarmaciſque ſequentibus monitum ſit, quorum formulæ ſequentes ſunt.

℞. *Flor. Nicotian. Majoran aa. unc j.*
Flor. Lilior. convall. unc. ſem.
Rad. Ellebor. alb. drach. j.
Ambr. gryſ. Moſch. aa. gr. iij.
Contuſ. f. omnium Pulv. Ptarmic. pro uſu.
vel ℞. *Succ. recent. Betæ. Beton. aa. unc. j.*
Tinctur. Caſtor. drach. j. ſem.
Ellebor. alb. pulver. ſcrup. ij.
M. f. Errhin. liquid. cum naſcal. utend.
vel ℞. *Rad. Pyrethr. Ireos aa. drach. j.*
Semin. Synap. ſcrup. j.
Eſſent. Caſtor. ſcrup. ſem.
Contuſ. cum Tragac. Aqu. Salv. ſolut. q. ſ.
M. f. Trochiſc. naſales.

Aures pariter, ad hanc luem evocandam, opportunis aculeis provocare intereſt; interdum enim auris fluxum Apoplexiam evitaſſe, & aliquando curaſſe, Medentum obſervationes teſtantur; vidimus & nos Equitem vertigini tenebricoſæ obnoxium, cum aurium fluxu a morbo immunem degere, at cum fluxio detinebatur, cito in vertiginem ruere, ideo ex hac etiam parte cerebri luem evocare poſſe, Natura docet; ad hunc ſcopum ergo ſequentia dirigunt.

℞. *Ol. de Laterib. Balſam. Copaiu. aa. gut. vj.*
Ambr. gryſ. gr. iij. M. & cum bombac. in aur. indat.
vel ℞. *Succ. Betæ. Cyclamin aa. drac. ij.*
Extract. Gentian. ſcrup. ij.
Ol. Galban. deſtill. gut. xij.
M. & cum bombac. ambrat. ſimilit. utatur.

Cum vero ab his omnibus parum juvamen oriatur, tunc aut Veſſicatorium magnum vertici apponere, aut ad cauterium attuale occipiti inurendum confugere eſt opus, cum copioſam illuviem, quæ cætera præſidia illuſerat, per hanc viam eductam, non ſemel vidiſſem.

19. Hæc Curativa methodus in hujus cauſæ linea ſatis mihi eſſe videtur; veruntamen Artis motiones iſtæ parum ſæpe proficiunt, cum Naturæ vires, ac molimina non ſecundent. Quælibet enim curatio, reluctante illa, ſaluti obſtacula miniſtrat; ideo dum iſta exercentur auxilia, maxime ſi Febris aliqua poſt paroxyſmum invadat, oculata obſervatione rimari oportet, an intimas motiones aliquas æque conferentes Natura moliatur, quod externis indiciis perſæpe demonſtrat; ipſa enim potiſſima eſt morborum medicatrix. Ideo cum per urinam ſolito copioſiorem, vel per apertum ſudorem, aut per os, nares, vel aures, aliumve conferentem motum, capitis luem exonerare innuat, tunc molimina hæc ſecundare, nec aliis auxiliis præpedire, fas eſt. Sancte quidem confiteor, quod electas Naturæ vias ſecundando, non ſemel ad ſalutem Apoplecticos ductos vidiſſem. Expetita vero remedia, quæ intentionibus hiſce faveant, cum appropriatis jam expoſitis, perita methodo fæderare convenit, ne motuum anomalias inducant; ſicque initus Naturæ, & Artis fœdus morbum facilius expugnabit, quam victoriam diſcordes motiones nunquam aſſequuntur. *Curationis monitum.*

20. Abſoluta demum Curatione, abſque præſervantibus immunitum linquere Patientem non decet; morbus enim ad recidivas pronus, etſi ſemel depulſus, poſtliminio revertere, cladeſque pejores ducere ſæpe ſolet; ideo domeſticis munitus præſidiis perpetuo vigilet Patiens. Horum ergo uſus primo erit, ut per quindecim dies quotidie horis quatuor ante prandium unam vel alteram ſequentem mixturam ſumat. *Præſervationis leges.*

℞. *Aqu.*

℞. *Aqu. Apopleẞ. Ludov. unc. j.*
Magnanimitat. unc. ſem.
Mixtur. Antepilept. noſtræ drach. j. ſem.
Eſſent. Ambr. gryſ. gr. j.
M. pro una Doſ. matutin.

Qui vero Mixturam antepilepticam noſtram habere nequeunt, ſequentibus ſaltem utantur, videlicet.

℞. *Aqu. Apopleẞ. Ludov. unc. j.*
Majoran. ſpirituoſ. unc. ſem.
Spirit. Sangu. Human. ſcrup. j.
Ambr. gryſ. gr. j. M. pro Doſ.

vel ℞. *Aqu. Salv. Majoran. aa. unc. j.*
Eſſent. Succin. drach. ſem.
Spirit. Cran. hum. gut. vj.
M. pro Doſ.

21. Item Cubitum iturus Patiens hora ſaltem poſt brevem cænam alterutro ex ſequentibus præſervativis uti debet.

℞. *Spec. Diambr. unc. ſem.*
Semin. Synap. pulver. drach. ſem.
Ol. expreſſ. Nuc. Moſch. ſcrup. ij.
Sacch. in aqu. Lavendul. ſolut. q. ſ.
Ut f. morſul. pond. drach. j. pro Doſ.

vel ℞. *Semin. Synap. Cardamom. aa. drach. j.*
Eſſent. Caſtor. drach. ſem.
Spirit. Ceraſ. nigr. drach. j.
Conſerv. Flor. Anthos un. iv.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. ſem.

Item mane, & ſero tempora, & nares Balſam. Apopleẞ. inungantur, ac pariter Cucupha Spec. Cephalic. intuſtext. maxime in hyeme non dimittatur; hæc vero omnia per dies xv. uſurpari debent, ac per xv. alias alternatim hiſce utatur; demum in qualibet Lunæ initio, ac plenilunio eadem replicare oportet.

Diæta. 22. Diæta demum ita Curationi reſpondeat, ut una ſimul ſaluti manum porrigant; morbi enim expugnationem, quam iſta obtinere laborat, illa inobediens, avertere ſæpe ſolet; victus itaque ratio Curationem proſequatur. Aer primo Auſtrinus, geliduſve fugiatur, & in cubiculo temperatè calido toto medicationis tempore cubare ſtudeat. Cibi facilis coctionis ſint, mitibuſque aromaticis fercula condiantur, ab acidis vero, ſucciſque incraſſantibus abhorreat. Vinum oligophorum non acidum, nec dulce bibere, & a nimia potatione caute ſemper abſtinere ſtudeat. Cæteræ vero non naturales cauſæ modum teneant. Animi motus, & pavores præcipuè tranquilla mente moderentur; & hæc demum huic fomiti ſatis ſint.

23. Altera Apoplexiæ cauſa, petit ſanguinem in cerebro ſtagnantem repurgare, ſpirituum regiam ab invaſo hoſte redimere, propriiſque præſidiis cerebri caſtrum munire. Intentionibus ergo iſtis primam manum Chirurgia profert, quæ cum ſanguinem extravaſatum audiat, præſto adeſt, & maximè cum inſignem Vitæ regionem invaſam videat. Phlebotomiam itaque in paroxyſmo inſtitutam, altera die, cum vires ferant, repetere intereſt, & cum poſſit, in jugularibus venis, circa colli lateribus poſitis, celebretur. Venæ enim iſtæ, cum depleantur, per radices ſuas, quas undique in cerebro ſpargunt, avidius inibi ſanguinem ebibere debere, tuto arbitramur. Et certo quidem præcipua ſtagnantis inibi ſanguinis culpa recte venis imponitur, cum non tantum ad æquilibrium revehant, quantus ab arteriis effundatur. Ideo illas vel oppletas, vel infarctas per phlebotomiam deplere intereſt, ut parumper exhauſtæ, ſanguinem ab arteriis effundendum, ſitienti pene niſu abſorbere nitantur, ſicque novæ ſtagnationis occaſio ſurripiatur, ac morbi fomes abducatur. An vero extravaſatum cruorem inhiantes venæ reſorbere queant, inter abdita Naturæ myſteria æque relinquimus; cum Praxim pro nunc, non Cathedram exerceamus; ſufficit ergo nobis pro nunc venarum culpas corrigere, ut ultra non delinquant, ne veterem ſtagnationem iterum adaugeant, alterumque Apoplexiæ lapſum deinceps inducant. Cum autem hanc phlebotomiam in collo vel periculoſam, vel nimis incommodam eſſe ſuſpicetur, ex Jugularis externæ ramulis per frontem, ac tempora perreptantibus, vel ex raninis ſub lingua, quæ omnes illius propagines ſunt, ſanguinem mittere, eſt opus. Cucurbitulas pariter altera die nec dimittere convenit, ac magnam primo ſummo capiti affigere, & ſcarificare, (quod olim Celebris Fracaſtorius nutibus expetivit) poſtea magnam

Sanguinis ſtagnantis Curatio.

Chirurgiæ auxilia.

alte-

alteram in occipite, demumque ſex ſuper ſcapulas prope collum ſimiliter ſcarificare oportet. Inſuper Cauterium actuale in occipite excitatum, plurimum confert. Hæc ergo Chirurgia dictavit, nunc Pharmaciam audire intereſt.

Pharmaciæ remedia. 24. Extravaſatus in cerebro Cruor catharcticis quomodo educi poſſit, arduum eſt deprehendere; illorum enim energetica vis non niſi per longas Chyli, & arteriarum vias ad cerebrum aſcendere poteſt, ac inibi ducta, quo pacto ſtagnantem extra venas cruorem attingere, demumque per quos calles extra illius clauſtra ducere queat cum nulli, niſi per nervos ad inteſtina ductus adhuc appareant, nemo hactenus oſtendere potuit. Veruntamen cum ſæpe catharticis Caput obtemperaſſe, ac perſpicuum levamen obtinuiſſe, Magiſtra rerum experientia doceat; ideo illius documentis æque ſtandum eſt, & ubi ratio deficit, experimenta ſufficiant; cum agendi rectitudinem fauſti ſucceſſus oſtendant; adde inſuper, quod in anguſtiis hiſce omne auxilium tentare, vitæ pericula petunt, capitiſque jactura perſuadet. Quamobrem ſicuti a lymphatica lue invaſum Cerebrum purgantibus redimere fategimus; ita & a ſanguine oppreſſum per proximas, & diſtantes vias ſublevare conabimur. Purgantia vero in hoc caſu vehementia nimis haud eſſe debent, ne arteriarum oſcula magis aperiant, ſanguiniſque profuſiones reduplicent; ſequentia ergo ut æque experta ad uſum vocare conſulimus.

Purgandi methodus. 25. Præmiſſis demum Chirurgiæ auxiliis, aliquod ex ſequentibus Catharcticis, quod pro exigentia, & gratificatione conveniens ſit, præſcribi poterit.

℞. *Pilul. Aureæ Nicol. ſcrup. ij.*
Extract. Rhabarb. ſcrup. j.
Tartar. Vitriolat. ſcrup. ſem.
Sal. Cran. human. gr. viij.
Syrup. Flor. Tunic. q. ſ. Pilul. pro Doſ.

vel ℞. *Flor. Caſſiæ recent. extr. unc. ſem.*
Maſſ. Pilul. Catholic. Poter. ſcrup. j.
Succin. alb. præp. ſcrup. ſem.
Cinnamom. Macis aa. q. ſ.
M. f. Placent. pro Doſ.

Cum vero Potio magis arrideat, ſequenti in hoc caſu, & cauſa ſæpius utor.

℞. *Aqu. Majoran. Beton. aa. unc. j.*
Infuſion. Trochiſc. Alband. unc. j.
Syrup. Violar. ſolutiv. unc. ij.
Aqu. Flor. Aurant. q. ſ.
M. f. Potiuncul. pro Doſ.

Quodlibet ex hiſce quarta quaque die per tres vices repetere eſt opus, diebus vero vacuis, tribus horis ante prandium ſequens Juſculum ſumatur.

℞. *Pullus junior exenter. n. j.*
Fol. Beton. Majoran. aa. manip. j.
Extract. Ceraſ. nigr. drach. j. ſem.
Cinnamom. Macis aa. ſcrup. j.
M. conſuantur in Pullo, & coquant.

Hujus Juſculi uſum etiam poſt purgationem per dies quindecim continuari debet; item de ſero ſimiliter, cubitum iturus, Opiatæ ſequentis unc. j. ſumat.

℞. *Conſerv. Roſ. Rubr. unc. viij.*
de Flor. Pæon. Tunic. aa. lib. ſem.
Extract. Ceraſor. nigr. unc. ij.
Spirit. Vitriol. philoſ. noſtri drach. j. ſem.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. j.

26. Poſt interna Purgantia ad externa pariter, quæ per proximiores vias ducere poſſunt, accedere intereſt; hæc inquam, Capitis meatibus applicata cerebri recrementa facilius evocant; horum ergo formulæ pro Junioribus ſaltem ſequentes eſſe poſſunt.

Paſtilli maſticatorii.

℞. *R. Galang. Pyrethr. aa. dr. j. ſem.*
Semin. Synap. Cubeb. aa. ſcrup. j.
Sal. Verben. pulver. drach. ſem.
Maſtich. Ceræ q. ſ.
Ut f. Paſtill. maſticat. pond. dr. ſem.

vel ℞. *Rad. Zedoar. Angelic. aa. dr. ij.*
Cardamom. Cubeb. aa. drach. ſem.
Caryophyll. pulver. ſcrup. ſem.
Ceræ q. ſ. ut f. Paſtill. ut ſupra.

Hiſce utatur maſticando bis in die ante prandium, & cœnam; ac ſimul Herrina ſequentia ſæpius repetendo, in quibus nullum vehemens Ptarmicum permixtum ſit, ne fortior ſternutatio novam in cerebro ſanguinis effuſionem provocet; ideo ſequenti contenti ſumus.

℞. *Fol. Majoran. Beton. pulver. aa. unc. ſem.*
Lign. Aloes ponderoſ. pulv. dr. iij.
Rad.

Rad. Iridis odorat. pulv. drach. ij.
Moſch. Ambr. gryſ. aa. gr. ij.
M. f. omnium pulv. Errhin.

Vel pro illis, qui Nicotianæ aſſueti ſunt, ſequenti utantur.

℞. *Flor. Nicotian. optim. unc iv.*
Rad. Irid. Florent. unc. ſem.
Lilior. convall. drach. iij.
F. omnium pulv. herrinus.

Species item Diamajoranæ Mynſicht per ſe ſolæ errhinum optimum ſunt. In Aures tandem ultra ea Otalgica, quæ *ſupra nu.* 18. data ſunt, ſequens etiam in hoc caſu efficax eſt.

℞. *Extract. Colocynthid. Salæ*
Balſam. Copaiu. aa. ſcrup. ſem.
Ol. Juniper. deſtill. gut. x.
M. ad uſum.

Nempe cum bombace moſchato hac mixtura imbuto aures occludantur, ac mane, & ſero novo bombace utatur; cum hoc enim non ſemel materiæ nigræ, ac fætidæ copiam ex auribus eductam vidimus; monita demum *num.* 19. data hic quoque ſervare fas eſt.

Præſervationis norma. 27. Præſervatio denique omnino neceſſaria Purgationem ſubſequi debet. Morbus enim hic, etſi devictus, integram pacem nunquam, ſed inducias tantum promittit; ideo prophylacticis auxiliis munitus ſemper ſe cuſtodiat Patiens, quorum ſeries in hoc caſu, & cauſa ſequens eſt.

℞. *Aqu. Apoplect. noſtræ unc. ij.*
Eſſent. Verben. drach. j.
Sal. Cran. human. ſcrup. ſem.
Spirit. Ceraſor. nigr. gut. x.
M. pro una Doſ. matutin.

vel ℞. *Aqu Apoplect. noſtræ unc. ij.*
Spirit. Sangu. human.
Succin. aa. ſcrup. ſem.
Extract. Ceraſ. nigr. ſcrup. j.
M. & ſimiliter utito.

Aquam Apopl. noſtram in hoc caſu, & cauſa tantummodo proficuam ſequenti modo confectam volumus, videlicet.

℞. *Fol. Majoran. Beton. aa. manip. iij.*
Flor. Roſar. Primul. veris aa. pug. iij.
Radic. Conſolid. Major. contuſ. unc. iv.
Nuc. Moſchat. raſpat. drach. ij.
Aqu. Ceraſ. nigr. Spirit. Sal. acuat. lib. viij.

M. Diger. loc. calid. per biduum, demum deſtill. ad ſiccitat. & ſerva in A-

Syſt. Medic. Roſetti.

poplexia ab extravaſato ſanguine orta, inſignis comperta eſt; Plurimos enim, qui poſt datam purgationem frequenter uſi ſunt, per annos plures nullam recidivam vidiſſe, compertus ſum. Unam demum vel alteram ſupra datæ Mixturæ horis quatuor ante prandium per dies xv. ſaltem continuare oportet. De ſero item ſeſquihora poſt brevem cœnam, alterutrum ex ſequentibus ſumat.

℞. *Conſerv. Roſar. rubr. unc. viij.*
Flor. Tunic. unc. vij.
Extract. Symphyt. unc. j.
Nuc. Moſchat. pulv. drach. j. ſem.
Spirit. Sal. volatil. dulcif. drach. j.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. j.

vel ℞. *Extract. Symphyt. drach. j.*
Ceraſ. nig. drach. ſem.
Spirit. Sangu. Human. ſcrup. j.
Sacchar. in Aqu. Majoran. ſolut. unc. v.
M. f. Morſul. pond. drach. j. pro Doſ.

28. Nec demum Diætæ leges negligere, ſed moderatum rerum non naturalium uſum ſervare decet. Nihil enim Pharmacia valet, cum perdita victus ratio illius conatus præpediat, ſæpeque pervertat, medicamentis itaque conferens Diæta ſit, omnia nempe, quæ ſanguinem efferveſcere cogunt, (unde profuſiores debito ex arteriis effuſiones oriuntur) angue pejus evitare oportet. Aer primo æſtuans nimis, ut & Solis radii, dum Canis in Cœlo ardet, caute fugiantur, ſic fortes ignitiones Apoplecticis hiſce exitioſæ ſunt. Cibaria pariter nimium acria, ut aromata, radiceſque acri ſale volatili prædita e menſa relegare fas eſt. Carnes item, piſceſque ſale fumoque ſiccatos, fructuſque ſaccharo conditos, quod ſub doloſa dulcedine ſummum acre occultat, (cum chimia noſcat, quod durum Antimonium erodit) omnes demum forti aceto maceratos cibos evitare intereſt. Potum denique, ut Choccolatam frequentem, generoſumque Vinum, ac ejuſdem ſpiritum, & præcipue Roſolina dicta, quæ digeſtionis motivo menſæ confinia invadunt, ſæpiuſque ſanguinis incendia ſuſcitant, ab hiſce, inquam, omnibus effugere eſt opus. Motus pariter vehemens, Vigi- *Diæta.*

P liæque

liæque diuturnæ, quia ſpirituum concitationem inducunt, ideo ſcenam hanc funeſto termino ſæpe claudunt; contra vero Quies, ac Somnus, licet in aliis Apoplexiis nocentes, in hac tamen inſontes ſunt, imo & benefici, cum omnes ſanguinis motus immoderatos compeſcant. In Excretis etiam & Retentis, maxime hæmorrhagiis conſuetis invigilandum eſt, ne diu retineantur; cum effuſiones Narium, Hæmorrhoidum, vel Uteri detentas in Capite ſæpius Natura onerata, & irritata tranſmittat. Animi denique Motus, præcipuè Iram vehementem, libera mente moderari ſemper, plurimum intereſt; impenſum enim in ſanguine motum concitare ſolent, unde arteriarum effuſiones facile inſurgunt; ſed in hac Apoplexia hæc ſatis ſint.

Carotidis infarctæ Curatio. 29. Tertia demum hujus Morbi cauſa Carotidum infarctus eſt, cum in ipſis ſanguis grumeſcat; unde ſufflaminatus illius aſcenſus ad cerebrum, ſpiritali tributo nervos defraudat, ac faтiſcentes relinquit. Hujus grumeſcentiæ auctor Acidum in ſanguine redundans eſt, quod Alkalinas maſſæ particulas incuneando coagulationes congerit, quæ arteriæ ductus infarciunt. Ab illius ergo violentia ſanguineam molem redimere, præcipua Curationis hujus intentio eſt, ut fluido greſſu libere ad cerebrum ſcandere ſanguis poſſit. Primo igitur a lapſu revocatus Patiens balſamo Majoranæ, ac Sale volatili oleoſo noſtro circa collum illiniatur, frictionibus autem præmiſſis; poſtea aquæ Apoplect. Ludov. vel Langii un. j. ſem. aſſumat; poſtera vero die, cum vires ferant, Curationem auſpicari, fas eſt, & a phlebotomia, cum in paroxyſmo celebrata non ſit, initium ſumere debet, ut ad motus expeditiores concitetur ſanguis, & hanc item poſt aliquos dies repetere, congrumata illius maſſa expetit, quod Peritis relinquitur, ut petentes, ac renuentes cauſas æque ponderent. Vomitus item, cum exigi dignoſcatur, hora ſaltem poſt phlebotomiam opportuno Emetico provocetur; plurimis enim intentionibus ſatiſfacere poteſt. Prima die ſic abſoluta, in altera, cum vires ferre poſſint, catharticum ſequens præſcribatur; in hac enim cauſa remedia prorogare non decet, cum niſi ſanguinis grumeſcentiæ cito diſſolutæ ſint, Apoplectici lapſus præſto adſint; celerius ergo quo poſſit, uno vel altero purganti utatur.

℞. *Aqu. Salv. Beton. aa. unc. j. ſem.*
Infuſ. Trochiſc. Alband. unc. j.
Tinctur. Rhabarb. unc. ſem.
Tartar. Martial. drach. ſem.
M. f. Pot. purg. pro Doſ.

vel ℞. *Extract. Panchymag. Croll.*
Rhabarb. aa. drach. ſem.
Tartar. Martial. ſcrup. j.
Syrup. Roſar. ſolutiv. q. ſ.
Ut f. Boli pro Doſi.

℞. *Aqu. Salv. Beton. aa. unc. ij.*
Spirit. Sal. volatil. dulcif. gut. x.
M. ſumat immediate poſt bol.

Quodlibet ex duobus, pro gratificatione datis, Catharcticis mane quatuor horis ante cibum ſumatur, ac per quatuor vices de quarto in quarto repetatur, diebus vero a purgatione vacuis, tribus horis ante prandium alterutrum ex ſequentibus antacidis ſumat oportet.

℞. *Aqu. Salv. Beton. aa. unc. j. ſem.*
Tartar. Martial. ſcrup. ſem.
Sal. Volatil. Oleoſ. noſtri ſcrup. j.
Syrup. Flor. Tunic. unc. ſem.
M. pro Doſ. ſumend. ut ſupra.

vel ℞. *Sal. Volatil. Oleoſ. noſtri ſcrup. j.*
Volatil. Viperin. ſcrup. ſem.
C. C. philoſoph. calcinat. drach. ſem.
Syrup. Flor. Pæon. q. ſ. ut
f. Pilul. vel Bol. pro Doſ.

Salis volat. oleoſi compoſitionem, quem ad mentem Sylvii accedere credimus *in Tract. de Febr.* jam expoſuimus; remedium enim eſt, in ſanguinis grumeſcentias diſſolvendas, nulli ſecundum. De ſero tandem cubitum petens, opiata ſequenti utatur.

℞. *Conſerv. Flor. Pæon.*
Flor. Anthos aa. unc. viij.
C. C. philoſ. calcin. drach. x.
Tartar. Martial. drach. vj.
Spirit. Sal. Volat. ſcrup. ij.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. j.

Hanc ergo methodum etiam poſt Purgantibus per xv. ſaltem dies continuare intereſt, ut ſanguinis grumeſcentiæ omnino diſſolvantur; ac ne facile in diſpoſito ſanguine Acidum virus caput attollat, ſanguiniſque particulas denuo congerat, ac arteriæ infarctus renovare au-

audeat ; in quolibet Lunæ quadrato mane, & ſero ſupradatam methodum diu continuare intereſt, cui Mortis periculum in animo eſt ; & hæc in hoc caſu, & cauſa tandem ſatis eſſe poſſunt.

Diæta. 30. Diæta demum in hac morbi ſpecie propriis etiam legibus moderatur. Aerem primo ſumme gelidum ut noxium vitare oportet; ſanguinem enim ad coagulationes pronum, facile congerere poteſt. Cibi, Potuſque item acidum ſuccum ingerentes, ut venena proſcribi debent; apprime ideo Aceto condita omnia, quæ ſub variis modis, ad appetitum excitandum, inter dapes commiſcentur, evitare fas eſt, cum inſita ſanguinis ad grumeſcendum diſpoſitio, levi etiam ſtimulo ad coagulationes inducatur. Lac pariter, & lactea fercula, in ſtomacho ſæpe aceſcentia, eandem proſcriptionem merentur. Similiter animalia plurima, ſylveſtria præcipue, quæ niſi acorem conceperint, conviviis grata non ſunt, ut occulto acido turgida relegare oportet. Cibaria vero aromaticum, ac muriaticum ſuccum ingerentia, cum acidum invertant, vel corrigant, ſæpe ad uſum vocare, proficuum erit; hinc matutinam Cocholatam ſorbere; aromatibus moderatis fercula condire; herbis, ac radicibus, acri ſale volatili turgidis non raro uti, optimum erit. Vina pariter aromatico ſapore grata, niſi dulcia ſint, abſque abuſu ad menſam vocentur; auſtera vero vel dulcia nimis, quæ ſpiritum acidum in digeſtionibus exerunt, ut veneficum potum abhorrere convenit. Ceteras demum non naturales cauſas ab extremis divertere, ac medium tenere, prudens moderatio cogat, ſemper enim in hiſce ambagibus *medio tutiſſimus ibit*.

Externæ Cauſæ innuuntur. 31. Abſolutis denique Apoplexiæ ab intimis cauſis ductæ curationibus, nunc circa cæteras, quæ ab externis inducuntur, medelam volvere ſupereſt. Variæ igitur iſtæ ſunt, armiſque, modiſque differentibus militant; aliæ namque cerebrum fortiter concutiunt, aliæ illius ſubſtantiam comprimunt ita, ut naturalem ipſius tonum evertant, in hac linea veniunt violentæ Capitis Concuſſiones, ac Percuſſiones, craniique Fracturæ, quæ calvariam deprimant, ac cerebrum comprimant. Aliæ verò cauſæ diſſimili hoſtilitate lædere ſolent; cum cerebri ſubſtantiæ non officiant, ſed directè in illius ſpiritus militent, ocyter ſubmittant, omnique elaterio nudatos ad vincula condemnent; unde animales functiones, perdito regimine, feriari coguntur. Hanc ſtragem ſæpe inferunt Narcotica intro ſumpta; ut & nimia Vini, vel ejuſdem ſpiritus ingurgitatio, ac venefici mineralium fumi, ſentinæque fœtores, ſimiliaque per os, & nares aſſumpta, quæ ſpirituum niſus evertunt; horum enim abdita vis

Pleraque ſomniferis ſerpens peregrina venenis. Ovid.

Soporifera tabe animales ſpiritus afficit ita, ut nervoſi generis munia illico pereant. Novimus olim Vinulentum quendam nobilem in cuna, ignobilem in menſa, bis ſub vini pondere in Apoplexiam incidiſſe, a quibus vix redemptum, intra menſem ab eodem homicida tertia vice inreparabiliter enecatum vidimus. Tanti ponderis eſt, inhiantem gulæ gurgitem ita cohibere, ut Vini potus non venenum, ſed vitæ pabulum ſit.

A Narcoſi Curatio. 32. Horum ergo curationes a Cauſarum diſparitate diriguntur, quælibet enim Prophaſis indicationes ſibi proprias adſciſcit. Itaque Narcotica primum ſi vehementi fixatione ſpiritus ſubigant, deſperata res eſt; cum nullo Artis auxilio excitari poſſint. At non fixatos omnino, ſed torpore narcotico aſtrictos, propriis remediis ſolvi poſſe, haud arduum eſt. Ad hunc ergo ſcopum attingendum, methodus *anteced. num.* 13. *&* 15. adnotata, hic quoque proficua erit; & in ſpecie Vomitum excitare, ut venenum intruſum cito eliminetur; pariterque Ptarmicis utendum, cum per nares narcoticum virus invaſerit, in quibus Caſtoreum, & Rutam admiſcere eſt opus. Revocatus demum Patiens unam, vel alteram ex ſequentibus mixturis ſumat.

℞. *Aqu. Apoplect. Ludov. unc. j.*
Extract. Caſtor. ſcrup. j.
Spirit. Sal. Armoniac. gut. viij.
M. ſumat pro Doſ. ſenſim degluttiend.

vel ℞. *Aqu. Magnanimit. optim. unc. j.*
Eſſent. Rutæ hort. ſcrup. j.
Caſtor. ſcrup. ſem.
Sal. Volatil. Salviæ gr. vj.
M. & ſimiliter utito.

Alterutram ergo ex his quatuor ante prandium horis per dies aliquot etiam poſt Purgationem continuare Patiens debet; ac de ſero pariter ſequentibus uti.

℞. *Conſerv. Flor. Anthos lib. ſem.*
Flor. Pæoniæ unc. v.
Eſſent. Rutæ Caſtor. aa. drach. iij.
Spirit. Sal. Armoniac. ſcrup. ij.
M. f. Opiat. Doſ. unc. ſem. Cubit. itur ſumend.

vel ℞. *Specier. Diambr. unc. ſem.*
Eſſent. Rutæ hortenſ. drach. ſem.
Spirit. Ceraſor. nigr. ſcrup. j.
Sacchar. in Aqu. Salviæ ſolut. q. ſ.
Ut f. Morſul. ſimilit. utend.

33. Cum autem Narcotici reliquiæ purgationem exigant, quæ non raro in hoc caſu neceſſaria eſt; tunc aliquod ex ſequentibus Catharcticis ad opus vocare oportet.

℞. *Aqu. Salv. Rutæ aa. unc. ij.*
Extract. Ellebor. nigr. Rhabarb. aa. ſcrup. j.
Eſſent. Rut. hortenſ. ſcrup. ſem.
Syrup. Roſar. ſolutiv. unc. ij.
M. f. Potio pro Doſ.

vel ℞. *Maſſ. Pilul. Cochiar. ſcrup. ij.*
Extract. Ellebor. nigr. ſcrup. ſem.
Eſſent. Caſtor. gr. vj.
Spirit. Sal. Armon. gut. v.
Syrup. de Stœchad. q. ſ. ut f. Pilul. pro una Doſ.

Quodlibet ex his 4. horis ante prandium ſumere convenit, duabus vero poſt catharcticum Aqu. Nocer. lib. j. bibat, ac decentem cibum aſſumat; Vinum præcipuè oligophorum ſemper, ac moderatum portare, narcotica illius vis jam experta ſuadet; & licet non a Vino, ſed ab alio ſoporifero toxico Apoplexia inducta fuiſſet; ab omni ſemper narcotico abhorrere, vitæ pericula docent.

A cæteris externis Curatio. 34. Cæteræ demum Cauſæ, ut Capitis concuſſiones, contuſioneſque cum Cranii depreſſione, vel fractura, licet Apoplexiam non ſemper inducant, non raro tamen tantam cerebri compreſſionem efficiunt, ut arteriarum, & nervulorum commercium evertant, ſicque ſecum Apoplexiam ducunt. Cranii ergo depreſſio, cum haud tanta ſit, ut ad naturalem tonum cerebri moles reſtitui queat, arduam quidem, non deſperandam autem curationem indicat. Hanc tamen, quia Chirurgiæ potius manu, quam Phyſica methodo indigeat, pro nunc ideo ſicco pede tranſcurrimus. Modum vero, ac inſtrumenta ad hoc opus parata, apud Peritos invenire quiſque poterit. Præ cæteris vide *Pareum lib.* 9. *cap.* 5. *Gul. Fabric. cent.* 2. *obſerv.* 4. *&c. Doleum Encyclop. Chirurg. lib.* 1. *cap.* 4. Reſtituto demum cranio (quod in Pueris ſola Cucurbitula perficere poteſt) auxiliiſque excitato Patiente; cum a minitato cerebri phlegmone phlebotomiam exigi videatur, minimè dimittatur; pariterque cum intra cerebri clauſtrum ſanguinis effuſiones inductæ ſint, ultra Chirurgiæ miniſterium, auxiliis etiam ſupra *num.* 23. expoſitis uti æque convenit.

35. Altera demum & ultima Cauſa, Concuſſum nempe cerebrum inſpicere, illique proſpicere ſupereſt. Hanc Hippocrates olim indicavit 7. *Aph.* 60. *Quibus cerebrum aliqua ex cauſa concuſſum fuerit, neceſſe eſt ſtatim mutos fieri;* ſæpe enim Aphoniam pro Apoplexia uſurpare ſolet. Verum non ſemper, licet ſæpe, concuſſum cerebrum Apoplexia inſequitur; cum Medentum obſervationes paſſim doceant, alienos ſæpe morbos cauſa hæc produxiſſet. Vide inter plurimos *Gul. Fabric. Centur.* 1. *obſerv.* 11. *& centur.* 3. *obſerv.* 9. Equidem tutiora concuſſi cerebri ſigna ſunt, vertigo, dementia, convulſio, ac vomitus, quandoque Febris cum delirio, quæ producta cum Apoplexia non conveniunt. Verum ſi rem acu tangimus, alia ſymptomata levis Concuſſio, alia item gravis, & alia demum graviſſima inducere ſolent. Levis enim vertiginem, vel ſoporem tantum, quæ damna ſæpe Natura ipſa reparare aſſueſcit. Gravis vero, cum nempe cerebri ſubſtantia comprimi, ac ſubſidere cogatur, unde arteriæ ramuli a connivente mole deprimantur, vel obſtupeſcentiam, vel deſipientiam, (ut 7. *Aph.* 14. notatur) vel Obmuteſcentiam, ſeu Apoplexiam levem (ut 7. *Aph.* 60. docetur) *Cerebri concuſſio.*

cetur) producere ſolet . Graviſſima demum, cum integra cerebri ſubſtantia ita ſubvertatur , ut ejuſdem meatus omnino deleantur , ac arteriarum ſitus prorſus diſpereat ; hæc, inquam , Apoplexiam fortem inducit , cum nec Naturæ , nec Artis conatus ad priſtinum ordinem cerebrum reducere poſſint.

Curatio. 36. Non ergo graviſſimæ , quæ inreparabilis eſt , ſed gravis tantum concuſſionis hujus Curationem proſequi debemus cujus intentio erit , quaſſatum cerebrum naturali tono reſtituere , ut arteriæ libere tribuant , quidquid nervi bibere debent . Ad hunc ſcopum attingendum , primo Syncipiti detonſo emplaſtrum ſequens apponi debet.

℞. *Gum. Hederæ unc. ij.*
Ammoniac. unc. j.
Succ. baccar. Heder. unc. iij.
Ol. Roſar. omphacin. unc. j.
Cer. virg. q. ſ. f. Emplaſt. ter repetend.

Clyſtere item in hoc caſu uti oportet ; cum ex concuſſo cerebro periſtalticus inteſtinorum , & ventriculi motus ſæpe invertatur , horrendiſque vomitibus Ægrum exagitent ; ideo clyſmate forti ad naturalem tonum inteſtina revocentur , ad quod opus utile erit enema *num.* 15. ſupra datum ; ſic pariter ventriculi everſiones reparare ſequens Paregoricum poterit.

℞. *Aqu. Menth. odorat. unc. ij.*
Diaſcord. Fracaſtor. drach. j.
Sal. eſſent. Abſinth. ſcrup. ſem.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xij.
M. f. Pareg. pro Doſ. etiam repetend.

Curatione tandem num. 32. ſupradata , ad cerebrum reſtaurandum, uti debet, victuſque rationem decenti lege moderari.

Febris conſiderationes. 37. Febris demum poſt Apoplexiam emergens , ſicuti vario fomite munita Patientes afficit , ita diſpares medelæ methodos exigit . Sæpe enim lento progreſſu invadit , mitique fervore moleſtat , iſta vero, quia lenis inutilis eſt , imo & nigro lapillo *in Coac. præd.* ſignatur , cum hæc languida Naturæ machina hoſtilem luem debellare , ac eliminare nequeat . Interdum etiam continuam Tertianam ſimulare ſolet, quæ a Perito directa , ut plurimum in hoc affectu proficua eſt . Ideo varia illius facies diſpari modo ſalutari petit ; vel nempe ipſam excitare , cum languida ſit , ut ocyter infenſæ luis eliminationem expediat ; vel moderationis fræno detinere , cum æquo fortius excandeſcat , ne damna pejora prioribus inducat . Has ergo medendi methodos pro utraque urgentia tutas *in lib. de Febr.* ſatis expoſuimus ; nec eandem hic denuo palynodiam canere ; locus eſt . Hoc ſaltem adnotare nunc intereſt, quod in Febris curatione Apoplexiæ fomites , cauſaque potiſſima non negligantur ; cum ad promovendas , & prorogandas haſce febres , plurimum ipſæ influant ; & hæc prænotio pro nunc perito Medenti ſatis eſt . Sicque prolixæ huic lineæ terminum ponimus.

APPENDIX.

Plures adhuc auxiliorum legiones contra varias morbi hujus hoſtilitates Peritiores Medici aggregare niſi ſunt , quas omnes hic recenſere , nec omnino utile , nec ſine tædio foret ; aliqua verò magis opportuna , quæ Medentis reminiſcentiam in urgenti uſu coadjuvent , ſequentia , pro cauſarum indole , ad manus ſint.

Et primo Aquæ Apoplectic. Ludovici, Langii , Wedelii , Grolli, Zuvelfferi , Hoffmanni cæterorum ; ſicuti & Aqu. Magnanimitat. Aqu. Lavendul. compoſit. cæteræque hujus cenſus, item

Balſam. Apoplectic. Balſam. vitæ & nervin. ab Hoffman. correpti.

Bezoar. Lunar ſicuti & Calx Lunæ, Balſam. Majoranæ &c.

Elixir. Vitæ Mattiol. & Quercetan. & Elix. Syncoptic. S. Cloſſ. corrept.

Eſſent. Cephalic. Cnoffell. Eſſent. Caſtor. &c.

Extract. Diapæoniæ &c.

Extract. Ellebor. Nigr. Colocynth. Polypod. &c. Evacuantia.

Liquor. Lunæ , Liquor. C. C. ſuccinat.

Olea deſtillat. Succin. Salviæ, Majoran. Roriſmarin. &c.

Pulveres. Apoplect. Sennert. Langii, Hoffmann. &c.

Sal Volatil. Salviæ. Succin. Viperin. &c.

Spirit.

Spirit. Apoplectic. Moebii. Spirit. Sanguin. human. Spirit. antapoplect.
S. Cloſſ. ab Hoffman. corrept. Spirit. Cran. human. Sal. coagul. &c.
Rotul. ab Apoplex. præſerv. Sennert. Tabell. capital. Donzell. &c.

Externa.

Pingued. Caſtor. Emplaſtr. Myrrhat. Donzell. Cataplaſm. apopl. Batei &c.
Sal. Volatil. C. Cerv. Succin. Fuligin. &c. ad nares in Paroxyſm. ſicuti Balſalm. Apoplect. & Pom. ambr. pro præſervatione.

C A P. VI.

De Paralyſi & ejus Curatione.

1. PAralyſeos affectio variis Doctorum placitis explicata confuſiones, & diſſidia in medico foro introduxiſſe videtur; cum morbum, quæ Greci Paralyſin dixerunt, dum poſt Apoplexiam emergat, Paraplegiam nuncupari debere, plurimi contendant. Nos vero irrita hæc vitando, ſua cuique placita linquimus, & ſub unico Paralyſeos nomine ſpecies illius, quæ mere gradus ſunt, amplectendo, veram ipſius naturam inquirimus. Et primo ut propius, quo poſſumus, ad illius penetralia accedamus, proprios morbi hujus gradus diſcernere intereſt, in quibus diſſimilem evadere Praxis dignoſcit. Primus igitur eſt, cum ſtupor, & torpor partem aliquam invadant. Secundus cum vel motu, vel ſenſu affecta membra priventur. Tertius cum ambo ſenſus, motuſque ſimul deperdantur. Quartus denique cum ſenſu, motu, & innato calore privata pars contabeſcat. Poſitis ergo his, quæ clariora in ſequentibus evadent, ad morbi eſſentiam explicandam accedimus. Dicimus itaque, *Paralyſin eſſe animalium functionum depravationem, vel deperditionem, a nervorum, vel arteriarum infarctu productam.* Hinc morbi gradus oriuntur; etenim pro vario utriuſque defectu, nunc ſtupor inducitur; nunc motus deperditur, vel ſenſus tantum, & nunc uterque ſimul ſenſus, motuſque aboletur; demumque ab arterioſo influxu deſtituta pars, contabeſcit. Deſcriptio hæc in Cauſarum ſcrutinio perſpicua fiet. *Deſcriptio.*

2. Partes item Affectæ ſunt ipſa ſenſus, motuſque inſtrumenta, muſculi nempe, cum vel nervorum Spiritu, vel arteriarum Fluido priventur; alterutro enim deficiente, nec muſculus contrahi, nec motum edere poteſt; horum autem defectionum culpæ ab organis ipſis, nervis nempe, vel arteriis, varia ſæpe lue infarctis, procedere ſolent, quæ omnia in Cauſarum examine clara fient. Aliquando pariter propriam manum confert ipſius partis atonia, cum illius nervoſæ, carnoſæque fibræ relaxentur ita, ut nec ſpirituum impulſus, nec ſanguinis affluxus illas inflare, ac contrahere poſſint, unde in ipſa parte, irrevocabiliter ſæpius, motus omnis deperditur; ſic pariter ſenſus deficit, cum obſtructi nervi, ſpirituum appulſum ad tactus ſedem pervenire, præpediant. Demum ex contuſis, aut vulneratis nervis, vel arteriis eadem ſenſus, motuſque jactura æque contingere ſolet; ſed hæc omnia hactenus ambigua, in Cauſarum indagine ſatis dilucidare non dubitamus. *Partes affectæ.*

3. Paralyſeos differentiæ ex ſupra datis innoteſcunt; hujus enim gradus illius diſparitates exponunt; cum non aliter differant, niſi per diſſimilem magis, minuſve atrocem motus, ſenſuſque jacturam; quæ licet ſupra delineata jam ſit, nunc tamen pleniori calamo illius graphidem perficere adhuc intereſt. Primum ergo gradum tenet partis alicujus Torpor, vel Stupor, qui proprie tactum hebetant, motumque difficilem reddunt; unde a Priſcis paralyſis incipiens nuncupata fuit; cum animalium functionum diminutionem inducant. Secundus gradus eſt, ſi membrum aliquod vel motu ſolum, vel tactu privatur, alterutrum immunem, ac illæſum ſervatum, quæ paſſio pro cauſæ modo ſæpe variare aſſueſcit. Tertius eſt, cum utrumque ſimul, ſenſus, & motus penſum omnino deperdatur; pars vero læſa, licet omni animali functione privata, vivifico tamen ſanguine nutrita, vegetum vigorem conſervat. Ultimum tandem gra- *Differentiæ.*

gradum Paralyſis attingit, cum animales functiones ſimul, ac vitalem halitum in invaſa parte vaſtando, frigidum, flaccidumque membrum Maraſmo relinquat. Hic ergo rectus a limine ad metam uſque Paralyſeos aſcenſus eſt. Paraplegiæ vero, ac Hemiplegiæ vocabula, quæ litigioſas morbi hujus differentias hactenus concitarunt, apud nos nil amplius explicant, quam eundem morbum nunc iſtam, nunc alteram corporis partem invaſurum, exponere; ideo Paraplegiam dico, quæ integram animalem machinam, præter caput, lædit. Hemiplegiam vero, quæ alterutrius lateris animales functiones deperdit. Sic item Poſitivæ, & Privativæ, nuper inventæ, Paralyſeos differentiæ, iſtæ, inquam,

Concuſſæ nutant certo, lapſumque minantur:

cum ſuper inanem baſim fundentur. Propriis enim hactenus ignotis Paralyſeos cauſis, ut aliquo modo inacceſſas morbi origines explicarent, ſagaciter differentias haſce invenerunt; at nunc detectis, ut infra, Cauſis, omnino evaneſcunt.

Diagnoſis. 4. Signa demum morbi hujus vel Præcedentia, vel Concomitantia, vel convaleſcentiam Indicantia eſſe poſſunt. Præcedentia primum infido ſæpe nuncio Paralyſin præveniunt; ut plurimum vero illius invaſionem ſequentia indicaſſe, obſervatum eſt. Primo tactus hebetudo, quæ cum labore tangibilia percipere ſinat; vel motus in parte aliqua cum conatu, aut non libere editus. Moleſtus item formicationis ſenſus, ob præpeditam in nervis liberam ſpirituum impulſionem, certum quaſi de inchoata nervorum obſtructione veſtigium. Læſæ demum partis torpor, aut ſtupor, qui propius limina morbi tenent, adeoque Paralyſeos janitores non inconcinne vocantur, qui titulus etiam Apoplexiæ abeunti ſæpe convenit, cum ipſa recedente, non raro fores Paralyſiæ aperiat. Concomitantia vero ſigna ita conſpicua ſunt, ut & Vulgus noſcat, partem aliquam ſenſu, motuque privatam Paralyſi laborare; Medentis vero eſt, ſymptomata morbum comitantia diſcernere, ac ſpeciatim pulſus alterationes dignoſcere, qui ſæpe in hoc morbo a naturali recedit, & præcipue, cum in arterioſo fluido morbi fomes deliteſcat; & cum Febris, quæ hic ſæpius emergit, an vehemens accendatur, an leni curſu procedat; mitis enim iſta proximum ſæpe Apoplexiæ regreſſum denunciat; vehemens vero, dum vires perferant, non improbum ſignum eſſe ſolet, qui a nervorum, vel arteriarum infarctus ſolvere potis eſt. Sicque ſæpius Febris iſta primum Convaleſcentiæ ſignum prodit, maxime ſi cum ipſa intimas formicationes læſa pars audire incipiat, quæ adhuc ſine febri bonum omen portendunt; ſic demum cum calor, plus ſolito fervens, affectam partem moleſtet, mutuſque dolor vagans in illa percipiatur. Hæc ergo ſigna ſunt, nunc Cauſæ nos vocant.

5. Paralyſeos origines cum profundas radices occultent, ut pro viribus intime penetremus, prænotiones aliquas ab experimentis, & rationibus primo petere intereſt, ſicque indagini noſtræ opportunas faces præmittimus. Prior ergo ſit animalis motus diſquiſitio; poſtea tactus undequaque inquiſita dignotio; nec inveniendi labor in hiſce ambagibus faſtidire debet; nam ut recte Poeta loquitur: *Cauſarũ indago.*

Labor ingenium miſeris dedit, & ſua quemque
Advigilare ſibi juſſit doctrina premendo.

Motus ergo legitimas cauſas primum inquirimus; cum nunquam illius deperditionem æque noverimus, niſi ejuſdem fiendi modum percipiamus. Itaque quod omnibus certum eſt, apprime firmamus; nempe quod ſpontaneus motus a pluribus Cauſis, & Inſtrumentis æque ſimul aptatis, fieri debeat. Prima igitur, & potiſſima cauſa Enormontica impulſio eſt; inſtrumenta vero Muſculi ſunt, qui congruo cauſæ motu æque contracti, conjunctas ſibi partes ſecum ducunt, & ad animalis placitum variis motibus adducunt. Debet ergo Muſculus, ut contrahatur, intumeſcere, caudam nempe ſuam ad proprium caput attrahere. Hoc ergo vulgariter notum, dubitare ultro ſuggerit; quomodo ex ſolis ſpiritibus, per nervos delabentibus, ocyſſima hæc magni ſaltem *Motus inquiſitio.*

mu-

muſculi contractio, & intumeſcentia fiat? Cum ad hoc opus nimis impar ſit, promptus per inconſpicuos nervorum ductus ſpirituum deſcenſus; quia tantam carnis molem, quanta muſculos magnos conſtituit (quam item animales ſpiritus nullo modo invadunt) per ipſos intumeſcere, cæteraſque reſiſtentias ſuperare poſſe, imperceptibile ſemper mihi viſum fuit. Ideo aptiorem concauſam ſaltem inquirere, tandiu avida mens anhelavit, donec favente Deo luminis prænuncium effulxit. Ut ergo clara hæc mihi veritas omnibus innoteſcat, Experimenta, & Rationes advocare duximus.

Motus cauſa duplex. 6. Primum ergo ſit celebris Nicolai Stenonis famigeratum experimentum; hic, inquam, ſagaciſſimus in vivo Cane deſcendentem aortæ truncum ligavit, ac pene illico ſpontaneos inferiorum partium motus animal deperdidit, quos item laxato vinculo, brevi tempore iterum recuperavit. Hoc idem nondum Alii, ſed & nos ipſi ſub celebri Malpighio in privatis experimentis inſpeximus. Canem vero poſtmodum ligata ſemper arteria, ſic humi relinquimus, qui per dies XV. comedens, ac bibens, motu partium inferiorum ſemper privatus, nec verberibus unquam, ab humo ſurgere potuit; demum XVI. de ſero extinctum invenimus; decorticatus vero in partibus infernis nervoſum genus vegetum exhibuit, carnoſum vero albicantem, & pene flaccidum vidimus. Experimentis ergo hiſce cum ſtandum ſit, æque arbitrari oportet; quod ad ſpontaneos motus exercendos, arterioſus ſanguis plurimum contribuat; cum deficiente ipſo, motus omnino pereat. Neque ad hanc ſententiam, ab experimentis deductam, tutius firmandam, validæ rationes deſunt; quæ ſimul hactenus impercepta Paralyſeos phænomena ſatis explicare poſſunt, ad has ergo ſenſim deſcendimus.

Ratio prima a muſculi ſtructura. 7. Prima itaque ratio a muſculi ſtructura, ejuſdemque in motu actione æque expenſis, deducitur. Componuntur enim muſculi ex differentibus fibris, nervoſis nempe, & carnoſis, quæ ſingulæ, ut muſculus intumeſcat, concordi niſu ſimul contrahi debent, alias intentus motus nunquam perficitur. Sed cum certum ſit, quod ſpiritus animales non niſi nerveas fibras contrahere poſſint; (nam extra proprios canaliculos activitatis ſuæ ſphæram non extendunt, quos cum excedant, vel in exalationibus cito evaneſcunt, vel in ſanguinis fluido remeantes, nomen, & munia illico mutant,) fibræ igitur carneæ, ab animali ſpiritu haud contractæ, laxæ relinquerentur, ſic nullus a muſculo motus effici poſſet; cum ad hoc opus utraque fibra certo contrahi debeat. Ut ergo iſtæ una cum nerveis ſimul intumeſcant, integerque muſculus contrahatur, aliam a nervis diſparem impulſionem petunt; quam non niſi ab arterioſo fluido, quod illas permeat, & inflat, obtinere poſſunt. Notum enim experimentum eſt; quod ſi ſpiritus vini atramento tinctus in muſculi arteria injiciatur, atro colore omnes carneæ fibræ inficiuntur, & nigreſcunt; quod inquam aperte oſtendit, providæ Naturæ juſſum eſſe, quod ſubtiliſſima arteriæ vaſcula omnes muſculi fibras irrigare, proprioque ſpiritali effluvio intumeſcere debeant; ſicque cum nerveæ partes, Appetitus imperio, ab animali ſpiritu contrahantur, illicò, & carneæ ab arterioſo fluido inundatæ tumeſcant. Hinc ergo concludamus oportet, quod non unica, ſed duplex concauſa, ad ſpontaneos motus exercendos, concurrere debeat; ſicque pariter nec unica ultra ex intimis Paralyſeos cauſis, ſed duplex origo, pro morbi conditione, culpari debeat. Hoc ſatis excuſſo, ad morbi phænomena explicanda deſcendimus.

8. Ex hiſce præcognitis ergo, lumina non exigua excitantur, quibus nonnullas, nunquam ſatis explicatas Paralyſeos diſparitates perſpicua claritate illuſtrare confidimus. Primum ergo ſit, notum hactenus inſolubile dubium; quomodo nempe integro in parte aliqua ſuperſtite ſenſu, ſpontaneus tamen motus omnino deperdatur? Cum data nervorum obſtructione, quæ unica olim culpabatur cauſa, imperceptibile ſit, per quam aliam viam animales ſpiritus ad tactum ſuperſtitem continuandi deſcenderent; nervorum namque meatus obcluſi, tactus æque ac motus exercitium *Senſu vigente, motus perditio explicatur.*

tium

tium inhibent; ideo nulla ex tot inventis rationibus gordium hunc nodum ſolvere unquam potuit. Altera vero nunc cognita motus cauſa, illico ambages iſtæ diſſipantur; cum ſolius arteriæ infarctus ad ſpontanei motus deperditionem ſufficiat. Quamobrem in caſu, quo pereunte motu, ſenſus vigeat, non ultra nervoſum, ſed arterioſum genus culpari debet; expediti enim nervi ad tactum promovendum animales ſpiritus libere tranſmittunt; infarctæ vero arteriæ nec muſculos integre contrahi, nec motum edere ſinunt; ſicque tuto explicatur primum Paralyſeos phænomenon, nempe quomodo pereunte motu, tactus intaminatus ſubſiſtat.

Tabes in Paralyſi expenditur.

9. Oppoſitum vero dubium, quomodo nempe integro perſiſtente motu, tactus omninò deperdatur, non hic, ſed infra, cum hujus ſenſus jacturas expoſuerimus, reſolutum dabimus. Tertium vero phænomenon explicandum, eſt, quomodo videlicet paralyticam partem Tabes invadat? Ex ſola enim ſpirituum animalium deficientia hæc, inquam, tabes explicari nequit; poſita vero altera Paralyſeos cauſa, nempe arteriæ defectu, illico expeditur. Equidem arteriæ fluido deficiente, non dum motus, ſed & nutritio ſimul deperduntur, cum debito deſtitutæ alimento, partes contabeſcere cogantur. Hoc ergo hactenus ignoto arteriarum in Paralyſi defectu, ut nodum hunc ſolverent, nutritium ſuccum a nervis deſcendere, Plurimi ſtatuere, & præcipuam hujus placiti anſam paralytica Tabes tribuiſſe legitur. At veritati litando, abſque Auctorum ſpretu, æque hìc dicam, quod de Philoſophis nonnullis *Marſilius Ficinus com. in Plat.* jam dixit. *Sagaces iſti in ambiguis, ignotum per ignotius exponere plurimum deſudarunt*. Non enim (ut Clariſſimi Viri Gliſſonius, Charletonus, cæterique docuerunt) nutritius ſuccus a nervis ad partes alendas deferri poteſt; cum tenuiſſimum, ac ſumme volatilem rorem, in anguſtis, nullaque micrologia conſpicuis nervorum meatibus deliteſcere, ac tantam alimenti copiam continuo diſpenſare dignoſcatur; nec aliis unquam, niſi propriis nerveis fibris vividum ſuccum nervorum ramuli communicare poſſint.

Syſt. Medic. Roſetti.

Conſtat enim experimentis notis, ut inter cæteros *Regnerus de Graef lib. de ſucc. pancr. cap.* 2. teſtatur; nullum viſibilem humorem ex diſſectis nervis manare; cum pro certo ſpiritus in illis contentus, & per ipſos deſcendens inconſpicuus, ac pene aereus ſit. Quomodo igitur continua, & copioſa corporis perſpirantis deperditio (quæ ex æqua *Sanctorii Statica ſect.* 1. *aph.* 6. quotidie *aſcendere ſolet ad quinque libras circiter*) ab exiguis, & pene incorporeis ſpiritibus hiſce reſtaurari æque poteſt; & quomodo carnoſas partes, quas nerveus ſuccus minimè invadit, nutrire continuo poterit; Contrarium enim experimentis conſtat, quod carneæ muſculorum fibræ, ut jam innuimus, arterioſo fluido penetrentur omnes, quod non irritum Naturæ artificium, ſed arteriæ nutrientis miniſterium apertè demonſtrat. At non hic locus eſt, opinionis hujus abſurda memorare, ac refellere.

Charletoni reſpondetur.

10. Inevitabile vero nunc eſt, præcipuam Clariſſimi Charletonis rationem, quæ noſtram in hac linea ſententiam reprobare videtur, æquiori lance perpendere. Dicit enim *Lib. de Oeconom. animal. exercit.* 10. *n.*2. quod partis paralyticæ Tabem a ſolo nervorum infarctu oriri poſſit. Celebris equidem iſte a ſuo ſenſu præoccupatus Auctor haud vidit, quod ex falſo ſuppoſito falſa ſequela deducatur. Supponit enim quod unica nervorum obſtructio integrè Paralyſin definiat; quod falſum ſupra datis experimentis, & ratione jam oſtendimus. Non quidem nervorum tantum, ſed & arteriarum defectus proximæ Paralyſeos cauſæ ſunt; ideo Tabes, quæ morbum hunc inſequitur, non ex nervorum, ſed ex arteriarum infarctu proximè oritur. Hoc idem contra ſe ipſum experimentum illud oſtendere videtur, quo rationem ſuam *inibi num* 3. confirmare nititur; cum in Matrona relata, non nervum, ut aſſerit ipſe, ſed potius arteriam ſub vena latentem ab imperito Chirurgo inciſam fuiſſe, tutius cenſeri poteſt, unde motus privatio, & inde Tabes emerſerunt. Similiter ipſum arguunt, quæ ſubdit. *Quia non Atrophiam quidem, ſed Aneuriſma, arteriæ ſectioni ordina-*

rio ſupervenire , certum eſt . Equidem bonus quidem hic dormitavit Homerus ; cum pro certo *Arteriæ ſectioni* non tumor , ſeu Aneuriſma , ſed ſanguinis profuſiones ſubſequantur . Vidimus enim non ſemel , quod ſecta a phlebotomo brachii arteria , illius ſanguis inter muſculos exundavit, quo extravaſato , partem illam , proprio alimento privatam , primo tumeſcere , demumque ſenſim aridam evadere ; ideo in caſu iſto , arteriæ ſectioni aridura , & tabes ſupervenerunt . Non inficior tamen , quod ex decorticata , ſeu dum externa illius tunica inciſa ſit, Aneuriſma (ut impropriè plurimi dicunt , cum proprie tumor iſte per interiorem arteriæ tunicam diſciſſam, exteriorem vero mollem a ſanguinis niſu dilatatam deſcribi petat) exoriri poſſit ; at ſectioni arteriæ tumorem hunc ſubſequi debere , læſa veritas permittere non patitur . Concludamus itaque tandem ; quod ſi vera hæc opinio foret , nempe quod ex unico nervorum defectu Atrophia emergere poſſet , Paralytici omnes , ob hanc ſententiam , contabeſcere deberent ; quod falſum quidem experientia oſtendit; cum paucos tantum , & quos pro noſtro ſenſu , ob arteriæ culpas Paralyſis invaſit , tabidos fieri conſpiciamus. Hæc demum obiter pro cauſæ merito , ac veritatis debito , innuere tantum , non vero ad tanti Viri venerationem minuendam jactare duximus.

Paralyſis poſt Apoplexiam. 11. Ultimum tandem in hac linea phenomenon hactenus difficilius explicare adhuc ſupereſt ; nempe Paralyſeos invaſionem poſt Apoplexiam illam, quæ ab infarctis carotidibus emerſit ; hujus inquam ſcaturigo imperceptibilis fuit , ut præ aliis teſtatur *Celebr. Ettmullerus Collect. pract. part.* 2. *cap.* 10. *de parapleg.* inquiens . *Apoplexia , quæ tantum ex motu ſanguinis intercepto in venis cerebri oritur , quomodo in Paraplegiam* (ſeu Paralyſin) *tranſeat , ſanè obſcuriſſimum eſt* . Et certo quidem impenetrabilis hujus origo fuit , donec unicam Paralyſeos cauſam , nervorum nempe defectum , Medentes dignoverint . Nunc vero, quia ut oſtendimus, altera innotuit , facili negotio explicatur ; cognita enim ſanguinis in arteriis interceptione , quæ ſola , ut vidimus , expeditis etiam nervis , Paralyſin inducere , potis eſt ; illico abdita hujuſce ſcatebra panditur, tutoque dignoſcitur, quod eadem cauſa , quæ jam ex intercepto in carotidibus ſanguinis ad cerebrum motu , Apoplexiam induxit, eadem ex infarctis a congrumato fluido in læſa parte arteriis , muſculorum motum adimere potuit; cum arterioſo ſanguine deficiente , illico , ut comprobatum jam fuit animales motus pereant , ſicque Paralyſis emergat . Hæc tandem omnia ſimul hujus hactenus ignotæ in hoc morbo Cauſæ veritatem oſtendunt ; cum hæc ſola explicet, inexplicabilia ſine ipſa , omnia , in linea motus , Paralyſeos phænomena ; quæ inquam inſolubilium ſolutio , experimentis , & rationibus fœderata , æque ac omnino illius firmitatem confirmant, quod cautis Medentibus ſatis.

Tactus jactura expenditur. 12. Expenſo demum pro præſenti exigentia Motu, nunc Tactus jacturam debita indagine conſectari adhuc intereſt. Initium ergo ab illius fiendi modo ſumamus oportet , ut ſic tutius ejuſdem deperditionem attingamus. Ex peritis Anatomicis ergo , & potiſſimum ex inſigni Malpighio, notum habemus; quod cutis , in qua tactus exterior viget , quaſi retis texturam ex innumeris fibrillis , vario modo intertextis exhibeat , in quorum interſtitiis nervulorum ramuli papillas ſuas inſerunt , & inter glandulas miliares (quæ ab arteriolis ſuccum lymphaticum bibunt) mirabili ſymmetria componuntur. Itaque ſicuti a glandulis excretoriis inſenſilis perſpiratio , ac ſenſibiles ſudores extruduntur ; ſic in nerveis papillis , quæ ſub Epidermide occultantur, ſpirituum excubiæ ſenſibilium impreſſiones illico ad cerebrum deferunt , ubi facto judicio , tactus ſententia decernitur. Cum autem quavis emergente prophaſi, ſpiritales cuſtodiæ præpeditæ, objectorum impreſſiones audire nequeant, tunc Tactus haud exercetur , ac deperditus nuncupatur . Hinc facile noſcitur primo, quod tot ſenſus hujus, quot Cutis vitia eſſe poſſunt . Et primo cum ipſa cutis textura naturalem tonum deperdat , ſi nempe nimis denſa , vel laxa nimis evadat , tunc vel nervorum pa- *Ex Cuti læſa.*

pillas

pillas obſtruit, vel dilatat; unde ſpirituum vis vel præpedita, vel enervata ſenſationem depravat. Sic a frigore intenſo cutis rigeſcens, nervulorum papillas claudit, unde tactus obſcuratur, & aliquando deperditur; ut obſervavit *Galenus lib. 2. de loc. affect. cap. 2. Novi quoſdam adeo refrigeratis pedibus, ut in ipſis quidem ſenſus periret*. Similiter ob Scabiem, & Pſoram ſenſus iſte pervertitur; at cum Lepra, & Helephantiaſis radices ſuas ultra cutim extendant, tunc in parte læſa tactus omnino abolitur. Sæpe adhuc ex glandulis, quæ ex cuti ſordes eliminant, deſpumatio quædam vel nimis viſcida emittitur, qua nervulorum oſcula in ipſa cuti obſtruuntur, vel nimis acida, qua in ipſis excubantes ſpiritus invertuntur, ſicque tactus in cuti obſcuratur, & aliquando deperditur; plures in hac linea caſus narrat *Iſb. Diemerbroech lib. 8. Anatom. cap. 1. de nerv.* ubi Scorbuto affectum Nautam inviſiſſe ſcribit, *cui membra ſatis movebantur, ſed tanta erat cutis inſenſibilitas, ut ab impoſitis candentibus prunis, illa corrugaretur, ſine ulla triſti ſenſatione &c.* ſic pariter de duobus aliis, quos ibi deſcribit. Hujus vero generis ſenſus abolitiones non quidem in nervorum medulla, ſed in cutis cortice tantum, quovis modo vitiato, rimari debemus.

Ex ſpiritibus torpidis. 13. At ſi ſæpe ex cuti, non ſemper tamen tactus depravationes, ac deperditiones petere quimus; cum non raro in ſpiritibus ipſis, forti torpore affectis, cauſa hæreat. Notum enim pro primo eſt; ex nonnullis corporibus halitum quendam, narcotico viru tinctum expirare, quo animales ſpiritus infecti, illico torpidi evadunt; horum exemplum in Torpedine primum perſpicuum eſt, cui tanta vis ineſt, ut per Piſcatoris tridentem ſtuporem ad manum tranſmittat; nec diſſimile alterum a *Matthiolo* deſcriptum in Ruſtico quodam, qui cum ſerpentem magnum cum baculo interemiſſet, univerſi corporis ſtupore diu laboravit; ſimiliter a vini halitu narcotico in Famulo quodam, meri dolia extravaſante, totius dexteri lateris ſtuporem, *qui tactus ſenſum omnino ademit*, inductum vidit *Cardanus*. Hæ vero omnes externæ cauſæ ſunt; intimæ item plurimæ ſpiritus hoſce ad ſtupiditatem ducentes, obſervatæ fuere, quarum unam, vel alteram innuere ſaltem convenit. Primam ergo *Galenus* refert *lib. 6. de loc. affect. cap. 5. Novi quoſdam, qui præ pudore a libidinis uſu abſtinentes, torpidi, ſtupidique facti ſunt*. Alteram clariorem, priori conſimilem deſcribit *Nobil. Boyle in philoſoph. experim.* Mirabilem nempe illius Viraginis hiſtoriam, quæ tactus ſenſum, integro vigente motu, ita perdiderat, ut ſine ullo ſenſu profundas membrorum compunctiones perferret; hæc vero nupta marito, per defatigatam Venerem, ſolutos a ſtupore ſpiritus cito redemit. Abſtruſa quidem plurima, quæ ſæpe captum eludunt, in femineo, ac in virili ſexu a ſemine diu retento, concitantur ſymptomata, quæ pariter a decenti coitu ſenſim compeſcuntur, ut in Viduo celibe, qui a ſtupore, anorexia, & vomitu, *ad priſtinam coeundi conſuetudinem reverſus, liberatus fuit*, ut Galenus ubi ſupra teſtatur. Cæteras demum ſimiles intime ortas cauſas dimittimus, quæ ſpirituum energiam obtundunt ita, ut torpidi ſæpe reddantur, unde Tactus vel depravetur, vel deperdatur.

14. Ultimo tandem ex Nervorum culpa ſenſus hujus abolitionem dignoſcere ſupereſt. Hæc enim in Paralyſi proxima cauſa, Nervorum nempe infarctus, communi ſententia culpata fuit, licet differentibus placitis explicetur a plurimis; quorum opiniones luſtrare, labor ſine fructu non finit. Nonnullæ innituntur ideatis inventis; quibus ſagacem anſam, non integre cognitus morbus præbuiſſe videtur; ut Poſitivæ, ac Privativæ Paralyſeos differentiæ, ad hoc opus inventæ, demonſtrant. Plurimi item, ab ardua phænomenum explicatione ducti, alii per depravatam ab acido ſucco ſpirituum diatheſin, & Alii adhuc aliter tragædiam iſtam deſcribunt. Omnes vero ſuis opinionibus relinquendo, ad noſtrum ſenſum explicandum accedimus. Dicimus ergo proximam, in hac linea tantum, aboliti tactus originem præpeditum ex quavis cauſa ſpirituum per nervos deſcenſum eſſe debere; ex quorum defectu in parte, quam non per- *Ex nervis infarctis.*

vadunt, omnis ſenſus deperditur; deficiente enim promotore, functiones in organis feriantur; eodem pene modo, ac ſi aeris impetus in pneumaticis machinis deficiat, muta ſilere obſervamus. Cauſæ vero, quæ ſpirituum influxum libere nervos pervadere prohibent, cum plurimæ certo ſint, infra ſuis locis expenduntur.

Quomodo tactus pereat, motu perſiſtente. 15. Tactus deperditione pro viribus tandem expoſita; nunc phænomenon illud, nempe quomodo illæſo perſiſtente motu, tactus pereat? adhuc explicare ſupereſt. Dubium hoc igitur clare tunc ſolvitur, cum præmiſſas *anteced. num.* 12. & 13. notiones, ad mentem revocemus. Primo itaque inibi oſtendimus, quod non ſemper in nervorum principio, ſed ſæpe in illorum termino, in cuti nempe, hujus ſenſus privatio exquirere convenit; cum rationes, & obſervationes *num.* 12. expoſitæ, aperte oſtendant, poſſe cutim ob plures cauſas ita rigeſcere, ut nec puncturæ, nec ignis noxas audiat; ſicque cutanea inſenſilitas cum integro motu componi, facile poſſunt; quia non a deficiente ſpirituum influxu, ſed a cutis vitio perditio iſta exoritur. Altera vero externa æque ac intima tactus abolitio a ſpirituum torpore expeti poteſt; plures enim intimæ, ac externæ cauſæ ſunt, (*ut num.* 13. dictum eſt) quæ non Enormonticum niſum, a quo motus oritur, ſed ſenſationis acumen ſpiritibus adimunt ita, ut tactum nullibi edere poſſint, ſicuti in Viragine a Nobil. Boyle deſcripta, certo patet. Tertia demum tactus abolitio, quæ ab infarctis nervis inducitur, nunquam cum illæſo motu componi poteſt; utrique enim ſimul pereunt, cum eorundem Promotor deficiat, quod vero extra quæſitum eſt.

Morbi invaſiones innuuntur. 16. Cauſarum indagine demum abſoluta, ac difficilioribus morbi phænomenis explicatis, particulares nunc Paralyſeos invaſiones, ſaltem in Juniorum gratiam, expendere convenit. Interdum enim per ſe primo emergere, ſæpiuſque adhuc aliorum morborum ſobolem eſſe ſolet; ideo differenti ſæpe quaſi ſeminio progigni poteſt. Adeoque ut præcipuas hujus Morbi ſcaturigines attingamus, ſingulas inveſtigare, ac perpendere, eſt opus. Primo itaque per ſe ſola Paralyſis, nullo nempe præcedente morbo, caput attollit, & tunc a propriis cauſis ortum ducere indicat, nempe vel nervi, vel arteriæ partis, quam morbus occupat, læſionem certo arguit; motus enim, & ſenſus ab iiſdem læſis cauſis deperduntur, a quibus immediate promoventur; ambo, ut oſtendimus, proprium influxum ad ſenſum, & motum, pro diſpari cujuſque penſu, exercendum, æquo marte contribuunt, ita ut alterutro deficiente, vel motus, vel tactus omnino deperdatur. *1. Cum per ſe invadat.* Altera vero lance Paralyſis perpenditur, cum poſt Apoplexiam invadat; tunc æque cognita iſtius lapſus origine, non nimis arduo vel nervorum infarctus, vel arteriarum obſtructiones diſcernuntur; & primo cum poſt Apoplexiam, quæ a congrumato in Carotidibus fluido emerſit, Paralyſis contingat; tunc ab eadem prorſus cauſa, nimirum ex infarctis, in læſa parte, a coagulato ſanguine arteriis, Paralyſis ortum duxit, & tunc illæſo tactu, motus duntaxat deperditur. At cum ex altera, quæ vel a viſcida lympha, vel a ſanguine extravaſato in cerebro ſtagnante, producta fuit, Paralyſis deſcenderit; tunc tuto quidem nervorum principium illud, quod læſam partem reſpicit, (ob factam metaſtaſin) ab infarcienti lue occupatum fuiſſe, deducimus; & tunc motus, ac tactus ſimul deperduntur. *2. Apoplexiam inſequens.* Huic non diſſimilem ortum indicat Paralyſis, quæ Lethargum, vel ſoporoſos affectus aliquando inſequitur. Difficiliori vero indagine Morbus hic indiget, cum poſt Epilepſiam invadat. Ambigo primum an Paralyſis propria Caduci ſoboles ſit; cum ex innumeris intra quadraginta praxeos annos Epilepticis inviſis, neminem unquam Paralyticum obſervaverim; ideo ſincere arbitror, quod Paralyſis poſt Caducum & rara avis ſit, a paucis viſa; & quod non ab Epilepſia quidem, ſed ab alia origine deſcendat. *3. Cum poſt Epilepſiam.* Quamobrem tuto ſuſpicor, in quibus hæc tranſmigratio inviſa fuit, morbidum aliud ſeminium viguiſſe, tandiuque delituiſſe, donec a concitata in caduco ſpirituum acoſmia, ad ſpinalem medullam impulſum fuiſſe, ibique Paraly-

4. Poſt hyſtericam paſſionem. ralyſeos fundamenta poſuiſſe. Non diſſimili calculo alteram, quæ Hyſtericam paſſionem ſubſequitur, cenſeri poſſe dijudico; maxime quia ſæpius acidum virus hanc affectionem inducit; quod facile oſtendunt ſanguinis grumeſcentiæ, non dum ad cor evectæ, unde uterinæ ſyncopes emergunt, ſed & ad cerebrum delatæ, unde hyſtericum delirium anſam ſumit, cui & menſtrua retenta proprium ſymbolum addunt; hæc ergo ſanguinis congeſtiones in hyſterico tumultu, facto impetu, è cerebro ad ſpinalem medullam deductæ, nervorum originem, ubi impinguntur, infarciunt, ſicque ex utero natam Paralyſin exurgere credimus. *5. Poſt Variolas non expulſas.* Similem pene viam Morbus hic tenet, cum Variolas non ſatis expulſas inſequatur; acida enim lues, qua puſtulæ illæ concreſcunt, dum omnino eliminata non ſit, in ſanguine remanens, ad concretiones illius particulas cogit; unde vel lethum advocat, vel morbis cunabula præparat, quorum numero Paralyſis aliquando aggregatur; hæc autem in hoc caſu ob arteriarum potius, quam nervorum infarctum oriri ſolet. In his vero omnibus conſiderare intereſt, quod nunquam Natura ab invaſæ luis moleſtia expediri poteſt, niſi ſubactum hoſtem vel omnino eliminet, vel ſaltem facta metaſtaſi, ad aliam partem impellat; quod ultimum in Paralyſi ut plurimum contingit, cum ad ſpinalem medullam infenſam luem tranſmittat, unde infarctæ nervorum radices, ad motus, & ſenſus exercendos, vividum ſuccum contribuere nequeunt.

6. In Scorbuto, & in Colica. 17. Differenti vero modo Paralyſis invadit, cum Scorbuti pediſſequa, vel Colicæ comes emergat. Iſtæ, inquam, nec nervorum, nec arteriarum infarctum culpare poſſunt; cum pareſis iſta ſæpe in parte illa tantum, quam dolor moleſtat, propriam originem ſumat, ac cedente ſpaſmo, ſenſim tactus, & motus reſurgant; ideo per me ſuſpicor, quod ſola nervorum ſpaſmodica contractio in parte, quam impenſus dolor exagitat, totam hanc ducat tragœdiam; conſimile quidem exemplum in renum calculo a cruris ſtupore deducitur, quem inquam non a nervorum origine, ſed ab illorum prope renes, ubi permeant, ſpaſmodica inducta læſione, ſemper exquirimus. *7. Ab externis cauſis.* Externæ demum Paralyſeos cauſæ, vulgo etiam notæ, nulla indigent explicatione; Nervi enim vehementer læſi, vel contuſi, aut vulnerati liberam ſpirituum viam claudunt, unde animales actiones feriantur. Pejorem tamen jacturam motus patitur, cum arteria vulnerata ſit; difficillime enim arterioſum vas inſtauratur; cæteras demum cauſas ob inanem laborem recenſere tædet; cum hæc hactenus expoſita in Juniorum gratia ſatis eſſe, credamus.

Signa cauſarum. 18. Expenſis demum cauſis, ad illarum ſigna exploranda deſcendimus; cum hæc probe nota extra ambages Therapejam dirigant. Signa ergo & Præcedentia, & Concomitantia exponere intereſt, quorum propria quælibet Pareſis cauſa ſibi adſciſcit; ideo cuique debita expendamus oportet. *Præcedentia.* Primo itaque præcedentia ſigna, quæ morbum hunc a nervorum culpa productum oſtendunt, ſequentia eſſe poſſunt; nimirum Capitis gravitates diuturnæ; ſenſuum penè omnium hebetudo; Vertigines frequentes; mentis, ac memoriæ deliquia; corporis inſolitæ laſſitudines; ſimiliaque cætera, quæ cerebrum gravatum oſtendunt, unde nervoſo generi noxæ minitentur. Diſſimilis vero ſignorum ſcena panditur, cum ab Arteriæ defectu Pareſis invaſerit; primo ſi nullum ex nunc datis ſignis præceſſiſſe noſcatur, tutum indicium eſt, quod non in cerebro, nec in nervis hujus morbi cauſa deliteſcat, & maxime cum illæſo perſiſtente ſenſu, motus duntaxat perditus ſit; tunc acida ſordes, in ſanguine luxurians, tuto culpari debet, quæ in arterioſo fluido congeſtiones, grumoſque vaſa infarcientes, producit. Cætera vero præcedentia ſigna in hac linea ſæpius ambigua Peritos etiam deludunt; cum arterioſi fluidi grumeſcentiæ, non niſi jam productæ ſe prodant; interdum vero figentis Acidi prædominium oſtendunt frequentes præcordiorum anxietates, cum congrumatum ſanguinem cordis ventriculi cum conatu ſuſcipiant; ſicque reſpiratio difficilis, ob præpeditum a grumeſcente ſanguine circulationis per pulmones progreſſum, item

item moleſtæ hypochondriorum tenſiones, ac inteſtinorum tormina, ſæpeque inexplebilis ventriculi edacitas, quæ omnia in primis viis etiam ferocientis acidi non ſemper incerta ſigna præbere ſolent.

Concomitantia ſigna. 19. Concomitantia verò indicia minus ambigua ſe produnt; cum proprios morbos aperta facie manu ducant. Primo itaque ab infarctis, læſiſque nervis Paralyſin manaſſe, motus, ac ſenſus integra ſimul privatio tuto denunciat; cum ambæ functiones iſtæ ab animali ſpiritu apprimè dirigantur, quo intercepto utraque certo perire debet. Contra vero cum motus tantum deperdatur, tactus vero illæſus permaneat, tunc haud nervi quidem, ſed arteriæ defectum oſtendit; nam deficiente iſta, motus non promovetur, ſenſus vero, cum quo arteria commercium non habet, per expeditos nervos libere exercetur. Cum vero integro perſiſtente motu, ſenſus tantummodo pereat, tunc vel ſpirituum animalium torporem, vel cutis culpas indicare ſolet. Paralytici membri tabes, arterias a ſuo munere defeciſſe, oſtendit; ex dictis enim patet, quod non a nervoſo ſucco, ſed ab arterioſo fluido partes nutriri debeant. Febris item ſi Pareſis comes ſit, ſanguinis culpam deſignat; cum in hac linea ſæpius ab hujus fluidi concretionibus oriri ſoleat; ideo frequenter parva, ut coagulativæ febris mos eſt, leniſque procedit; cum vero vehemens evadat, tunc & ſanguinis coagulationes diſſolvit, & Paralyſeos cauſam ſimul dirimit. Si vero nulla unquam febris in hoc morbo exurgat, ſignum ſemper mihi fuit, quod Pareſis iſta non ab arteriarum, ſed a nervorum culpa emerſiſſet; quod inquam indicium, cum cæteris conveniens, me nunquam decepiſſe, compertus ſum.

Prognoſis. 20. Prognoſis tandem diſpares morbi hujus facies inſpectando, auſpicia nunc fauſta, & nunc funeſta portendit. Et primo facilius medelam audit, cum ab arteriæ infarctu Paralyſis oriatur; levius enim eſt, arterias, quam nervos deoſtruere. Difficilius vero curatur, cum Apoplexiæ ſoboles ſit, & maxime ſi inter Autumnum, & Hyemem emergat, & niſi cito curetur, Apoplexiam graviorem denuo revocat. Item in matura ſenectute Medenti parere neſcit, niſi recta lance valida remedia perpendantur; quod idem contingit in Juvene morbida conſtitutione affecto. Contra vero cum Senem robuſtum, vegetumque Juvenem in Vere, vel Æſtate invadat, non nimium operoſa curatio ſuccedit; ſigna vero, quæ proximam medelæ victoriam promittunt, ſequentia eſſe ſolent; primo partis læſæ tremulus motus, ac formicationis ſenſus, quæ ambo ſpirituum animalium per nervos deſcenſum initiatum oſtendunt, ac pariter arteriæ infarctum cito diſſolvi promittunt. Contra vero cum frigida, & flaccida pars in deterius abeat, deſperata res eſt; arterias enim repagulo inexpugnabili munitas eſſe portendit. Febris vero, quæ interdum cum Paralyſi ſociatur, ſi lenta inutilis eſt, imo & perniciosa *in Coac. præd.* notatur; vehemens autem proficua evadit, cum nervorum, & arteriarum infarctus diſſolvere, apta ſit. Ab externis etiam cauſis prognoſis propria deſumitur; & primo Pareſis, quæ ex diſciſſo nervo orta eſt, inreparabilis evadit, *cum diſciſſus nervus neque augeri, nec coaleſcere poſſit, ut* 6.*Aph.*19. docetur, quod de arteria pariter, ex magno vulnere prorſus truncata, cenſeri debet. Ardua etiam, ac raro fauſta curatio ſuccedit, ſi ex dorſi vertebris luxatis Paralyſis procedat, ex cervicis vero luxatione omnino incurabilis eſt, cum & ſæpe lethalis comperta ſit. Sic pariter ſit a magna nervi contuſione ſenſus, & motus deperdantur, arduum enim eſt confractum nervum ad naturalem tonum reſtituere; at hic Prognoſin linquimus, & ad Curationem accedimus.

21. Curationis ergo limen varias aperit indicationes; cum ex differentibus cauſis, diverſiſque morborum alienorum fomitibus Paralyſis produci ſoleat; ideo non unicam medendi methodum petit. Potiſſimam vero eſſe arbitror, Nervorum, & Arteriarum infarctum diſſolvere, ac originarii morbi cauſas, quæ Pareſi anſam dederunt, extirpare; quod legitimæ cum ſanguinis, tum nervorum expiationes conſequi poſſunt. Hæc ergo ut fauſte abſolvantur, ab omni- *Curatio.*

omnibus Medicinæ ſcriniis proprias opes exigere oportet, a Diæta nempe, Chirurgia, & Pharmacia, ex quorum penu Curatio diteſcere ſolet. A Dieta igitur primo auſpicandum eſſet, cum hac neglecta, inanis curatio evadat; omnes enim ſuppetias, quas reliquæ ad opus conferunt, hæc una ſi fallat, irritas reddere poteſt. Veruntamen quia diſpares morbi hujus origines differentes etiam Diætæ regulas expetunt; ideo non hic in genere, ſed propriori loco, ſingula ſingulis diſtribuendo, Diætæ regimen cuique cauſæ aptatum determinare duximus, ut infra videbitur.

Infarcti nervi Curatio. 22. Potiſſima Paralyſis apprimè Curationi ſe offert, quæ a nervorum infarctu originem ducit; ab hac ſemper ſenſus, motuſque ſimul deperduntur; cum ſpirituum deſcenſus clauſis nervis omnino intercipiatur, unde animales functiones feriari coguntur. Intentio ergo curativa eſt, nervorum tramites ab infarciente obice liberare, ut per expeditos meatus ſpirituum cum partibus commercium aperiatur; ſicque animales functiones ad propria munia reſtituantur; hunc ergo ſcopum ut cum ordine attingamus, diſpares primo cauſas diſcernere oportet, ſeu quænam proprie repagula nervorum meatus occupent, ſpiritibuſque tranſitum inhibeant; poteſt enim vel viſcida lympha, quod frequentius, vel ſanguis grumeſcens, quod raro, nervorum origines obſtruere, ut in Pareſi, quæ poſt Apoplexiam emergit, ſæpe contingit. A potiori ergo Curationem auſpicando, cum viſcida lues nervos occupaſſe dignoſcatur, nondum productum, ſed & cauſam radicitus extirpare pro viribus convenit; ideo primum in univerſalium auxiliorum exordio, ut viſcidum inſenſum in propriis cunabulis aggrediamur, Ventriculum apprime, in quo primordia ſumit, appropriato Emetico expiare, ſemper curavimus. Confiteor equidem, quod in hoc caſu, & cauſa fauſtum auſpicium a concitato vomitu obtinuimus, at dum ab apertis prohibentibus inhibitus fuit, non adeo faciles curationes ſucceſſiſſe, obſervavimus. Emeticum ergo ſequens, vel ſimile validum eſſe debet.

Et primo a viſcida Lue.

Emetici uſus.

℞. *Syrup. Emetic. ex croc. metall. parat. unc. ſem.*
Oxymell. Scyllitic. drach. iij.
Aqu. Menth. Abſinth. aa. unc. ij.
de Cinnamom. deſtill. unc. ſem.
M. f. Emetic. pro Doſ.

Hoc bis terve pro exigentia, & tolerantia repetere convenit, & cum paregoricum expeti videatur, ſequens proficuum erit.

℞. *Aqu. Menth. odorat. unc. ij.*
Sal. Abſinth. eſſential. gr. viij.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xij.
Ol. Nuciſt. deſtill. gut. ij.
M. f. Pareg. pro Doſ. in exigentia repetend.

Emeticum autem quarta quaque die propinetur, diebus vero vacuis, ut viſcidum limum facilius educi poſſit, ſequenti mixtura de mane uti convenit.

℞. *Stomachic. Ludovic. drach. ſem.*
Sal. eſſential. Abſinth. ſcrup. ſem.
Aqu. Menth. odorat. unc. ij.
de Cinnamom. unc. ſem.
M. pro una Doſ matutin.

23. Emeticis abſolutis, appropriato Catharctico uti oportet, ut brevi tempore univerſalia expediantur, ac a primis viis eliminato fomite, nervorum infarctus facilius expugnare aſſequamur. In hac ergo urgentia ut plurimum ſequentibus utor. *Catharctici uſus.*

℞. *Aqu. Salviæ, Betonic. aa. unc. ij.*
Extract. Panchymag. Croll. ſcrup. ſem.
Magiſter. Jalap. gr. xv.
Syrup. Roſar. ſolut. unc. ij.
M. f. Pot. Purg. pro Doſ.

vel ℞. *Pilular. Cochiar. ſcrup. ij.*
Magiſt. Schammon. ſcrup. ſem.
Syrup. Violar. q. ſ. ut f. Pilul. pro una Doſ.

Quodlibet ex duobus per tres vices omni quarta die repetere convenit; diebus vero a purgatione vacuis, vel juſculum Caponis *in antec. cap. de Apoplex. n.* 17. expoſitum, vel ſequentem mixturam quatuor horis ante prandium aſſumat.

℞. *Aqu. Salviæ, Serpill. aa. unc. j. ſem.*
Apoplect. Ludovic. unc. j.
Extract. Irid. Illyric. ſcrup. j.
Sal. Volatil. Salviæ gr. iv.
Syrup. de Stæchad. unc. j.
M. pro Doſ. utend. ut ſupra.

De

De ſero pariter hora una ſaltem ante brevem cenam, vel duabus poſt ipſam, pro Patientis gratificatione ſequentem opiatam ſumere debet.

℞. *Conſerv. Flor. Roriſmar. Roſar. aa. unc. iv.*
Radic. Irid. Florentin. pulver. unc. j.
Spirit. Sal. Armoniac. drach. ſem.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. ſem.

Sudoriferi utilitas. 24. Peractis demum hiſce, ad magis appropriata accedere convenit, quæ nempe infarctos nervos liberare poſſint. Inter plurima ergo Diaphoretica auxilia nulli ſecunda hic eſſe, diuturna Praxis docuit; iſta enim & viſcidam luem a quavis diſſita corporis parte diſtrahere, & eliminare poſſunt, & inſuper ad concitatiores impetus ſpiritus inducunt, ſicque duplici manu auxilium præſtant. Equidem ſi potiſſimum eſt, infarctos nervos deobſtruere, non minus quidem erit ſpirituum niſum concitare, ut ſimul & ipſi propria limina ab invaſa lue liberare nitantur; alias enim abſque remediorum impendio, per ſe ſolus concitatus ab iracundia ſpiritus morbum hunc debellavit, ut Practicorum acta demonſtrant; vide inter plurimos *Schenchium obſerv. de Paralyſ.* qui duos ab iræ concitatione ſanatos deſcribit; ſic ab impenſo terrore percuſſam inveteratam Paralyticam illico reſtitutam vidiſſe, *Diemerbroec. Anatom. lib.* 8. *cap.* 1. refert; aliumque ſimiliter a concitato ſpiritu redemptum *in Valleriol. obſervat.* perlegimus; qui caſus, aliique ſimiles plurimi affatim oſtendunt, quanti momenti ſit, ad hujus morbi expugnationem Enormonticum niſum concitare. Ideo cum ſudorifera utrumque ſcopum attingant, ſpirituum nempe commotionem, & nervorum expiationem moliendo, præ reliquis auxiliis, in eorundem uſu primo incumbere intereſt.

Utendi methodus. 25. Verum Diaphoreſin tentare nec Decoctis ſudoriferis, nec Hypocauſtis, nec Thermis in hac urgentia mihi placuit, cum abſque illorum ope, quæ magis incommodat, quam conferat, expetitum ſudorem ſatis proficuum, blandioribus auxiliis ſatis obtinuiſſem. Noſtra ergo diaphoretica, cum illorum utendi methodo, ſic præſcribimus. Primo mixturam ſudoriferam bis quotidie per dies xx. & ultra pro exigentia, continuare, topiciſque, ac reliquis auxiliis uti Patiens debet; at in uſu quatuor circiter horis pro tolerantia in lectulo probe tectus ſudorem expectare, ac promovere perferat; demumque omnibus infra dandis, Diætæ legibus ſubjaceat. Ad ſingula exponenda nunc deſcendimus, & primo Sudoriferi formulas tradimus.

℞. *Extract. Sarſæparill. drach. ſem.*
Sal. Volatil. Viperin. ſcrup. ſem.
Volatil. Succin. gr. vj.
Aqu. Paralitic. noſtræ unc. ij.
Syrup. de Flor. Pæon. unc. j.
Ambr. gryſ. gr. j.
M. f. ſudorif. pro una Doſ.

Pro Pauperrimis vero Decoctum ſequens, quod miſerrimum Paralyticum ſanavit, per menſem bis in die continuandum eſt.

℞. *Sem. Milii libr. ſem.*
Bacc. Juniper. unc. ſem.
Vin. alb. non dulc. lib. ij. ſem.
Bulliant ad conſumpt. med.
Colatur. pro duabus Doſ. eadem die ſumat.

Aquam vero Paralyticam ſequenti modo confectam volumus.

℞. *Fol. Primul. veris, Salviæ aa. manip. iij.*
Flor. Lavendul. Anthos aa. pug. ij.
Rad. Irid. Illyric. Viſc. Querc. aa. unc. ij.
Spec. Diambr. Meſue unc. ſem.
Aqu. & Vin. alb. aa. lib. iv.
M. diger. loc. calid. dieb. quinque poſt. deſtill. ad ſiccitat. & caut. ſerva.

26. Verum quia ſæpe in ſudoris ſtadio alvi ſtypticitas moleſtare ſolet; ideo ut incommoda, facile hinc emergentia, vitentur, ſemel in hebdomada pilulis ſequentibus uti oportet. *Cathartici uſus.*

℞. *Extract. Phlegmagog. Quercetan. ſcrup. j.*
Rhabarb. ſcrup. ſem.
Magiſt. Jalapp. gr. vj.
Cum ſyrup. de Stæchad. q. ſ.
M. f. Pilul. pro una Doſ.

Die vero catharſi dicata, vinum oligophorum Patienti concedatur, rigidamque Diætam parum relaxare permittatur, ut vires a ſudore debilitatæ aliquantum reſtaurentur, quam indulgentiam

tiam

tiam pro morbi, ac Patientis conditionibus providus Medens moderari debet. Cena tamen brevis ſit; cubitumque petens Opiatam ſupra *num.* 23. datam aſſumat.

Topicum dorſo applicandi. 27. Poſt aliquot Diaphoreſeos dies, cum apertam corporis peripheriam copioſi ſudores oſtendant, Topicis etiam uti convenit; ideo primum dorſi vertebras, quæ læſam partem magis reſpiciunt, immediate poſt deterſum ſudorem, ſequenti mixtura illinire eſt opus, mixturam hanc ex tribus ſpiritibus parare ſoleo, videlicet.

℞. *Spirit. Terebinth. galbanet.*
Lumbric. terreſt.
de Bacc. Juniper. aa. q. ſ.
M. diger. dieb. duob. & ad uſum ſerva.

Spiritum Terebinthinæ galbanetum ſequenti modo parare jubeo.

℞. *Galban. probè contuſ. unc. v.*
Spirit. Terebinth. lib. j.
M. & diger. dieb. tribus poſt. deſtil. ex retort. & ſpirit. ſerva.

Spiritum Juniperi ex baccis in aqua propria diu fermentatis, deſtillatum volo; alterum ex Lumbricis, ut in Officinis extat, ad opus ſufficit. Inſuper ut læſæ parti adhuc conſulatur, aliquod ex ſequentibus topicis applicare eſt opus, videlicet.

℞. *Unguent. Nervin. Ph. Aug. part. ij.*
Ol. Galban. de Piper. Meſue aa. part. j.
M. & calid. membr. affect. inung.

Ac lana ſuccida calenti & pelle agnina tegatur

vel ℞. *Pingu. Urſi, Cati Sylveſtr. aa. unc. ij.*
Euphorb. Canthariid. pulver. ana. drach. iij.
Ol. Philoſoph. Formicar. aa. un. ſem.
M. f. linim. utend. ut ſupra.

Vel pro Ditioribus efficaciſſimum ſequens erit.

℞. *Pingued. Caſtor. unc. j.*
Ol. deſtill. Euphorb. drach. j.
deſtill. Camphor. ſcrup. ij.
deſtill. Lign. Fraxin. drach. ſem.
M. & diger. dieb. trib. poſt utito.

Topica vero dicta inter unum & alterum ſudorem apponi debent, ut ſudationis tempus libera membra ſint.

Febris emergens. 28. Cum vero hinc excitata Febris emergat, animum turbare non decet; cum propria hæc Naturæ machina ſit, qua rebelles morbos devincere ſæpe ſolet. Ideo expertus Hippocrates in Aphoriſmis ſuis contumacium morborum domitricem, ac periclitantis vitæ reparatricem, invadentem Febrem nuncupavit, ut 4. *Aph.* 57. *Qui a Convulſione tenentur febre ſuperveniente liberantur*. Sic item 6. *Aphor.* 44. docet, in Stranguria, Ileum ſupervenientem lethalem eſſe, niſi ante ſeptimum Febris invadat. Sic demum, ut cæteros Aphoriſmos ſimiles dimittam, 6. *Aph.* 51. *Apoplectici in ſeptem diebus pereunt, niſi Febris apprehenderit*. His ergo expertis documentis medicinæ Pater nos inſtruit, quod Febris in ſimilibus morbis exoptanda potius, quam pertimeſcenda ſit. Docuit inſuper, quod iſta *non lenta* quidem, quam *in Coac. præd.* damnavit, ſed fortis, & ex Acutarum genere eſſe debet, ut a concitato Naturæ niſu contumaces morbi fomites eliminare poſſit; quod quidem & in hoc caſu æque militat. Ideo cum lenta Febris emergere videatur, a ſudoriferis, cæteriſque dictatis auxiliis peritus Medens minime abſtineat, ſed perſeverante methodo illis utatur, donec ad vehementiæ gradum Febris aſcenderit; & tunc pro exigentia, vel ſudorifera minuere, vel dimittere, ſanguiniſque concitatos impetus intra moderatos limites continere ſtudeat; ut hæc Naturæ machina, immoderatis motibus opus non deſtruat, ſed decenti conatu pertinacem morbum depellat; ad hæc autem aſſequenda, cauta peritia requiritur, ut Scyllam, & Charybdim declinando, ſalutis portum attingat.

29. Devicto demum morbo, pro debita præſervatione, ac ut ſimul Naturæ vigor reſtauretur, parteſque jam læſæ, debito naturali tono reſtituantur, ſequentibus adhuc auxiliis uti oportet; ad quos ergo ſcopos, & ventriculum primo, ſimulque nervoſum genus conroborentur, per dies ſaltem xv. horis quatuor ante prandium ſequentem mixturam ſumat. *Præſervatio.*

℞. *Elixir. paralytic. noſtri unc. j.*
Magiſt. Corallor. pæoniat. gr. xv.
Tinctur. Abſinth. pontic. drach. ſem.
M. pro una Doſ. matutin.

Elixir. antiparalyticum ſequenti modo conficere jubeo.

℞. *Specier. Diambr. Meſue unc. iij.*
Radic. Irid. pulv. Pæon. aa. unc. ij.
Fol. Primul. ver. Salviæ aa. manip. iij.
Flor. Lavendul. Anthos aa. man. ij.
Spirit. Vini camphorat. lib. iij.

M. ſtent in digeſtione loco tepido per triduum, demum decant. & ſervent. De ſero autem hora ſaltem ante brevem cenam ſequentem opiatam ſumat.

℞. *Conſerv. Caryophyll. hortenſ. unc. iij.*
Flor. Lavendul. unc. ij.
Specier. Diambr. Meſue unc. j. ſem.
Elixir. paralytic. noſtri drach. ij.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. ſem.

Pro Pauperibus vero, quos diſpendium magis, quam morbus torquet, ſequens inefficax non erit, quod mane & ſero repetatur.

℞. *Aqu. ex Decoct. Salviæ unc. iv.*
Majoran. pulveriſ. drach. j.
Radic. Ireos pulveriſ. drach. ſem.
M. & propin. pro una Doſ.

Diæta. 30. Hiſce demum auxiliis exquiſita Diæta fœderari oportet; ne omnia in gulæ vortice deperdantur. Omnem ergo cuſtodiam in ſex rebus non naturalibus dictis ſervare fas erit. Et primo Aerem impenſe frigidum, ut venenum vitandum eſſe ſuademus; multum enim ad fluidorum congeſtionem firmandam, & augendam gelida conſtitutio aeris conſpirat; ideo ignitis laribus illius rigiditatem temperare, ambratiſque paſtillis accenſis nervoſum genus defendere intereſt. Pauperibus vero ſuffumigia ex Juniperi baccis ſatis erunt. Cibaria item non dum optimum, ſed attenuantem ſuccum præbere debent; ideo aromaticis mitioribus fercula condere, caſus & cauſa iſta permittit; Viſcida vero, & Acida cibaria quælibet, angue pejus vitare intereſt, morbi enim fomites nutriunt, & adaugent. Vinum ſimiliter in toto ſudoriferæ Diętæ ſtadio prorſus (diebus purgationis exceptis) relegandum erit; illius enim ſpiritus acidus congeſtiones in fluidis gignere, ſicque infarctus cumulare ſæpe ſolet; fontis ergo aquam vel ambratam, vel deſtillatam aliquam propriam Patiens bibere contentus ſit; ſeneſcentibus vero ſemel in menſa cyathum unum oligophori vini permittere, Medentis judicio dimittimus. Cæteræ demum non naturales res moderationis limites non excedant, cum quilibet in hiſce tranſgreſſus nervoſo generi ſemper infenſus ſit; hic demum hujuſce cauſæ curationi terminum firmamus.

31. Alteram nunc paginam volvendo, Paralyſis alia ſe offert, quæ non a nervoſo, ſed ab arterioſo genere ortum ducit; in iſta enim integro vigente ſenſu, motus duntaxat deperditur, quod apertè demonſtrat, non a nervorum, qui liberum ſenſum exercent, ſed ab arteriarum defectu motus jacturam manare. Ideo curativæ intentiones ad illarum infarctus ſolvendos reſpicere debent; quem ſcopum tunc attingemus, cum ſanguinis motum, a grumeſcentibus particulis præpeditum, ad naturalem fluiditatem reſtituere aſſequamur; ſicque læſæ partis muſculi, arteriarum ope privati, denuo vitali fluido irrigentur, & ad voluntatis nutum prompte contrahantur. Ut ergo ſcopum aſſequamur; primo Venæ ſectionem, a ſanguinis grumeſcentia petitam, celebrare, fas erit, nec ullo pacto dimittere, niſi urgentiora prohibeant; in quo caſu indicans, & inhibens tuta lance perpendenda ſunt, ut gravius litem dirimat. Noſcere tamen eſt opus, quod multum hic ponderat, ſanguinis remoratam molem ad motum impellere, cui ſcopo phlebotomia primo confert; ideo urgentes illius inſtantiæ, præ reliquis hic audiantur. Hæc ergo, maxime Veris tempore, copioſa inſtituatur, ita ut ad libram ſanguinis accedat; quod cum hanc, ſemel emiſſi ſanguinis, quantitatem vires tolerare nequeant, partitis vicibus ſaltem diſtribui debet, & tunc libram excedere tuto poſſumus. Celebrata demum phlebotomia, ſi Acidi ſeminium in ſtomacho deliteſcere noſcatur, Vomitorium ex Tartar. emetic. cum Aqu. Menth. q. ſ. propinare eſt opus, & ut hujuſce ſcaturigo exhauriatur, etiam repetere convenit, intermediis vero antacidis præſcribantur.

Ab arteriæ infarctu Curatio.

Phlebotomiæ neceſſitas.

32. Hiſce peractis ad magis appropriata deſcendere convenit, in quorum linea Purgantia ſe offerunt, ſed per quam commodiorem viam infenſum Acidum

Purgantium ſelectio.

dum a ſanguine deturbare, congeſtaſque grumeſcentias diſſolvere, ſimul debeamus, inter Doctorum placita deciſio vagatur. Hic certo bona Diuretica, & meliora Diaphoretica conſiderantur; optima vero pro noſtro ſenſu Catharctica (niſi Natura, quæ potiſſima Medicatrix eſt, apertis ſignis aliud petere videatur) eſſe arbitramur; hanc ergo viam pluries proficuam expertam, ſequentibus ſic inſequimur.

℞. *Infuſ. Trochiſc. Alhandul. unc. j.*
Reſin. Turbith. gr. viij.
Extract. Saſſafras ſcrup. j.
Aqu. Salv. Beton. aa. unc. ij.
de Cinnamom. unc. ſem.
M. f. Potio pro una Doſ.

Catharcticum hoc quater, poſt quatuor dies repeti debet, ac intermediis quatuor diebus horis quatuor ante prandium ſequentem mixturam ſumat.

℞. *Aqu. Salviæ, Beton. aa. unc. ij.*
Sal. Volatil. Oleoſ. noſtri ſcrup. j.
Extract. Saſſafras ſcrup. ſem.
Syrup. de Stæchad. unc. j.
M. pro Doſ.

Item ad veſperas hora ſaltem ante brevem cenam ſequenti utatur.

℞. *Conſerv. Flor. Anthos lib. j.*
Extract. Saſſafras unc. j.
Sal. Centaur. minor. unc. ſem.
Croc. Mart. aperitiv. drach. iij.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. ſem.

Hanc de ſero quotidie toto purgationis tempore Patiens ſumat oportet, ac ſequentia non dimittat.

Topica propria. 33. Topicis item, læſæ parti applicandis uti expedit; ut internis externiſque fœderatis auxiliis arteriarum repagula facilius diſſolvantur. Hunc ergo penſum Spirit. Vin. probè Camphorat. non ſemel perfecit; cum poſt debitas frictiones bis in die læſam partem eodem illinire præcepiſſem; cum vero efficacius expeti dignoverim, hoc præſcripſi.

℞. *Viperar. capit. & caud. trunc. n. ij.*
Myrrhæ vino merac. præparat.
Bacch. Juniper. aa. unc. j.
Vin. alb. generoſ. lib. viij.
M. & bull. ad conſumpt. med.

℞. *Colatur. hujus calid. unc. ij.*
Spirit. Camphor. drach. j. ſem.
M. & calid. affect. partem inunge.

Pro Pauper.
Syſt. Medic. Roſetti.

℞. *Salv. Lavendul. aa. manip. iij.*
Bacch. Juniper. Laur. aa. unc. j.
Rad. Pyrethr. Irid. aa. unc. ij.
Vin. alb. generoſ. lib. viij.
M. bull. ad med. & colat. utatur.

34. Dum hæc omnia peraguntur, nonnulla emergere poſſunt, quæ curationem intercipere ſæpe ſolent; ideo ne ambages medelam ſuſpendant, Cautiones proprias indicare duximus. Prima ergo eſt; cum Febris in curationis ſtadio caput attollat; pavidoſque Medentes inceſtum opus dimittere adiget. Hos ergo ſuadere fas eſt; quod Febris invaſio non curationis obicem, ſed opportunum auxilium conferre hic ſoleat, dummodo illius petitiones, infra expoſitæ, audiantur. Cum nil aptius, quam illa ſanguinis grumeſcentias diſſolvere poſſit; ideo peritus Medens eodem regimine, quod ſupra *num.* 28. indicatum fuit, coſtanter uti debet, ut ſimul cum Natura movente, pertinacis morbi victoriam conſequatur; ad quem ſcopum collimant ſequentes motiones, quas cum æquum ſit, ſecundare non ambigat. *Curationis cautiones.* *Febris invadens.*

35. Aliud item contingens ab initiata curatione divertere poteſt; cum nempe præſcriptam catharſin differentes intimi urinæ, vel ſudoris motus, dimittendam eſſe, demonſtrent; aliud enim molimina iſta petunt, quam Artis intentio procurat. Et quia contra determinatos Naturæ motus mederi velle, difficiles, ac infauſtæ, ſæpeque cum Medentis opprobrio curationes contingunt; ideo recta hic lance perpendere intereſt, an intimæ motiones iſtæ, ad morbum expugnandum opportunæ, ac validæ ſint, & cum ad opus impares dignoſcantur, tunc illas nec audire, nec exiſtimare, ſed inſtitutam Catharſin ad metam uſque conducere Peritus tenetur. Contra vero cum validus Naturæ motus, febris medio, ſudoris, vel urinæ copiam niſu conſtanti prodat, tunc illius conatus cauto greſſu ſecundare eſt opus; tutius enim, citiuſque illa, cum proprias vires impendat, morborum cauſas eliminat, quas diuturnis remediis Ars depellere, ſæpe nequit. Propriam ergo Medicatricem audire, ac ſecundare hic expedit, modus vero ſequens eſt. *Naturæ molimina penduntur*

Sudoris motum ſecundare. 36. Ad ſingula illius molimina deſcendendo, primum cum conſtantes, ac proficui ſudores perſeverent, catharctica ſuſpendere intereſt; item deobſtruentium mixturam ſupra datam ſequenti modo permutare opus erit, videlicet

℞. *Aqu. Salviæ, Betonic. aa. unc. j.*
Scorzoner. unc. ij.
Sal. Volatil. Oleoſ. noſtri ſcrup. j.
Volatil. Viperin. ſcrup. ſem.
Syrup. Card. bened. unc. j.
M. pro una Doſ. mane ſumend.

Hanc ergo per dies plurimos pro exigentia, & tolerantia continuare oportet, ſudorem in lecto promovendo; demumque cum ſalutis ſpes affulgeat, in curationis fine catharcticum ſupra datum, ſi vires ferant, pro una vice tantum preſcribatur. Cum autem prolixa diaphoreſis, integrum, liberumque motum haud reſtituat, ad validam Catharſin denuo recurrere, ac intermediis deobſtruentibus uti, eſt opus, donec integra morbi victoria conſequatur, ſic item cætera externa non dimittantur.

Diureſin promovere. 37. Per Diureſin vero cum Natura vergere conſtanter oſtendat, valida ſupra data catharctica, vel prorſus dimittere, vel in mitioribus commutare, ac uſum prorogare convenit, ne propriam Naturæ viam Artis obſtaculum præpediat; & licet eliminatio iſta curationis finem non tangat, cujus potiſſima intentio eſt, Arteriæ infarctum diſſolvere; apprime tamen decet, hujus producti cauſam per faciliorem viam, citius quo poſſit, eliminare; ideo cum ſibi commodam, conferentemque diureſin Natura elegerit, eandem non divertere, ſed coadjuvare, utile & æquum eſt. Ad hunc itaque finem ſupra datam *num.* 32. deobſtruentem mixturam ſequenti modo commutamus, videlicet.

℞. *Aqu. Betonic. Salviæ aa. unc. ij.*
Magiſt. Ocul. Cancror. ſcrup. j.
Sol. volatil. Oleoſ. noſtri gr. xv.
Syrup. Heder. terreſt. unc. j.
Spirit. Sal. rectific. gut. vj.
M. pro una Doſ. quotidie repeten.

Hac ergo uti tandiu convenit, quandiu exigentia, & conferentia petant; poſtea catharctitum ſupra datum præſcribi debet; mixtura vero deobſtruens non dimittatur, donec motum integre recuperatum ſit, quod intra dies xv. conſequuti ſæpe ſumus.

Si adſit Atrophia. 38. Aliud tandem Curationis hujus obex Atrophia eſſe poteſt; ſæpe enim ob arteriæ infarctum, pars illa, quæ ab illius rore nutritur, deficiente alimento, areſcere cogitur. Ad hanc ergo Atrophiam curandam, interna omnia Catharctica, & Deobſtruentia æque collimant; recluſæ enim arteriæ, afflictam partem proprio fluido irrigando, illius ariduram expellunt. Verum quia ex diuturno ſanguinis defectu arefacti muſculi, ac illorum arterioſa vaſcula pene arida, noviter advenienti ſanguini reſiſtere plurimum poſſunt; ideo externis etiam Topicis, ad partis tonum revocandum, ac ſanguinem fortius attrahendum, uti convenit. Primo itaque ſub morbi hujus initio, topicum aliquod, pro Patientis conditione, *num.* 33. expoſitum, applicare, fas eſt; & cum haud ſatis curationi reſpondeat, ſequens Pitaciſmus læſæ parti apponatur.

℞. *Picis naval. Bitumin. aa. unc. ij.*
Sulphur. viv. Euphorb. aa. unc. ſem.
M. ad ignem, & f. Dropax.

Quod calidum affectæ parti applicetur, ſemperque calidum replicetur, donec cutis rubeſcat, & pars intumeſcat, & hinc unguentum aliquod ex datis *n.* 27. calide membris læſis applicare oportet. Qui vero a Pitaciſmo abhorret, cucurbitula cornea, quam *Tulpius lib.* 3. *obſervat.* 49. commendat, partem rubificare permittat; & hæc tandem pharmaceuticam, ac chirurgicam curationem abſolvunt.

Diæta & præſervatio. 39. Dietæ demum regimini æque proſpicere ſpectat, ne acida lues iterum ingeratur in ſanguine; ſicque proximam hujus Pareſis cauſam relegando, integrum Præſervationis munus ſibi aſſumat; Diætæ igitur leges in hac Paralyſi ſequentes ſunt. Primo Aeris rigiditatem evitare oportet; impenſa enim frigiditas, ſicuti Pleuritides, & Aſthmaticas, ac Limphaticas in tuſſi congeſtiones procreare ſolet; ita ſanguinis concretiones augere ſaltem poteſt, maxime cum acida lues in venis gliſcat. Item cibos omnes acido viro turgidos, ut morbi hujus ſeminia a menſa relegare intereſt; & ne ventriculus ad hanc

hanc regenerandam luem inclinet, ſæpius per annum ſequenti opiata, cubitum petens, Patiens utatur.

℞. *Conſerv. Roriſmar. Roſar. aa. lib. ſem.*
Eboriſ. Cor. Cerv. præp. aa. unc. ſem.
Sal. Abſinth. eſſential. drach. ij.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. ſem.

Vinum pariter nec acidum, nec dulce, ſed aromaticum, ſemperque oligophorum in uſu ſit. Cæteræ demum n. n. res medium teneant, maxime animi motus, triſtitia, metuſque præcipue æquo fræno regantur; plurimum enim mæſtitia, & pavor ſpirituum vigorem extenuant, corporiſque maciem inducunt, & ut Poeta cecinit.

Omnes ſollicitus mæror tenuaverat artus.

Pareſes a morbis ortæ. 40. Ab hiſce demum Curationibus expenſis, non obſcure deducitur, quomodo cæteræ Paralyſes, quæ ab alienis morbis geneſim ducunt, æque curari debeant; cum non aliunde, quam a nervorum, vel arteriarum infarctu progigni poſſint. Conferantur ideo eorundem explicationes *numer.* 16. ſupra datæ, quarum lumine propria cujuſque ſcaturigo detegitur. Ideo in hiſce curandis præter ſupra datas methodos, novam ducere lineam, non eſt opus. Ex alia vero Pandoræ urna, diſſimiles ex geneſi, Paralyſes illæ prodeunt, quæ ab externis occaſionibus inducuntur, nempe a luxationibus, contuſionibus, vulneribuſque nervorum, vel arteriarum; has ergo, quia proprios Chirurgiæ oculos, manuſque ad opus expetunt, curatiſque organicis hiſce deliquiis, animales functiones reſurgunt; ideo ad Chirurgiæ tractatus diſcutiendas, curandaſque remittimus; ſicque puteum noſtrum claudimus, & aliorum fontes aperimus.

APPENDIX.

Plurima Celebr. Practicorum, ad morbum hunc expugnandum antidota in illorum monitis perleguntur, quæ interdum Curationis petitionibus ſatiſfacere poterunt; cum variæ Cauſarum lædentium modificationes, diſpares corporum conditiones, Patientumque gratificationes, varia item remedia expetere videantur; ideo in hac etiam linea ditiorem medelam reddere duximus, dum ſelectiora auxilia ſequenti ſerie colligere ſtuduimus; & primo interna ſunt.

Aqu. Antiparalyt. Margraſii.
Aqu. Carbuncul. Imper. Maximil.
Aqu. Lavendul. compoſ. in Schroder.
Aqu. Imperial. correcta.

Aqu. Magnanim. commun. vel noſtra, ſicut & Aqu. Salv. Francof. qua noſtro modulo confecta cum fructu ſæpe uſi ſumus, videlicet.

℞. *Salviæ elect manip. vj.*
Majoran. Thymi. Lavendul. aa. manip. iij.
Rad. Cyper. Iridis. Calam. arom. aa. unc. j. ſem.
Cinnamom. Nuciſt. Macis aa. unc. ſem.
Spirit. Vin. non rectific. lib. vj.
M. & diger. dieb. tribus poſtea deſtill. ad ſiccit.

Item Cinnabar. Antimon. diaphor. valid. deobſtruens, ſicuti & ejuſdem Tinctur. diaphor.

Elixir Propriet. Paracel. Elix. Vitæ Mattioli, & Quercetani.

Eſſent. Caſtorei. Eſſent. Sang. human. Ruland.

Extract. Saſſafraſ. Ceraſor. nigr. &c.

Mars diaphoret. & Crocus ejuſdem aperitiv.

Olea deſtillat. Majoranæ. Salviæ. Succin.

Sal. Volatil. Salviæ. Succini. Viperar.

Spirit. Paralytic. D. Screta. Spirit. Baccar. Juniper. Donzelli.

Spirit. Cran. human.

Tinctur. Antiparalyt. Sennerti. Tinct. Succin. Batei. Tinctur. Martis Alkalin. Boilei, &c.

Externa vero auxilia copioſiora inveniuntur; cum Practicorum ſolertia in hujus morbi medelam Amalthææ cornu exhaurire deſudaverint; ideo non omnia, ſed quæ memoria ſuggerit, compilamus; & primo.

Balnea plurima ut Balneum Paralyt. Capivacii, aliud Sorbait. ſicuti & Baln. nervin. Michaelis &c.

Balſamum Paralytic. Amynſicht. Aliud S. Cloſſei. Aliud Batei. Aliud Junghen. Aliud ſpaſmodicum Mynſicht.

Ca-

Cataplaſm. ad linguæ Paralyſin Mynſicht. quod eſſentia, vel ſucc. Majoran. cum Aqu. Regin. Hungar. ſatisfacit.

Emplaſtr. Paralytic. Batei. Aliud Myrrhat. Donzelli.

Galbanet. Paracelſi. Aliud Galbanet. Junghen.

Olea plurima ut Ol. Paralytic. Batei. Ol. de Caſtor. compoſit. Zuvelffer. Ol. Cephalicum ejuſdem. Ol. ex Bacc. Junipor. deſtillat. Majoran. deſtill. Succini deſtill. Salv. deſtill. Euphorbii deſtill. Ol. Circulatum Fauſi.

Pingued. Caſtorei, & Cati ſylveſtr. compoſit.

Spirit. Formicar. Cnoeffelli & Spirit. Balſamic. ejuſdem; ſicuti & Tinctur. antiparalytic. ejuſdem.

Unguent. Anſerinum Craton. & Nervin. Pharm. Auguſt. Reſtit. &c.

C A P. VII.

De Vertigine & ejus Curatione.

1. VErtigo a vertendo latine dicitur, Græcis vero *Dinos*, cum levis ſit; gravior vero, ac tenebricoſa, & caduca *Scotodinos*, a barbaris autem *Scotomia* nuncupata fuit, quæ nomina exquirere curioſis dimittimus. Nucleum ergo inquirendo, differenti ſæpe apparatu Affectum hunc velatum potius, quam revelatum inſpicimus; cum pro Doctorum placitis variam ſcenam agere inveniamus. Etenim nec in cauſarum ſtatu, nec in affectæ partis determinatione, neque in ſymptomaticis productis explicandis, æque conveniunt; ideo cum in ambiguis philoſophandi jura cuique communia ſint, & qui propius metam attingat, melius etiam communi bono conſuluiſſe mereatur; quæ igitur de proprio hic etiam impendere quimus, detinere noluimus, cum ſit,

I decus, i noſtrum, melioribus utere fatis. Virg.

Deſcriptio Vertiginem ergo deſcribi poſſe arbitramur, quod *ſit Imaginarius circumgyrationis motus, ab animalium ſpirituum acoſmia inductus, qui pro ejuſdem gradu nunc mitis, & nunc vehemens invadit.* Deſcriptio iſta in ſequentibus clarior fiet.

2. Partem affectam animales ſpiritus eſſe cenſemus, quidquid Veterum ſeguaces inaniter objicere poſſint; iſti enim in motu vitiato delinquunt, cum motus, & ſenſus præcipue plus vel minus in hoc morbo proprias noxas patiantur. Functiones namque iſtæ cum depraventur, ſpirituum regimen, a quo ducuntur, vitiatum eſſe demonſtrant. Non autem Animam, ut nonnulli cenſent, quia illius imaginatio decipitur, affectam partem eſſe credendum eſt; cum mens ipſa deceptæ imaginationis errorem, in ipſo morbo, & extra ipſum, ſatis diſcernat, ac apprehenſionis illuſionem redarguat; ab hac ergo culpa inſons Anima eſt. Nec Cerebrum ipſum, ut Aliis placet, in hoc affectu proprie afficitur; cum tragædia iſta intra nervoſum genus peragi dignoſcatur; nec extra Opticos ductus circumgyrantes per cerebrum ſpiritus imaginari poſſum; niſi in ipſo ſenſus communis ſolio (quod alicubi in cerebro concipimus, ſed nullibi certo percipimus) in quo imaginatio fieri creditur, inſulſe ſuſpicemur, ſpirituum *Pars affecta.*

Hoc rapido ſenſum torquere vortice flumen.

Quod per me quidem mera chymera eſſet; cerebri ergo ſubſtantiam in hoc affectu culpare, minime noſco. Sed neque Oculus pars affecta in hoc caſu eſſe poteſt, ut plurimi ſentiunt; quia licet hic, ſenſus omnes, & oculus præcipue ſpirituum errores tolerare cogantur; cum in depravata viſione morbus iſte conſiſtat, oculus per ſe ab hoc crimine inſons erit; ipſe enim organon tantum, non opifex viſionis eſt, cum hæc proprie in ſenſu communi primo fiat, & inde Mentis tribunal æquum de viſu judicium decernat. Remanet ergo aſſerere, quod ſoli ſpiritus animales, quavis occaſione in motu ſaltem vitiati, affectam in hoc morbo partem eſſe debeant.

3. Differentiæ item non ſpecie, ſed gradibus tantum diſcernuntur; habet enim & morbus iſte greſſus ſuos, per quos gradatim ad proprium acumen aſcendit, in quo vel conſiſtit, vel in pejorem morbum devolvitur; cum vertiginis *Differentiæ.*

tiginis apex Epilepſiæ & Apoplexiæ limina occupet. Primus ergo hujuſce gradus eſt ſimplex imaginationis deceptio, quæ omnia oculis inſpecta, vel clauſis etiam, ſimulque cum proprio capite circum rotari exiſtimat; placata vero ſpirituum acoſmia, abſque alia noxa Vertigo iſta evaneſcit. Secundus gravior eſt; cum nempe colores varios, aut muſcas circa oculum vagari, Patiens imaginetur, ac repentina caligine oculos obſcurari, viſum deperdere, & ut Ebriis contingit, omnia ſimul cum corpore circumvolvi, & quaſi ruere pavitet, niſi proximis fulcimentis carpendo ſe muniat; non cadit ideo, quia muſculorum motus, & vigor non adeo enervatus eſt, ut in ultimo gradu. Tertius denique graviſſimus extremas tenet lineas; in hoc enim intima ſpirituum acoſmia tanta eſt, ut nondum in oculis, quos cæcis tenebris obruit, ſed in ſenſibus cæteris propriæ turbationis veſtigia imprimat, motuſque vigorem, ac muſculorum firmitatem ita extenuet, ut Patiens in præceps labere cogatur, nec ſæpe adminicula illum ſuſtinent, cum membrorum languor ipſis tueri nequeat; hic ergo extremus gradus Vertigo tenebricoſa, & caduca nuncupatur, & cum primo Epilepſiæ gradu ſæpe confunditur.

Diagnoſis. 4. Diagnoſin denique pauca ſigna produnt; præſentem enim quilibet noſcere poteſt, & quem gradum Vertigo teneat, ex ſupra datis facile deducitur; tenebricoſam vero, & caducam ab Epileptico lapſu diſtinguere, ſenſus, motuſque jacturæ diſparitates docebunt; cum eorundem in Caduco abolitio, in Vertigine vero ſola depravatio conſpiciatur, quæ adhuc regula Vertiginem hanc ab Apoplexia, Lethargo, cæteriſque ſimilibus morbis diſcernere poterit. Imminentis vero Vertiginis ſigna minus clara, quia magis ambigua eſſe ſolent; ſympatheticam autem, a Veteribus ſic dictam, quia in imis viſceribus proprias radices nutrit; tunc imminere credimus, cum illius fomites in quavis corporis regione ad actum læſionis exeant; ut ex. gr. cum Ventriculi edacitas, quæ ſæpe in Picrocholis Vertiginis fomes eſt, inediam plus æquo ſuſtulerit; vel cum Hypochondriorum tumultus ſtrepere ſolent, Vertiginem præforibus eſſe denunciant; ſicque cum Uteri culpæ hanc capitis pœnam inſtare proclament, ſi nempe uterini morbi caput attollant; ſed hæc in linea ſatis.

5. Cauſarum indago parum hic deſudare nos cogit; cum propriam hujus Affectus cauſam eandem eſſe arbitremur, quæ proprie, ac proxime Caducum morbum producere ſolet, quæ *cap. de Epilepſ.* ſatis expoſita fuit. *Cauſæ indago.* Tuto enim noſcimus, Vertiginem a ſpirituum acoſmia duci; ideo hæc cauſa, cum in hoc affectu extremum gradum attingat, ultimo diſpoſita Caducum morbum inducere, ſæpe ſueſcit; imo ultimus illius gradus, qui tenebricoſam, & caducam vertiginem conſtituit, cum primo Epilepſiæ gradu ita confunditur, ut Periti plurimi unum, & idem eſſe decernant. Verum licet eadem manus, plus minuſve fortis, utroſque morbos ducat, non ideo illos confundere, Theoria ſaltem permittit. Vidimus olim Equitem Hieroſolymitanum tenebricoſa Vertigine percuſſum, ſurdum, ac mutum in hoc paroxyſmo, cum nec vocatus audiviſſet, nec interrogatus reſpondiſſet, apertaſque in artubus convulſiones oſtendere; hunc certo, niſi noviſſem, quod nunquam Caduco vexatus fuiſſet, ac de Vertigine lævi ſæpe conqueſtus eſſet, certo ex dictis ſignis Epilepticum fuiſſe, quilibet crediſſet. Non ergo morbos hoſce confundere decet, licet ambo ſenſus, & motus aliquando proſternere ſoleant. Notis enim effectibus noſcitur, quod in tenebricoſa Vertigine non oculi tantum, ſed & reliqui ſenſus, imo & motus etiam a ſpirituum acoſmia exagitantur; hoc, inquam, oſtendunt aurium ſibili, tinnitus, & ſurditas, quæ ſæpe in hujus paroxyſmo inviſuntur; hoc idem loquelæ interceptio confirmat, quam non ſemel in pluribus obſervavimus; hoc etiam tactus languor, qui proxima adminicula ſtringere nequit, unde in caduca vertigine Patiens labere cogitur; hoc pariter guſtatus, & olfactus innuunt, quos in vertigine certo lædi, *Ægineta lib. 3. cap. 12.* teſtatur. Motus item in Caduca Vertigine potiſſimum propria deliquia pati ipſe corporis lapſus, ac interdum convulſiones con-

conſpicuæ apertè oſtendunt ; ſicque motus, ac ſenſus omnes in hoc morbo divexari, compertum videtur.

Spirituum Acoſmia. 6. Et certo quidem cum ſenſus, ac motus functiones ab Enormontico niſu oriri debeant; ſi confuſa impulſione ſpiritus ducantur, propria organa improbe pulſando, animales actiones, pro erroris modo, certo depravant. Spirituum ergo Acoſmia, quæ viventem machinam ſæpe ſubvertere ſolet, proximam vertiginis cauſam eſſe, plena ratione arbitramur; cum tot ſenſus, motuſque depravationes, ac imaginariæ deceptiones, non niſi ab hac origine dimanare primario poſſint. In hoc igitur non ambigo quidem; modus vero quo morbus iſte fiat, incerta mente fluctuare me cogit, cum ad verticoſam hanc ſcenam tuto explicandam, nec experimentum aliquod, nec firma conjectura nos ducere queat. *Vertiginis modus explicatur.* Suſpicor autem, quod in oculo primum ſpirituum circuitus exordiatur; ad quod judicium firmandum, duplex certitudo anſam præbet; prima, & potiſſima ſpirituum acoſmia eſt, altera item ipſa oculi fabrica. De priori ſatis certi ſumus, de altera, ex Anatome certo noſcimus, quod intima oculi ſtructura ſphærica ſit, quam externæ pupillæ orbis adhuc oſtendit. Spiritus ergo, qui ad hoc organon ducuntur, ut impreſſas ſpecies rectilinio niſu per opticum ductum ad cerebrum deferant, cum non ſolito miti appulſu, ſed inquieto acoſmiæ impetu a rectilinio diſtrahantur, per orbitam oculi, quo fert impetus ſe volvendo, verticoſum motum inibi concipiunt, cum quo ad optici nervi radices uſque impreſſas ſpecies devolvunt. Non enim tam fixam compagem, ut cæteri Nervi habent, Opticus ductus poſſidet, quem licet perforatum eſſe, cum Galeno minime credamus, medullarem tamen ſubſtantiam in intimo centro haud ſolidam, ſed fluidam continere, cum Præceptore ſpectabilis memoriæ Malpighio, aliiſque claris Anatomicis cenſemus; ideo per hanc intimam, non adeo arctam viam, circumactam ſpirituum undulationem ad ſenſum communem aſcendere poſſe, non inconcinne opinamur. Hoc mihi quidem veriſimilius videtur, quam in Cerebro primum hanc ſpirituum circumgyrationem auſpicari, cum inibi nec locum aptum, nec cauſam propriam, quæ ſpiritus, & ſpecies ſimul in gyrum moveat, invenire adhuc didicerim; niſi ad inſulſam Vaporum cantilenam, cum Veteribus recinendam, confugerim; quam tamen nec tota Ariſtotelis auctoritas, cum ſuis rationibus, ac ſimilitudinibus, aptam hic vaporum cauſam ſuadere unquam poterit.

7. Proximam jam oſtendimus Cauſam, ac illius lædendi modum pro viribus expoſuimus; occaſionales nunc fomites (quibus dicta non raro ad actum inducitur) innuere adhuc ſupereſt. *Morbi prophaſes innuuntur.* Notum ergo eſt, quod interdum in Cerebro, vel in Stomacho, vel in Hypochondriis, aut in utero, imo & Artubus etiam, Vertiginis ſeminium aliquod radices figere ſoleat, & cum ad irritationis acmin exaltetur, cito morbus hic ſuccreſcere obſervatur. Occaſiones vero iſtæ, in quavis ex dictis regionibus radicentur, nil aliud agere poſſunt, niſi Enormonticam acoſmiam provocare, quæ hiſce ſtimulis concitata, pro indignationis modo, diſparem ſcenam agit; ſi enim levis hæc irritatio ſit, primum Vertiginis gradum ſollicitare ſolet, ſicuti ſi gravis ſecundum, graviſſima tandem extremum morbi gradum, qui ſæpius cum Epileptico lapſu æque confunditur. Habituata vero Vertigo, ut non ſemel vidimus, quovis levi ſtimulo ad conſuetum gradum provocatur; novimus enim Mulierem quandam, quæ alias ab utero, menſtruorum imminentium tempore, tenebricoſam vertiginem patiebatur, hæc ſurſum oculos levare, Cœlumque aſpicere nequibat; quoties enim ſurſum inſpexerat, illico tenebricoſo morbo vexata fuit; hanc ergo per annos plurimos hoc affectu cruciatam, remedio primum *cap. de Epilepſ. n.*45. expoſito, ac ſpecificis propriis, favente Deo, cito, & integrè liberatam vidimus. Sed ad pomæria revertendo, ſupradictos, in quavis parte latentes fomites ex propriis ſignis dignoſcere, eodem *cap. de Epilepſ. a n.* 36. *uſque ad num.* 46. ſatis docuimus; ideo ne inutilem palinodiam canamus, ibi lectorem mittimus.

Prognoſis. 8. Vertiginis tandem Prognoſis ab

ipſius

ipſius gradibus deduci debet; levis enim Vertigo, quæ nec diutine perſiſtit, nec frequentius invadit, neque alio crimine, quam objectorum vortice oculos illudit, appropriatis auxiliis in conſiſtenti ætate, facilè ſolvitur. Gravis vero, cum nempe oculos ad tenebras uſque inducat, caput ſimul, & corpus circumvolvi, apprehendere cogat, & niſi fulciatur Patiens labi ſe credat, hæc inquam, maxime cum inveterata ſit, difficilius curationem audit. Graviſſima demum, quæ motum, ac ſenſus omnes ita depravat, ut nullo audito ſubſidio, Patientem proſternat, nec videre, nec loqui, nec audire ſinat; hæc ſæpe in Juvenibus Epilepſiam, in Senibus Apoplexiam cito vocare ſolet, cum vere horum morborum prodromos fuiſſe, ſatis obſervatum ſit. Vertigines vero, quæ a fomitibus hinc inde per corpus latentibus; provocantur, pro majori, vel minori eorundem irritatione, ac magis vel minus radicata in viſceribus firmitate, plus etiam, minuſve Curationi reſiſtunt. In Senibus vero, cum fomes in capite deliteſcat, certo Apoplexiam, vel Paralyſin prænunciat. In hac linea Senem me vidiſſe memini, qui diu gravi Vertigine correptus, in graviſſimam incidit, & cum medelam omnino reſpuiſſet, poſt triduum in Apoplexiam irrevocabilem concidit. Vertigines demum, quæ Morborum ſymptomata ſunt, pro illorum conditionibus plus, vel minus infauſtæ comperiuntur. In acutis Febribus ante coctionem delirium præveniſſe obſervavimus; poſt coctionem vero Vertigo emergens fauſtam Criſim prænunciaſſe, non raro vidimus. Cum vero Scorbuti, vel Cronicorum Morborum ſoboles ſit, nunquam curatur, niſi radicales morbi omnino extirpentur.

Curatio. 9. Hæc demum non minimi ponderis Affectio propriam medelam repoſcit, & ne inveteraſcat, ſenſimque funeſtas metas attingat, adhuc ſollicitam petit; facilius enim virgultum, quam arborem evellere eſt. Ad hoc ergo opus Diætæ, Chirurgiæ, ac Pharmaciæ ſuppetias vocare intereſt. *Diæta.* Diæta primum non parum confert, cum illius legibus obtemperare Patientes non renuant; hìc igitur omnia æque conveniunt, quæ *cap. de Epilepſ. a n.23. uſque ad num. 28.* expoſita jam ſunt; cum Morbus iſte ab eadem, licet non tam atroci, ſcaturigine dimanet; ideo ſi non integram in omnibus, in pluribus ſaltem, æque ſimilem curationem repoſcit; gradus enim primos in Epilepſiæ ſcala Vertigo tenet. Quamobrem non dum Diætetica, ſed & Pharmatica Curatio, quæ illam ſublevet, huic etiam pro gradus exigentia, & modo, applicari poteſt; ideo hìc, jam inibi coctam, crambem recoquere dimittimus; cum in eodem capite plurima ad hoc opus apta ſeligere, & ad uſum pro Medentis judicio revocare facile ſit. Nonnulla item, quæ huic appropriata remedia eſſe poſſunt, innuere adhuc eſt opus. *Curatio pro levi Vertigine.* Et primo Vertiginem levem, nulloque viſcerum fomite provocatam, ſequentibus remediis deletam multoties vidimus.

℞. *Aqu. Salviæ Majoran. aa. unc. x.*
Radic. Doronic. pulver. unc. vj.
Eſſent. Flor. Anthos unc. iij.
Ambr. gryſ. ſcrup. j.
Spirit. Vitriol. antepilept. unc. ij.
M. in vitro prob. clauſ.

Et in MB. digeratur per triduum, poſtea ad uſum ſervetur, hujus mixtur. Doſ. unc. ij. omni mane per dies xv. ſic tota aſſumetur; hac mixtura etiam utimur in tenebricoſa Vertigine, ut infra videbitur. De ſero item, cum Patiens lectum petat, ſequentem Opiatam ſumat, videlicet

℞. *Conſerv. Calendul.*
Flor. Anthos aa. unc. iij.
Pulv. Rad. Doronic. unc. ij.
Eſſent. Ambr. gryſ. ſcrup. ſem.
M. f. exactè Opiat. cujus Doſ. unc. ſem.

Pro Pauperibus vero.

℞. *Decoct. Salv. Roriſmar. Calend. lib. j.*
Vin. alb. generoſ. lib. ſem.
Stercor. Pavon. maſcul. unc. ij.
M. & ſerv. ad ignem per biduum. Doſ. unc. ij. de mane, donec tota aſſumatur.

10. Tenebricoſa vero, & Caduca Vertigo altiorem indaginem petit; oportet enim dignoſcere primum an idiopatica, (cum veteribus nunc loquor) an vero ſympathica ſit? ideſt an ex mero ſpirituum vitio, an ex fomitibus, in quavis corporis parte latentibus, & irri- *Pro tenebricoſa, & Caduca.*

tantibus, provocetur; utroque enim modo Vertiginem exurgere poſſe, tutis experimentis docemur. Cum ergo ex unico ſpirituum deliquio tenebricoſam, & caducam affectionem hanc oriri poſſe conjiciemus; nempe cum corporis partes nullam, ex propriis ſignis detectam, culpam oſtendere, ac ſincera valetudine omnes frui dignoſcatur; tunc cenſere tuto quimus, ſolam ſpirituum acoſmiam, proprio vitio concitatam, Vertiginem hanc producere debere. Ideo ad ipſos compeſcendos, præmiſſis Univerſalibus, quæ pro exigentia primas vias expiare poſſunt, ſequentibus utamur oportet.

℞. *Mixtur. ſupr. dat. num* 9. *unc. j. ſem.*
Cremor. Cinnabar. noſtri ſcrup. ſem.
Eſſent. Flor. Anthos gr. viij.
M. pro una Doſ.

vel ℞. *Aqu. Antepilept. noſtræ unc. j. ſem.*
Eſſent. Calendul. gr. viij.
Sal. volatil. Succin. gr. iij.
Eſſent. Ambr. gryſ. gr. j.
M ſimiliter pro una Doſ.

Quælibet ex his eligatur, quotidie mane, & ſero duabus horis ante cibum repetatur, & per dies xv. ſaltem continuetur; item cubitum iturus Patiens opiatam *num.* 9. ſupra datam aſſumat. Pro præſervatione tandem lectum petens Conſerv. Flor. Roriſmarin. unc. ſem. ad longum tempus utatur. Dietam vero perpetuam, quam *Cap. de Epilepſ.* dictavimus ſervare curet, eum recidivas effugere, in animo ſit.

Vertigo per conſenſum. 11. Vertigines demum per conſenſum dictas noſcere, tunc aſſequimur, cum omnia, pro cujuſque ope, quæ *Cap. de Epilepſ. a numer.* 36. *uſque ad num.* 46. expoſita, huic quoque morbo ſpeciatim applicemus. Signa enim, quæ Caducum affectum, vel a Cerebro, vel a Stomacho, aut ab Utero, &c. exordium ſumere, inibi oſtendunt, Vertiginem pariter, cum in hiſce partibus radices foveat, æque, & recte denunciant. Sic adhuc legitimam ſimul dictarum partium Curationem exhibent, quas præmittere, in Vertiginis etiam curatione, pro cujuſque fomitis urgentia, omnino eſt opus. Non ergo hic iterum palinodiam canere, aut inanes paginas implere, affectamus; cum inibi propriam, directamque ſimul Vertiginis, ac Epilepſiæ per conſenſum ortæ medelam affatim apertam dederimus; & ut ad ſingulas partes, quæ morbum fovent, deſcendamus. Cum in cerebro, ut vulgus credidit, Vertiginis fomentum deliteſcere ſuſpicetur, omnia in dicto capite *num.* 26. 27. 28. dictata, hic quoque ad opus revocentur. Si vero in ſtomacho Vertiginis radicem hærere, ex propriis ſignis noſcatur, omnia pariter, quæ pro Ventriculi labe *a num.* 39. *uſque ad num.* 44. dicta ſunt, pro fomitis conditione, applicare eſt opus. Sicque cum ab Uteri culpa oriatur, omnibus, quæ inibi adhuc *num.* 44. *&* 45. expoſuimus, utamur oportet. Similiterque ſi ab artubus, ut a pluribus obſervatum fuit, Vertiginis origo dimanet, quæ *num.* 46. dicta ſunt, hic etiam opportuna eſſe poterunt. Expiatis demum partibus, quæ morbi radices nutriunt, appropriata remedia ſupra *num.* 9. *&* 10. nunc dictata, ad uſum vocare ultimo intereſt, ſicque Vertiginem cum radicibus ſuis evellere, Deo favente, aſſequimur. Hic denique primi hujus Libri terminum ponimus; nec ſolito more APPENDICEM addimus, cum ſufficere illa poſſit, quæ ad Epilepſiæ limites poſuimus. Supereſt ergo grates debitas ſummo Patri luminum referre, *a quo omne bonum deſcendere*, cum D. Paulo confitemur.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

PARS PRIMA.

DE MORBIS FLUIDORUM,

SEU

DE FEBRIBUS IN GENERE.

PRÆFATIO.

1. MOrbis Enormonticis, majoris ſaltem notæ, pro viribus perluſtratis, ad Fluidorum culpas explorandas, non minori ſtudio deſcendimus. Harum præcipuam apprimè, ſanguinis nempe in Febribus commotionem, perpendendam aſſumimus; poſtea cætera cum Febri emergentia ſymptomata in hoc ſtadio percurrere deliberavimus. Febres autem, quæ varia, vanaque opinionum larva incedunt, expendere omiſimus; ſcientes, quod plurimæ ultra meritum in hac lirea redundarunt ſententiæ, quas non undique tutas, experientia reprobavit; hoc judicium non dum Veteres, ſed & Recentiores nonnullos, lydii hujus lapidis examine pati, detecta veritas compulit; ubi ergo devia illorum placita ſemitam noſtram præpedire invenimus, vel ab hiſce deflectere, vel oppoſitos obices dirimere, proprio niſu ſtuduimus, ac ſolius Veritatis ductum inſectari pro viribus niſi ſumus. Cum vero & nos a recto declinaſſe (quod frequens humanitatis deliquium eſt) Poſteri cordatiores viderint, contentus quidem cum Poeta dicam.

——— *incipiant lima mordacius uti,*
Ut ſub judicium ſingula verba vocent.

Qui enim candida mente veritatem exquirunt, recti Cenſoris virgam oſculantur, non horrent.

2. Si vero Cynicus aliquis latrare contendat, quod & nos alteram novitatum ſcenam aperiamus, tritamque nunc Febrium ſemitam evitemus. Hujus cantilenæ reſpondeo; quod nullam quidem inter tot doctrinarum diſparitates tritam nunc de febribus viam nec in theoria, nec in praxi cordatus quiſque reperiet; cum opinionum ſylva rectam Febrium notionem, curationemque implicaſſet; calles vero tot diſpares, quot Doctorum placita hinc inde inveniuntur, per quos diviſæ Medentum claſſes, diſſito ſemper tramite ad unam metam defatigati conſpirant; ſæpeque nonnullis contingit, quod, ut Virgilius canit,

——— *perplexum iter omne revolvant,*
Fallacis ſylvæ, ſimul & veſtigia retro
Obſervata legunt, dumiſque ſilentibus errant.

In his ergo ambagibus ductor noſter Hippocrates fuit, qui vere tritam Aphoriſmorum viam, tot ſæculorum experimentis tutam, aperuit, ac per ipſam ad rectam febrium curationem direxit.

3. De Febri ergo hypotheſis noſtra nil quidem novi, præter Anatomicas, Chymicas, & Mechanicas illuſtrationes oſtendit; quod ſi novum ſyſtema dicas, quia Enormonticum niſum, aliquibus odioſum, exponit; noſcatur tandem, quod *non novum, ſed neglectum apud poſteros Impetum faciens eſt*, ut æque Helmontius Galenicos, ac Neotericos arguit. Non ergo nec nomine nova hypotheſis noſtra eſt, cum ex pura Hippocratis doctrina, diuturniſque practicis obſervationibus, condita ſit; novitas vero aliqua in ſola ſurgit Mechanica potius Structura, ut inde integra Veritatis moles conſtruatur, quæ ſine recti læſione, novitatum cupidos non faſtidiat. Febris ergo ædificium, magnis ab Hippocrate laboribus inſtructum, ſæpiuſque a Poſteris defædatum, & dirutum, eodem ipſius archetypo, novis Recentiorum auxiliis, præcipueque Mechanicis, iterum reſtaurare confidimus, ut ſic Hippocrates mechanicus in hiſce lucubrationibus loqui videatur, nec demum Anatomiæ, Chymiæque ſuppetias, ubi opportunas occurrere vidimus, recuſare decrevimus; cum & omnium lumina inter tot obſcuritates adhuc pauca eſſe dignoſcamus.

4. Fluidorum itaque vitia, cum nempe a recto naturæ ritu deviare ſoleant, in hoc Libri ſecundi ſtadio expendere, mens eſt; horum vero, omnium turbationes, quatenus ad Febrem conſpirant, præcipueque ſanguinis, qui primo ſuſcipit, & in quo ſolvitur Febris, quique per totam ejus periodum, teſtante pulſu, intimè perturbatur, proprioſque motus pervertit, qui denique ſpumeſcit, & depuratur in termino; in hac ergo Febris palæſtra Enormonticos niſus univerſam Febrium tragædiam conducere demonſtrabimus; hac methodo tamen, quod in hujus prima parte determinata Febris natura, cauſæque propriæ definiuntur; in altera vero circa illius curationem, in genere tamen, ſeu in Diæteticis, Pharmaceuticis, & Chirurgicis auxiliis examinandis exercemur. Febres vero in ſpecie ſigillatim dignoſcendas, propriaque methodo curandas Parti tertiæ reſervamus; pariterque omnia Febrium ſymptomata, cæteroſque cum illa emergentes affectus, Libro quarto tandem relinquimus; ſicque univerſa penè fluidorum vitia, Deo favente, a quo omne bonum deſcendit, abſolvere tandem confidimus.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Febris natura conſideratur.

Anceps Febrium doctrina. 1. Arduam Febris naturam exquirere, ac Dedaleum labyrinthum excurrere, idem ſine fabula cenſemus; nam ſicuti olim inextricabilis fuit, ita nunc implicata magis eſt, ambagibuſque anceps de Febribus doctrina, cum

Nunc virides etiam occultent ſpineta lacertos.

Ita ut in ſylvam, quo plus cultam, plus adhuc latebroſam excreviſſe, comperiamus. Quot enim in febrem explicandam deſudarunt, tot feracem plauſibilitatem, magis quam veritatem induxerunt; quia non intimam illius naturam, ſed externam faciem excolere, cuilibet ſatis fuit. Ideo inter tot varios cultus cordatiorum fides ambigua ſemper vacillare viſa eſt; ut cui adhærendum ſit, non facilè deliberare, quiſque poſſit. Equidem ſi Priſcorum greſſus inſequamur, Intemperierum erroribus implicamur, nec Febris eſſe introſpicimus, cum per calorem p. n. ipſam definiamus. Cum vero Neotericorum placita æqua lance perpendamus, huic præ alio aſſentire ambigimus; veriſimilia enim, non prorſus vera propagaſſe dignoſcitur. Alii namque Hermetis, alii Democriti atomis, quidam Euclidis demonſtrationibus, Plurimi Anatome, inſpectionibus, abditas ſanguinis turbationes, motuſque varios penetrare laborarunt, ut ex hiſce fontibus veram febris originem rimari tandem aſſequerentur. Veruntamen a meris veriſimilibus diſtracti, alii in ſanguinis ardore, plurimi in illius fermentatione, nonnulli in ipſius circulo vitiato, aliique aliter febris naturam conſiſtere opinati ſunt; quæ, inquam, placita quantum a vero diſtent, infra notum erit.

Vera Febris idea. 2. Propria vero Febris dignotio ab Hippocratis peritia, doctrinaque tuto deſumitur, quæ licet multum antiqui furfuris exhibeat, ſæpe tamen ſelectam praxim indigitat, cujus ductu ad Febris limina accedere cordatiores non ambigunt; Hippocratis ergo nutum Anatomiæ, Chymiæ, ac Mechanicæ documentis aptare, qui noſcit, a Febris centro aberrare non poterit. Per me quidem inter obſcuras haſce caligines, a Coacis peritia manu duci decrevi, nec unquam certo pœnituiſſe memini; ſicque illius ductu aſſiduas laceſſitæ Naturæ impulſiones percepi, differentiaque molimina, quibus fædati ſanguinis depurationes inſtituere aſſueſcit, unde perſæpe criticas illius deſpumationes inſpexi; ex qua tot ſeculorum experimentis comprobata veritate, ultimo deprehendi, veram Febris naturam eſſe, ſanguineam molem ad varios motus intimè concitare, ut ab invaſa lue depuretur; adeoque *Febrem Naturæ machinam eſſe*, (ut cum Hippocrate ſentit celebris Sydenham) concepi, qua ſanguis intime commotus, & lædentis eliminationem, & propriam depurationem ſimul aſſequi contendit. Hos ergo proprios febris effectus, etſi non ſemper obtineat, ſemper tamen conſequi Natura molitur; & ideo non ſemper obtinet, quia vel nimius illius conatus ſibi nocet; vel quia lædentis violentia inexpugnabilis eſt; vel tandem quia non raro Naturæ intentum Artis imperitia pervertit. Iſtæ, inquam, cauſæ ſunt, quare ad exitium uſque perveniunt Febres, quæ per ſe proprie, non mortis jacula, ſed vitæ molimina ſunt, quibus ad invaſa labe ſanguis, & ſalus redimuntur. Hinc medicinæ Pater plurium morborum lethalium, Febrem, illis ſupervenientem, medicatricem eſſe, multis aphoriſmis teſtatur, quam veritatem experientia ipſa paſſim comprobat. Febribus ergo ſemper Natura utitur, ut per ipſas vitale fluidum depurando, vitæ damna reſtauret. Hæc tamen veritas clarior in ſequentibus comprobata eluceſcet; quid autem pro abſtruſo Naturæ vocabulo intelligendum ſit, ſimul explicare convenit, ad quæ omnia gradatim accedimus.

3. Primo itaque vulgaris hactenus opinionis deceptio fuit, inter intimam febris cauſam, & externam illius prophaſin *Vulgi deceptio corrigitur.*

phaſin in confuſo æquivocare ; inquinatio enim in ſanguine depurationem petit, non efficit, cum effectum ipſi oppoſitum edere nequeat, ut in ſequentibus notum erit; ideo non febris, ſeu februans cauſa, ſed occaſio duntaxat materia inquinans dici debet. Hanc tutam ponderationem, ni fallor, mature conſiderantes Celebres Viri in theoria, & praxi *Lindanus*, & *Sydenhamus*, ut vulgi deceptionem vitarent, ac Hippocratis mentem attingerent, Febris ideam, ejuſque cauſam a communi ſenſu diverſas exponere ſategerunt; & primo prælaudati Lindani ſequens deſcriptio eſt. *Febris eſt fervor toties repetitus, & a Natura excitatus in ſpiritu, ut ſe impedientem materiam ſubigat, & diſponat ad excretionem, & excernat, quam primum poſſit &c. Ex.* 15. *§.* 34. Similiter item Sydenhamus inſignis Practicus ſancivit. *Proinde quidem adverto, inordinatam illam maſſæ ſanguineæ commotionem febrium omnium ſeu cauſam, ſeu comitem, a Natura concitari, vel ut heterogenea materia, in eodem concluſa, ac ipſi inimica ſecernatur, vel ut ſanguis in novam aliquam diatheſin immutetur. de morb. epidem. cap.* 4. *in princip.* Itaque prælaudati Doctores non Materiam infenſam, & inquinantem, ſed ipſam Naturam, ad dictæ inficientis materiæ propulſionem intentam, Febrem efficere, & dirigere cenſent; quorum ſententia ex Hippocratis fonte hauſta eſſe videtur, cum *Naturam morborum medicatricem* per Hippocratem, & *ſanguinis depuratricem* per ipſos, conſona verba ſint. Natura enim tunc morbis medetur, cum ſanguinem, qui fædatus morbos ingerit, depurare aggreditur, nec melius, quam Febris machina dictam expiationem inſtituit.

Quid pro Natura hic intelligatur. 4. Veruntamen licet tutiorem, ac Hippocrati concordem Febris cauſam dicti Celebres Viri detegiſſent; moleſtum attamen nunc *Naturæ* vocabulum, Priſcis ignaviæ aſylum, pluribuſque Recentioribus contemptum, nec bene audiri ab omnibus, nec ad omnia explicanda ſatisfacere, noſcimus. Quid enim Natura in Animalibus ſit, quidque in ſanguine moliri, & quomodo febres excitare queat, obſcuriora ſemper inquiſitiones deludunt; adeoque non ambiguam, ſed magis determinatam, clarioremque Febris cauſam indago noſtra adhuc petit. Itaque cum ſanguis in febribus depurandus ſit, (hic enim in qualibet ſententia genuinus illius effectus cenſetur) in ejuſdem ergo maſſa energetica illa vis, quæ impura lædentia ſubigat, & deſpumando eliminet, in ipſo, inquam, ſanguine ineſſe debet, ut æquali ſemper impulſione intimam illius expiationem promovere, & abſolvere æque poſſit. Hanc ergo intimam energeticam vim a nullo tutius expetere quimus, niſi a proprio, ac immediato Principio, a quo omnis in ſanguine, ac in univerſa viventi machina motus oritur, promovetur, & perficitur. Hic, inquam, poſt Animam (quæ ad hæc agenda niſi per Mediaſtinum ſpiritum non deſcendit) primus motor, nullus certo in humana machina alius, niſi ſpiritus impetum faciens eſſe poterit; qui ſicut in puncto ſaliente vitales motus exorditur primus, ac propagatus inde ſingulas vitales, animaleſque functiones propriis organis exercet, ac tandem extinctus, vel a morbo lethali oppreſſus, omni motu deſtitutus, cadaver deſerit; ita in ſanguine gliſcens, (ut *lib.* 1. *cap.* 4. demonſtratum eſt) omnes illius motiones, & commotiones ſolus incipere, promovere, & abſolvere, potis eſt. Hic ergo primus poſt Animam viventis machinæ motor in omnibus, & ſingulis febribus perpetua cauſa eſt, nec ullam febrem unquam eſſe concipimus, quæ ab Enormontica concitatione non incipiatur, & abſolvatur. *Febris cauſa Enormon eſt.* Hoc, inquam, pro nunc inſinuare ſaltem, firmare vero, & confirmare *ſequent. cap.* 3. non dimiſimus. Hic ergo, & nunc primo, ut hæc veritas, non a nobis tantum, ſed ante nos a plurimis jam edocta magis eluceſcat, (non enim propriam gloriam ambio, ſed puram ſemper veritatem exquiro) nonnullos ſaltem audiamus.

Hoc idem Plurimi ſentiunt. 5. Anteſignanus ergo magnus *Helmontius* adeſt, qui ut divini Senis mentem, enormonticum niſum ſub Naturæ titulo inſinuantem, exponat, ſic loquitur. *Idque Hippocrates ex tunc dignovit, aſſerens ſolam Naturam eſſe morborum medicatricem; Medicum autem miniſtrum,*

ut

ut & pharmacum medium reducendi Naturam exorbitatam. Itaque Sanitatis integritas eſt in uniſono, & unicum tantum eſt vitæ moderator, nec plures. Hic ergo ſolus in morbis male ſe habet; is enim ſolus eſt Impetum faciens tam in ſanis, quam in ægris, ejuſque ſolius ruptura œconomiam vitalem lacerat. Profunde quidem a Coacis fonte hanc Helmontius hauſit doctrinam, quam eandem ſupra laudati Doctores *Lindanus*, & *Sydenhamus*, obſcuriori tamen calamo deſcripſerunt. Clarius vero celebris Dogmaticus *Michael Ettmullerus*, qui *Inſtit. Patholog. cap. 3. de cauſ. morb. num.* 1. ſic cenſet. *Proxima cauſa morborum dividitur in Efficientem formalem, & materialem. Efficiens formalis eſt ſpiritus impetum faciens, actionum ut ſanarum, ita & morboſarum auctor, adeoque cauſa proxima efficiens. Materialis vero eſt materia quædam vitioſa, quocunque modo peccans, ſpiritum impetum facientem irritans, & ad morbos provocans.* Hoc idem alibi pluries repetit, & præcipuè. *Comment. in Ludovic. diſſert.* 1. *de ſelect. remed. in fin. tit. Panac.* ubi ſic habet. *Efficiens proximum quorumvis morborum ſunt ſpiritus, ſeu principium illud vitale, tam ſanitatis, quam morborum prima, & proxima origo &c.* Proprie demum, ac ſigillatim ad Febris cauſam explicandam inter alios primus adeſt celebris *Ricchardus Monton*, qui *Tractat. de Febr.* per totum, Febrem a ſpiritu concitato perpetuo inductam oſtendere nititur. Nec minori efficacia præclarus Mechanicus *Santanellus in Febr. Tractat.* hoc idem pro tutiori ſententia comprobare ſatagit, cujus pauca verba *inibi cap.* 2. hæc ſunt. *Quamobrem concludo, mihi incontrovertibile videri, potiſſimam motionis febrilis eſſentiam in ſpirituum variata conſtitutione, & motu collocandam eſſe, &c.* Hic demum nobis oſtendiſſe ſufficit, hanc noſtram non inauditam, nec unicam, ſed a præclaris Doctoribus vulgatam jam, ac auditu dignam eſſe ſententiam; verum ut clarior adhuc inter reluctantes opiniones evadat, nonnulla ad febrem directè ſpectantia, indagare nunc intereſt, a quibus multo cum fœnore ipſius caligines illuſtrare ſperamus.

Modus fiendi febris indagatur.

6. Duobus ergo Quæſitis apprimè ſatisfacere convenit. Primum erit; Modum fiendi Febris per cauſas inquirere. Alterum vero; Febris cauſam per effectus explorare; quibus quantum inſtituti brevitas patitur, accuratè perpenſis, Febris penetralia, cauſamque propriam attingere non ambigimus. Et primo ut modum fiendi Febris rectè ſcrutemur, illius generationem, incrementum, & terminum indagare, neceſſum eſt; ex ipſis enim fiendi, augendi, & abſolvendi modis, intimam Febris cauſam, illiuſque productum facilius intuemur. Nam primo fieri Febris, fiendi auctorem exponit, qui ſagaciter intuentibus non facilè occultatur; adeoque proprium Febris productorem ab accidentali comitatu non ægrè dignoſcitur. Quæritur ergo primum *Quis intimus incipientis febris auctor ſit, ſine quo febris haberi nequeat?* Ad hunc quæſitum Plurimi reſpondent; immediatum febris motorem febrile fermentum eſſe, ut a celebri Sennerto inceptam, multorum hodie ſententiam eſſe auditur. Veruntamen hæc plauſibilis adhuc de fermento febrili opinio, expergefactas mentes fallere nunc dignoſcitur. Equidem fermentum hoc facilè dicitur, ſed rectè nunquam percipitur, ut alibi demonſtratum eſt; adeoque a cauſa nunquam cognita, Febrilis ortus notionem derivare, cæcorum more tenebris acquieſcere eſt. Item fermentum hoc nunquam in ſanguine adeſſe poterit; nam ex fundamento ſanguineæ fermentationis ſupponitur, quod falſum eſt; cum ſanguis fermenteſcere nequeat, ut ſuo loco jam diximus. Inſuper etſi adhuc adeſſe concederetur, quomodo hoc Febres induceret, nunquam explicabitur. Fermentorum enim agendi modus periodicus eſſe nequit, ita ut febriles commotiones intra determinatas horas concitet, & abſolvat, ac per dies quieſcat, iterumque ad motum excitetur, ſicque in dies dividat vehementiam agendi; quod quantum a fermentorum indole alienum ſit, experientia docet. Nec de illius in prima periodo ſubactione, novaque alterius emerſione commentum aliquid probat; *cum ad primum errorem firmandum, pejorem alterum advocare ſolertia nitatur*, cum

Fermenti febrilis illuſiones.

cum *Seneca* loquor. Nemo quidem explicabit, quomodo in febribus, quæ eadem hora recurrunt, fermentum alterum ad determinata pene momenta caput attollat, novamque febrem producat, ſicque viciſſim hoc item ſubacto, æquali tempore alterum ſurgat, donec fermentorum corytus exhauriatur; hoc, inquam, inexplicabile inventum nec ſequentem ſyrtim effugit. Quomodocunque hoc fermentum aut in ſanguine ingenitum, aut cum Chylo ingeſtum conſideretur, vel in maſſa diu feriatur, vel illico intruſum febrilem concitat turbationem; primum quod in ſanguine diutius ſileat, ipſi confiteri debent, ut *ſequent. cap. 3.* apertè ſuadetur; inſulſum ergo eſſe videtur, aſſerere, quod determinata febris hora e ſomno ſurgat, & illico totam ſanguinis molem evertat. Si vero dicatur, ſtatim cum chylo intruſum, ſanguineam maſſam turbare, febriſque initium ordiri; prodigium certo erit, quod chylus, qui perpetuo ſublaviam venam ingreditur, non niſi determinata febris hora febrile fermentum ſecum deferat, ac de tertio in tertium, vel de quarto in quartum diem, hoc venenum in ſtomacho elaboretur, & cum chylo ad ſanguinem evertendum demittatur; hæc inquam, Poetarum, non Phyſicorum inventa eſſe videntur.

Sanguinis lues febris occaſio eſt. 7. Alii verò cautiores, haſce improprietates vitando, cenſent; quod febris cauſa, nec fermenti naturam habeat, nec illius effectus exerat, ſed tunc febrem inducat, cum ultimum activitatis ſuæ gradum attingat; adeoque tandiu in ſanguine feriari poſſe, donec integram læſionis plenitudinem acquirat. Hæc ſententia veriſimilis eſt, ſi Febris occaſionalem fomitem exponat, ſi vero eſſentialem illius cauſam oſtendere intelligat, veritatem minime tangit; cum ad intimam febris naturam explicandam omnino inepta ſit; nam quævis materia febrilis contingenter ſemper ad febrem ſollicitandam concurrit, ideo perpetua, & intima illius cauſa eſſe nequit. Abſtruſum enim hoc negotium intimius conſiderando, duos quidem oppoſitos effectus in quavis ſalubri febre neceſſario dignoſcere, ac diſtinguere tenemur. Primum *ſanguinis inquinationem*, a qua febris occaſio emergit; alterum *ejuſdem depurationem*, qua obtenta, febris abſolvitur. Quæ duo cum oppoſita certo ſint, a differentibus cauſis petere Phyſicus debet; quamobrem cum abſque dubio ſanguinis depuratio ab ipſa febris machina perficiatur; Febris ergo aliud quidem materiæ inquinanti oppoſitum eſſe debet, cum gradatim eandem materiam ſubiget, ſeparet, & a pura maſſa præcipitet. Non ergo febris ab ipſa lædenti lue promovetur, & efficitur; quod enim inquinat, non depurat, & qui depurat inquinantem eliminat.

8. Sed fortaſsè dicent, quod totum hoc negotium per unicam ſanguinis fermentationem adamuſſim explicetur. *Objectio reſolvitur.* Materia enim inquinans, cum ſanguinem invadat, ipſum fermenteſcere cogit; ſicque per hoc medium vitale fluidum depuratur; ut muxtum fermentando, purum vinum evadit. Plauſibilem hanc inſtantiam rationes, & experimenta antecedenti libro expoſita, ſatis ſuperque refellunt; cum vanum ſit concipere, ſanguineum fluidum fermenteſcere poſſe. Verum ut hic etiam obiter ſaltem limæ judicium audiat, ad inſtantiam reſpondeo; quod inaniter per fermentationem febris naturam explicare, Præoccupati nituntur; hoc ſolo reflexu, quod integrum febris motum cum dicta fermenteſcentia componere, nemo unquam poterit. Equidem Fermentationis naturam qui probè noſcit, per ipſam proprie nec febris frigus, nec incaleſcentiam, neque periodicam declinationem, novamque aggreſſionem explicare ſine ambagibus potis erit. Quis enim experimentis edoctus, impenſum febrium frigus a quavis fermentatione expectabit? nullibi enim obſervatum eſt, fermenteſcentes liquores inſueto algore frigeſcere; ab alia ergo cauſa febris horror, friguſque petenda ſunt. Æſtum febrilem præterea; cum fermentatio (niſi cum efferveſcentia confundatur) liquidorum tepeſcentiam tantum, ardorem nunquam producat; qui in febribus perſæpe impenſus æſtus activiorem cauſam indicit. In declinatione tandem periodicus furoris deceſſus, ac novus vel illico, vel tardipes febris regreſſus per inflexibilem

fer-

fermentationem nunquam explicabuntur ; qui enim hujus ad finem uſque continua molimina noſcit , illius effrænes fermentandi conatus frænare , iterumque ad violentiam concitare poſſe , haud ſuadebitur ; nullam enim legitimam fermentationem periodicè ſiſti, ac iterum ſtatutis horis vires reſumere , obſervatum fuit . Qui vero ad fermenta nunc ſubacta , nunc denuo exaltata confugiunt , pejores ambages texere , *antec. num.* 6. jam vidimus . Adeoque ſatis perſpicuum eſſe videtur , nimis a recto diſcedere , qui per ſanguinis fermentationem febris naturam , & cauſam explicare contendunt.

Febris cauſa determinatur. 9. Ad noſtra ergo limina revertendo, primum quæſitum abſolvimus , cum excluſis cæteris vulgari titulo celebrioribus , ut legitimam , ac magis propriam febris originem Enormonticam concitationem eſſe cenſeamus ; hæc, inquam, probè cognita æque , & proprie inteſtinum ſanguinis tumultum primo ſuſcitare apta eſt . Spiritus enim (qui pleno ſemper affluxu , donec animal vivit , in ſanguine gliſcunt) ſicuti propria, placidaque expanſione vitalis fluidi naturales motus dirigunt ; ita concitati , ad varias commotiones inducunt. Equidem quis in ira ſanguinem excandeſcere , ac in terroribus refrigeſcere cogit , niſi ſolus ille , qui eidem fluido integre dominatur , animique motibus ductus , varias in proprio ſanguine fluctuationes commovet . Ad hoc opus providus rerum Conditor horum ſpirituum ſyſtaſin energetico elaſticam condidit , qua & comprimi , & expandi valide poſſint ; ut a quavis occaſione concitati , propriis compreſſionis , vel exploſionis motibus vario modo ſanguineam maſſam commoveant ; ſicque ſimul , cum invaſa lues ultra tolerantiam ſanguinis mixturam inficiat, proprium fluidum ita exagitant, ut ad inficientis deſpumationem compellat ; unde obviæ ſæpius criſes inviſuntur. Hanc ergo nunc ſaltem enunciatam ſententiam *ſequent. cap.* 4. firmatam, & confirmatam jam dedimus ; Febrem vero quomodo Enormontica concitatio exordiatur altero *cap.* 2. *num.* 4. oſtenditur.

Qui febres augeat , ac imminuat. 10. Secundo item quæritur. *Quænam cauſa Febres vel excandeſcentes , vel mites efficiat* ? Reſpondent: Materia febrilis majori , vel minori efferitate prędita . Ad hæc pariter , ne multiplicemus reſponſa , unicum ſufficere credimus ; quod recte perpenſum , vulgatam hanc opinionem evertere poterit . Dicant quæſo , nonne Malignæ plurimæ , ac peſtiferæ febres cum modica incaleſcentia mitiſſime ad ſtatum progredi , ſicque ad lethum ducere, inſpiciuntur? certo quidem. Febrilem vero iſtarum fomitem naturæ infenſiſſimum, & virulentiſſimum eſſe , omnes decernunt . Ex oppoſito tamen Febres benignæ dictæ obſervantur ; quæ cum vehementi ardore , impenſaque ſanguinis commotione ad vigorem aſcendunt. Harum vero materiam febrilem , cum peſtiferis comparatam , minus infenſam , & minime virulentam eſſe , omnes noſcunt . Hæc ergo vulgatæ hujus opinioni directè oppoſita veritas illius deceptionem apertè oſtendit . Non ergo ab ipſa , quovis modo lædenti materia , ſed ab alio Moventes febres ducuntur , & producuntur . Ductor enim in malignis primo , a virulenta lue nimis depreſſum , Enormon eſt ; ideo enervatum languidam in hiſce febribus ſanguinis commotionem producit, cum pro depreſſionis gradu languidiores expanſiones exerat ; ideo una ſimul & febres mites , & pulſus debiles, & vires proſtratæ, & propera funera inſpiciuntur. In febribus autem benignis , cum a febrili fomite laceſſitum , ac exacerbatum Enormon ſit, vehementem ſanguinis commotionem concitat , unde pulſus celeres , & magni , vires non depreſſæ , lædentiſque materiæ per varias vias eliminationes, ab Enormontico pugnaci conatu inductæ , obſervantur . Quamobrem tuto concludimus ; quod eo vehementior ſanguinis commotio evadat , quo fortior ſpirituum exploſio ſit , & quo languidior , eo debilior inſtituatur . Sed ut clarius hæc veritas elucеſcat , ab ipſa Praxi lumen opportunum deſumimus . Plurima ergo experientia compertum habemus , quod in malignis mitiſſimis febribus, cum Bezoardica tempeſtive adhibita Enormonticum niſum excuſſiſſent , febriſque vehementiam concitaſſent ; tunc varias ſanguinis deſpumationes emergere , &

ægros tandem evadere, inſpeximus; at ubi pertinax febris parvitas nullam infenſæ luis eliminationem inſtituere potuit, tunc ægros cito interemptos vidimus. Febris ergo, non ab infenſa lue, quæ per febrem eliminatur, ſed ab intimo ſuſcitato niſu produci, experientia oſtendit.

Quis febrem abſolvat. 11. Quæritur demum tertio; *Quænam cauſa febrilem commotionem terminare poſſit*? Reſpondent adhuc; materia ipſa febrilis ſubacta, & eliminata febrem abſolvit. Hæc tandem reſponſio propria damnatur ſententia; cum neceſſariam illationem ſuggerat; ergo in ſanguine vis aliqua eſſe debet, quæ invaſas lues ſubigere, & eliminare poſſit. Non enim materia febrilis a ſemetipſa devicta, febrem ſiſtit, & a ſanguine recedit; cum potius moliatur, totam maſſam pervertere; quod ſæpe aſſequitur, cum nec ſubigatur, nec eliminetur, & fermentationis effectus ad hoc opus advocare, inſulſum, ut alibi ſatis oſtendimus, effugium eſt. Ergo altera vis eſſe debet, quæ hanc lædentem devincat, & a ſanguine depellat. Profecto hæc impuri a puro ſanguine ſeparatio (quæ coctionis titulo venit) non niſi ab imperitis negari poteſt; ſicque nec ſeparatæ luis eliminationem diſſimulari. Quot enim perfectas criſes ab Hippocrate, uſque nunc enumerantur, tot intimi Februantis experimenta ſunt, quæ quivis illa deneget, apertam lucem tenebras eſſe contendit. Iſta ergo in febribus coctionis, & criſeos molimina tuto nos edocent, intimum impetum facientem adeſſe, a quo hæc omnia proveniant; adeoque ipſam febrem ejus machinam eſſe, qua utitur, cum vel propria thymoſi concitatus, ſanguinis texturam immutare, vel ab invaſo lædenti laceſſitus, ipſum eliminare nitatur. Sed ſatis pro nunc eſſe videtur, intimam febris cauſam inveſtigaſſe, hanc vero demonſtrare *ſequent: cap.* 3. reſervatur. Remanet hic adhuc, majoris luminis gratia, ipſius cauſæ notionem ab effectibus inquirere.

Febrilis frigoris cauſa. 12. Ad alteram ergo indaginem accedendo, primo febrile Frigus, quod frequenter Intermittentium limina occupat, ad ſcrutinium vocamus. Plurimæ ſymptomatis hujus opiniones vagantur, cum varias ejuſdem cauſas ſyſtematum differentiæ ſuppeditent. Noſtra vero indago a fideli auctoritatis, experimenti, rationiſque comitatu ducta, hanc affectionem penetrare non ambigit. Auctoritas ergo primo *Hippocratis* eſt, qui *lib. de flat. num.* 10. ſic loquitur. *Frigefactis his locis unde fontes, & radices ſanguinis prodeunt, per univerſum corpus horror conſequitur, univerſo autem ſanguine frigefacto, totum corpus horret; Quæ ratio eſt, cur primum horrores ante febrem corpus concutiant*. Divinus ergo ſenex ſanguinem in febrium horrore univerſaliter frigefactum eſſe cenſet; quæ veritas experimentis adhuc illuſtratur. Primum ergo *Ludovic. Duret. in Holler. com.* deſcribit, *ſanguinem in quotidianæ febris alгoribus frigeſcentem inveni*. Similiter item celebris *Richard. Morton. libr. de febrib. exerc.* 1. *cap.* 1. hoc idem expertum eſſe dicit, cum de febrili frigore loquens aſſerat; *ſanguinem hoc tempore, urgentibus ſymptomatis detractum frigeſcentem ſenſi*, quod & alibi pluries repetit. Hoc idem noſtro ſpectabilis memoriæ *Malpighio* contigiſſe oretenus audivi; cum in hac re familiariter diſſerens, geminos caſus de comperta ſanguinis in febrili algore frigeſcentia denunciaſſet. In algido igitur febris exordio ſanguinem proprio calore deſtitutum eſſe, auctoritas, & experimenta ſuadent. Hoc pariter, & ratio docere videtur; cum in febrili frigore caloris fontes, ut Hippocrates loquitur, pene frigeſcant; fons autem a quo ſanguis primum calorem haurit, Enormontica irradiatio eſt, a qua & motus impetum, & caloris proventum ejus maſſa derivat, qua deficiente haud ſanguis ultra, ſed evanidus cruor evadit; ut extravaſatus illico, ac ſpiritum perdidit, ſub oculis apparet; ſimiliter in cadavere, ideo ſanguis, qui adeſt, corporis calorem non promovet, quia Enormontica pars poſt animam evolavit, corpuſque tunc friget, cum ſpiritus omnes vel evanuere, vel fixati jam ſint. Sic pariter, licet diſpari modo, in viventi corpore, cum ſanguinis ſpiritus in expanſionibus deficiant, caloris fomitem ſubducunt, frigoriſque ſenſum inducunt; quomodo autem hoc expanſionis

nis deliquium contingat, *ſequent. cap. 2.* explicabitur; nunc vero ad febris æſtum deſcendimus.

Febrilis caloris cauſa. 13. Veracem Febrilis caloris originem videbit, qui Enormonticam expanſionem in ſanguine dignoſcet; corporis enim æſtum a laboribus auctum aſſidua defatigati ſpiritus exploſio demonſtrat; ſicque in febribus, ut invaſam luem ſubigat, & eliminet Enormon, proprio exploſivo impetu vehementem ſanguinis motum, & æſtum inducit; ipſo pene modo, quo alchalina cum acidis confligtantia corpuſcula impenſum calorem accendere in effervefcentiis obſervamus. Non vero hic inficior, quod in ſanguinis concitatiori motu, ſulphuris particulæ plus æquo agitatæ, caloris pabulum augeant. Negare tamen ſuadeor, quod a ſulphure tantum omnis in ſanguine calor ortum, & fomitem habeat, ut plurimi rigidæ mechanicæ promotores contendunt. Faveant hic ſaltem pro nunc veritatis merito indulgere; dicantque ſi eadem ſulphura, quæ ante febrem in ſanguine aderant, in algido paroxyſmi initio adhuc adſint? ſi adſunt ergo (ſicuti certo eſt) quare febrile frigus proprio caloris fomite non depellunt? fortaſſe dicent; ab acidis invaſis particulis ramoſa ſulphura abſorbentur, & figuntur. Sed quis unquam explicabit, quomodo invaſum acidum tot per univerſum ſanguinem ſulphura figere, ac per horam plus minuſve prædominari, deinde acta ſcena, locum ſulphuribus cedere, ut ſanguinem accendant, dum ab ipſis fixata jam ſunt. At hoc acidum, quod ſanguini dominabatur, quo, inquam, declinat? neſcio concipere, quomodo ſubjugatis ſulphureis particulis, totam maſſam non coagulet; ſi receſſit ergo per quam ſaltem viam evolavit, cum in hoc febris initio corporis meatus obſtructi ſint. Fortaſſe ab alchalinis abſortum jam eſt? & quomodo repentinæ alchalium exaltationes in febris frigore & non antea, concipi poſſunt, quibus luxurians acidum abſumatur? Interim calor augetur, etſi ſubacta ſulphura ſint. Fortaſſe a vehementiori circulationis motu ſolvuntur, & exaltantur? ſed hactenus dominans acidum circulationem retardat potius, quam concitet, & niſi ſulphura prius explicentur, ſanguis non effervefcit, ut dicunt. Denique ardores minuuntur; quia febrilis flamma ſuperflua ſulphura conſumpſit. Verum cibus tenuis (qui in ardentibus miniſtratur) novam ſulphuris redundantiam, quæ alteram periodum excandeſcere faciat, in ſanguinem inducere certo nequit. Forſan ex bilis minera continuo extrahitur? Sed non inficior, quod ſulphura in bile gliſcant; dico tamen, quod æger, ut ſæpe contingit, ex ardenti febre decedit, ſenſimque cadaver frigeſcit, & riget; attamen bilis, etiam auctæ copiam adeſſe, nemo negabit; quare igitur ex illa in hoc frigido corpore calor, febriſque ardores non ultra excandeſcunt? Quia, recte dicent, omnes in ſanguine motus jam periiſſe, ideo cadaver frigeſcit. Videant ergo, ſi ut tot ambages evitent, ad motus principium illud, quod in fluidis, ſolidiſque adhuc partibus *impetum facit*, confugere tandem coacti ſint. Sic ergo

Carmine læſa Ceres, ſteriles vaneſcit in herbas. Ovid.

Enormon vera cauſa. Sicque ſine fructu ſtudent, qui ad commentitia divertentes, Enormonticam vim, vario modo affectam, frigoris, caloriſque fontem in viventi machina dignoſcere negligunt.

Exemplis explicatur. 14. Sed ut vineam iſtam adhuc recolamus; dicant quæſo, & explicent, quomodo vehemens Iræ impetus omnia ſanguinis ſulphura in momento recolligat, & exaltet, ut repentinum æſtum in ſanguine accendant? Non enim tam cito particulæ iſtæ ſulphureæ mentis excandeſcentiæ obedire aptæ ſunt; cum nec illius imperium audiant, nec niſi poſt diuturnam ſanguinis commotionem plus æquo ſolvantur, ut æſtum promoveant. At ſubitaneus iræ impetus tarda molimina deſpicit, dum ocyter excandeſcens, illico ſanguinem deflagrare cogit; ergo promptus requiritur obediens, qui & mentem audiat, & ſtatim ſanguinem accendat, quod non niſi Enormon eſſe, alibi oſtendimus. Oppoſitum pariter hoc idem demonſtrat in ſubitanei Terroris paſſionibus, quæ mulierculas, homunculoſque facilè concutiunt, ac in ipſorum ſanguinem calorem obruunt, imo non ſemel, hi-

ſtoria teſtante, penitus extinguere potuerunt; cum plures è vita ad lethum duxiſſent. Syncopes item illæ, quas leves occaſiones inducunt, ut Ambræ, Zibethi, Roſarum odores, quæ algida, rigidaque corpora ſæpius efficere, quomodo ſanguinis ſulphura illico extinguere poſſunt, ut calor omnis deperdatur? fortaſſe ſanguinem coagulando? ſed hæc ſubita coagulatio abſque valido figente, quod merum odorem tranſcendat, concipi nequit; ac ſemel facta, non facile diſſolvitur; quod è contra Syncopantes iſti agiliter ſuſcitantur. Inepte itaque per ſulphura vel depreſſa, vel accenſa, frigoris, caloriſque in ſanguine emergentia phænomena explicantur; ac tutius quidem per Enormonticum niſum, vel depreſſum, vel exploſum percipiuntur, ut *ſequent. cap.* 3. ſatis explicabitur.

Eadem aliorum Affectuum cauſa. 15. Cætera item ſymptomata (ut brevius inquiſitionem perſtringamus) non differentem originem denunciant. Et primo in genere ſaltem cenſemus; quaslibet recrementorum eliminationes ab ipſo ſpirituum concitato impetu, mediantibus organis, promanare certo debere. Nec ut aliqui ſentiunt, quod ſola materia irritans, organa vellicando, dictas eliminationes inducat, concedere quimus; cum in viventi machina quantumvis vellicata organa per ſe immota, ſine ſenſu vellicantem non audiret; quod cadaver oſtendit, in quo corroſiva recrementa & extant, & viſcera etiam lacerant, dolores vero, nec excretiones non inſpiciuntur amplius; cum ille, a quo ſenſus, motuſque oriebatur, cum Anima ſimul deceſſerit. Hujus ergo penſum eſt, quod laceſſita organa ſentiant, ſimulque, facto impetu, infenſam luem eliminent; ſicuti non raro abſque irritanti fomite, ſola ſpirituum ataxia organa evertere ſoleat. Sed ut ad ſingula deſcendamus,

Nauſeæ Vomituſque cauſa. primum *Inappetentia*, *Nauſea*, *& Vomitus* enormonticum niſum in ventriculi tunicis, vel deficientem, vel concitatum inculpant, & tunc maxime, cum occaſionalis fomes in ſtomacho moleſtet; ſæpe namque ſine exotico irritante ab animi paſſionibus ſuſcitatæ nauſeæ, vomituſque affligere conſpiciuntur; magis adhuc cum a lædenti materia in hac digeſtionis officina ſpiritus agens laceſſitus, ut faſtidientem eliminet, ſtomachi tonum evertere ſolet; unde anorexiæ, vomitus, cæteræque ventriculi paſſiones emergunt. Nec ab alia origine *Alvi fluxus omnes*, primarum viarum repurgationes dimanant; *Alvi fluxus origo.* equidem ſicuti periſtalticos motus naturales, ita & præter naturales ſpirituum impulſionibus inteſtina debent; cum non aliter quidem in viventi corpore lædens materia proprias excretiones ſollicitet, niſi organorum tolerantiam moleſtando, unde concitati ſpiritus exoticum faſtidientem extra ſuos fines depellere coguntur.

16. Cutanea item ſymptomata, idem ſpirituum impetus ad peripheriam impellere, æque noſcitur; ab ipſo enim & inteſtinus ſanguinis motus augetur, & inde corporis æſtus accenditur; ſicque ſanguinea maſſa funditur, & cutis meatus dilatantur, unde diſpoſita recrementa ad faciliores exitus parantur, ac eodem impetu faciente ſeparatæ ſordes per cutim eliminantur. Sicque *ſudores*, *Petechias*, *Variolas*, *Parotides*, *Bubones*, cæteraque hujus cenſus, idem enormon ad peripheriam impellit. *Excretiones cutaneæ ab eodem procedunt.* Verum modo criticè, modo ſymptomaticè expulſiones iſtæ contingunt; cum vel ſubactus jam hoſtis ad cutim depellatur, vel incerto marte adhuc pugnans Enormon, aliquos Inſenſi manipulos ad cutim ducit, ſæpeque fugatus hoſtis ex cuti ad maſſam revertitur, novamque pugnam ferocius antea, redintegrat; ut retrocedentes Petechiæ, Variolæ, Morbilli, Parotides &c. in praxi oſtendunt; verum hæc omnia ſuo loco reſervantur. Nec diſparem denique cauſam *Capitis dolores*, *Vigiliæ*, *Deliria*, *vel affectus Comatoſi* demonſtrant; cum varios in Palladis arce Impetum facientis errores eſſe, Cordati noſcant. *Capitis ſymptomata.* Hæc enim ſingula vel illius ataxiam, vel impetus deficientiam certo denunciant; deficit namque in lethargo, & comate ſomnolento, &c. augetur vero, & concitatur in cephalalgia, vigilia, delirio &c. ut notum eſt. Claudamus demum fontes, & concludamus, quod Enormonticus plus debito, vel æquo minus expanſus niſus, varias viſcerum, & muſculorum, fibrarumve ultra naturalem

ralem tonum contractiones, & diſtentiones inducere potis ſit, a quibus motibus corporis partes varias paſſiones perpeti coguntur.

Hippocratis eſt noſtra hypotheſis. 17. Abſolutis tandem inquiſitionibus, quarum auxilio pro nunc ſaltem ex cauſis, & effectibus æque perpenſis, intimum, immediatumque Principium, a quo Febris perpetuam originem ducit, pro noſtro captu deduximus, ac Enormonticum inordinatum niſum univerſam Febris tragœdiam agere debere tuto determinavimus. Supereſt adhuc (ne verbis ludamur, & illudamur, proboque verborum ſenſu neglecto, per ipſarum corticem Innovatoris titulo afficiamur) ſupereſt, inquam, oſtendere, quod nil novum quid, nec a practicis divini Senis dogmatibus alienam doctrinam in foro Medico ducimus. *Non certè inauditum, ſed neglectum illud manſit apud Poſteros Impetum faciens; neſcitumque etiam, quod morborum diſcrimina a vita immediate manarent; ideoque falſo occaſionalibus humoribus totum concreditum fuit morborum negotium*; ſic cum *Helmontio lib. de febr. cap.* 16. *num.* 8. hic loqui juvat. Non certo novum, nec medicinæ Principi alienum Enormon eſt; ipſe quidem præcipuam viventis Machinæ partem Impetum facientem eſſe nos docuit, ac ut febris Promotorem variis adhuc aphoriſmis indicavit. Qui vero hanc Hippocratis mentem eſſe, non percipit, ſerio perpendat, quam accuratè, & frequenter undique in libris ſuis ſancitum ſit; Febriles motus, ac deſpumationes ab intimo (Naturæ titulo indigitato) Movente inſtitutas eſſe. Ideo primum cum Medens movere arbitretur, viam, *quo Natura vergit*, arte facilitare, non deviare, niſi loca conferentia non elegiſſet, 1. *Aphor.* 21. præcipitur. Item *Concocta medicari*, ſeu ab intima vi ſubacta, & ſeparata movere; cruda vero nec tangere, cum adhuc ſub Naturæ arbitrio poſita non ſint. Cum vero infenſo motu *materia turgeat, eadem die movere*, ne facto impetu, vitæ ſedes invadat, Naturamque peſſundet, *tardare namque in talibus, malum eſt, ut* 4. *Aph.* 10. docemur. Contra vero quæ concocta jam, *& judicata ſunt integrè*, ſpectare tantum 1. *Aph.* 20. ſevere jubet; ne victrix jam Natura ab Arte improvida diſtrahatur. At ſi defatigata ſubactas lues integre deturbare nequeat, ne *quæ relinquuntur in morbis poſt judicationem recidivas faciant* 2. *Aph.* 12. languidam dejectionem promovere nos inſtruit. Hæc ergo ſimiliaque plura Hippocratis dogmata intimum Moventem, Naturæ nomine indigitatum ſatis oſtendunt, qui vel per ſe ſolus, vel cum Arte fœderatus, vario licet vigore ſanguinis depurationes in febribus ſemper molitur. Clarius ergo ſic explicatur, quod arcana Priſcorum tripode loquens Hippocrates revelavit. Equidem nimium genericus Naturæ titulus æquivoce ſæpius ludificat; ideo tot extant acutiſſimæ celebris *Boyle* in ipſius Veteribus ſolitum aſylum caſtigationes. Cum tot effectus ab ignota origine petere, ignorare ſemper ſit. Verum relicto nominum cortice Febris nucleum introſpicere accedimus.

CAP. II.

Febris Definitio, & Explicatio.

1. INtimam demum inſpicere naturam, optata adeſt occaſio; indaginem jam ad tantum opus neceſſariam præmiſimus, multaque de vera Febrium origine lumine vario luſtravimus, ſic æque dicam:

Tantæ molis erat, rimari viſcera Febris.

Definitionis hujus difficultates. Veruntamen poſt tot labores adhuc deſudandum non deeſſet; cum ad febrem definiendam, logicis tantum regulis obtemperandum eſſet. Equidem cum ex contingentibus, & diſparatis plurimis aggregatum quid febris eſſe videatur, illius Proteiformis natura, varie ſemper incedens, ſemperque varie decedens, ac nunquam eadem apparens, diverſiſque ſemper læſionibus afficiens, logicas regulas eludere creditur. Ideo ex multis in re tam ambigua definitionibus, quæ Doctorum volumina implent; aliæ nihil prorſus, alteræ parum adhuc, cordatioribus hactenus ſatisfecere. Quamobrem & noſtra, ut optatum

tum portum attingat, logicis dimiſſis arenis, Phyſicæ littora petimus, & cum *Ariſtotele 1. phyſic. & alib.* rectum definiendi dogma proprium ſcientiæ Phyſicæ eſſe dicimus. Equidem *cum ſcire ſit rem per cauſam cognoſcere*, per cauſam ergo, quod noſcendum eſt, definire debemus; definitio enim intima rei penetralia revelare, tenetur, cum igitur a Cauſis phyſicam rei notionem derivamus; ergo legitimam rei definitionem per illius eſſentialem cauſam inſtituimus. His itaque certis, Febris definitionem damus, & explicamus.

Febris definitio. 2. *Febris eſt intima ſanguinis commotio, ab Enormontico impulſu vario modo, vel compreſſo, vel exploſo, concitata; ut ſic ſanguinea maſſa vel a lædentibus expurgetur, vel in alteram diatheſin immutetur.* Hanc ſanguinis commotionem tam vitalis, quam animalis œconomiæ everſiones plus minuſve conſectantur, prout plus, vel minus Enormon comprimitur, vel exploditur; unde pulſus a naturali recedentes, Frigus, Æſtus, Nauſea, Sitis, Vigiliæ, Inquietudines, cæteraque ſymptomata, plura ſimul, vel pauciora, & majoris, minoriſve immanitatis, emergere ſolent. Definitionis explicatio ſuperflua videtur, cùm per ſe, & in qualibet ſui parte perſpicua ſit; ut autem in utilibus abundare potius, quam deficere videamur, ad ſequentem, non omnino ſuperfluam expoſitionem deſcendimus.

Commotio in febri qualis ſit. 3. Diximus itaque, quod febris ſit *intima ſanguinis commotio*, quæ verba ut legitimè percipiantur, ſupponere oportet; quod ſanguinea craſis naturaliter conſtituta, debita in aqueo fluido particularum mixtione gaudeat; ita ut indefinitæ illius moleculæ ita mutuo ſe tangant, ut proprium ſitum, figuram, & proportionem conſervent; ſpatiola vero inter ipſas poſita, volatiles, ac vitales ſpiritus repleant; iſti ergo a cæteris omnino liberi, ac elaſtica vi præditi, debitas pro ſanguinis exigentia naturales motiones promovent, ac præternaturales commotiones concitant, cum ad illius depurationem inducantur; ſicque ſanguinem vitali œconomiæ aptum præſervant, in quo potiſſimum Impetum facientis energiam exerceri, æque conſideramus. Itaque quandiu ſpiritus iſti moderata expanſione univerſam maſſam implent, & permeant, tandiu ſanguinis textura naturali gaudet tranquillitate; at cum dicta Enormontica vis, qualibet data occaſione, ad acoſmiam concitetur, tunc univerſam ſanguinis maſſam intime perturbat; a qua commotione ſanguinis moleculæ, mixtionis nexu ſoluto, liberæ hinc inde proprio niſu ducuntur, unde novum particula quæque ſitum, & proportionem acquirit; adeoque perturbata mixtio totam maſſam immutat, & in hac commotione febrem conſiſtere diximus. Verum turbatus hic ſanguinis motus, ſicut in omni febre adeſſe debet, ita reſpectivè in ſingulis, ac in quovis febrium ſtatu, modum, & gradum variare ſolet, prout Enormontica concitatio vario modo afficitur, cujus differentias nunc expendere aggredimur.

Febris principium explicatur. 4. Ut ergo variam, in quavis febrilis periodi parte, inordinatam ſpirituum concitationem dignoſcamus, ſimulque illa definitionis verba (*ab Enormontico impulſu vario modo, vel compreſſo, vel exploſo, &c.*) legitime percipiantur; quatuor in qualibet febri ſtatus inſequamur oportet, nempe principium, incrementum, vigorem, & declinationem; in his enim ſingulis vario ſæpius impulſu Enormon influit. Primo itaque febris principium, cum frigidum, vel horridum experiatur, pro illius duratione ſpirituum expanſionem, a qua ſanguinis calor emanat, compreſſam, ac inhibitam eſſe ſuadet; adeoque in hoc ſtadio *univerſum ſanguinem frigefactum eſſe*, cum Hippocrate, ratione, ac experimentis, *antec. cap.* 1. *n.* 12. expoſitis, tuto cenſemus. Nec ad hoc phænomenon explicandum vitioſum acidum emendicare, ſufficit; cum tantam acidi copiam, abſque majori læſione in ſanguine redundare poſſe, percipi certo nequeat; item quod tam ocyter coſpicuum fiat, ut lædat, ac membranas, nervoſque pungere valeat, demumque extemplo vel deperire, vel occultari queat, ut ſanguinis æſtuationi locum cedat, imperceptibile adhuc eſt; inſuper poſita etiam ab hoc acido membranarum vellicatione, & punctione, ex hac

hac nunquam frigoris conſequentia deducitur; cum proprie pungentem moleſtiam, non autem frigoris faſtidium ex hac punctione commune ſenſorium percipiat; adeoque aliam adhuc febrilis frigoris originem, inquirere ſupereſt. Veriſimilius ergo per Enormonticam compreſſionem hoc ſymptoma explicatur; quomodo vero hæc fiat, nunc oſtendere oportet.

Spirituum compreſſio quæ ſit? 5. Initium ergo febris horror, aut frigus infeſtat, prout Enormon plus minuſve compreſſum febris exordium inducit; vel enim propria thymoſi ductum, vel a lædentibus laceſſitum, cum acoſmiam concipiat, debiti motus ordinem confundit primo, & inde ſenſim, vel ſtatim, pro concitationis modo, ſanguinis mixturam ſubvertit; unde molecularum ſymmetria (quæ in figura, ſitu, proportione, decentique motu ordinata conſiſtit) ab illius immoderato impulſu facile diſſipatur, ſimulque cum tota maſſa conſueti ſpirituum tramites confunduntur; ſpiritus item, qui commotionem induxerunt, cum cæteris particulis turbulenter permixti, & ſubducti, donec proprio elaterio reſiliant, penitus comprimuntur, & obſcurantur; ſicque caloris promotoribus depreſſis, ſanguis pro tunc frigeſcere cogitur. Cum autem non omnino ſpiritus comprimantur, nempe cum turmæ plurimæ, ſimul hinc inde ſociatæ, tumultuoſas expanſiones exerceant, tunc horroris ſenſus adeſt; quia expanſiones iſtæ ſæpius interceptæ inæqualiter emergunt. Hæc ergo de febrili exordio Hippocratico-mechanica doctrina plurimis tam intermittentibus, quam Continuis æque convenit; equidem in cujusvis periodi acceſſione frigoris, vel horroris veſtigia imprimere, plurimas etiam Continuas obſervamus. Quæ vero vel obſcuris, vel nullis deſignantur periodis, aut perpetua ſpirituum exploſione menſurantur, aut levem ipſorum compreſſionem, ut inobſervabilem occultant. Horrificæ vero, ac proprie Algidæ febres nulla Enormontica expanſione definiuntur; cum languens ſpirituum elater a valida compreſſione nunquam extricari, & reſurgere poſſit; unde ob perpetuam ſpiritus cum turbata maſſa permixtionem, febres iſtæ frigidæ ſemper ad terminum uſque producuntur; nullamque obſervabilem ſanguinis deſpumationem ab hiſce expectare decet, ut in ſex caſibus a nobis inviſis, accurate inſpeximus. Hac ergo Enormontica, plus minuſve protracta compreſſione totum febris initium menſuratur, quo abſoluto, ad alterum ſtatum febris accedit.

Illorum ſolutio quando. 6. Poſt Principium dictum, Incrementum ſequitur, quod tunc incipit, cum ſpirituum elatere, a compreſſione ſolutum propriam expanſionem ſenſim reſumat; hanc energiam ſæpius vel a nimia ſpirituum acoſmia, vel ab Acidi figentis læſione, diutius cohibetur; ipſorum enim excandeſcentia diu illos cum confuſa maſſa diſtrahit, & diſiungit, unde minus prompte proprio elatere uti valent; ſimiliter acidæ particulæ, cum redundent, plures ipſorum turmas figunt, unde Enormontica plenitudo diminuta, ſenſim, & ſegnius integrum impetum recuperat; quod non raro in Quartanis acido-viſcida lue tumidis, contingere ſolet; ideo longiori frigore iſtæ, ſimileſque febres moleſtant. Compreſſi ergo ſpiritus pro viribus, & pedetentim ſe recolligunt, proprioque niſu ducti, ſe diſtendere incipiunt, ſicque languida licet irradiatione febrile frigus minuunt, ſtatimque febris incrementum exurgit, cujus duratio tandiu protrahitur, quandiu Enormon proprias expanſiones integre recuperet. Elaſtica enim omnia ſicuti comprimi patiuntur, ſic a preſſionibus expedita, propriam repetunt extentionem; ita pariter ſanguinis ſpiritus, niſi penitus opprimantur, (ut in aliquibus Intermittentibus peſtiferis, quæ in ipſo febris frigore interdum perimere, compertæ ſunt) proprii elateris niſu ſenſim a compreſſione redimuntur, & ad inſitam ſeſe expandendi energiam reducuntur. In hoc ergo febris incremento, ſpirituum niſu paulatim adaucto, ſenſim etiam velociores in ſanguine motus, ſimul cum æſtu creſcere conſpiciuntur, donec Enormon ad exploſivos conatus ultimo accedat, ex quo Incrementum decedit, ejuſque locum illico febris Vigor occupat.

Eorundē expanſio qualis ſit. 7. Hic ergo Vigor, ſtatus etiam nuncupatur; quia pro hujus duratione in pro-

propria quaſi ſtatione febris ſiſti, vireſque omnes cumulare videtur. Hic certo plenus viget Enormonticus niſus, univerſamque maſſam propriis exploſionibus agitat; elaſticæ enim ſpirituum moleculæ a compreſſione ſolutæ vehementius explicantur, ac exploduntur; & ſicuti aeris corpuſcula, valido elatere prædita, dum a preſſione ſolutæ ſint, tanto impetu ſeſe expandunt, ut vaſa, quibus continentur, diſſiliant, ſicut in pneumatica machina compertum eſt; ita pariter in ſanguine, niſi quod præſtantiores aeris, magiſque elaſtici ſpiritus ſunt, cum a prima totius maſſæ confuſione, & compreſſione ſolvantur, libero impetu fortiter ita expanduntur, ut ad vehementem, tam intimum, quam circularem motum ſanguinem inducant; & hinc eſt, quod in febris vigore quaſi ebullire ſanguis videatur; & quidem ad hunc finem, ut ipſius deſpumationem conſequatur Enormon; qua tandem obtenta, immoderatos impetus compeſcendo, febris vigorem in declinationem inflectit. In hoc denique febris abſceſſu, ſanguinis motus, & æſtus, intimo miteſcente impulſu, ſenſim minuuntur, & ad naturalem ſtatum (cum febris intermittat) paulatim reſtituuntur. Cum autem continua, ſeu recurrens febris novam cito periodum exordiri ſoleat, (quod ob imperfectam primam deſpumationem contingit) tunc in declinatione ſpirituum niſus parumper compeſcitur, ut alteram depurationem reſumat; unde non frigus amplius, ſed quaſi horror invadit; & ſic recurrentis febris periodi tandiu repetuntur, donec inficiens lues omnino eliminetur; aut in novam diatheſin ſanguinis maſſa immutetur; hæc vero verba expoſitionem adhuc petunt.

Spirituum compeſcentia.

Febris effectus expenſi.

8. Expenſis demum hiſce, quæ ad febris cauſam pertinent, illius effectus declarare adhuc ſupereſt. Non enim ſine intentu aliquo propriam maſſam Enormon perturbat; practicæ quidem obſervationes ſuadent, quod ſæpius ad certam aliquam ſanguinis depurationem febres inſtituantur, quod coctiones dictæ, ſeu impuri a puro ſanguine ſeparationes, criticæque deturbationes affatim oſtendunt. Ad febrem ergo inducendam duplici ſtimulo Enormon ducitur, primo, ut quodvis infenſum a ſuis clauſtris eliminet; altero ut propria ſponte novam ſanguinis conſtitutionem inſtituat. Primo modo concitatur, cum a quovis moleſtante, ſanguiniſque craſin dilacerante, ſupra tolerantiam irritatur; quod accidit, cum in vitali œconomia gubernanda, (quæ in ſanguine primo determinatur) nimis præpediatur, ut *ſequent. cap.* 3. mechanica lance perpendimus; tunc enim contra moleſtantes propriam exploſionem impendit, & ita ſanguinem commovet, ut lædentium ſubactionem, ac eliminationem conſequatur, quos effectus in hac linea paſſim omnes ſanguinis deſpumationes oſtendunt. Altero item modo, propria nempe thymoſi, & abſque infenſi moleſtia, concitatur Enormon, cum ob nimiam ſpirituum exuberantiam, orgaſmo quodam concepto, ſanguinis maſſam exagitet, vel ut ſpiritus redundantes, qua data via, extra corpus impellat; vel ut veterem ſanguinis craſin, ob immutatam ætatis periodum, aut aeris, cibique innovationem, vivendique variatam conſuetudinem, in aliam ſyſtaſin commutare, ac renovare inſtituat; hæc, inquam, non raro peritiores Medentes inſpicere ſolent; & hæc demum ſatis ſint, ut ultima definitionis hujus verba recto ſenſu deprehendantur. Cætera vero, quæ addita ſunt, ut febrium conſequentia ſymptomata proprio loco reſervantur. Dimiſſis ergo hiſce,

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas.

Febriumque Cauſas, inter tot Doctorum placita vagantes, recta lance perpendere aggredimur.

CAP. III.

De Intimo Febris efficiente.

Febrium cauſa exponitur. 1. PRæcipuus medicinæ labor eſt, morborum cauſas recta inveſtigatione rimari; cum in illarum captu tam ſcientiæ, quam ſalutis integritas æque conſiſtat; ideo ad hunc ſcopum, favente Deo, ſcrutinium hoc inſtituere, & abſolvere, non deſperamus. Harum ergo limina nunc ingredimur; at greſſus noſtri a vulgi veſtigiis alieni ſunt. *Sapientiam enim ſibi adimunt, qui ſine ponderatione inventa Majorum probant, & ab illis pecudum more ducuntur.* Lactantius *lib. de origin. cap.* 8. Cordati quidem eſt, ſemitam indirectam vitare, ac tutiorem, quæ ſcopum tangat, proprio niſu parare. Ducor ergo quo Veritas invitat; fortaſſe labor tantus non certo

In rapidos ſparget irrita verba Notos.

Intimam itaque Febrium cauſam exquirimus, a qua omnes, & ſingulæ Febres producantur, & ſine qua nulla eſſe poſſit; quod proprie inſeparabilem ipſarum cauſam a cæteris contingentibus diſcriminat. Hanc vero Efficientem nunc petimus, quæ communi ſenſu definitur a Phyſicis, *Primum principium eſſe, unde motus procedit*, quæ verba etiam *Ariſtoteles* 1. *Phyſic.* locavit. Hoc poſito, ſic noſtram Theſin exponimus. *Dicimus ergo, quod in viventi corpore primum motus principium Enormon ſit, quod ſicut naturaliter conſtitutus, vitæ functiones poſt Animam primum efficit, & perficit; ita p. n. affectum ſanguinis commotionem, quæ febrem conſtituit, ſolus efficit, & abſolvit.* Prima theſis pars probatione non indiget; cum notum ſit, omnes viventis motus ab impetum faciente produci, & abſolvi debere. Altera vero pars vulgari ſententia reprobatur; dicit enim, morboſas corporis affectiones ab invadentibus vario modo noxiis immediate manare, ſicque ab iiſdem proprie febres effici. Hanc vero vulgarem opinionem æquivoca illuſione hactenus decepiſſe, nunc oſtendere aggredimur.

2. Et primo ex notionibus affatim perſpectis habetur, quod nil aliud proprius in febris conatu concipere quimus, quam ſanguinis, ab inteſtino motu intentam, depurationem; hanc in facto demonſtrant ſudores, urinæve, in Intermittentium termino ſæpius copioſæ apparentes, ut quaſi ebullientis fluidi deſpumationes periodicè deturbatas; hanc item in Continuis acutis confirmant perſpicuæ ſæpe criſes, per varias vias ipſum ſanguinem expiantes; hanc pariter in Malignis, Peſtiferiſque febribus manifeſtant Petechiæ, Morbilli, Variolæ, Bubones, vera ipſius ſanguinis ad cutim eliminata recrementa; & hanc demum apertè declarat ipſa febris abſolutio, quæ tunc contingit, cum ſanguis depuratus jam ſit; quia deturbatis ſordibus, depurativa machina quieſcit. Ex hiſce perſpicuis manifeſto apparet, proprium febris intentum eſſe, ſanguinem, quem exagitat, ab invaſa lue depurare; quod non quidem ab ipſa inficienti materia, quæ fœdare, & corrumpere, non expurgare contendit, expeti poteſt; nec a fermentativo motu, quem ab intruſa in ſanguine ſorde concitari, Recentiores plurimi contendunt; cum re vera ex dictis *lib.* 1. *p.* 1. *cap.* 8. dicendiſque adhuc infra ſatis conſtet, ſanguinem fermenteſcere, & ſic depurari, vanum commentum fuiſſe. Ab alia ergo cauſa hoc opus expeti debet, quæ, inquam depurativam febris machinam ad hunc finem ducere apta ſit; nec nimis a ſcopo delabitur celebris practicus *Sydenhamus*, qui ut vanum fermentationis inventum evitaret, cenſuit; *Sanguinis commotionem a Natura concitari, ut hæterogenea materia ſecernatur, &c. ut anteced. cap.* 1. *num.* 3. jam diximus; a Natura ergo Peritus ille, nos vero expeditius ab ipſo impetum faciente ſpiritu, qui certo in ſanguine gliſcit, concitatam illius commotionem auſpicamur nunc, citoque demonſtrabimus. Ab hoc itaque primo lumine theſis noſtræ veritas clareſcere incipit, ſed ad clariora procedamus. *Proprius Febris conatus.*

3. Ut primo veram febris naturam dignoſcere aſſequamur, ſingulas partes, quæ ad illam excitandam, & conſtituendam concurrunt, inſpicere, ac legiti- *Febris partes exponuntur.*

gitimum cujuſque penſum æque diſtinguere intereſt; plura enim ſunt, quæ ſimul poſita febris eſſe conſtituunt. Primum eſt extraneum lædens; ſecundum fluidum vitale ab extraneo invaſum, & per commotionem depurandum; tertium hujus commotionis intimum principium movens, ac depurationem abſolvens. Ad primum ergo, extraneum nempe, ſeu materia inficiens, quovis titulo nuncupetur, illud certò eſt, quod ſanguinem fædat, ejuſdemque texturam varia labe devaſtat; hoc inquam cum in illius maſſa infenſum, & intolerabile ſit, Naturam irritat, (cum Hippocrate loquor) & ad lędentis eliminationem provocat; quia niſi depellatur hic hoſtis, propria lue totam maſſam inficit; cum illius conatus ſit, vel ſanguinis puritatem fœdare, vel illius texturam corrumpere; ideoque, contra ipſum Natura militat, apertiſque coctionibus ſubjugat, criſibuſque ſæpius eliminat; hæc ergo devictæ ſordes ſanguineæ depurationis occaſiones tantum, non autem efficientes cauſæ dici poſſunt; cum oppoſiti effectus defœdare, & depurare, diſferentes cauſas denuncient. Ad ſecundum ſatis noſcitur, quod fluidum a ſordibus expiandum, ſanguis ſit, qui ad violentum motum concitatus intruſam luem deſpumare cogitur; & hæc ſanguinis inteſtina commotio intimum quendam moventem aperte oſtendit. Nam hæc duo lues inficiens, & ſanguis fædatus, per ſe tantum febres concitare, ac efficere nunquam poſſunt; cum in cadavere ſimul permixta, & ad corruptionem uſque luctantia, febrem nunquam inducere, ac producere poſſint; quia re vera (& hæc veritas percipiatur) vitalis motus propriè febris eſt. Ergo a vitali principio ducitur, & producitur. Quis igitur hic Motor ſit? Per me quidem poſt diuturnas inquiſitiones, præter impetum facientem ſpiritum, nullum aptius in ſanguine reperio; cum hic ſolus omnium motionum in viventi corpore movens ſit, & ad ipſum propriè ſpectet (quod naturæ ab Hippocrate tributum fuit) proprium ſanguinem ab intruſa lue vindicare; ideo febris illius machina eſt; quia ſæpe utitur, cum ad deturbandas ſordes ultra tolerantiam concitetur; & hæc pro primo lumine ſatis ſint.

4. Sed contra vulgaris opinio inſtat, dicens; quod licet ſalubribus febribus depurativa hæc vis aptari poſſit, nullo modo lethalibus convenire dignoſcatur; cum iſtæ a materia lædenti, & corrumpenti per ſe tantum efficiantur; coagulatum enim, vel colliquatum ſanguinem Anatomicæ inſpectiones poſt exitium obſervarunt; quos effectus non depurantis, ſed corrumpentis cauſæ proprios eſſe, omnes noſcunt. Ergo depurationis conceptus, cum non omnibus febribus æque conveniat, nullis ideo eſſentialiter competere poteſt. Hæc obiectio, quia ludit in terminis, ideo illudit in concluſione; cum enim proprios febris, & materiæ lædentis effectus non æque diſtinguat, ſed inter illos æquivocet, febrem idcirco male concipit, lædentiſque productum febribus male imponit, ſicque falſo concludit. Ut hanc falſitatem aperte oſtendamus, reſpondemus, primo. Febris unicam ſemper ſervare debet naturam, adeoque cum in ſalubribus, ut dicunt, ſanguinem depurare nititur, oppoſitum, quod illi imponunt, nempe corrumpere, non febris quidem, ſed lædentis effectum eſſe certò debet, quod perſpicue demonſtrare non ambigimus, cum legitima utriuſque producta ad oculum oſtendamus. *Obiectio prima, & reſponſio.*

5. Primò itaque legitimos febris conatus, effectuſque manifeſtos inſpicere intereſt, ut ab illis genuinam illius naturam, & cauſam ipſam ducentem, & producentem æque dignoſcamus. Apprime cum Hippocrate, ac experientia beneficos febris conatus in contumaces, deſperatoſque morbos cito expugnandos obiter tangere oportet, ut ingenitam febris indolem ab effectibus percipiamus; in hac linea nonnulla in aphoriſmis eligimus, quæ paſſim ab experientia comprobantur. Primum ſit 4. *Aph.*57. *Qui a convulſione tenentur, febre ſuperveniente liberantur;* hoc item exemplo. *Quartanæ convulſionis ſupervenientis.* 5. *Aph.*71. iterum confirmat. Alterum ſit 6. *Aph.*40. *Quibus dolor circa ilium ſit, abſque inflammatione, his febris ſuperveniens dolorem ſolvit;* itemque 6. *Aph.*44. *Quibus ex ſtillicidio urinæ Ileos ſupervenerit, in ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperveniente, ſatis urina fluxerit.* Similiter de horrendo Apoplexiæ *Febris effectus innuuntur.*

plexiæ lapſu teſtatur. 6. *Aph.*51. *Qui ſta-tim muti fiunt, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit.* Hæc ergo, ſimiliaque plura tam in Hippocrate, quam in medentum obſervationibus obvia, legitimum Febris effectum aperte ſuadent; non enim morbos etiam exitiales debellare, nec valetudinem integrare, ac item a letho imminente ſubripere, niſi per ſe ſemper vitalis machina eſſet, ad ſanguinis lues, quæ ad mortem uſque ducunt, eliminandas, vitamque reparandam inſtituta. Hunc verò ſcopum ſibi proprium cum non aſſequatur, non per ſe quidem, ſed ob nimium, vel ob lentum moventis conatum, aut ob indomitam lædentis materiæ pertinaciam, fortuito contingit; & tunc non proprium illius productum, ſed intruſæ luis effectus emergere ſolent.

Infenſæ materiæ effectus. 6. Infenſæ verò ſordes oppoſitam lineam tenent; cum enim ſanguinem invadant, ipſum vel inficere, vel corrumpere moliuntur, & hic proprius illarum conatus eſt, & hos certò effectus producunt, niſi a vehementi febris contentione, critico ſæpe niſu in ſanguine ſubigentur, & ab ipſo eliminentur. Harum ergo effectus eſt, non febrem, a qua deprimuntur, producere, ſed occaſionaliter inducere, & ut hoſtis hoſtem provocat, alienam dictionem invadentes, intimum Propugnatorem ad ſanguinis tutelam excitare, cujus propria contra infenſos arma febres ſunt, quibus hoſtes quoslibet primò ſubigit, ac demum eliminat. Qui ergo intimam hanc pugnam æque, recteque inſpicit, certò dignoſcet, quod non quidem ſordium effectus febres ſint, ſed tantùm inficere ſanguinem, & corrumpere, cum poſſint. Nil enim aliud efficiunt, niſi quod propriæ vires exerere valent, cum extra ſphæram activitatis ſuæ nulla cauſa extendatur; adeoque ſi ex.gr. Acida lues ſit, ſanguinem coagulare poterit; ſi Acris ejus texturam colliquare; ſi viſcida ipſius maſſam incraſſare, &c. Sed hæc producta proprie febres non ſunt; cum alia ſanguinis paſſio ſit febrire, alia cogulari, alia colliquari, &c. Ergo ab his cauſis febris non efficitur; cum hanc lineam illis tranſverſam, nimiſque diſtantem non attingant. Inſuper hæc oppoſitæ ſanguinis læſiones. Coagulatio nempe, & Colliquatio, cum vires contrarias exerant, ſi coagulatio febrem produceret, colliquatio econtrà febrem diſſolveret, & ſic vice verſa; nec ambæ ſimul quovis modo ideatæ (ut de Acido-acri fabula eſt) ad hoc febris opus concurrere queunt; cum oppoſitos effectus neceſſario producant, ac a febris natura toto cœlo diſtantes.

An febres exitiales ſint. 7. Ea demum quæ dicunt, quod febres, quæ ad mortem terminant, ipſæ interimant, ſaniorem ponderationem repoſcunt, ut veriſimile falſum dignoſcatur. Ut ergo legitimam inter ſalubres, & exitiales, quas dicunt, febres, diſparitatem attingamus, cum Hippocrate, ac experientia cenſendum eſt, quod nihil tutius haſce febres diſtinguat, quam *Cruditas*, & *Coctio*; febres enim, quæ nullam coctionem aſſequuntur lethales, quæ verò ipſam conſequuntur ſalutares nuncupantur. Infenſæ luis coctionem aliquibus ſignis in ſalubribus ſe prodere, (quidquid Apalæſtritæ dicant) experimenta demonſtrant; hæc ergo cum nil aliud ſit, quam lædentis materiæ ſubactio, & a ſanguine ſeparatio, ſatis ſuadet impurum lædentem a febris machina ſubigendam, & ita ab ipſa maſſa ſegregandum eſſe, ut ultra nocere nequeat. Veruntamen nec poſt coctionem dictam febris ceſſat, ſed vehementior adhuc augetur, donec ſubjugata lues extra ſanguinem eliminetur; ut Criſes poſt coctionem aperte demonſtrant, in quibus & febres, & ſymptomata magis augentur. A quo ergo hæc febris poſt coctionem producitur, & exaſperatur? Non quidem a materia lædenti, quæ jam devicta, nullis viribus ultra in ſanguine militat; ergo ab alio, & certe ab illo, qui primò febrem concitavit, ut in ſanguine intruſum hoſtem ſubigeret, nec machinam hanc dimittit, niſi a propria maſſa devictum infenſum omnino eliminet. Non inficior tamen, quod aliquando vel nimium excandeſcens, vel lente torpeſcens Enormon, vitæ pericula ducere obſervetur, unde febres exitiales evadere videntur, quod recte etiam celebris Peritus *Sydenham lib. de morb. acut. in gen. cap.*1. notavit. *Natura ipſa vel nimiopere ſatagendo, vel etiam ſibi defi-*

ciendo, hominem letho dat. Natura ſeu clarius intimum Principium movens, ac impetum faciens, in depurando ſanguine nimium defatigans, febres non raro in exitiales invertit, & ut arma in manu furioſi, quæ primo defenſiva ſunt, ſibi offenſiva evadunt; cum enim concitatum Enormon plus æquo excandeſcat, non utique proprii ſanguinis deſpumationem, ſed meram deperditionem molitur, quod non ab ipſa febris machina, ſed ab effræni moventis impetu provenit. Sic pariter cum impetum faciens ſpiritus vel ob languidas vires ſibi deficiat, vel ob nimiam lædentis virulentiam febris machinam inaniter ducat; ut in peſtiferis morbis contingit, qui ſæpe cum lenta febre interimunt. In hac ergo contingentia perſpicuum videtur; quod ſi lues infenſa febrem produceret, quo validior hæc eſſet, eo vehementiorem febrem concitaret; ſicque ultimæ febres fortius exaſperari deberent, quia tunc extremo niſu venefica lues triumphat. Sed cum ingraveſcens venenum febres imminuat, ut paſſim comperitur, ſignum certo eſt, quod lues illa non cum febre, ſed contra febrem militet, a qua ne ſubigatur, ſenſim illam opprimit; & ideo quæ ad exitium ducunt, non febres quidem, ſed veneficæ lues ſunt.

Objectio altera, & reſponſio. 8. Sed adhuc inſtare poſſunt; quod miaſma epidemium ſanguinem, quem attingit, illico inficit, & pro virulentiæ gradu febres malignas, vel peſtilentes inducit; ſic pariter fructus horei, cum male digeſti ſint, ſanguinem invadentes, totam maſſam ad p.n. fermentationem cogere; quæ in praxi conſpicua, tuto demonſtrant, extranea nocentia febrium efficientes cauſas eſſe debere. Plauſibilis hæc objectio, quodam veriſimili larvata, ne ultro deludat, illius fallaciam detegere intereſt, at quia in paucis verbis objecta plura congerit, ideo cuique proprias, ac diſtinctas ſolutiones exigit. Et primo falſum illius ſuppoſitum oſtendere eſt opus; ſupponit enim quod nocentes ſucci, ſicut in primis viis vitiatas fermentationes excitant, ita in ſanguinem ingeſti ejuſdem maſſam ad fermentandum cogant; quod quantum a vero diſtet, ex dictis *lib.* 1. *part.* 1. *c.* 8. affatim conſtat; quia quodvis impurum in vitali fluido intruſum fermentandi vim exerere nequit, cum ſanguis fermenteſcere omnino abhorreat; ideo nec extravaſatum fermentationem admittere, plura celebris Boylei experimenta ſuadent; quod ſatis eſt primo ad falſum ſuppoſitum detegendum. Verùm ad diſtinctas reſponſiones accedendo, dicimus; quod in Epidemia conſtitutione non omnes, quos virulenta miaſmata invadunt, nec illico febricitare cogunt; multi enim ipſis contagio affectis clinice ſerviendo, venenata miaſmata facile attrahunt, & ſi aliqui cadunt, alii diutius, alii ſemper innocui reſiſtunt. Quare ergo iſti ab aſſumpto ſæpe contagio non febricitant? Arcanum hoc arduum noſtro ſyſtemate faciliùs exponitur, ac experimentis comprobatur. Illa enim intima, vitaliſque energia, quæ veneficum miaſma ſæpe non audit, Enormontica vis eſt; hæc inquam cum valida, & impavida reſiſtat, intruſum contagium evertere, & eliminare potis eſt; cum vero iners, & timida ſit, cito ab eodem veneno proſternitur. Hoc innumera experimenta confirmant; paſſim enim in contagiorum hiſtoriis Medentum obſervationes perleguntur, quæ plurimos debili, pavidoque ſpiritu præditos, a peſtilentiæ graſſantis terrore ſubita peſte invaſos oſtendunt, in hac linea præ multis unicum, & oculatiſſimum *Sennertum* ſaltem audiamus, qui *lib.*4. *de febr. cap.* 1. *de peſt. circ. finem* ſic loquitur. *Nec prætereundum, quod ex imaginatione, terrore, & metu, eoque ſæpe levi, nonnulli peſte corripiuntur; cujus rei exempla plurima anno* 1626. *hic obſervavi; & memini peſte correptos, qui currum illum, quo peſte extincti ad ſepulturam vehuntur, a longe extra urbem conſpexerunt; alios qui domi incluſi eum non viderunt, ſed ſtrepitum ſaltem ejus audiverunt; imo etiam nobis relatum eſt, ex inſomniis de peſte nonnullos peſte correptos fuiſſe, qui cum nullo infecto converſati fuerunt, & quos certum erat, per contagium peſtem non hauſiſſe.* Hæc inſpecta exempla eundem induxerunt, inter peſtilentiæ cauſas *Terrorem, Timoremque ibid. cap.* 2. *circa finem* connumerare. Concludamus ergo, quod cum terror, & pavor peſtilentes febres induxerit,

Infectionum diſparitates in peſte.

ab

ab hiſce pathematis everſum Enormon, nec venefico miaſmati reſiſtere, nec ſanguinis jura ſervare, certo poſſit; imò nec ullo veneno punctum ſed propria formidine ductum, deſperatas febres producere, comperiatur, quæ lethali exitu peſtilentiæ ſymbolum oſtendant. Contra vero cum intrepidus impetum faciens ſit, inter contagii diſcrimina interritus vagans, raro, & ſæpe nunquam a veneficis miaſmatis hiſce obruitur, nec ullo morbo ſuccumbit. Hanc veritatem oſtendunt Medici Chirurgi, & Clinici peſte infectis ſervientes, imo audaces Veſpillones contagioſa cadavera contrectantes, qui omnes raro, vel minus cœteris timidis, periclitantur, quorum plurimi, poſt contagia ſuperſtites, incolumeſque obſervantur. Facilis ergo, vel difficilis infectionis hujus eventus, non tantum ab ipſa Peſte, quantum a diſpari Enormontica vi plus minuſve reſiſtenti procedere, experimenta iſta demonſtrant. Hoc item in morbis vulgaribus, cum plures decederent, timidos non paucos iiſdem morbis ſuccumbere, ſæpe obſervavimus.

Infectionis diſparitates in Acutis. 9. Secundo ad ſuccos fermenteſcentes reſponſio non nimium diſſimilis eſt. Primum dicant; quare ex pluribus, qui plus æquo fructibus horeis indulgent, pauci tamen febricitant? Cum ergo ſinguli febrem æque non audiant, fermenta illa, ut dicunt, proprias febrium cauſas eſſe, non percipitur; quia in ſanguine intruſa, effectum certo producendum, in multis non efficiunt. Fermenta ergo illa vel ocyter vires exerere, vel diu ſilere debent? ſi primum, quare in plurimis otiari coguntur, ut illico proprium effectum non producant? ſi alterum, quare in aliis tam cito febrem ſollicitant? Quælibet reſponſio ſemper ambigua erit; cum de fermentorum natura multæ ambages concipiantur, nulla verò tuta in his caſibus percipiatur. Verum ſuccos hoſce, ſine actuali febre, in ſanguine diu ſtabulari; ex eo patet, quod a febrifugi corticis uſu, abſque ulla legitima purgatione, febris deferbeſcat, & ſileat; ſucci verò noxii ſine febre adhuc in ſanguine vigeant; quod non exiguum ſignum profert, hos non eſſe febrium cauſas, *ut ſuprà cap.* I. *n* 6. obſervavimus. Tutius ergo cenſere decet, quod lædentes ſucci, cui ſanguinem attingant, febrium occaſiones ſint, non certo efficientes cauſæ; nec ratio deficit. Profecto hic militat phyſicum axioma, *non remota cauſa, non removetur effectus;* cum vigente illa, ipſius productio, productumque perſeveret. Sed ſi noxii ſucci in ſanguine luxurient, & febris a febrifugo everſa, non adſit, vigentibuſque illis, iſta deceſſit; tuto concludere decet, quod non ipſi quidem, ſed alia cauſa ſit, quæ a febrifugo ſopita, febrem producere deſiſtat. Hæc veritas magis clareſcit, cum perpendamus, quod poſt aſſiduos luxuriantium ſuccorum ſtimulos, & irritationes, a ſopore excitatus, & concitatus ſpiritus, febrium arma iterum aſſumat, ut lædentes, & irritantes hoſtes extra ſuos fines depellat; ſicuti paſſim recidivantes in impuro ſanguine febres, ſatis oſtendunt. Itaque cum febrifugi penſum ſit, ſanguinis commotionem compeſcere, & niſi ablata cauſa non removeatur effectus; legitime concluditur, quod febrifuga, cum febrem compeſcant, non in extraneos ſuccos, quos nullo pacto curant, nec tangere ſolent, ſed in propriam, intimamque febris cauſam ſedandam incumbant; ideo febres non ſilent, niſi Enormon ſopiatur; ſicque ſancire decet, quod febres omnes a principio vitali produci debent, adeoque non deſtruentes, ſed depurantes machinas eſſe, cum tot ſanguinis depurationes, per varias vias inſtitutas, non ab inficientibus in ipſo intruſis, expeti poſſe, nec vitæ hoſtes hoſce profligatos eſſe, abſque intimo vitali niſu percipere quimus; ideo depurativam hanc machinam, quam cordatiores plurimi a Natura duci dixerunt, ab Enormontico ſpiritu, donec ad vitæ tutelam in corpore vigeat, produci debere, merito cenſemus.

10. Veruntamen ut hæc adhuc ignota veritas ante omnium oculos explicetur, Autopſiam ad hoc opus advocare, fas erit; hæc enim vulgares opiniones, a præoccupatione detentas, ad meliorem notionem reducere potis eſt; hæc oſtendat, quod non a ſordibus in ſanguine dominantibus, ſed a vitali principio febris machina ducatur, & producatur. Ponamus itaque ante oculos ali-

aliquod, nuper a febre lethali, ut dicunt, extincti corpus, hoc, ut mos eſt, anatomico cultro aperiatur; in hoc ergo recluſo Cadavere integra materiæ lædentis producta adhuc inſpicimus; adſunt enim, digitoque tanguntur viſcerum læſiones, quæ febris ſcatebræ culpabantur, ſanguiniſque adhuc tepidi eadem contaminatio, ipſaque in ipſo triumphans materia febrilis, quæ maſſam devaſtavit, ſpiritumque devictum propulſit. Hiſce tamen præſentibus omnibus nullus vitæ motus in apertis hiſce viſceribus inſpicitur, nec ulla prorſus in hoc tepenti ſanguine febrilis commotio ſe prodit. Quare momentum idem & vitam, & febrem ſimul abſolvit? Nonne adhuc adeſt, vigetque materia lædens, quæ febris cauſa dicitur. Quare inquam per breve ſaltem ſpatium poſt vitæ deceſſum febrem non continuat? Et quare demum quo plus Enormontici niſus languebant, eo minus febris excandeſcebat, ſpirituque decedente, illico ſimul cum illo febris evanuit? Hæc inquam æque perſpecta, ſerio ſuadent, quod non quidem a materia lædenti, quæ ſine febri adhuc in ſanguine viget, ſed ab illa, quæ cum febri deceſſit, cauſa propriam originem, productionem, ac terminum febris habuiſſet. Ideo videmus nunc in hiſce viſceribus exiſtentes adhuc læſiones, videmus etiam in hoc ſanguine perſiſtentes coagulationes, vel colliquationes, omnes certo lædentis materiæ proprios, & permanentes effectus; at febrem non videmus, quia una cum illius cauſa jam periit; nec febris unquam deceſſiſſet, ſi diutius in hoc corpore Enormon permanſiſſet; quod utique certam unius ab altero dependentiam oſtendit, & inſeparabilem Enormonticum a febre influxum aperte convincit. Concludamus tandem, quod ob expoſitas hactenus rationes, vanum certo ſit, præter impetum facientis impulſum alienam febrium cauſam, intime illas ducentem, ac producentem, inquirere velle. In hac autem materia tutius firmanda, & clarius explananda, *multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit; nec ulli præcluditur occaſio, aliquid adhuc adjiciendi*, *Senecæ* verbis hic uti liceat.

11. Verum haud ſatis eſſe videtur, Enormonticam febrium cauſam firmis rationibus oſtendiſſe; niſi theorica hæc hypotheſis, ad ſingularium praxim facile applicandam, adhuc explicetur. Equidem theoriæ illæ, quæ per ambages ad particularia deſcendunt, ac in tota praxi fundamenta non firmant, fallaces merito judicantur. Ad hanc ergo in ſingulis exemplificandam accedendo, primo *Acutarum febrium* differentia ſe offert, in quibus diſpares hujus Cauſæ influendi modos perſæpe inſpicimus; diſparitatis autem ratio in ſola majori, vel minori Enormontica concitatione conſiſtit. Etenim cum acutæ febres illæ ſint, quæ ocyter vitæ diſcrimina ducunt; magna ſpirituum exploſio impendi debet, ut citam deſpumationem conſequantur; in qua ſæpe debilitatur ita, ut non raro periclitetur Enormon. In hoc ergo tanti conatus negotio, ſpiritus, qui in toto ſanguine gliſcunt, forti elatere utentes, valido impetu expanduntur, & ſic univerſam maſſam intime commovent, & exagitant, ut invaſam luem deſpumando, ſanguis depuretur. Horum ergo impenſus niſus tanta ſæpe cum acoſmia concitatur, ut non pauca illorum deperditio contingat, unde vires cito conſumuntur, vitæque penu ſic deficiente, libero ſordis arbitrio tota maſſa relinquitur. Contra vero eum dicta ſpirituum vehementia moderato niſu lædentis materiæ ſubactionem, & eliminationem moliatur; tunc ſanguinem vel per vices, vel tempeſtive deſpumando, illius depuratio, & vitæ diſcrimina tuto abſolvuntur. Quo major igitur eſt in ſanguine ſpirituum exploſio, eo majores, & perículoſiores febres concitat, cum nimia ipſius turbatio texturam prorſus evertat, & diſſolvat; at ubi vel per ſe moderatum Enormon eſt, vel medentis manu (a qua non raro, cum perita ſit, intra moderationis limites provide ducitur) dirigatur, licet diutius, tutius tamen depurationis opus abſolvit. Quamobrem major, vel minor Acutarum febrium vehementia ab hoc fonte manare, æque noſcitur; non denegamus ideo, quod lædentis pertinacia in hiſce febrium diſparitatibus propriam manum addat, cum ſcilicet plus, minuſve ſubactionem reſpuat, unde vehemen-

Exemplificatio in acutis.

mentior, vel diuturnior Enormontica concitatio provocatur; ſed de his acutis pro nunc ſatis.

In Chronicis intermittentibus.

12. Ab eadem origine pariter intermittentes chronicæ febres proprias diſparitates deſumunt; & primo ſi langueat Enormon, ut in Cachecticis apparet, lædentem luem, quæ in hiſce redundat, nec valide ſubjicere, nec integre deturbare, potis eſt, unde diuturnæ febres ſæpius parvæ ſunt; quæ lenta ſanguinis commotio, cum ad integram deſpumationem conſequendam, non ſufficiat, laceſſitus ſpiritus ſæpe, ſed ſegniter febris machina utitur; & ſic diuturnas, ut in quotidianis febribus, proprii ſanguinis turbationes, non veras depurationes inſtituit. Interdum etiam licet Enormonticus niſus validam ſui fluidi commotionem promoveat, ejuſque maſſam ad aliquam deſpumationem compellat, proprio tamen ex penu, & a vitiato chylo intruſa; nova ſemper emergit infenſæ ſordis moleſtia, ut præ cœteris quartanæ febres oſtendunt; ideo perpetuantur iſtæ, donec novam diatheſin ſanguis adipiſcatur; ut in Vere contingit, quo tempore vegetior Enormontica energia per ſe tantum, vel cum artis fædere, autumnales quartanas facilè abſolvit. Denique & ob paucam ſpirituum vim, & ob nimiam lædentis pertinaciam, ut præcipue in Hecticis obſervatur, licet quotidie ſpiritus, maximè cum pauliſper a cibo refectus ſit, illico febrem reſumat; infenſæ vero ſordis reſiſtentia omnes illius conatus eludit, ut ſæpe deſperati extremi ſudores oſtendunt, qui ultimam ſanguinis diſſolutionem, non deſpumationem contendunt; & ideo a diuturno labore conſumptum Enormon una ſimul febrem, & vitam repente dimittit.

In Malignis, & Peſtiferis.

13. Febres item *Malignæ*, *ac Peſtilentes* ab eadem, diſpari ſaltem niſu ducta, impulſione dimanant; cum enim vel vehementes nonnullæ, vel mites aliæ oſtendantur, Enormontici conatus vehementiam, vel languorem exponunt. Profecto maligna lues illa proprie cenſetur, quæ veneno ſimilis, vitæ Promotorem apprime invadit, ac in eundem opprimendum, tota ipſius militat virulentia; ſic ipſa repentina virium proſtratio, ſingulare hujuſce ſignum, manifeſtat. Ideo quo plus infenſa eſt, eo major virium dejectio conſpicitur, ac eo minor commotio febrilis obſervatur; cum a venefica lue depreſſum Enormon debilem in ſanguine impetum concitare aptum ſit, ideo lento motu febris machina ducitur, ac in magno morbo febres parvæ inviſuntur, quas cum Ars provida, ſpiritus redimendo, ad moderatam vehementiam non inducat, ſpes nulla ſalutis ſupereſt. Contra vero cum venefica lues minori violentia invadat, validuſque intimus niſus aggreſſori reſiſtat, tunc febris magna conſpicitur; ſpiritus enim oppugnatus, non vero depreſſus, ut infenſum aggreſſorem a propria dictione depellat, majorem, quo poteſt, in ſanguine concitat commotionem, unde ex magna febri egeſtæ deſpumationes emergunt, quas cutaneæ maculæ, morbilli, variolæ, petechiæ, parotides, bubones, ſimiliaque hujus cenſus, ad oculum oſtendunt, quæ inquam omnia intimum eliminantem vario charactere deſignant; unde certum videtur, quod, niſi ob nimium conatum proprias vires diſſipet, Artis auxilio adjutus, non ſine victoria in veneficum hoſtem febrili machina uſus ſit; ſed hæc tandem in hac linea ſatis ſint.

In febribus a ſolo ſpiritu ductis.

14. Enormonticum niſum ab externis occaſionibus laceſſitum hactenus exemplificavimus; nunc vero propria thymoſi excandentem, ſeu abſque infenſo provocante concitatum ſpiritum deſcribere, adhuc ſupereſt. Hoc ergo febrium genus non, ut veteres credidere, inter anguſtos Ephemerarum terminos coarctatur, cum re vera in ampliorem latitudinem ſe extendat; ſed hujus cenſus febres, quia nimis arduo primo dignoſcuntur; ideo cum cœteris, quæ recrementorum ſtimulo provocantur, hactenus confuſæ, ac a vulgari arte non recte curatæ fuere. Quamobrem plurimis jam firmatus obſervationibus, opere pretium erit, harum febrium, quæ non raro invadunt, proprium eſſe, ac latitudinem deſignare, legitimiſque ſimul exemplis declarare. Tunc ergo febres iſtæ obſervantur, cum ſæpe ſana corpora invadant, cum nempe vel ſolo ſpirituum orgaſmo, vel forti aliquo pathemate, vel præparata ſanguinis immutatione, Enormonticum niſum, nullo læden-

læſentis recrementi ſtimulo provocante, febres excitare conſpicimus; nec eaſdem abſolvere ſueſcit, niſi vel ſpirituum turgentiam diminuat, ut Ephemeræ febres oſtendunt; vel niſi pathematis excandeſcentiam compeſcat; vel tandem niſi novam ſanguinis diatheſin obtineat. Primi generis febres hic exponere ſuperfluum eſt, cum vulgus etiam in Ephemeris dictis perſpicua exempla ſæpius inſpiciat. Secundi vero, & tertii generis febres, quia non raro Imperitos decipiunt, cum indirecta medendi methodo illas minus compeſcant, & magis exagitent; ideo ad publicum bonum utriuſque generis febres expendere, ac exemplificare duximus.

Febres a paſſionibus inductæ.

15. Et primo a vehementi pathemate quantum Enormon exagitari poſſit, periti noſcunt; in nervoſo etenim, & inde in venoſo genere tot commotiones, quot paſſionum ſpecies ſunt, concitari ſolent, unde a motibus hiſce (etſi nulla alias occaſio adſit) febres etiam non raro inducuntur; quas cum imperiti exacte non explorent, inter febrium putridarum gregem connumerant, & illas communi methodo vexant potius, quam curent. Quamobrem ut ſaltem Juniorum oculos aperiamus, unum, & alterum, a nobis inſpectum, exemplum extendere convenit. Primum ergo ſit; Medicus honeſtiſſimus, amicuſque honorandus, ob vehementem animi paſſionem in febrem incidit; prima die multa vomuit, licet 36. circiter horis præter chocholatæ cyathum nil ſumpſiſſet; altera die pene tota deliravit; tertia mannæ potionem, ſponte ſumptam, vomitu rejecit, crevitque ſimul cum convulſionibus delirium; quarta die ab ejus Uxore vocatus, & ab ipſa de omnibus certior factus, meo juſſu ſpirituum compeſcentibus uſus, mediocriter quievit; quinta dictis continuatis auxiliis, cum pauca febri mitiora ſymptomata apparuere; ſexta febris, delirium, & vomitus ſimul diſceſſerunt, ſed vagis artuum doloribus patiens infeſtabatur; at pacativis dietis per biduum utens integre convaluit. Placato enim ſpiritu, a quo concitato febris, & ſymptomata oriebantur, ad priſtinam quietem vitalis æconomia reſtituta fuit; contra vero ſi purgantibus quibuslibet febris tentata fuiſſet, diutius cum exaſperatis ſymptomatis perſeveraſſet. Alterum exemplum Juvenis morigeratus exhibet; hic inquam noctu domum rediens in latrones incidit, a quibus pallio ſpoliatus, mortis terrore affectus, mane ardenti febre corripitur, multaque amara evomuit, ſerò vomitui diarrhea ſucceſſit, ac permulta dejecit; ſecunda die catharticum aſſumptum revocavit, ſimiliterque replicatum aliud ex bolo evomuit, ac illico deliravit, cum quo tertia, quarta, & quinta die ſine cibo manſit, ſexta, & ſeptima cum externis opiatis dormivit parum, ciboque reficiatus fuit; octava verò intempeſtivis bezoardicis excitata recruduit febris cum vehementiori delirio; quo die de ſero vocatus, morbi ſeriem, originemque audiens, curativam methodum permutare ſuaſi, ſpirituumque compeſcentibus adhibitis, poſt tres dies abſque recidiva convaluit. In hiſce itaque febribus nihil tutius peragitur, quam Enormonticam acoſmiam, cum ſola tot commotiones induxerit, tempeſtive compeſcere.

A ſanguinis immutatione.

16. Alterius vero generis, nempe ob ſanguineæ craſeos innovationem emergentes febres, ab Enormontico niſu in ipſa vel ætatis, vel aeris, vel victus mutatione interdum excitari, multis obſervationibus didicimus. Practicum hoc lumen a peritiſſimo *Sydenham*, primo deſumpſiſſe, plurimiſque poſtea experimentis clarius vidiſſe, ingenue fateor; multa enim praxis docet, quæ theoria non æque tetigit, cum perita morborum obſervatio legitimam eorundem originem non raro attingat; unde non omnino falſum jactabat ille apud *Plinium*; *plus decumbentes*, *quam codices me docuere*. In hac ergo linea unico ſaltem caſu abſtruſam hanc dignotionem exemplificare decet; nobilis quidam Vir annorum 47. cum ſub Auſtriacis vexillis diu militaſſet, domum repetens, poſt menſem circiter acuta febre correptus fuit, quæ poſt dies 40. in ſimplicem tertianam devoluta, per quatuor menſes illum moleſtavit, uſumque chinæ ſemper eluſit; in hoc ſtatu tandem meum adhuc conſilium petiit. Cum ergo methodicas inſtitutas curationes audiviſſem, ac diuturnum peruviani

viani febrifugi uſum inutiliter frequentatum perpendiſſem, præteritamque militarem, & præſentem pacificam vitæ conditionem fixa mente revolvens, aeris, ac ciborum variationem ſimul recogitans, arduam febris hujus ideam attigiſſe credidi; ideo conceptam de ſanguinis immutatione ſententiam perplexis omnibus exponere, illoſque ſuadere, facile fuit, ut inutilibus remediis omnino dimiſſis, in ſola diætæ moderatione inſiſtentes, defatigatam Naturam ſuo juri remitterent; quo facto, febris illa, quæ diuturna remedia ſprevit, uſque ad decimamquartam diem perſtitit, in qua tandem magno cum ſudore abſoluta eſt. Perſpicuum argumentum, quod ab invitis febrifugis diu præpeditum Enormon, inſtitutam ſanguinis immutationem, ſibi relictum, conſequi tandem voluiſſet. Hoc inquam ſatis, ſuperque demonſtrat, quanta plenaria energia ſanguinis jura ſibi reſervet Enormon, febreſque, vel ſponte, vel provocatum producat, & abſolvat; quæ demum pro intimi febrium efficientis dignatione ſatis eſſe credimus, nunc item ad externas occaſiones, vario modo Enormonticum niſum provocantes, expendendas, accedamus oportet.

C A P. I V.

De Febris occaſionibus ſimplicibus.

Variæ lædentium opiniones. 1. CUm ſanguinis fluidum a varia lædentium multitudine affici, & infici poſſit, docente *Hippocrate*, *in homine ineſſe poſſe prorſus infinita, omnigenas facultates habentia*; non ideo vaſtam hanc materiam ſine propria methodo evolvere duximus. Varias tamen in hac re opiniones vitamus; cum non dum vetus primarum qualitatum ſyſtema, ſed & recentes, differenteſque ſententiæ implicatiores ambages auxiſſent. Qui enim indefinitas Hippocratis lædentium potentias, vel nullo limite deſcripſerunt, vel ad primas qualitates variatis nominibus revocarunt, vel ad tria chimiſtarum principia reduxerunt, vel ad duo illa Tachenii, acidum, & alchali reſtrinxerunt, vel denique ſtrictius adhuc in unico acido-acri, multifariè infenſo, univerſam febrium tragædiam coarctarunt. Tot hodie Medicinæ lyceum nova crepuſcula inaurant;

Quæ tu nec tenebras, nec poſſes dicere lucem,
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.

lux inquam ambigua, ex conjecturis irradians, liberoque philoſophandi jure a veriſimilium lampade ſubducta. Non ergo hiſce fidere facibus noſtrum eſt; ſed pro viribus a tutiori veritate lumen expetere, ideo in hac indagine Hippocrates, & experimenta nos ducunt.

2. Divinus ergo Præceptor nos docet, *lib. de veter. medic. num.* 24. *Non enim ſiccum neque humidum, neque calidum, neque frigidum, neque aliud quicquam ex his hominem lædere, ſed in unoquoque forte, & humana natura potentius eſt, quodque non poſſit ſuperari, hoc ipſum lædere duxerunt, & hoc auferre quæſiverunt. Ineſt enim in homine & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita, omnigenas facultates habentia, copiamque, & robur.* *Plurima lædentia ex Hippocrate.* Nec inquam ſolito magni Senis laconiſmo in homine deſcripta, energetico-ſapida corpuſcula æque, vereque in ſanguine adeſſe, celebriorum Virorum *Boylei*, & *Bellini* experimenta comprobarunt; hanc veritatem pariter ſe ſub eximio Magiſtro vidiſſe Clariſſim. *Gulielminus* teſtatur, *Diſſert. de ſang. natur. num.* 52. *Mihi quidem & vitriolica, & aluminoſa, & tartarea, & nitroſa, & ſalſo muriatica ramenta, oſtendente primum Illuſtriſſimo Malpighio, non ſemel contigit obſervare ſolo microſcopio, & citra ullam chymicam præparationem, & præterea innumeras alias figuras, quæ ad nullam ex primigeneis, ſed potius ad compoſitas erant referendæ.* Hoc idem cuicumque perito indaganti, etiam in exiccata circa vitrum urina, per microſcopium optimum facile erit detegere, ſicuti & nos pluries inſpeximus. Inſunt itaque in ſanguine omnium differentiarum ſalinæ particulæ; ut in aſſumptis cibis, aereque inſpirato ineſſe dignoſcitur, quorum tam fixorum, quam volatilium affectiones variæ ſapidas Hippocratis facultates adunguem expo-

Syſt. Medic. Roſetti.

X

exponunt. Ex hiſce certis deducitur tandem, quod pro majori dictarum cujuſvis generis molecularum redundantia, & coagmentatione, magis etiam earundem potentia in ſanguine exaltatur, *unde conſpicua fit, & lædit*, ut ipſe loquitur *Hippocrates*. Hæc ergo pura magni Coacis doctrina eſt, tutis experimentis firmata, quæ indefinitam lædentium in ſanguine catervam ad amuſſim demonſtrat.

Lædentia determinantur. 3. Hæc verò univerſalis doctrina, ut ad febrium ſpecies determinate applicetur, ipſa primo Praxis tuta manuductrix erit; dimiſſis ergo multiloquis hypotheſibus, quæ minus quam oculata peritia ad veritatis limina ducunt, tuto dicimus; quod tribus præcipue modis ſanguis in febribus infici poſſit, ut ex practicis notionibus, & anatomicis inſpectionibus innotuit; nempe vel ab Acidis coagulantibus, vel ab Acribus colliquantibus, vel a Viſcidis lentorem inducentibus, quæ inquam infectiones, & in detracto febrientium ſanguine, & in recluſis cadaveribus inſpectæ fuerunt; hæc autem lædentia juxta propriam indolem, propriam etiam in ſanguine ſcenam agere, ejuſque lædere ſymmetriam, ac pro læſionis gradu Enormon concitare, febriſque occaſiones proximæ eſſe poſſunt. Quid vero per acidum, acre, & viſcidum intelligendum ſit, brevi ſaltem calamo deſcribere decet, ne in quorundam chymeras incidere, juniores patiamur. Primo itaque acidum, mechanice expenſum, illud eſſe cenſemus, quod unicam coagulandi vim exerere, extra quam ſphæram nullo modo ſe extendere poteſt; hujus enim corpuſculum particulæ ſalinæ ſtypticæ, plus, minuſve aculeatæ, pro aciditatis gradu, ac ortus differentia, integre definiunt; cujus agere eſt, poroſas ut alchalinas, & ramoſas ut ſulphureas particulas incuneare, ac figere; ſicque in majorem moleculam excreſcere; quæ hinc inde pro acidorum redundantia congeſtiones auctæ, ſanguinis fluorem, motumque retardant, ac Enormonticam expanſionem præpediendo, ad vehementiorem impetum concitant, unde febris occaſiones evadunt. Secundo ſub Acri nomine ſalinas urinoſas, volatiles, ac inrequietas particulas intelligimus, quas ideo alchalinas corroſivas Chymici nuncuparunt, quia moleculas acidas in ſanguine, quæ illius conſiſtentiam firmant, avide abſorbent; ſicque ſanguineam ſyſtaſin diſſolvunt, totamque maſſam, cum nimis redundent, colliquant. Habet enim hoc acre oppoſitas acidi vires, cum ab iſto fixationes, ab illo colliquationes moliantur; ideo cum hoc in ſanguine turgeat, ejus conſiſtentiam liquando, abſque propriis repagulis relictum Enormon, per diſſolutam maſſam ad liberas vehementeſque exploſiones ſpiritus impelluntur; unde ardentis, vehementiſque febris occaſio paratur. Tertio demum ſub Viſcidi titulo pingues, glutinoſæ, tenaceſque particulæ intelliguntur, quæ proprio lentore cœteras moleculas etiam volatiles tenaciter inviſcant, ſicque totius maſſæ motus, tam inteſtinum, quam circularem non parum remorantur; ac ſæpius, cum hæc lues nimium redundet, plurimas hinc inde ſpirituum turmas proprio glutine cohibent; unde ſanguinis calorem, & fluiditatem adimunt; ideo algidis, ſyncopalibus, ſenumque febribus occaſiones proximæ ſunt. Hæc ergo integra febrilium cauſarum ſeries univerſam febrium ſphæram, quo ad occaſionales proximas origines pertinet, ſatis circumſcribit; remotas vero infra dabimus.

Acidi propria vis. *Acris vis.* *Viſcidi vis.*

Illorum in ſanguine generis. 4. Contingentes demum iſtæ, proximæque febrium occaſiones, vel per ſe primo in ſanguine generari, vel ab extra in maſſam ingeri poſſunt; hoſce inquam modos, ut integram occaſionalium cauſarum dignotionem abſolvamus, expendere adhuc ſupereſt. Et primo ſanguinis lues, quæ ab intimis pullulare ſolent, *intus generari*, Veteres non inconcinne dixiſſent, ſi ab Hippocrate jam deſcriptam generationem mechanicam æque intellexiſſent. Dicit enim divinus Senex *lib* 1. *de diæt. num.* 5. *Quid vero dicam generari, & perire, vulgi gratia interpretabor; hæc autem commiſceri, & ſecerni, ſignificare declaro. Generari idem eſt, quod commiſceri; perire, corrumpi, ac minui, idem eſt, quod ſecerni*. Per Hippocratem ergo (mechanica penè doctrina, a coævo, amicoque Democrito forſan hauſta) æque docemur; quod ea generari dicun-

dicuntur, quæ propria cujuſque corporis elementa congerendo, ac energetico niſu, debitoque nexu, in expetitam ab Embrionis indole ſymmetriam, ſimul conſpirando, commiſcentur, & componuntur. Hoc inquam ſtylo lædentium in ſanguine contingentes generationes explicari poſſunt; vitioſum enim molecularum acidarum, vel acrium, aut viſcidarum proventum generari tunc dicimus, cum plurima illorum corpuſcula, quæ in maſſa naturali nexu cum cœteris colligata, inſenſilia, & innocua degebant, quo vis dato fomite, primo caput attollant, ſimulque coagmentata, conſpicua fiant, & lædant; equidem ſicuti prius debita proportione cum cœteris ad equilibrium commixta, nullam infenſam vim exerere poterant; ita cum in moleculis conſpicuis excreverint, & redundent, ſanguinis mixtionem citò dilacerant. Hæc tamen lædentium in ſanguine geneſis, præviam aliquam ejuſdem craſeos corruptelam ſupponit; non enim dictæ moleculæ in conſpicuam congeriem exaltari queunt, niſi prius ab aliis ſecernantur; & ideo dixit *Hippocrates*, *corrumpi idem eſt, quod ſecerni*. Infenſæ ergo particulæ illæ ſecernuntur primo a cœteris, cum quibus figura, ſitu, proportione, ac motu concordes, & innocuæ degebant; *ubi vero quid horum ſecretum fuerit*, (ecce ſecretio, & corruptio) *atque ipſum in ſe ipſo fuerit*, (ecce congeſtio, & generatio) *tunc & conſpicuum eſt, & hominem lædit*, *lib. de veter. medic. num.* 25. idem Hippocrates repetit. Hanc autem in ſanguine occaſionalium cauſarum geneſim quia humani captus imbecillitas intime attingere nequit; ideo externas prophaſes, quæ ſæpius illam promovent, ad examen vocare ducimur; ut lædentium exaltationem per fautores ſaltem dignoſcamus.

Fomes primus ab animi motibus. 5. Inter cœteras ergo prophaſes, quæ ſanguinis particulas ad commotionem, & inde ad ſecretionem, & congeſtionem concitare poſſunt, primam certò lineam tenent vehementes animi Paſſiones, quæ quidem quot variis motibus ſanguinis mixturam perturbare ſueſcant, nemo ſatis dignoſcit. Scimus enim ab Ira, ex.gr. ſulphureas maſſæ moleculas exaltari, & ad excandeſcentias concitari; contra vero pavor, ac terror, ſulphureas, vividioreſque ſanguinis particulas ita obruere, ut undique corpus rigeat, & frigeſcat. Scimus item nondum ex medicis obſervationibus, ſed etiam ex hiſtoricis teſtibus, quod morbos plurimos, & repentinas mortes, vehementes paſſiones induxerint; tantam vim impendunt iſtæ, ad ſanguinis corruptelam inducendam. Ideo igitur animi motus iſti ſanguinis texturam evertunt, quia ſpiritibus ſuis, a quibus vigentibus ſemper tuta ſervatur, ipſam depauperant; ſicque cœteris particulis regimen adimunt, & quæ in maſſa validiores vel copia, vel energia exuberant, ſine gubernio vagantes, caput hinc inde attollunt, ſenſimque congeſtæ ſimul, conſpicuæ fiunt, & lædunt. Altera item intimæ hujus generis prophaſes Excreta, & Retenta, ultra tolerantiam vitiata, eſſe ſolent. Quæ enim a ſanguine ſunt excernenda, (ut ejus ſuperflua per tranſpirationem, vel per uterum, aut per habituatas hæmorrhagias, ſicut & bilis in hepate, ſerum in renibus, &c.) ſi hæc inquam ſuperflua, infarctis cribris, non excernantur, quarumlibet congeſtiones in maſſa fiunt, quæ lædentium geneſis promovent, & febrium occaſiones pariunt. Oppoſito autem modo idem efficiunt plus æquo deturbatæ Excretiones, quæ ſanguinis propriam temperaturam diſſolvunt, & maximè cum illius ſerum eliminent, ut ex. gr. in diaphoreticis ſudoribus, urinæve profluviis, quæ diluentis fluidi (in quo ſalina corpuſcula æquabiliter contemperantur) venas exhauriunt; unde haud ritè ſoluti ſales, ametriam concipiunt, ſimulque congeruntur, pluresque ſenſim lædentium turmas progignunt. Tertia, & quarta demum prophaſes a Somno, & Vigilia, a Motu, & Quiete, excedenter abuſis, non raro dimanant; hæc enim lædentium in ſanguine exaltationem, & congeſtionem promovere, apta ſunt; cum Motus, & Vigiliæ, ſupra tolerantiam excedentes, Enormonticas vires nimium agitent, & ac enervent, quibus exhauſta maſſa, reliquæ ſine freno relictæ, libera quarumvis vagatio, & congeſtio facilitatur. Ita è contra quæ ſpiritus tor-

Alter ab Excretis, & Retentis.

A Somno, & vigilia, a motu, & quiete.

pidos reddunt, ut ſedentaria Quies, Somnuſve immoderatus ita Enormonticum niſum, vigoremque relaxant, ut ſanguinis decentes motus langueſcere cogant; unde nec rite digeſtiones perficiuntur, nec æque totius maſſæ recrementa cribrantur, quorum redundantia congeſtiones primo, & inde febrium occaſiones gignunt. Hæc demum quo ad intimam lædentium geneſim ſatis ſint.

Altera ab ingeſtis occaſio. 6. Alterum denique modum, quo nempe extranea ingeſta ſanguinem inficiant, breviter exponere, adhuc ſupereſt; horum ergo fontes duo præcipue ſunt, alter Aeris effluvia, alter Cibus, & Potus. Aer ergo primum, ſicut in orbe terraqueo ad vitam promovendam neceſſario concurrit, ita quovis modo vitæ infenſus ſit, præcipuum morborum fomitem eſſe, docuit etiam *Hippocrates; Mortalibus autem vitæ, & morborum ægrotis ſolus is eſt auctor, lib. de flat. num.* 6. Aer ergo, quo reſpiramus, quique nos ambit, ex indefinitis terræ hujus effluviis congeries quædam eſt, cujus volitantia corpuſcula, cum nobis infenſa ſint, ſanguinem, qua data porta, invadendo, illius puritatem depravant, & probitatem corrumpunt; Aer enim intus, & extra corpus vitali œconomiæ inſervire debet, cum verò per os in pulmones, & per cutim in venas lædentia corpuſcula ingerat, in ſanguine tandem ultra tolerantiam congeſta, illius craſin lacerant, Enormonticos niſus evertunt, ſicque febrium occaſiones evadunt; quod quidem Endemiæ, ac Epidemiæ aeris conſtitutiones affatim oſtendunt.

Primo ab Aere.

Secunda a cibo, & potu. 7. Altera ingeſtæ luis occaſio a Cibo, & Potu expeti poteſt; alteruter enim ſi ſuccum vitali fluido degenerem efferat, pro vitii conditione ſanguinem defædat; chyli autem lædentis differentiæ plurimæ quidem eſſe poſſunt, quarum ſeries ad tria præcipue genera, nempe ad acria, vel acida, aut viſcida, ut ſupra oſtendimus, æque reducitur; horum verò vulgarem expoſitionem Juniorum commodum expetit, ideo ad illam deſcendere haud renuo. Primo itaque cibi acres occurrunt, inter quos primas tenent Porri, Cepæ, Allii, quibus & nobiles menſæ in ſalſis frequenter gaudent; item Sinapi, quæ *a*

1. Acria cibaria.

Plauto ſcelerata notatur, qua in Sinapiis, vulgò Monſtardis, cum luxuria utimur; ſimiliter Raphani domeſtici, ac ſilveſtres, quorum ſapidum dicimus cum acetariis edulium; ſaccharum inſuper, & ſaccharata omnia, quæ menſarum Lamiæ proditoria dulcedine officiunt, quantam acrem virulentiam recondat, ſolers Chymia detexit, cum ex ſaccharo ſpiritum ita corroſivum depromat, ut margaritas, corallia, & duriora etiam diſſolvat; imo & a ſaccharo ſimpliciter pulveriſato Antimonium ipſum ita maceratur, & corroditur, ut ambo ſimul deſtillata, acutiſſimum Stibii liquorem proferant, hinc diſcant illi, qui poſt lauta convivia voluptuoſa condita devorant; denique Piperata, Caryophyllata, cœteraque hujus cenſus, quorum acerrimæ, indomabileſque particulæ cum chylo ingeſtæ; ſi ultra tolerantiam cumulentur, ſanguinis ametriam primo, & inde ſpirituum concitationes, febreſque ardentes commovent. Secundo inter Acidas ingeſtiones Acetum, & cum ipſo condita plurima primam lineam tenent; hæc inquam, ſicuti moderato uſu appetitum ſollicitant, ſanguiniſque conſiſtentiam ſervant, ita eorundem abuſus chyli maſſam plus æquo acidam reddunt, a qua ſanguis invaſus ad congeſtiones diſponitur, unde coagulativæ febres emergunt. Lac ſimiliter nimius, & condita ex illo cibaria, quæ in ſtomacho minus vegeto aceſcere ſolent, eandem noxam inducunt. Fructus horei pariter, maxime cum abutantur, acidam ut plurimum corruptelam in ſanguinem ingerunt, maxime ſi primam digeſtionem eludant, tunc etiam in cœteris pertinacem acidum ſervant. Eadem noxa culpantur tandem Quadrupedum, ac Volatilium carnes plurimæ, cum non niſi penè marcidæ comedantur, quarum putreſcenti acore chylus primo, & inde ſanguis contaminatur, unde ſæpius coagulativæ febres emergunt. Viſcidas demum ingeſtiones apprime inducunt Anſerinæ, Suillæ, Cervinæ, Leporinæ, ſimileſque carnes, ex quibus fæculentum, lentoreque infectum ſuccum digeſtionum officinæ conficiunt; pejora tamen ſunt fumo ſiccata carnium, ac piſcium edulia, quæ ſtomachi fermenta

2. Acida.

3. Viſcida.

non

non audiunt, ac indigeſta, proprio lentore ſanguinem inficiunt; nec Piſces recentes plurimi, ut armati, & ſine ſquamis, ac potiſſimum nocentiſſimæ anguillæ, ab hujus inquinamento eximunt; ſimiliter Fungi tam recentes, quam ſaliti, fumove ſiccati, non minorem inferunt abutentibus perniciem; item horei Fructus plurimi, ac præcipue Pepones, a quibus tres Imperatores extinctos, numerat *Crato*, quotque ſine numero ab illorum abuſu febricitare coguntur, defatigati Medentes affatim denunciant.

Potus noxæ. 8. Non minores a Potu læſiones ingeruntur; Aqua primo, quam major hominum pars bibere ſolet, cum fæculentis, vel mineralibus particulis fæda ſit, varias in ſanguine impuritates cumulat, ut populi omnes, paluſtribus aquis utentes, ad oculum oſtendunt; nec ſua noxa carent gelu frigefactæ potiones, quas ex fructuum, ſeminumque ſuccis cum ſaccharo in aqua confectas, ſiticuloſa luxuria in æſtibus devorat, ab his enim plurimos pericoloſe febricitantes ſub Sirio inviſimus. Sed quæ de Vino abuſo verba erunt? Hoc inquam ſicut moderate libatum, balſamum eſt, ita intemperate ingurgitatum, veneni ſpeciem evadere, Ebriorum tragædiæ demonſtrant; profectò vini virus Enormon proſtrare, paſſim inſpicimus; Ebrios enim primo delirare, & pro ſpirituum diatheſi vel langueſcere, vel ferocire, inde a narcotica illius violentia in profundo letho ſopiri obſervamus, ſæpeque *ſi Ebrius repente obmutuerit, convulſus moritur, niſi febre corripiatur, ut* 5. *Aph.* 5. docemur; febris vero ab Enormontico niſu, (cum a vinolentia omnino peſſundatus non ſit) ad invaſam virulentiam eliminandam, excitatur; cum vero vini virus cerebri caſtrum prorſus occupavit, ſpirituum niſu devicto, febris machinam feriari, & Ebrius convulſus mori cogitur. Hinc & vini ſtrages, & Enormontici propugnatoris conatus, cum poſſit, aperte noſcuntur. Hæc denique præcipue ſunt lædentes occaſiones, quæ cibi, potuſque culpa ſanguinem invadere ſolent. At pro præſentis inſtituti debito, proximam lædentium irritationem, ſeu ab iiſdem provocatam ſpirituum concitationem, & hinc febris geneſim mechanico ſtylo pro viribus delineare adhuc ſupereſt; arduam vero tragædiam, quam in nulla ſenſuum ſcena inſpicere quimus, exponere aggredimur.

Spirituũ irritatio exponitur. 9. Hanc itaque a lædenti fomite noxam, ſub *laceſſitæ Naturæ* titulo a Veteribus in confuſo expoſitam, ut ignorantiæ aſylum vitemus, mechanica methodo pro viribus explicare nitimur. Immediatas ergo febrium occaſiones, Acidum, vel Acre, aut Viſcidum *in ſanguine conſpicuum, & lædens, cum Hippocrate* eſſe diximus; poſita enim intolerabile ab hiſce ſanguinis læſione, illicò irritatur Enormon, ſeu elaſticæ, volatiliſſimæ, vividæque ſanguinis particulæ in expanſionibus ſuis præpediuntur, & exaſperantur, vel ad liberas exploſiones incitantur, aut in viſcido lentore irretiuntur. Iſtæ inquam particulæ (vitales ſpiritus nuncupatæ) a cœteris extricatæ, & liberæ per aliarum poros, & interſtitia regulato expanſivo niſu ducuntur, ſicque proprio motu totam maſſam vividam ſervant; cum vero in ipſa invaſæ lues vel congrumando, aut inviſcando ſanguinem inſolita repagula ponant, vel colliquando, maſſæ poros dejiciant, & devaſtent; tunc ſpirituum expanſiones vel præpeditæ, vel nimis liberæ ad varias motuum anomalias inducuntur. Et primo (ut ad ſingula deſcendamus) cum ex. gr. exuberans acidum ſanguinis maſſam, variis hinc inde coagulatis molecularum congeſtionibus, inficiat, tunc liberæ ſpirituum ſemitæ præpediuntur, ſicque obices iſti elaſticam illorum expanſionem exaſperant, & adaugent; quod ſi figentis acidi virus in nimiam extentionem per ſanguinis vadum excreſcat, ac ſæpius in repagulis ſpiritus incidant, adhuc major irritatio illos concitat; a denſis enim paſſim congeſtis moleculis Enormontica expanſio nondum præpeditur, ſed & cohibetur, unde plus æquo compreſſi ſpiritus, innata elaſtica vi fortius impelluntur, ſicque majori impetu ducti, & ſibi viam vi faciunt, & totam maſſam ocyus ad motum impellunt, unde intima ſanguinis commotio, in qua febris eſt, illico exoritur. Alteram item paginam volvendo, cum Acris lues maſſam inficiat, ſanguinis particulas a proprio nexu diſſolvit,

Primo ab Acido vitioſo.

Secundo ab Acri redundanti.

ſolvit, ac fluidi texturam colliquat; alchalina enim ejuſdem corpuſcula moleculas acidas (quæ ſanguinis compagem firmant) ubique inveniunt, ſibi abſorbent, ſicque ſanguinis fluidum propriis retinaculis privatum in colliquatum fluorem invertitur. Sanguinis vero ſpiritus, qui inter particularum interſtitia, poroſve permeando expanduntur, cum ſolito partium nexu, & reſiſtentia non ultra contineantur, per diſſolutam maſſam, innato impetu ducti, liberius, & vehementius impelluntur; unde velociores, & ſine reſiſtentia diſcurrendo, proprium fluidum, debito nexu ſolutum, impetuoſe commovent, ſicque ardentes febres inducunt. Ultima tandem Viſcidis redundantis læſio eſt, ſanguinis ſpiritus non dum irritare, ſed & irretire, ac inviſcare, & deperdere; quia in viſcida hinc inde per ſanguinem propagata illuvie, qui ſemel irretiuntur, nunquam, vel difficulter ſe eximunt, prout plus minuſve lentoris tenacitas illis reſiſtat; qui vero liberi per maſſam vagantur, cum ſine ſociorum conſortio, & auxilio, ad lentam fluidi molem intime commovendam impares ſint; ideo ſi proprii ſanguinis depurationem moliri tentant, nec liberam, nec plenam innati niſus energiam explicare, nec maſſam, a viſcido lentore detentam, ad vehementem motum cogere poſſunt; unde ſub hac occaſione provocatæ febres, & commotionem parvam oſtendunt, & paucum æſtum, ac ſæpe nullum accendunt. Hanc igitur Enormonticam, ab invaſis lædentibus provocatam concitationem, & inde febrem inductam, eſſe poſſe ſuademur; veruntamen adhuc plura, in hoc arduo negotio inveſtiganda, cordatioribus remanent, quibus mechanicam viam indigitaſſe, pro præſenti debito ſufficiat; nunc vero ad venefica lædentia divertamus oportet.

Tertio a Viſcido.

CAP. V.

De Febris occaſionibus Veneficis.

Peſtilentiæ opiniones.

1. Nil unquam fortaſſe in Medicina contentioſius, quia nil magis obſcurum hactenus fuit, quam peſtilentis Febris occaſionale venenum; ſuis enim antiquitas caliginibus involuta, in humorum corruptela, ac in illa nunquam explicata putredine peſtilentium virulentiam depoſuit; quod varie ſemper ab ipſis Veteribus commentatum fuit. Cum vero hæc putredinis opinio male tandem oluiſſet, ad occultas qualitates effugere cogitarunt, quæ opinio certe obſcurum per obſcurius exponere haud percepit. Recentiores autem anatomicis obſervationibus inſtructi, Priſcorum lapſus vitare didicerunt, tutiorique, inſpectionibus edocta notione, peſtilentiarum fomites detexerunt. Horum itaque primæ Claſſis *celebr. Villiſius* eſt, qui hoc virus in quodam figenti venefico, Acidoque miaſmate fluidum coagulante, conſiſtere ſancivit; huic vero contra peritiſs. *Sylvius de le Boe* in ſale volatili acerrimo, ſanguinis compagem colliquante, virus hoc ineſſe decernit. Sicque alii aliter, ſed parum ab his declinantes, peſtilentiarum explicare venenum, operoſe nituntur. Nobis vero quid inter tot placita veriſimilius videatur, non ſine rectis conſiderationibus determinare audemus. Ideo ut quid tutius in his ambiguitatibus diſcernere, ac decernere poſſimus, nonnulla prius examinanda præmittimus, quæ facilius ad intentam metam conducant. Hujus ergo veneficæ luis primo Naturam, ſecundo Effectus, quantum humana ferunt, exquirendum nobis eſt.

A geneſi peſtis indagatur.

2. Ad primum igitur, cum a priori arduæ indaginis ſit, veram hujus veneni naturam penetrare, utpote quia hujuſce principia ſub tenebris latent, ac non niſi a conjectatis effectibus obſcure deducantur; ideo ut pro viribus proximiorem illius notionem detegere aſſequamur, ab ipſius geneſi, ſeu ab eruptionis modo lumen aliquod primo petere

tere opus erit. Apprime igitur de peſtilentiarum ortu Hiſtoricos, Medicoſque conſulere duximus, ut notiores ipſarum ſcaturigines nobis detegant. Varios verò cordatiores iſti earundem ortus indigitant; multi enim poſt terræmotus a profundis terræ ſciſſuris lethale hoc virus exhalaſſe teſtantur; ſimiliter ex mortuorum longa vetuſtate obſignatis ſepulcris, ſic *Juſtinus hiſtoricus*, *Amianus Marcellin. hiſtor.* 73. *Guainerus de peſt. c.*1. & alii; imo *Rulandus tract. de febr. Ungar. cap.*8. febres contagioſas a ventilatione veteris diu immutati frumenti ortas deſcribit. Alii vero a corruptis hominum vel beſtiarum cadaveribus virus hoc adeo funeſtum exhalaſſe ſcribunt, ut mundi partem lethali peſte infeciſſet; imo *Divus Auguſtinus de Civit. Dei lib.*3. *cap.*31. ex vaſto Locuſtarum cadavere peſtem totam penè Africam devaſtantem enarrat. Nonnunquam ab annonæ caritate peſtis vocata fuit, ut retulit *Galenus lib. de Natur. human. com.* 2. *teſt.* 3. Plerumque a Lacubus, Cavernis, Fodiniſve fracidas exhalationes erupiſſe, quæ varia contagia pepererint, ut *Borell. cent.* 2. *obſerv.*22. *Simon Paul. de febr. malign. p.* 3. *Kircherus in ſcrut. de peſt.* aliique referunt. Interdum etiam ex ſulphureis in aere accenſis ignibus, ac prope terram vagantibus hoc venenum propagatum fuiſſe, *Titus Livius Decad.* 3. *lib.* 5. *Petrus Salius Diverſ. in lib. de peſt.* deſcribunt. Ex hiſce igitur notis primo deducere, eſt opus, quod tam varia hujus labis cunabula, & ortus clare ſuadent, non unicam ſemper hoc virus naturam habuiſſe; cum a cauſis nimium diſtantibus, & penè oppoſitis propriam geneſim oſtenderit. Satis enim ſuademur, illud a putridis aquis exhalatum venenum, ejuſdem non eſſe naturæ cum altero, quod a ſulphureis ignibus erupit, neque hoc cum illo, quod ex annonæ caritate ortum habuit, nec iſtud cum altero, quod ex putridis cadaveribus emerſit; ideo diſpares naturas habere, differenteſque vires exerere, certo deducitur.

Secundo a modo Invaſionis. 3. Verum ut tutius adhuc procedamus, ab hujus veneficæ luis invaſione alteram lucem poſtulare, par erit. Ex plurimis ergo æque perpenſis obſervationibus, ſatis dignoſcitur, quod nec eodem modo, neque cum iiſdem morbis ſemper invaſerit; & primo non eodem certe modo, quia non æquali virulentiæ gradu, & ſpecie graſſari ſolet; malignæ enim febres mitiores ſunt peſtilentibus, minuſque periculoſæ obſervantur; imo inter malignas aliæ ſunt contagioſæ, alteræ vero propriam luem non communicant, & ex iſtis item aliæ continuæ ſunt, aliæ intermittentes, quæ in tertia periodo ſæpe interimunt, ut Periti æque noſcunt. Iſti ergo differentes invaſionis modi, non unicam veneni hujus naturam eſſe debere, magnam augent conjecturam. Sed nec iiſdem morbis invariabiliter comitata obſervatur; nonnullæ enim cum epidemia Pleuritide, vel Angina; multæ cum Syncope, & Cardialgia; aliæ cum Dyſſenteria; plurimæ cum Petechiis, alteræ cum Variolis, Morbilliſve, ac uno verbo ſingulæ ſæpe diſſimiles invadere aſſueverunt; ita ut omnes diſſiti morbi cum hac lue comitati apparuerint. A peſte remotiſſimam Hydrophobiam noſcimus, hanc tamen cum peſtifera febre, ſine rabido morſu, copulatam vidiſſe jam, *Salmuth. cent.*2. *hiſtor.*52. & *Sangiach. in obſerv. medic.* teſtantur; ſed quid rarius peſte illa, quam *Georgius Agricola lib. de peſt.* deſcribit? quæ ſtupefaciebat, inde ſiderabat membra, demum jugulabat; ac altera a *Mercuriali lib. de peſt.* relata, quæ pedum, tibiarumque oſſa ſæviſſime crucians, intra triduum ægros necabat. Febres item a peſtilentia diſtantes, una ſimul ſcenam agere, Practici viderunt. Hecticas peſtilentes vidit, & deſcripſit *Galenus lib.* 10. *method. medend. cap. ultim.* Quartanas peſtilentes inſpexit *Nicolaus Maſſa lib. de peſt. cap.*3. Ephemeras contagioſas detexit *Hercul. Saxon. lib. de febr. cap.*38. Sed quid amplius; hæc enim ſatis perſpicuam ſuggerunt decernendi rationem, quod non unicum ſit hujus hydræ caput, unicumque venenum nec ſemper evomere aſſueſcat; varii enim invadendi, & excruciandi, enecandique modi ab unica, ſemperque eadem lue manare nequeunt.

Tertiò a juvantibus, & lædentibus. 4. Clarius tandem lumen a Juvantibus, & Lędentibus ſumere, adhuc credimus; primum itaque a Bezoardico lapide

pide ſcrutinium auſpicamur ; hic inquam orientalis , & occidentalis a *Serapione* , *Raſes*, *Matthiolo*, *Monardo* , *Rulando* , aliiſque plurimis contagioſos morbos debellare , curæque paginam implere , obſervatus fuit . Contra vero in aliis epidemiis idem Bezoar ineptum , imo nec innocuum auxilium , *Crato*, *Hercules Saxoniæ* , *Mindererus* , *Riverius* , aliique inveniſſe teſtantur . Quas item Bezoar , eaſdem confuſiones & Camphora ipſa inter Practicorum experimenta permiſcuit; cum in aliquibus epidemiis validum remedium , in aliis vero apertum detrimentum attuliſſe , citati Doctores , aliique multi obſervaſſent . Radices pariter alexipharmacas dictas, in aquis ſumme ſpirituoſis adhibitas , peſtilentiarum virus domuiſſe ; in aliis vero obfuiſſe compertum fuit ; ideo eaſdem radices , minus calidas , in acetis Bezoardicis præparare , & propinare felici tandem eventu experti ſunt . Hæc omnia ſatis oſtendunt, quod in aliquibus epidemiis Rarefacientia pharmaca, & in aliis Figentia remedia proficua fuere , quæ curationis varietas diſparem certo hujus veneni naturam demonſtrant.

Quarto a phlebotomia. 5. Nec minori claritate hoc idem oſtendit magnum Phlebotomiæ remedium ; quod ſicut in contagiis nonnullis ut neceſſarium auxilium probatum fuit , ita in aliis ut exitiale damnatum ; unde adhuc clamitant perplexæ in hoc auxilio Veterum controverſiæ . Ut ergo Junioribus grati ſimus , unam , & alteram ſaltem Epidemiam enunciare non diſplicet; prima ergo ſit illa, quæ anno 1565. totam fere Galliam invaſit , de qua refert celebris *Ambroſius Parens in tract. de peſt. cap.* 24. *Se ex omnibus urbium , per quas Regi Carolo IX. Bayonam iter erat, Medicis , & Chyrurgicis diligenter ſciſcitatum eſſe , quid ægris ſucceſſiſſet in phlebotomia , omneſque una voce reſpondiſſe ; omnes peſtilentia correptos , quibus ſanguis detractus fuerat , interiiſſe ; reliquos vero , quibus ſolis alexiteriis proviſum fuit , cunctos fere evaſiſſe* . Huic vero directe oppoſita altera peſtilentia fuit , quæ anno 1576. Italiam , & præcipue Mediolanum vaſtavit , de qua retulit celebris *Ludovicus Septalius , tract. Animadv. medic. lib.*5. *n.*36. *Se cum aliis Medicis primo quidem venæ ſectionem averſatum fuiſſe , verum cum ex ſententia curationes non ſuccerent , mutata ſententia aliorum exemplis venæ ſectionem poſtea fæliciter adhibuiſſe* . Utroſque ſic recenſet peritiſſimus *Daniel Sennertus de Febr. lib.* 4. *cap.*6. *de curat. peſtil.* Ex hiſce denique omnibus recolligere tutò poſſumus , quod non æque ſingulis peſtilentiis methodus curativa ſimilis apta fuiſſet ; cum nec ſimili virulentia ſingulæ ſemper invaſerint ; ideo non omnes ab unico ſpeciatim viru deſcribi poſſunt ; quæ a primo quæſito deducta notio , licet non in integrum, ſatis tamen pro nunc explicuiſſe videtur.

6. Alterum denique votum fuit, potiſſimum hujus veneni Effectum inquirere ; cum ab ipſius notione propriæ cauſæ vires facilè deducantur . Verum qualis ſit præcipua Peſtilentiæ productio, potiſſimumque productum, nimis arduum decernere adhuc eſt ; ſicuti enim non unico veneno Epidemiæ omnes afficere , nec æqualiter inficere vidimus , ita nec unicum effectum ſemper exerere debent ; & hæc ratio præcipua eſt, cur Neotericos Practicos oppoſitis in hac re ſententiis diſcordare intuemur . *Vvilliſius* enim hujus veneni indagator acerrimus, ſanguinem ab hac lue coagulari, contendit ; cum qua ſententia clariſſim. *Benthocoei* , & *Jungken* altera , de ſufflaminato circulantium motu , derivatur opinio . Contra verò *Sylvius de le Boe* , in hac etiam linea peritiſſimus , ſanguinem ab hoc veneno colliquari firmiter propugnat ; inter quas opiniones diviſum Practicorum , & Anatomicorum genium digladiari obſervamus . Veruntamen cum omnes in genere contagioſæ invaſiones acuto intuitu perſcrutemur, omniaque in ipſis ponderatione digna, rite , ac recte perpendamus ; utraque licet oppoſita ſententia tutam pro certo , ac firmis experimentis comprobatam veritatem decernere , dignoſcitur ; ambæ enim in diverſis tamen Epidemiis, ſub vario Cœlo, diverſoque tempore graſſantibus , manifeſto apparuere ; ut ipſa Priſcorum, ac Recentiorum in curatione tentata pericula , clarè denunciant , cum Omnium Praxis in juvantium , lædentiumque uſu, *Hujus luis effectus inquiritur.*

uſu, & abuſu, proprias illarum diſparitates affatim revelaverit. Perſpicuam enim hanc veritatem in revolvendo contagiorum hiſtorias, ac illarum curationes examinando, clare ſatis conſpicimus; quod etiam ut clarius pateat, dictas medendi methodos adhuc perpendere, eſt opus.

Juvantia & lædentia perpenduntur.

7. Et primo de Lapide Bezoar, aliquando in Epidemiis proficuum, & aliquando noxium experto, pro nunc examen ſuſpendimus; cum nonnullorum de illius ſinceritate ambiguitas, noſtram in hac re conſiderationem eluderet; ideo ad Camphoram primo accedimus. Hæc ergo balſamica reſina, cum Sale volatili oleoſo redundet, ſudorifera, & alexiteria deprædicatur; ideoque in quavis peſtilentia paſſim utebatur. Hinc error invaſit, quod in quibus peſtilens virus colliquationis ſcenam in ſanguine agebat, non quidem ſalubris, ſed infenſa camphora fuit; quia illius acris energia, qua ſudores urget, morbi vires augendo, ſanguinem magis fundere, & colliquare conabatur. Contra vero dum peſtilens virus figentem vim exerebat, ſpecificum remedium camphora præbuit; quia ſanguinis coagulationes tuto diſſolvit; quod idem de ſincero Bezoar æque cenſendum eſt. Hoc item confirmat varia methodus illa, quæ in aliquibus contagiis plenam medendi fiduciam a ſpirituoſis rarefacientibus auſpicabatur, & obtinebat; in aliis contra a figentibus alexiteriis conſequebatur; cum ſpirituoſa illa coagulantem virulentiam diſſolvere, figentia vero colliquationi reſiſtere æque poterant. Hoc demum phlebotomiæ uſus, & abuſus aperte demonſtrant; in Epidemiis enim, quæ fundenti veneno ſanguinem colliquabant, venæ ſectio exitialis comperiebatur; contra vero in illis, quæ figenti veneno ſanguinis congeſtiones inducebant, celebrata phlebotomia omnes a letho redimebat. Hiſce demum probe ponderatis, æque cenſeri decet, quod a vero non aberrant, qui ſanguinem a peſtilenti viru coagulari, & qui colliquari poſſe decernunt. Vidit enim *Vvilliſius* in Angliæ gelido climate faciliorem dictam ſanguinis coagulationem; vidit etiam *Sylvius* ſub tepido Galliæ cœlo frequentiorem dictam cruoris colliquationem; quod & aliis inſpicere, & experiri jam contigit. At ambo illi determinatam provinciam, non integram Peſtilentiæ Ditionem (quam undique totam nec aliæ luſtrabunt ætates) ſagaciter deſcripſerunt. Quamobrem nec *Vvilliſii* ſententia de omnibus Epidemiis verificatur; nec altera *Sylvii* ſingulis aptari poteſt. Utroſque igitur hactenus notos contagiorum effectus determinare, Practicorum experimentis, ac Anatomicis inſpectionibus plane convincimur; cui adhuc veritati proprium calculum tribuunt origines valde diſpares, imo etiam oppoſitæ, a quibus hæc venefica lues indifferenter emergit; variique pariter modi, ac diſcrepantes Morbi, quos ſecum ducere ſueſcit, ut ſupra *num.* 2. *&* 3. expoſitum fuit; quæ omnia ſimul connexa, recteque perpenſa, non unicum ſemper eſſe, nec unicum effectum peſtilens virus edere, abunde ſuadent.

Alter effectus ſpirituum dejectio.

8. Alterum verò, & potiſſimum, ac perpetuum, cœteriſque venenis analogum, hujus luis effectum præterire non decet; noſcimus enim, quod Enormonticam enim primo afficere, ejuſque ſpiritus, pro varia illius indole, vario modo deperdere, ſemper nitatur; unde præcipuum hujus veneni ſignum ſubita vitalis roboris proſtratio eſt; cum ab hujus infenſi aggreſſione illico ſpiritus dejiciantur, viriumque languorem in pulſu primo denuncient, ac in cœteris vitæ læſis functionibus conſequenter notificent. Quandoque atrociſſima peſtis abſque aperta febre interimere aſſueſcit, ut *Hippocrates epidem. lib.* 1. *in princ. & Galenus in illius comm.* teſtantur, item *Fernelius lib.* 2. *de abdit. rerum cauſ. cap.* 12. *Sennertus*, *& Riverius in lib. de febr. Foreſtus lib.* 6. *obſerv.* 10. *Maſſaria lib.* 2. *de peſt. Barbette tract. de peſt.* Aliique referunt. Hoc inquam extremam ſpirituum dejectionem, ſtragemque a venefico invadente peractam, ocyter ſequente ſine febri morte, clare demonſtrat; nimium enim depreſſus Enormonticus niſus intruſum venenum eliminare impar eſt; ideo nec febris machina uti, nec ſanguinis depurationem inſtituere, ſed abſque reſiſtentia triumphanti veneno campum cedere, vitæque caſtra ſimul perdere cogitur. At

Syſt. Medic. Roſetti.

Y cum

cum virulenta lues non tanta militet præpotentia, ut non ocyter, nec omnes ſimul Enormonticas vires proſternat; tunc etſi a repentina hoſtis invaſione proſtratus, ad novas exploſiones ſpiritus reſurgendo, valido pro viribus impetu, & febrem in ſanguine concitat; & cum poſſit, infenſæ luis eliminationem molitur, fælici ſæpe cum eventu; nam ſi febri cum moderatione uti queat, ſanguinis deſpumationes ad peripheriam propellit, ut petechiæ, bubones, cœteraque ſimilia ex intimis ad cutim extruſa paſſim oſtendunt; quæ ſi quandoque deſperatos illius conatus portendant, ſæpe tamen devicti hoſtis trophæa ſunt, ab intimo triumphante ſpiritu in peripheria ſuſpenſa, quæ victoriæ monimenta non niſi mediante febri Enormon aſſequitur; hæc enim depurativa machina eſt, qua invaſos hoſtes ſubjiciuntur, & eliminantur.

Virtus hac deſcribitur. 9. Ex præmiſſis ergo non arduo nimis abditam ſemper hujus veneni naturam, ex varia illius progenie, varioque comitatu, diverſiſque productis, proximius quo vires ferunt, attingere tandem ſuademur. Primo itaque intra venenorum genus comprehendi debere, ocyſſima vitalium virium, ab eodem inducta, proſtratio, atrocia ſymptomata, ſollicitaque mortis ſequela, perſpicue ſatis declarant. Secundo quod ſpirituum ſumme volatilium naturam participet; quia miaſmatum more cum aereis affluviis volitando, vel per contractum ſe inſinuando, per inſpirationem, vel per cutim vitæ clauſtra penetrando, parili pugna cum Enormontico ſpiritu confligtari obſervatur. Tertio quod ſal volatile, & veneficum ſit, hoc enim illius Acre, vel Acidum virus, quod ſanguinem vel colliquat, vel coagulat, aperte oſtendit, cum hos effectus a ſalium energia promanare, noſcatur. Ex hiſce igitur æque perpenſis, tuto arbitrari quimus; quod *virus iſtud a ſalinis volatilibus, virulentiſque corpuſculis congeratur, quæ vel acido-ſtyptica, vel acri-corroſiva virulentia prædita, ſanguinis coagulationem, aut colliquationem, & inde naturalis conſiſtentiæ diſſolutionem producere apta ſunt*. Hanc ergo eſſe, pro hactenus detectis notionibus, veneficæ hujus luis naturam, veriſimilius conjicimus; verum etſi pro nunc haud parum ſatisfaciat, avidam adhuc mentem omnino non explet; in hac enim non undique perſpicua labe plurima recondita latent, futurorum ſolertia revelanda; ad quam terram adhuc incognitam, indagatorum anchoram figere, non deſperamus. Hæc inquam cum *Seneca*, *patet omnibus veritas, ſed nondum eſt occupata; multum ex illa etiam futuris relictum eſt*, *epiſt. 33. in fine*.

CAP. VI.

De Febrium differentiis.

1. FEbrium Cauſis pro viribus expenſis, ad illarum differentias gradatim deſcendimus; iſtæ namque percipi nequeunt, niſi intimæ rei cauſæ prius dignoſcantur, cum rei diſtinctio illius notionem ſupponat, ac rerum notio ab intimis illarum cauſis jam prænotis dependeat; ideo ignotis illis, propriæ legitimæque differentiæ haud innoteſcunt. In hoc ergo decepta Vetuſtas, multis in ambagibus volutabatur, *Opiniones variæ.* cum varias febrium ſpecies diſtinguere ſollicita fuit; quia non a vera origine, ſed a variis productis febrium differentias deducere laboravit; unde tot veterum in hac linea diſſentiones perleguntur. Recentiores poſtea, cum dicta humoriſtarum commenta dignoviſſent, ſententiam commutare didicerunt, meo tamen videri, parum in melius; nam ad Fermentationem plurimi confugiendo, eaſdem Priſcorum ambages in plauſibiles inventiones permutare laborarunt; equidem omnes, quæ de calore naturali, & p.n. ſimiliter de fermentatione naturali, & vitiata futiles contentiones recurrere, cordatiores jam vident. Hæc autem fermentationis propago, varie culta, varios etiam palmites produxit, ac multiplices febrium differentias conſimili veteribus fertilitate propagavit. Veruntamen fermentationis Cultores (tot Doctorum pace) ſicuti nec legitimam febris naturam, ita nec proprias illius differentias attingere, ſortiti ſunt. Hinc celebr. *Practicus*

cus Sidenham , qui præ cœteris proximius ad febris nucleum acceſſit, ut propriis terminis febriles motus explicaret, *magis Commotionis vocabulum , quam Fermentationis, vel Ebullitionis*, aptum eſſe arbitratur , *lib. obſerv. medic. ſect.*1. *cap.*4 *in princip.* ubi diſſitas Febris , & Fermentationis vires, & effectus obiter innuit . Qui vero a fermenteſcentia in febribus omnino diſceſſerunt, ut Clariſs. Viri *Bontechoe*, ac *Jungken*, diſſidioſas omnes veterum , græca ſolertia variis nominibus cultas , febrium differentias protinus deſpexerunt .

Febris differentiæ quales ſint. 2. Noſtra demum in hac linea ab aliis diſtat ſententia . Cum demonſtratum ſit, unicam eſſe febris eſſentiam, ab unica ſpirituum concitatione productam , ideo nec ſpecies variare, nec alias a propria, quæ ab alienis morbis illam diſtinguit , ſpecificas , ut dicunt , differentias admittere poteſt . Verum quia in actu poſita , non eadem ſemper ſit cujuſvis febris Invaſio, nec uniformis Ingraveſcentia , unicaque duratio ; ſimiles ideo variationis modi accidentales ſaltem differentias oſtendunt ; quamobrem ſicuti hæc varietas ab ipſo intimo niſu originem ducit, prout majori, vel minori ; continua , vel intermiſſa; brevi, vel diuturna commotione ſanguis ab intimo impetu perturbatur ; ita nullo alio modo febris a febre diſtinguitur , niſi per differentem intimæ illius cauſæ concitationem . Ad hos verò diſpares motus Occaſionales fomites Enormon ſæpius inducunt , quatenus magis vel minus illius tolerantiam irrumpant , ac inſtitutæ ab ipſo in hoſtem pugnæ minus , magiſve reſiſtant ; ideo clarioris theoriæ gratia , & medendi methodi exigentia , occaſionales febrium differentias ſimul connectere, non improbamus . Has autem omnes brevi ſynopſi comprehendere ſtuduimus , hoc unum in medica re conſiderabile monitum præ oculis habendo , ut ſicut Artis cætera , non tantum phyſiologiæ , quam fructuoſæ praxi commode inſerviat . Equidem differentiarum ſylva confuſionem potius , medendique diſſidia , quam utilitatem inter veteres propagavit ; cum plurimis differenti nomenclatura variatis febribus unicam curativam methodum ſatisfacere , hodierna experientia demonſtret ; idcirco ut non laborioſam , ſed utilem medicinam faciamus, non ad litigioſas, ſed ad evidentes febrium differentias enunciandas brevi greſſu deſcendimus.

Exponuntur & determinantur. 3. Dicimus ergo primum , Febres in genere , tam a diverſa Enormontica concitatione , quam ab extraneis inficientibus , vario charactere diſtinctas , in *Simplices* , & *Veneficas* dividi poſſe . Simplices vocamus illas , quæ vel a ſola ſpirituum thymoſi ducuntur, vel ab extraneo infenſo , nulla tamen virulentia infecto, provocantur ; ut cum ſimplex acida, vel acris , aut viſcida lues ſanguinem inficiat , ſicque ſpirituum motus vario modo perturbet, & ad illorum eliminationem inducat . Infenſa ergo hujus generis lues extremum læſionis gradum nunquam attingit ; ideo niſi in ejuſdem ſubactione, ac eliminatione ſpirituum niſus, vel nimius, vel impar ſit , febriſque machinam haud æquo marte dirigat , ſæpius ni ſemper febres iſtæ ſalubres eſſe ſolent ; ideo cum Artis ope intimæ commotiones æque, recteque vel refrænentur , vel coadjuventur, ad ſalutis portum procellæ iſtæ conducunt. Quamobrem recte quidem cum divino Sene inſignis practicus *Sydenham in præfat. ad morb. acut.* medicinæ munia paucis ſic comprehendit . *Unde Hippocrates non aliam Arti demandat provinciam , quam ut deficienti naturæ ſuccurrat, effrænem coerceat , & in ordinem redigat ; utrumque vero hoc ; tum paſſu illo , tum etiam methodo, quibus natura morbum expellere ſatagit* . Veneficas vero febres illas nuncupamus, quæ a venenoſa labe occaſionem deſumunt, nempe ab impenſa, & ad ſummum evecta gradum Acidi , vel Acris potentia , quo titulo infenſum hoc, ut cum *Hippocrate* loquar, *humana natura potentius eſt , quodque non poſſit ſuperare ; fortiſſimum autem inter amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum ; & in omnibus adeo rebus vigor ipſe , ac ſummum , lib. de veter. medic. num.* 24. Hoc itaque titulo virulentum eſſe , pro humano captu arbitramur ; cum nempe naturæ vires ita extinguat, ut nec illud ſuperare , nec diu reſiſtere poſſit , ſed proſternati ſpiritus ſanguinem primo , & inde vitales , animaleſque

que functiones, devaſtanti virulento relinquant; hujus vero veneni gradus, conditioneſque varias *ſeq. num.* 5. diſcriminantur.

Primi generis ſpecies. 4. Ad ſpecies igitur dictorum generum deſcendo; ſimplices primo in continuas, & intermittentes, vulgato Doctorum calculo diſtinguuntur; hæc vero Febrium varietas ab Enormonticæ concitationis duratione definitur; prout plus, minuſve tempus in proprio ſanguine depurando conſumit. Intermittentes ideo, quæ vel quotidie, vel de tertio in tertium determinatas periodos repetunt, nulla ſpectabili differentia diſcernimus; neque in illarum diſtincta curatione, niſi habito lædentis fomitis reſpectu, ſcrupuloſe nimis inſiſtimus; cum unica, parum ſaltem pro inficientis indole variata methodo, omnes ad terminum ducere facile poſſint; Quartana tamen excepta, cui tantum, ob nimiam lædentis pertinaciam, diſtinctam curationem deſignavimus. Febres vero tam continuas, quam continentes, ut dicunt, in Acutiſſimas, & Acutas cum divino Sene diſtinguimus; ſicque innumeras a græca ſedulitate inventas nomenclaturas, ad utilem praxim inutiles, prorſus vitamus; diruta enim Humoriſtarum machina, cuncta ſimul *Saxa everſæ domus triſtes reliquiæ ſunt*. Hæc ergo diviſio ab Hippocrate dictata, medicæ praxi tam neceſſaria eſt, ut incaute neglecta, ſæpe in excidium curationes evertat; ideo tot aphoriſmis hanc cœteris præſtantem dignotionem medicinæ Pater inſinuare ſtuduit; ne deſpecta in ferales curationes inducat. Equidem in acutiſſimis febribus & lædens nocentiſſimum eſt, & Enormontica concitatio vehementiſſima; illud ſæpe turgendo impenſe moleſtat; hæc laceſſita toto niſu febrem urget, ut hoc medio moleſtantem ſubigat, & eliminet, non ſemper vero fæliciter; interdum enim virium jacturam patitur, prius quam ſanguinem depurare aſſequatur; quod præ cœteris certius vitæ periculum minitatur; ideo potiſſimum Artis penſum eſt, tempeſtive hujuſce niſus a ſævis ſymptomatis dignoſcere, & opportuna moderatione intra æquos limites compeſcere; ſed hæc ſuo loco reſervantur. Demum Acutas ſimpliciter, cum ob ſymptomatum varietatem, in differentes ſpecies hactenus diviſas fuiſſe, perlegamus, diſtributiones iſtas, quæ praxeos commoda ſuggerunt, protinus improbare nequimus; niſi cum unicam febris naturam differentibus conſtitutivis deſcriberent. Acutas ergo febres illas eſſe arbitramur, quæ vehementi motu, ſæviſque gravatæ ſymptomatis, ocyter ſanguinis depurationem conſequi nituntur; illarum vero termini varii ſunt, determinantur tamen a magis minuſve forti Enormontico niſu, & ab infenſæ luis magis, minuſve indomita reſiſtentia; validus enim ſpirituum niſus ſeptima die ut plurimum hoſtilem luem depellit; ſin minus ad quartam decimam; & cum adhuc minori vi polleat, vel nimia ſordes ſubactioni reſiſtat, ad vigeſimam uſque pugnam, & victoriam protrahit, ac interdum per decidentiam ad quadrageſimam protendit. Cum autem impar Enormon deſperato marte cum hoſte indomabili decertet, pro ſpirituum languore, infenſæque luis violentia in ſeptima, vel circa quartamdecimam, aut intra vigeſimam diem hoſtis victoriæ caſtra cedit, ac tandem decedit. Hos ergo Acutarum greſſus eſſe, Praxis docet; noſcere vero tum Enormontici niſus vigorem, tum invadentis infenſi reſiſtentiam, non niſi per conjecturas, a productis deductas, Artis acumen potis eſt. Hinc Hippocratis monitum extat; *Acutorum morborum non omnino ſunt certæ prænotiones aut ſalutis, aut mortis*: 2. *Aph.* 19. in his enim nec certa notio, nec tutum judicium firmari poſſunt.

Alterius generis ſpecies. 5. Altera pariter febrium claſſis, quæ Veneficas a ſimplicibus diſtinguit, in continuas, & intermittentes diſtribuitur. Intermittentes primo malignas, & peſtilentes febres non raro quidem detectæ jam ſunt; cum & ſymptomatis longe gravioribus, quam febris conditio ferebat, invaſiſſent, & in tertio, quintove paroxyſmo enecaſſent. Non itaque ſemper verum eſt vulgatum illud, ab Hippocratis dogmatibus extortum, adagium, nempe *Intermittentem febrem periculo ſemper vacare*. His enim ſtipata ſignis, licet intermittat febris, abditum venenum oſtentat; cum nullum quidem tutius occulte virulentiæ ſignum ſit,

ſit, quam in febre, etiam parva, atrocià ſymptomata oſtendere. In hiſce igitur intermiſſionis ratio ab Enormontico langueſcenti niſu exoriri videtur, cùm a ſymptomatum vehementia, & a venefica lue conſumpti ſpiritus, exploſivum niſum continuare nequeant, remiſſionis commodo inducias carpendo, vires reſumant, ut infenſum venenum eliminare iterum aggrediantur; at cum inſuperabile virus ſit, in febris initio, & in ipſo frigoris ſtadio, (ut pluries vidimus) in quo ſpirituum energia non adhuc prompta ad reſiſtendum, expanditur, veneficus hoſtis vitæ flammulam extinguit. Altera continuarum claſſis varia ſæpe itinera calcare aſſueſcit; ut plurimum tamen Acutarum greſſus etiam veneficæ febres inſequuntur; cum in hiſce penè omnibus criticas deſpumationes inſpiciamus, quod oſtendunt morbilli, variolæ, petechiæ, parotides, bubones, cœteraque ad cutim depulſa venefica recrementa, quæ *ſi cum naturæ bonis appareant*, ut Periti loquuntur, critico niſu, ut acutæ febres, morbum abſolvunt. Specificum verò plurimarum virus colliquare, vel coagulare ſanguinem eſſe, compertum eſt; cum dictis enim productis has febres interimere, perſpicua ſigna colliquati, vel coagulati ſanguinis Peritos docuere, quod & anatomicæ inſpectiones ultimo detexerunt. Nonnullæ inſuper maxime peſtiferæ febres tam ignoto charactere ſignantur, ut accuratam indaginem adhuc indigeant; cum & propriam diagnoſin complicatis contrariorum ſignis decipiant, & inconſueta ſymptomata, effectuſque penè incompatibiles componant; ideo quæ veneni ſpecies iſtas fovere queat, adhuc vacillat humanæ mentis intuitus. Ultimo tandem nec Cronicas veneficas dimittere decet; quarum claſſem primò tenent Phthiſicæ, ac Scorbuticæ febres; cum & iſtæ venefico quodam contagio ſæpe communicentur; ideo non abſque virulento miaſmate has febres vagari, experimenta demonſtrant; quod ſi non ocyter enecant, ſenſim tamen, niſi tempeſtiva corroſivæ luis deturbatione, viſcerumque reparatione, compeſcantur, certo tandem interimunt. Hæc ergo nobis de febrium differentiis pro Artis utilitate ſatis ſunt; qui vero adhuc ultra pro theoriæ ornatu capillos numerare nititur, quærat inſuper cum adagio *an capillus unus habeat umbram ſuam?*

CAP. VII.

De Febrium ſymptomatis.

1. Symptomatum vocabula, varie hinc inde pro Doctorum placitis explicata, apud nos Enormonticæ concitationis producta, vitales, animaleſve functiones pervertentia, ſatis exponunt. *Symptomatum explicatio.* Omnes enim vitæ famulantes humanæ machinæ partes, ſicuti moderato ſpirituum regimini propriis functionibus æquo miniſterio inſerviunt; ita ab immoderato illorum impetu, ut male pulſata organa, diſſono tono reſpondent. Hoc ergo Enormonticæ commotionis inſeparabile conſequens, quod vitalem æconomiam variis modis evertit, Symptoma nuncupamus; at ſicuti febres nunquam emergunt, niſi impetum facientes ſpiritus ad immoderatos niſus concitentur; ideo quæ dictam commotionem p. n. conſequuntur, febrium ſymptomata vocantur. Ex iſtorum ergo numeroſa ſerie alia inſeparabiliter, alia contingenter emergunt; primum vero a Febre nunquam ſeparabile ſymptoma vitalis æconomiæ, ob ſanguinis turbationem, prævaricatio, aut ſubvertio eſt; quod primo pulſus ipſe in qualibet febre vario modo naturalem rythmum perturbando, denunciat; ideo a Practicis, patognomonicum febris ſignum eſſe pulſum p. n. frequentem, definitum fuit. Hæc enim æquo major arteriarum diſtentio, vel coarctatio motum in ſanguine a naturali ritu alienum ſemper oſtendit, cum non ſine intima vitalis fluidi commotione, qua vario modo vaſa diſtenduntur, Enormonticus niſus concitetur; ideo cum ſanguine ſimul ſpiritus, qui in ipſo gliſcunt, & movent, perturbati, & commoti, univerſam vitalem æconomiam, ab iiſdem dejectam, certum deliquium pati, neceſſum eſt; hinc univerſales laſſitudines, viriumque languores, ac naturalium functionum dejectiones illico emergunt. Sæpius item & ſuccus nerveus in hiſce con-

conſternationibus compati cogitur; quippe nervis ipſis, licèt a venis aliena caſtra teneant, ſanguinis tamen (a quo perpetuas exigunt ſuppetias) turbati noxæ continuò per arterias communicantur; quare in læſionis conſenſu, ut dicitur, ſimul cum ſanguine & nerveus ſuccus trahitur, ſicque in omni parte Enormontica concitatio auditur, unde univerſa vitalis æconomia pro febris tenore, & commotionis gradu undique agitata langueſcit.

Sympto-mata contingentia ſunt. 2. Alterum, ſed contingens, in febris limine invadens, ſymptoma rigor, vel horror, aut frigus eſſe ſolet, quod proprie a ſpirituum compreſſa, in perturbata ſanguinis mixtura, expanſione oriri debere, *antec. cap.3. num.5.* explicatum fuit; unde illorum elaſtico motu deficiente, caloris cauſa præpeditur, ac *Frigus.* frigoris, horroriſve ſenſatio in univerſo corpore ſtatim ſequitur, ut *c.1.n.12.* *Calor.* ſatis oſtendimus. Caloris item ſymptoma, rigoribus ſubſequentem, ſpirituum elater, a compreſſione liberum, vehementius ſe expandens inducit, ut in utroque ſupra citato capite demonſtratum eſt. Profecto nulla alia hujus impenſi æſtus cauſa magis propria concipi poteſt, quam Enormontica ſolito vehementior expanſio; hæc enim ab antecedenti compreſſione libera, proprium ſanguinem intime commovere, & ejus ſulphura in majori copia ſolvere apta eſt, unde in univerſa viventi machina calor impenſus auditur. Calorem ſæ- *Sitis.* pius ſitis comitatur, cujus tam variæ origines eſſe poſſunt, ut merito ad illarum dignotionem perita Medentis ſolertia requiratur. Interdum enim ab ipſa lymphæ deficientia oritur, ob impenſum febris ardorem, qui exilia illius vaſcula adurit, unde in palati glandulis avare nimis ad opus tantum, & ſæpe nec guttula effunditur. Aliquando contra, licet in aliqua febre ſalivæ copia redundet, falſo tamen amarore infecta eſt, ut ſitim accendat potius, quam extinguat; in qua linea Juvenem vidimus, qui in febris initio, cum ptyaliſmo continuo, ſitim ardentem patiebatur, ſalivationem vero *aquam maris eſſe* clamabat; & niſi ſitim extingueret, in leipothymiam incidebat; huic demum vino granatorum acidorum, aquæ de floribus citri mixto, & cochleatim ſæpe ſumpto, promptum auxilium attulimus. Item poſt copioſas vomitiones magnam ſitim excruciaſſe vidimus; unde patientes, ſtomacho humiditatem reluctante, vel meris ablutionibus acidiuſculis, vel rotulis ex acido dulcibus confectis, prompte levabantur. Contra etiam ab exuſta ventriculi tunica moleſtia illa efficitur, quæ diluentis humidi appetentiam excitat, unde ſitis exurgit. Demumque, ut cœtera pro nunc dimittamus, ab aphthis, per oris ſuperficiem erumpentibus, ariditas ſumma inducitur; cum vel conſtipatæ, vel depravatæ ſalivales glandulæ, debita humectatione palatum deſtituant, unde in ore, & circa fauces ſitis excruciat.

3. Plurima item febris pediſſequa turma, plus minuſve acerba, pluribuſque, vel paucioribus complicata ſymptomatis, pro majori, minorique vehementi ſanguinis motu, emergere ſueſcit; ut Capitis dolor, Vigiliæ, ac Deliria, quæ ſimul, vel ſeparata ſymptomata Enormonticam in mentis arce concitationem ſemper oſtendunt; utrumque enim ſanguinis, ac cerebri regimen, ſub diverſa licet regione, legibus variis, muniiſque diſparibus, unicum ſemper dirigit Enormon, hoc ergò in febribus concitato, utraque regio, varia diſcrimina patitur. Contra vero contingit, cum in prælio defatigati, ſub infenſæ luis violentia ſpiritus ſuccumbant, tunc vel Soporoſi affectus, vel Convulſiones, animive Deliquia, pro Enormonticæ jacturæ modo, facilè inſurgunt; Enormon enim adverſa ſorte certando, donec a pugna deſiſtere, coactum ſit, languido niſu hoſtis violentiæ reſiſtit; hinc ſub mitiori febre, ferociora ſymptomata iſta increbreſcunt, eoque ſæviunt, quouſque vel victor ſpiritus hoſtem ſubigat, & eliminet, vel victus tandem a prælio, & a vita decedat. Cum autem ventriculum, primaſque vias infenſa lues occupaverit, tunc Anorexiæ, Vomitus, Cardialgiæ, vel Choleræ, Diarrhœæ, Dyſenteriæ caput attollunt, ac tandiu obſtinate perſiſtunt, donec Enormonticus niſus hoſtis caſtra evertat, ac ano, & cato infenſam luem eliminet. Hunc ergo Enor-

Capitis dolor Vigiliæ, Deliria.

Soporoſi affectus Convulſiones, animi Deliquia.

Anorexiæ, Vomitus, Cardialgia, Cholera, Diarrhœa, Dyſenteria.

normonticum niſum per concitatum ſanguinis fluidum primis viis communicatur; ſpiritibus enim, qui ex capillaribus arteriis ad ventriculum, & ad inteſtina continuo deſcendunt, hoc opus certo debetur; nec illi, qui nervos dirigunt, in hac exigentia deſedes feriantur; cum utrorumque munus ſit, fœduſque Naturæ, vitalem machinam ab infenſis tueri, æque ac illius regimen gubernare, ac pro cujuſque penſu, concordi niſu, vitæ hoſtes eliminare; hic autem fateri audeo; quod qui hanc tutam dignotionem derident, haud quidem proprie vitalis machinæ regimen percipere poteſt.

Efflore-ſcentiæ cutaneæ. 4. Symptomata demum, quæ cutim infeſtant, ut Exanthemata varia, Icterus, Purpura, Petechiæ, cœteraque hujus cenſus, vel criticos intimi moventis niſus, vel irritæ impetus irritati expulſiones eſſe denunciant; primo modo Enormonticam victoriam præcinunt; altero autem duram adhuc cum pertinaci hoſte conflictationem portendunt; utroque tamen modo intimos pro vita tuenda conatus aperte exponunt; non enim fortuito iſta contingunt, nec fermentationis conatus audiunt, ut toties demonſtratum eſt; ergo aliquam certo in viventi machina tot impulſiones promoventem vim, cui Naturæ ſe proſpicientis titulum Veteres tribuerunt, ineſſe debere, cutanea recrementa ab intimis expulſa, ſatis ſuadent. Neque hic audio Mechanicos geometrizantes, qui, ut impetum facientem ſpiritum a viventi machina deleant, intimos impulſus, externaſque expulſiones matheſeos demonſtrationibus (quæ licet per ſe veris, vitalibus tamen functionibus aptatis, falſo ſuppoſito laborare, nihilque concludere, ſæpe vidimus) oſtendere nituntur. Per me quidem, donec clariora, tutioraque geometrica lumina oriantur, Enormonticam, diutius, & cum Artis pernicie, neglectam, doctrinam excolere, & cum praxis fructu firmare, minime ambigo; cultus hujus lumen omnes vitæ functiones, ac earundem depravationes facilius illuſtret. Sed pro brevi ſymptomatum expoſitione pro nunc ſatis hæc ſint; cum *lib.* 3. *de febr. ſympt. &c.* in ſpecie, ac ex profeſſo hæc omnia expendere ſategimus; ideo hanc lineam hic abſolvimus, & ad aliam diutius producendam accedimus.

CAP. VIII.

De Febris Signis.

1. FEbrium ſigna duplicem claſſem ambiunt, Diagnoſticorum, ac Prognoſticorum ſerie diſtincta, Diagnoſtica primum ſigna in genere perluſtrare, nimis parum, minuſque appropriatum aſſequi poſſumus; nam Febris diagnoſtica indicia potius differentiarum, quam generis ſunt propria; cum hac ab alia febri diſcernere inſtruant; ideo cum *lib. de febr. in ſpec.* propriam cuique diagnoſin in ſingulis febrium inquiſitionibus explicare non dimiſerim, improprium hic eſt ex genere ad differentias deſcendere, ſicque tędioſam hic, & ibi palinodiam canere. Signum tamen diagnoſticum in genere, & hoc certe patognomonicum, omnibus, & ſemper febribus proprium, p. n. arteriæ pulſationem eſſe, cum communi placitu innuere ſaltem non dimittimus, quod certe vulgo etiam notum eſt; præter hoc ergo ſignum nullum generali titulo cuique febri convenire poteſt, & licet in genere adhuc vitalis æconomiæ turbationem cum febri ſemper adeſſe, nec omnino abeſſe poſſe, jam diximus; particularia tamen hujuſce ſigna, quæ a ſymptomatum varietate magis, minuſve ingraveſcentes illius lęſiones diverſificant, generice indigitare, vanum eſſet; ideo in ſingulis febribus a pulſus differentiis particularia ipſius nocumenta facile indicantur, & a ſymptomatum vehementia ultimo charactere ſignantur. Hæc ergo circa Diagnoſtica ſigna in genere conſiderata ſatis eſſe poſſunt, cum ſpeciatim in qualibet febri neceſſe, ac proprie hanc inſcribere paginam opportuerit.

2. Alteram nunc, prognoſtica ſigna continentem, claſſem luſtrare adhuc eſt opus; multa enim cum *Hippocrate* noſtro in genere tamen percurrere, hic locus eſt; ideo ex hac vaſta ſylva ſelectiora tantum, præſentibuſque notionibus conſona, recolligere ſtuduimus. Ne vero indigeſta ſeries confuſionem pariat, *Prognoſtica ſigna.*

diſtin-

diſtincta methodo, ad Juniorum commodum, vaſtam hanc materiam diſtribuimus. 1. Itaque a febrientis Viribus; 2. a Pulſibus; 3. ab Urinis; 4. a Sudoribus; 5. a cœteris Excretis; 6. demum a Symptomatis omnibus varia febrium, ægrorumque diſcrimina nunciabuntur.

Ab Ægri viribus. Ut ergo a primo exordiamur, Ægri Vires apprime perpendere, paſſim docuit *Hippocrates*; & certo quidem vegetus in febrienti vigor tutam proprii ſanguinis depurationem abſolvere facile poteſt, ſicque fauſtum febri terminum imponere; cum æquis viribus Natura medicatrix munita, ad proſperam metam febris machinam ſemper ducat. Languentes autem Vires, ad ſanguinis deſpumationes perficiendas impares, funeſto, vel ſaltem infauſto eventu ſæpius febrientem fatigant, vel enim debili niſu inutiliter conſumuntur, ut in hecticis, & ſimilibus febribus apparet; vel impurum ſanguinem fruſtra exagitant, non expurgant, ſicque ad chronicos, deſperandoſque morbos inducunt; a Viribus ergo primum, quo magis, vel minus vegetæ ſunt, tuta febrium prognoſis deſumitur, ac proſperæ, vel infauſtæ, aut funeſtæ denunciantur; virium vero ſtatus varii quomodo dignoſcantur, *in ſeq. part.* 2. *cap.* 3. ſatis docetur.

A pulſus varietate. 3. Pulſus item, qui abditam intimam vim tactui perceptibilem primo explicant, tutas fere ſemper febrium prænotiones oſtendunt; iſti enim ſi vehementem, ſed moderatam arteriæ diſtentionem expandunt, facile fauſtam febris abſolutionem promittunt; debiles autem maxime in febris vigore, funeſtas, vel periculoſas febres ſæpe prænunciant, obſcuri vero delapſum naturæ vigorem, languidumque, ac penè extremum Enormonticum deliquium aperte deſignant; adeoque vitales dejectæ vires ne ſanguinis depurationes perficere, nec artis remedia perferre tuto poſſunt. Pulſus item in febribus Inæquales non ſemper mali ominis nuncii ſunt; pulſus enim inæqualis, & magnus, præſente coctione, ac inſtante criſi, quam ſæpe pulſus anomalia præcedit, nunquam infauſta nunciare, comperti ſumus; debilis vero & inæqualis infauſtam, & interdum funeſtam ſignare lineam, ſæpe obſervavimus. Autumnales continuas pulſu magno, & caprizanti dicto, comitatas febres, proſpere tandem abſolutas inſpeximus; languide vero caprizantes, nunc prava ſymptomata, & nunc funera prævenire, ſæpe vidimus. Pulſus demum Intermittens in Juvenibus mortis prodromus a *Galeno lib. præſag. ex pulſu*, ac alibi ſæpe damnatus, a recentioribus tamen ab hac impoſtura redemptus fuit; *Riverius* enim præ cœteris, veritati potius quam Magiſtro litando, teſtatur *Inſtitut. lib.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 2. *Experientia tamen Galeni ſententiæ refragari videtur, cum nullus fere Medicorum reperiatur, qui non vidiſſet, etiam Juvenes nonnullos cum pulſu intermittenti liberatos*. Pulſus ergo intermittens, non dum Pueris, & Senibus, quibus familiaris eſſe ſolet, ſed & vegeta ætate fruentibus, non ſemper, licet aliquando, cæteris deſperatis indiciis comitatus, funeſta præcinit.

Ab Urinis differentibus. 4. Variæ item Urinæ conditiones diverſas prænotiones facilitant ita, ut mirabiles ex lotio ſumptæ prædictiones in Doctorum volumina perlegantur, videantur ſaltem *Bartholin. centur.* 3. *hiſt.* 37. *& Schenki lib.* 2. *obſerv. p. m.* 286.; hanc ideo tanti momenti materiam diligenter perſolvere eſt opus. Itaque 1. Urinæ conſiſtentia; 2. ejuſdem contenta; 3. excretionis modi univerſas in hac linea prænotiones abſolvunt. Conſiſtentia primum a tenuitate, vel craſſitie vitiari poteſt; Craſſa ergo, turbidaque, heterogeneis ſaturata particulis, immutabilis ita, ut nunquam cum ſedimento clareſcat; magnam ſemper ſanguinis turbationem, ſæpeque univerſalem everſionem indicat, quæ vel diuturnam, vel lethalem febrem, cum diu ſic perſiſtat, ſæpe portendit; diuturnam primo ſi cum pulſu magno, viriumque robore ſociata ſit; lethalem vero, ſi pulſus debiles ſint vitæque vigor langueſceſcat, proximam mortem minitantur. Craſſa demum urina, & valde rubra diu turbida ſic perſeverans, vel eadem quæ ſupra nunciare, vel abſceſſum in inferioribus partibus prædicere, *Hippocrates* docuit; ſic peſſimæ notæ urinas damnavit; quæ jumentorum ſimiles turbatæ minguntur, & nunquam

quam clareſcunt; turbidæ inſuper, & valde fetidæ, vel renum, aut veſſicæ gangrænam, vel ſanguinis texturam omnino everſam denunciant. Tenues urinæ, ſeu aquoſæ, donec ſic perſiſtant, pericula ſemper portendunt, vel enim (cum renale percolatorium obſtructum non ſit) pertinacem infenſæ luis cruditatem, vel delirium imminentem prænunciant; quæ vero diu tenues minguntur, cum enæorema ſaltem in ipſis conſpiciatur, diuturnam, ſed tutam penè ſemper febris abſolutionem indicant, ut *lib. de morb. vulg.* 1. *ſect.* 3. *ægr.* 5. 6. 20. *&c.* etiam oſtendunt; tenues vero, & claræ, cum cito turbentur, probeque deponant, & clareſcant, confeſtim febrem abſolvi, promittunt.

Urinæ contenta. 5. Ab urinæ contentis plurimæ adhuc prænotiones deducuntur; Urina nullum ſedimentum, nullamque nubeculam, ſeu enæorema oſtendens, donec ſic cruda perſtet, indomitam in ſanguine luem non adhuc ſubactam demonſtrat, ſicque febrim diuturnam, cum vires conſtantes ſint, lethalem vero cum ipſæ in dies langueſcant, certo prænunciant. Innatans vero in urinæ ſuperficie contentum, *aranearum telis ſimile*, ut *Hippocrates* loquitur, ſi *pingue, vel oleoſum ſit, improbum* judicatur *lib. prænot. num.* 12 hæc enim colliquativæ febris indicia ſæpe ſunt, quæ niſi perita manu tractentur, lethales ſemper evadunt, (excipe tamen hic renum phlogoſin, quæ ſimilia in urinis exponit, ut 7 *Aph.* 36. docemur.) Nubecula in urinis apparens, coctionis auſpicium indicat, probi tamen coloris ſpecimen oſtendere debet, nimis enim rubra, & maxime nigra nubecula, ut mortis vexillum ab eodem *lib.* 2. *prædict. & in Coac. præn.* damnatur; bona nubecula ſi matulæ fundum tangit, ſi vero surſum aſcendat mala eſt; ambiguam enim ſanguinis depurationem oſtendiſſe pluries comperti ſumus. Denique ſedimentum, ut laudabile ſit, leve, ac æquale, candidum, aut lateritium eſſe debet, ac matulæ fundum tenens, urinam claram relinquat; divulſum vero & inæquale ſedimentum, niſi in dies æqualiter ſubſideat, languidum nimis depurationis opus incedere, ſicque languiores febres oſtendit. Craſſum ſedimentum, quod coctionem ſimulet, in Acutarum principio intempeſtivè apparens, ut proditorium *Hippocrates* paſſim damnavit; ſæpius cum hoc ſigno ſeptimam circiter diem fatalem fuiſſe, vel acerbis ſymptomatis ſociatam, cum continuo diſcrimine ad vigeſimum protrahi conſpeximus; farinaceum vero ſedimentum, & maximè furfureum, ut ſæpe in Colliquativis febribus inſpicitur, triſtis nuncius eſt, qui mortem perſæpe præcurrit; ſic lividum, ac nigrum, urinaque nigra, vel livida in Acutis febribus peſſimæ notæ indicium eſſe pluribus locis *Hippocrates* docuit; excipe tamen criticum per urinam impulſum, quem non ſemel fauſtum cum iiſdem notis inſpicere, nobis contigit. Urina demum in Veneficis febribus in conſiſtentia, & contentis ſanorum ſimilis perniciosa eſt; cum infenſum virus, miaſmatis more invadens, ſanguinis ſpiritus ita opprimit, ut illius eliminationem, ac proprii fluidi depurationem ſatis moliri nequeant; ideo in renibus recrementorum ſigna non deponuntur, nec in urinis apparent; quia febris machina languido niſu Enormon abutitur.

6. Demum ab excretionis modo reliquæ in hac linea prænotiones audiri debent. Et primo Urinæ inſcio patienti excretæ, funeſtæ, vel infauſtæ ſaltem, hinc inde paſſim ab *Hippocrate* nuncupantur; malæ quippe ſi hæc in delirio, pejores vero ſi abſque ipſo contingant; cum ſenſus organon illud ſpiritibus deſtitutum denuncient, quæ deperditio, in veneficis præcipue febribus, raro nimis reparatur. Nec minus perniciosa in Acutis urinæ ſuppreſſio, niſi criticum ſudorem præveniat; alias extra hanc lineam peſſima ſæpius, imo & *peſtifera eſt urinæ ſuppreſſio, quæ rigorem præcedit, ut lib. prænot.* docetur. Quantitas demum urinæ ſuis haud caret prognoſticis; valde namque paucas, potuſque longe minores, dum renum infarctum non arguant; ſæpius exitioſas vidit, ſæpeque damnavit *Hippocrates*; & certo quidem niſi copioſo ſudore compenſetur, malum omen portendit. Crudæ vero nimia quantitas, nullum levamen ferens, ſemper infauſta fuit; cum colliquati ſanguinis indicium copioſa illius *Excretionis varietas.*

laticis profuſio in veneficis colliquativis præcipuè certò præbeat. Univerſa hæc tandem, ab urinis deſumpta prognoſis, cautela indiget, quam *Hippocrates libr. præſag.* ſic propoſuit. *Ne verò te fallat, ſi veſſica morbo aliquo affecta, urinas hujuſmodi reddiderit; cum hoc non totius corporis, ſed ipſius veſſicæ judicium ſit.* Hinc plurimos hanc notionem docentes aphoriſmos divinus Senex inſtituit, nempè *ab aph.*76. uſque ad finem *quart. ſectionis.*

7 Sudores inſuper, quibus febres non raro abſolvuntur, fauſta ſæpius, ſæpeque infauſta, pro intimæ impulſionis modo, prænunciare, cum *Hippocrate* experimenta teſtantur. Præcipuam verò regulam, quæ ſudoris probitatem indicat, idem ipſe paſſim docuit; nempe cum poſt tutam coctionem criticis diebus emergat. Criticos verò dies ad ſeptenarios duntaxat cum Galenicis pluribus minimè coarctare, ſed cum divino Sene dies omnes, quos *ſect.*4. *aph* 36. computavit, tutos, & judicatorios eſſe, cenſere decet; ſic ergo ibidem loquitur. *Sudores febricitanti ſi incceperint, boni tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & undecimo, & quartodecimo, & ſeptimodecimo, & vigeſimo, & vigeſimoſeptimo, & trigeſimoquarto; hi enim ſudores judicant morbos. Qui vero non ita fiunt, laborem ſignificant, & morbi longitudinem, & recidivam.* Alteram adhuc non negligendam probi ſudoris conditionem *lib. præſag. num.* 5. ſic expoſuit. *Boni vero ſunt, qui per totum corpus contingentes, facilius morbum ferre faciunt. Peſſimi autem ſunt frigidi, & tantum circa caput oborientes, &c.* Sudorem ergo univerſalem, ſeu per totum corpus æger effundere debet, ut proficuus ſit; indicat enim æqualiter undique extenſam in ſanguine ſpirituum expanſionem, quæ integrum illorum prædominium, ac infenſæ luis ſubactionem oſtendit; quod particulares, ut circa caput ſudores, minimè indicant, ſed potius deſperatam cum hoſte prædominante pugnam, maxime cum frigidi ſint, manifeſto denunciant; ideo ibidem concludit. *Qui vero cum guttis fiunt, & evaporant, boni ſunt.* Innuit enim vaporoſum, quod tepidum, & copioſum, guttatim ſcatentem ſudorem eſſe debere, ut morbum vel ſolvat, vel ſaltem imminuet. Frigidus ergo ſudor, etſi copioſus ſit, *peſſimus* inibi nuncupatur, & 4. *aph.*37. *cum acuta febre mortem* prædicere confirmat. Demumque in eodem *libr. prænot.* concludit. *Conſiderare porrò convenit, ſudorem in ſumma; fiunt enim aliqui propter corporum exolutionem, aliqui propter inflammationis vigorem.* Hæc adhuc circumſtantiæ Medentis ponderationem expetunt. Concludamus itaque, omnes boni ſudoris conditiones eſſe, 1. ut prævia coctione, 2. critico die, 3. per totum corpus, 4. copioſos, & vaporoſos manare; qui vero ab hiſce notis diſcedunt, improbi ſudores merito denunciantur.

8. Excreta item reliqua pro cujuſque conditione, proprias prænotiones exhibent; verum hic in genere pauca de hiſce innuimus, cum ſatis in ſpecie libro 3. jam expoſita ſint. Primò itaque Vomitiones in febrium exordio apparentes, in ſtomacho febrilem luem caſtra figiſſe oſtendunt, at ſi cum levamine contingant, nec ſinceræ, aut variegatis coloribus tinctæ ſint, proficuæ ut plurimum eſſe ſolent: *ſi vero porracea, aut livida, aut nigra fuerit, & ſi omnes vomat colores, lethale eſt; & ſi livida grave oleat, ocyſſimam indicat abolitionem, lib. progn. Hippocrates* docuit; verminoſam item vomitionem, præcipue in veneficis lethalem ſæpius fuiſſe, obſervatum eſt; vomitus tandem, qui appropriatis emeticis, ac paregoricis non compeſcitur, malum omen portendit. Pertinaces pariter, nullo auxilio cedentes, Diarrheæ, vires ocyter depauperantes, non minoris notæ damnantur; nam ſi copioſæ nimis, ac nimis fætidæ ſint, extremæ colliquationis indicia deferre, Hippocrates, & experientiæ ſimul teſtantur; peſſimum denique ſignum in colliquativis febribus proferunt, cum dejectis viribus inopinè ſupprimantur; tunc vitæ limitem jam poſuiſſe denunciant. Demum ut concludamus, dejectiones omnes crudæ, & aquoſæ malæ ſunt; cum vero incraſſari videntur, coctionis rudimenta oſtendunt; cum quælibet coctio incraſſando perficiatur, ut medicinæ Magiſter docuit *libr. præſag. cum morbus ad criſim venit, quod deſcendit eſſe craſſius oportet.* Alterum excretum.

Vomitus
Diarrhea
expuitio
hæmorrhagiæ.

tùm ſputum eſt, quod in pleuriticis, ac ſimilibus febribus, cum album, leve, æquale, decenter craſſum, & ſine magna difficultate excernatur, laudabile judicium profert; at cum valde glutinoſum, inæquale, & cum violentia, doloreque extrudatur, periculi plenam rem agit; ſic parce nimis, vel nihil prorſus expuere, maxime in morbi vigore, vel empyema, vel exitium minitatur; unde ſiccas pleuritides paſſim *Hippocrates* damnavit. Sputa item cruenta, vel variegati coloris, aut impensè flava, viridia, vel nigra, in morbi ſtatu excreta, perniciem ſæpe deprædicant. Hæmorrhagiæ demum, ſi poſt coctionem erumpant, tutæ penè ſemper ſunt; quæ vero ante coctionem vel in copia, vel ſtillicidio profluunt, vel deſperatos, vel ſaltem periculoſos eventus portendunt.

Cutanea excreta. 9. Cutanea item exanthemata proprias in prænotionibus lineas tenent; omnes enim iſtæ, ad cutim expulſæ, recrementorum eruptiones de intimo eliminante niſu vario modo loquuntur, differenteſque illius conditiones exponunt, unde propria prognoſtica deſumuntur. Primo itaque omnes effloreſcentiæ ſub duplici ſtatu conſiderantur, nempe vel ante, vel poſt coctionem; in primo cruditatis ſtadio erumpentes, efferam nimis infenſæ luis moleſtiam denunciant; cum antequam ſubigatur, ſpirituum niſus ad illius eliminationem compellat; ideo difficilem pugnam, & ambiguam intimi reparatoris victoriam ſemper in hoc ſtatu portendunt; gravius vero malum indicant, cum lividæ, aut nigræ maculæ, petechiæ vulgo dictæ, ante coctionem, & in febris initio appareant; hæc enim veneficum hoſtem in ſanguine militare prænunciant, contra quem deſperato marte Enormon certare, ſæpe cogitur; ideo & acerbam ſemper, ſemperque periculoſam hanc pugnam eſſe, quotidiana praxis teſtatur. Contra vero exanthemata quælibet poſt coctionem apparentia, niſi coctio deludat (quæ in veneficis non rarò ſimulata mentitur) mali ominis nuncios haud eſſe, experientia, & ratio paſſim edocent; ſubactus enim poſt coctionem hoſtis, caput ultra erigere nequit; ideo cum in veneficis exurgere videatur, tunc ſimulata coctionis ſigna Imperitos deceperunt; hæc vero *de febr. in ſpec.* clarius explicantur. Cutanei pariter Abſceſſus, in Acutis febribus non raro emergentes, laudabiles nuncupantur, cum ſequentes conditiones ſervare ſoleant. 1 Si poſt coctionem, & in glandulosa parte, ut in emunctoriis erumpant; 2. ſi extuberantem molem cum non nimia baſis dilatatione intumeſcat; 3. ſi properè, & abſque acerbo dolore, ad ſuppurationem perveniant; 4. ſi cocti puris debitam quantitatem expromant; 5. ſi tandem ægrum ſublevent, febremque abſolvant, vel plurimum imminuant. Abſceſſus ergo, qui ab his conditionibus nimis recedunt, infauſtum perſæpe eventum nunciare ſolent. Morbilli pariter, & Variolæ proprias prænotiones deferunt, ſed quia ſuis capitibus diſtinctam illorum prognoſin expoſuimus, ideo & hic longam palinodiam canere dimittimus.

10. Affectiones denique corporis figuram immutantes, cum in prænotionibus non parvi feciſſet Hippocrates, ideo hæc adhuc breviter, ſed ſatis perquirere convenit; multum enim ad prædictionum ſyndrome integrandam contribuunt. Primo itaque Faciei mutatio ſe offert, quam tam exacte divinus Senex depinxit, ut hinc faciem hippocraticam Practicis inſcribere, placuiſſet; dicit itaque: *In primis ægri faciem ſpecta, an ſanorum faciei, præcipue autem ſui ipſius ſimilis ſit, ita enim optima erit; quæ vero ſimili maxime adverſatur, grave periculum portendit, libr. 1. prognoſt.* Hæc inquam, apprime docuit, ut quælibet faciei alteratio probe obſervetur; extremum vero mutationis gradum, qui proprie faciem hippocraticam exponit, graphice inibi ſic deſcribit. *Erit autem hujuſmodi; naſus acutus; oculi concavi; collapſa tempora; frigidæ, contractæque aures, & imis partibus leviter verſæ; cutis circa frontem dura, intenta, & arida; totiuſque faciei color, aut pallidus, aut niger, aut lividus, aut plumbeus.* Hæc igitur cadaverica pene figura, cum ſub Acutorum initio appareat, mortem præ foribus adſtare, ſæpe denunciat; maximè ſi nullum grave ſymptoma febris limina invaſerit, ut *Faciei mutatio.*

atroces vigiliæ, vel alvi fluxus enormes, aut vehemens animi motus, ſimiliaque acerba ſymptomata, quæ ſæpius ocyter naturalem faciei tonum devaſtare, & in cadaveris figuram mutare ſolent, niſi, inquam, hæc præceſſerint, *ſcire convenit, hoc mortale ſignum eſſe*, cum eodem Magiſtro concludimus.

Oculorum vitia. 11. Non tamen hic ſuas ponderationes divinus Senex abſolvit, ſed ſingulas faciei partes minutim conſiderat. Et primo vitiatas Oculorum affectiones inſpicit; in illis enim lucis averſionem, lacrimas involuntarias, pupillæ perverſionem, albedinis ruborem, aſpectum horridum, aut obſcurum, nimiam palpebrarum elevationem, depreſſionem, aut perverſionem; hæc & ſimilia in oculis conſiderans, ſi cum cæteris funeſtis fæderata ſint, lethalia eſſe concludit. Sic item oris mutationes haud negligit; labia primum livida, vel pallida, aut extorta inter infauſta ſigna enumerat; dentium ſtridorem pariter phrenitim, & mortem nunciare (niſi conſuetum Patientis vitium ſit) certo decernit; linguæ tremor, & vox clangoſa, vel tremula, delirium prævenire docet; ſic linguam aridam, nigram, & diſciſſam in venefica febre peſſimum ſignare eventum pariter cenſet; in ſimplici vero acuta nimium ſanguinis ardorem nunciat, quo ſedato, naturalem tonum facile lingua recuperat; oris & faucium exulcerationes cum cæteris infauſtis emergentes, ultimam vitæ lineam ſignare, concludit. Nec tandem Aurium depravationes præterivit; nam illarum ſonitus, vel tinnitus in febre ardenti mentis alienationem prænunciare, inibi cenſet; quæ item, ex Practicorum obſervationibus, febrem ſimplicem ocyter malignam fieri, paſſim portendunt. Surditas vero in Acutis, dum coctionem inſequatur, futuram criſim, per hæmorrhagiam, vel alvi fluxum inſtituendam prædicit, ut 4. *aph.* 60. etiam docuit; at ſi coctionem præcedat, infauſtos eventus indicare, in *Coac. prænot.* ſancitur; & 4. *aph.* 49. in febre non intermittente ſi æger non audiat, debili exiſtente corpore, mortem proximam eſſe, teſtatur. Dolorem denique acutum in febre vehementi aures vexantem, delirii, vel mortis periculum minitari docuit. Hæc demum omnia, noſtris ac aliorum experimentis conſona, prognoſtica ex *libris prænot. & prædict.* ſelecta ſunt, quæ in genere tacta, ſufficere poſſunt; cum determinatam ſingularium febrium prognoſin *de Febr. in ſpec.* perpendere non neglexerim. Hæc itaque ſi præ manibus habeantur, Proteiformes Febres in prænotionibus non decipient. Verum a pathologicis tandem diſcedendo, generico ſimiliter greſſu ad Therapejam accedimus. *Aurium defectus.*

LIBRI II. PARS II.

DE FEBRIUM CURATIONE IN GENERE.

PRÆFATIO.

1. HActenus febris inquiſitionem, nunc vero illius curationem in genere pariter pro viribus expendimus. Apprime igitur dignoſcendum eſt; febrem ipſam quoddam curationis inſtrumentum eſſe, qua ſæpius Natura utitur, cum deturpatum ſanguinem depurare inſtituat, ſæpeque pariter eandem in auxilium advocat, cum deſperatos morbos debellare, vitamque periclitantem redimere ſtatuat; hinc *Hippocrates* in aphoriſmis ſuis tot morbos lethales eſſe dixit, *niſi febris ſuperveniens illos diſſolvat*. Quoddam ergo curationis ſubſidium febris eſt, cum ipſius vehementiam contra ſalutis hoſtes Natura concitet; & ideo ab eodem *Hippocrate Natura morborum medicatrix* nuncupatur, quia tunc ipſa medetur, cum mediante febris niſu, obvias ſæpe, depurativas Criſes inſtituat. Hoc ergo æque cognito, alterum adhuc noſcere intereſt; nempe quod non recte ſemper, nec ſæpe ad opus apta febre Natura utatur, *cum ſibi relicta, vel nimiopere ſatagendo, vel etiam ſibi deficiendo*, (ut peritus *Sydenham* loquitur) *hominem letho dat;* quia depurativam febris machinam, non ad ſalutem, ſed ad perniciem, ſæpeque ad lethum conducit. Ideo cum non ſemper periculoſum febris præſidium Natura ſibi relicta, recta methodo dirigere queat; ideo Artis ope indiget, cui fœderata febriles impetus ad moderationem reducat, infenſoſque lædentes provido niſu eliminet. Hoc præcipuum Artis auxilium eſt, cauta ſemper manu Naturæ conatus dirigere, ne *nimiopere ſatagendo*, in arma ruat, ac præcipitet, vel *ſibi deficiendo*, hoſtiles violentias haud ſatis reprimat, & devincat. Cognitis ergo hiſce, tuto concludimus, Curationem hanc duplici ſæpe concurſu, Naturæ ſcilicet, ac Artis, vel ſimul, vel ſeparatim agendo, integre perfici debere. Febris ergo Curationem in hoc potiſſimum conſiſtere, ſuademur, quod providæ Artis manu hæc machina ita moderetur, ut pro Naturæ exigentia, infenſique acerbitate recta methodo directa, ad ſalutis metam conducat. Utroſque igitur Naturæ, & Artis in hac linea conatus expendere in genere tantùm, nunc aggredimur, & primo a Naturæ niſu auſpicamur.

CAPUT PRIMUM.

De Naturæ Curatione, ſeu de Criſi.

Criſes controverſæ.

1. NUnc quidem ſuſpicor, illud me adagium objurgare, *in Apes tandem irruiſti*. Recentiores enim plurimi contra Naturæ judicationes omnes armant aculeos; dicunt nempe, nullam Criſin eſſe, cui ſine diſcrimine fidendum ſit; nullumque Naturæ conatum conſtantem promittere febris abſolutionem; quamobrem Criſes expectare, ſignisque illarum ſemper ambiguis fidere, improvidum, ac pernicioſum negotium eſſe, decernunt. Omnium vero pace reſpondeo, quod audaces iſti periculoſas magis, quam tutas currere ſemitas, delectantur, noſtros vero greſſus inveteratæ praxeos experimenta dirigunt, fidaque ſemper magni Coacis veſtigia ſine periculo ducunt; nec in oppoſitum rationunculæ argutæ practicas veritates evertere, nec cum ambiguis Naturæ motibus tutas criſes confundere, ac infamare apud nos potuere: plus enim verax experientia ſuadet, & plus etiam cæterorum verbis, Hippocratis documenta præponderant. Video enim in libris ſuis, quos indefeſſus obſervationum labor perfecit, nil accuratius quam Naturæ niſus perpendere, ſimulque hoc unum dogma cæteris frequentius docere; firmumque ſuæ doctrinæ fundamentum eſſe dignoſcitur, quod Artis motiones, ſicut non in cadavere, ſed in viventi corpore promoventur, ita moventis intimi niſus caute perpendere, & cum ſubactam luem eliminare oſtendat, illius molimina ſecundare nitantur; ne contra intimam jam determinatam motionem, oppoſitam alteram Medentis arbitrium inſtituat; unde vel cum ægri diſcrimine ſub Arte Naturam ſuccumbere, vel cum Medentis ludibrio Artem a Natura eludi conſpiciamus, quas tragædias non raro contigiſſe obſervare, mihi contigit. Criſes ergo nunquam deſpicere plurima experientia nos docuit; ideo ad illas intimius quo poſſumus inſpiciendas, nunc accedimus.

2. Criſeos vocabulum, ob plures etymi ſenſus, tam variè acceptum fuit, ut ad plura æquivocare videatur, ut *Budeus* exponit; omnibus vero nobis inutilibus dimiſſis *Hippocratis* ſenſum expendimus; apud ipſum ergo nil aliud Criſis exprimit, quam morbi judicationem, ut in libris ſuis paſſim, & præcipue 2. *aphor.* 13. *Quibuſcumque Criſis, ideſt Judicatio, fit, &c.* Et certò græcis in litteris forenſe judicium Criſis exponit, ut apud Græcos videre eſt. Ideo & *Galenus lib. de criſ.* notavit: *quod criſin vocem à Foro ad Medicorum ſcholas Hippocrates tranſtuliſſet*; nec inaniter, & ſine proprio ſenſu hac voce divinus Senex paſſim utitur, cum ſæpius docuiſſet, quod Natura per criſin morbos judicet. Ipſa enim tribunal tenet, ipſa prædones ærarium vitæ inſidiantes, invaſionis crimine damnat, ipſaque ſalutis raptores exilio mulctat, & eliminat, hæc, inquam, allegorice, ſed proprie Criſis eſt. Hoc ergo probe cognito, minime quidem ad ſalutem, vel mortem indifferens Judicatio iſta eſſe poteſt, ut Vetuſtatis commentum fuit. Implicat enim in terminis, & in re, quòd judicium hoc a reis prædonibus fieri aliquando poſſit, ut ſic judicatricem Naturam ad mortem damnarent; quod, inquam, inſulſum placitum inter cæteras Priſcorum excogitatas ineptias æque dimittimus. Criſis ergo proprie illa eſt, quæ devictos jam hoſtes, extra vitæ clauſtra relegare, ac depellere molitur; nunquam enim Natura morbos judicat, & abſolvit, niſi prius lædentem luem ſubigat, & inde per tritam viam eliminet; ſigna vero ſubacti jam hoſtis coctiones ſunt, poſt quas cum Criſis appareat, ad ſalutem ſemper terminare, ab Hippocrate uſque nunc experimenta oſtendunt; audiatur ſaltem Practicorum ſui temporis eximius *Galenus*, qui *libr.*3. *de criſ. cap.*3. ſic loquitur. *Ego millies, cum dum criſes fierent, intereſſem, neminem unquam vidi intereuntem, qui, præcedentibus coctionibus, criſin habuiſſet*; hoc idem

Criſeos nomen expenditur.

Periti

Periti omnes teſtantur; quod veritati litando, & nos in inveterata praxi ſemper compertum habemus. Concludamus ergo, quod motus illi, quos ante coctionem Natura laceſſita molitur, injuſtè quidem Criſeos nomine dignantur; cum vera Criſis non niſi poſt devictam luem, ſeu quod idem eſt, poſt coctionem, Naturæ triumphum oſtendat.

Criſis differentiæ. 3. Itaque de vera Criſi loquendo, quæ poſt coctionem apparet, ſemperque ex morbo ſalubritatem reducit; hæc tamen haud ſemper unico impetu infenſam luem extra vitæ confinia depellit, ſed non raro inerti niſu dictam eliminationem moliri ſueſcit, pro ut ſpirituum impetus magis, vel minus vehemens, aut validus eſt; hanc ergo perfectam, & imperfectam criſin dignoſcere, ac diſtinguere Peritus quiſque tenetur, ut aphoriſtica dogmata, quæ rectam praxin dirigunt, tuto inſequi calleant. Perfecta ergo dicitur criſis, quæ confeſtim, & integre morbum judicat, & abſolvit, tutamque valetudinem reſtituit, nec ullam infenſæ luis reliquiam in corpore linquere ſueſcit. Imperfecta vero non illico, & integre morbum ſolvit, ſed ſenſim, partitiſque vicibus inficientes ſordes eliminat, vel extra morbi foco, & in angulo ignobiliori deponit, aut ad peripheriam demittit. Utriuſque propriis characteribus deſignata diſcrimina exponere in Juniorum gratiam adhuc decet. Primò itaque perfectæ criſeos canones, ab Hippocrate hinc inde traditi ſequentes ſunt. 1. quod apertis, conſtantibuſque coctionis ſignis præveniatur. 2. quod in die judicatoria perſolvatur, quæ non per ſeptenarios tantum, ſed in qualibet, 4. *aph.* 36. deſignata, die perfici poteſt. 3. quod emergens tuta incedat, ſymptomatis haud periculoſis comitata. 4. quod conferentem excretionem, vel non arduæ curationis abſceſſum expromat. 5. quod febris machinam quieſcere ſinat, ut integrum depurationis effectum obtinuiſſe oſtendat; hæc perfectæ Criſeos notæ ſunt, à quibus etiam Imperfecta non nimium deflectit, licet per difficiliores tramites deducatur; hujus item ſigna ſunt. 1. cum poſt coctionem languidas motiones inſtituat, quo ſigno dimidiatas criſes moliri oſtendit. 2. cum diebus non judicatoriis devictas ſordes eliminare nitatur, in quibus etiam aliquando accidunt criſes, ut *lib. de morb. vulg.* oſtendunt. 3. cum periculoſo aliquo ſymptomate comitatur, tunc pro nimio ſpirituum impetu ipſorum niſus perturbatur, & criſis non perficitur. 4. cum haud integra deſpumatio eliminetur, vel improbæ notæ abſceſſum deferat. 5. cum febrem non abſolvat, ſed minuat, ut ad integram deſpumationem illius molimina reſervet. Hæc inquam utriuſque notæ ſunt, quæ vel Artis feriationem, ut 1. *aph.* 20. vel illius auxilia, ut 1. *aph.* 21. docetur, æque repoſcunt.

4. Hæc tamen aſſiduis experimentis firmata doctrina, cum exoſæ vetuſtatis male oleat, à Recentioribus plurimis audiri nequit. *An Criſes anteverti queant.* Dicunt enim; tutior praxis eſt, Criſes nunquam expectare, ſed antevertere, cum Artis providæ ſit, Naturæ labores non relinquere, ſed imminuere, cum poſſit; qui vero criſes expectat, totum curationis onus Naturæ imponit; quæ ſola ſæpe fallere, compertum eſt. Sana hæc doctrina non undique ſana dogmata, ſæpe adulterata, produxit. Sanum quidem eſt, criſes ante coctionem non expectare, neque poſt ipſam, dum aperta illius ſigna non appareant; ne poſt coctionem diu procraſtinantem criſin otioſe ſpectando, præceps in acutis medendi occaſio evaneſcat. Similiter in morbi limine, ſi quid movendum ſit, (ut 2. *aph.* 29. docetur) tempeſtive movere, rite, & recte Naturæ labores minuere, criſeſque prævenire, benevertit. Veruntamen ſanam iſtam, & in hiſce circumſtantiis determinatam doctrinam, ad univerſalem regulam ampliando, nullam etiam prænunciatam, ac initiatam criſin, pro Medentis arbitrio antevertere, ac pervertere nituntur; ſicque non *quo Natura vergit*, ſed contra illius inſtitutionem eliminandam luem per alias vias ducere incumbunt; quæ periculoſa Naturæ diſtractio, vel cum ægri diſcrimine, vel cum Medentis opprobrio terminare ſæpe ſuevit. Hoc inquam punctum eſt, quod tanto cum Artis detrimento Nonnulli contendunt; ut ergo præjudicium tantum extirpare aſſequamur, aliquas ponderationes in

hac

hac linea opportunas, pro Juniorum gratia ſaltem, expendere aggredimur.

Criſis nulla infidelis eſt.

5. Primum ergo præjudicium eſt, Criſin infidelem calumniari, omneſque illius impulſionem negligere, ac inſtitutos Naturæ niſus arbitrariis motionibus pervertere. Erroris hujus occaſionem veterum illuſio ſuggeſſit; cum criſes bonas, vel malas contingere poſſe, crediſſent, ſicque pro firmo dogmate poſteros docuiſſe; quod quantum in terminis repugnet, ex dictis, dicendiſque, ſatis conſtat. Non omnes quidem intimi conatus, nec quilibet laceſſitæ Naturæ motus recto ſenſu veræ criſes nuncupari poſſunt, cum non quælibet judicet morbos, ægroſque a periculis redimat, ut proprium veræ criſeos penſum eſt; ideo quæ devicta, vel laceſſita Natura excretiones emergunt, non proprie judicationes, ſed vel perditæ impulſiones, vel irritationis impetus nuncupari debent; & hæc Priſcorum vecordia fuit, motus intimos omnes criſeos titulo inveſtire; ex hac ergo culpa criſes infideles nuncupatæ ſunt. Error quidem priori pejor; nam ille Medentis judicium, iſte vero curationis munus pervertit; ille medentem illudit; iſte ægros plurimos ſæpe interimit. Veterum itaque deceptione jam cognita, alterum ab ipſa inductum errorem, qui tanti ponderat, emendare Sapientis erit. Per me quidem in inveterata quadraginta, & ultra annorum praxi, aſſiduis experimentis edoctus, veras criſes perpetuo fideles, morborumque domitrices comperiiſſe, confiteor. Nec dicant, quod aliter ipſi experti ſint; cum ſæpe infideles criſes inſpicere, occaſio dederit. Huic objecto undique ambiguo, unicum reſponſum ſatis erit; nempe quod inſuetam hanc criſin cernere putaverunt; cum vel a falſa coctione (quæ non raro contingit, ut *lib.* 1. *de febr.* expoſuimus) eluſi fuerint; motus enim omnes ante integram lædentis materiæ ſubactionem apparentes, non criſin, ſed erethiſmum oſtendunt. Item vel cum veram criſin præpoſteris remediis everterint; ſicque contrariis auxiliis ab inſtituto impetu alienata; inter oppoſitas motiones ambigua Natura, Artis violentiam ſecundare coacta fuit; unde illius criſes infideles, & febris protractionem, pejuſque forſan inſpexerunt; non enim æque penditur, quantæ molis ſit, ab inſtituta criſi Naturam divertere. Sed non quidem oppoſitum dicunt, quia pudor illos cohibet; quod non raro ita conſtantem criticam impulſionem invenerunt, ut omnibus Artis viribus illam deviare haud potuere; ſicque in ipſorum ludibrium fidelis criſis proprium motum abſolvit. Hic quæſo ingenue dicant, quot febres catharticis ex. gr. ab ipſis tentatas, per ſudorem, vel per urinam integre judicatas viderunt? Similes caſus non ſemel Practicorum oculis exponere mihi contigit, cum oppoſitum remediis effectum mirantes, per vias ab illorum placito alienas vergentem Naturam inſpexiſſent; quod ſatis ſit, ad firmam criſium fidelitatem affatim ſuadendam.

Criſis non negligenda.

6. Sed Juniores adhuc inſtant; quod hæc doctrina rectas Recentiorum inſtitutiones evertit; inter cœteros enim *celebris Ettmullerus*, qui Practicorum manus, menteſque ſæpius exercet, *libr. Inſtit. Medic. Simiot. cap.* 4. *theſ.* 2. ſic docet. *Medicus bonus negligere debet Criſin, quia prævenire recte monet Helmontius*. Improbus ergo medicus erit Hippocrates, qui tot aphoriſmis Criſes haud negligere ſtatuit; legitimum certo conſequens hoc eſt, quod an verum ſit, Cordati judicent. Univerſalis illa propoſitio in Galenicorum injuriam ab *Helmontio* edocta, ſicuti eodem (qui ſpecifico ſuo febres omnes ante quartum ſedaſſe gloriatur) decora quædam jactantia fuit; ita injurioſa illis, qui methodice curant, dictitatur. Licet enim ſemper expectare criſin, cum non immineat, improbum ſit; peius tamen eſt imminentes negligere, ac pervertere. Quamobrem qui non intra quartum, ſed ultra quartumdecimum, ſæpeque vigeſimum acutas febres dirigere coguntur, indicatas criſes nunquam negligere, nec deviare tenentur; cum critici Naturæ conatus Artis motionibus præponderent. Ideo medicinæ Pater illos vel inſpectare, vel quo vergunt, coadjuvare ſancivit. Non ergo ab Empiricis medendi leges emendicare, tutum ſemper eſt, maxime cum magis tutas, diuque in praxi comprobatas regulas, in aphoriſmis habeamus.

mus. Item quod inibi idem proſequitur, ſine ponderatione præterire non decet, dicit ergo. *Si enim criſin expectat, Naturæ ægræ totum onus bajulandum incumbit, Medico tantum ſpectatorem agente, &c.* Ratio iſta ſi de Criſi nondum indicata loquatur, refelli nequit; ſi verò imminentem, vel apertis ſignis initiatam non expectare, nec perpendere, ſed Artis arbitrio movere decernat, minime quidem approbari poteſt. Cum enim Natura totum curationis opus ſibi aſſumpſiſſe demonſtret, Medicum ſpectatorem, vel ſocium coadjuvantem, non perturbantem requirit, ut Hippocrates, & experientia ſatis docent; ſpectantem, inquam, ſi pleno, tutoque conatu perfectam criſin inſtituat; ſocium vero, ſi languido, vel immoderato impetu devictam luem eliminare oſtendat; ſæpe enim in hoc caſu Artis ſuppetias pellit, vel ut effrænes motus intra moderatos limites coerceat, vel debiles niſus per eandem viam, quò determinati jam ſunt, niſi aliud vetet, coadjuvare ſocii peritia nitatur. Non ergo veras criſes negligere æquum eſſe, probe Practici noſcunt; ideo idem ingenuus *Ettmullerus* genericam *in inſtitut.* datam theoriam, ſæpius in praxi reformavit, & præcipue *cap. de febr. ardent. in prognoſ. fine*, ſic ſe explicat. *Quo ad Criſin dicit Helmontius, Medicum debere negligere eam; quia prævenire melius ſit, & hoc veriſſimum eſt, qui prævenire poteſt faciat. Verum cum hoc non in omnibus ſit licitum, & generoſum hoc negotium præſupponat remedium, potius Medicus ſit miniſter Naturæ, & expectet criſin*, (ſcilicet cum apertis ſignis imminere conſtet) *quam ut Naturam perturbet, illegitimis remediis illis ſuccurrendo*. Quod hic ſatis ſit.

A febrifugis præjudicium.

7. Ultimum denique in hac linea præjudicium febrifugi corticis curatio inſinuavit; hæc, inquam, a tot Peritis exculta medela criſes omnes prævenire, febreſque plurimas, nulla expectata deſpumatione compeſcere docet; & hanc hodie invaſam medendi regulam, cum ſæpe felici eventu ſuccedere, compertum ſit, in febribus, quæ ſanguinis depurationem non moliuntur, commendare tenemur. Non vero, ut plurimi ſentiunt, in qualibet febri, nec in omni temporis conſtitutione Peruviani febrifugi victoriam ſperare quimus. Tutis enim obſervationibus conſtat, quod febres plurimæ, poſt diuturnum, & ad tędium uſque prorogatum hujus febrifugi uſum, caput ſemper attollere, ac pertinaci firmitate recidivare aſſueſcunt; & iſtæ quidem nunquam abſolvi poſſunt, niſi molitam ſanguinis deſpumationem abſolvant, ac eliminent; quam criſin artis violentia prorogare, ſed auferre non poteſt; argumentum ſane perſpicuum; quod & Naturæ in ſanguinem deſpumando conſtantiam, & Artis in medendo imperitiam parili evidentia demonſtrat. Plures in hac linea caſus inſpicere nobis contigit, quorum aliquos in obſervationibus deſcriptos tenemus. Hinc ergo concludere licet, quod cum ut plurimum febris machina Natura utatur, ut ſanguinis depurationem, vel innovationem inſtituat; ideo intempeſtivus febrifugi uſus non auxilium illi, ſed obſtaculum prębet, ne ſuſceptum ſalutis opus, integre perficiat; quod, inquam, Valetudinarii poſt diuturnum Peruviani febrifugi abuſum, paſſim oſtendunt, qui nunquam ſalutis portum attingunt, niſi præmeditatam criſin, ſibi relicta Natura ad finem perducat. Tantus de febribus timor Medentum animos invaſit, ut contra ipſas, quæ ſæpe ſæpius Naturæ conatus ſunt, ad lædentium eliminationem directi, in ipſas, inquam, evertendas, omnia pharmaca impendant, totiſque viribus incumbant; iſti quidem non fautores Naturæ, ſed hoſtes ſunt, cum illius tutelæ niſus infringere nitantur. Recte igitur concludere quimus, quod periti Medentis munus ſit, Naturæ conatus, criſeſque nunquam pervertere; qui vero cum Helmontio hoc dogma carpere contendunt, cum illo prius Corinthum adeant, arcanoque vellere divites, hippocraticam hanc legem peſſundent, quod tunc illis parcere, & parere non renuam; ſed ad alia divertamus oportet.

C A P. I I.

De Artis Curatione, & primo de Diæta.

Therapeiæ methodus. 1. NAturæ medicatricis curationem Artis auxilia inſequuntur, priorem in Criſeos epitome, poſteriora nunc perſolvere ſtuduimus; ſola enim Natura febres abſolvere ſæpe nolit, vel nequit, ideo ab Arte ſuppetias petere ſæpe ſueſcit, quod per indicantia perito Medenti ſemper exponit; hæc autem ſunt, primo ut Medens vitalem œconomiam firmam confirmet, vel delapſam reſtauret; ſecundo ut febrium fomites, una cum ipſa, ſubigere, ac eliminare coadjuvet; duo cardines iſti totam Artis machinam ſubſtentant, a quibus rite digeſtis, therapeuticæ hujus ordo deſumitur; auxilia nempe, quæ directe Enormon reſpiciunt, vel ipſius vires conſervando, vel immoderatos illius impetus refrænando, primo loco examinare ſtatuimus; ultimo tandem cœtera, quæ ad evertendos morborum fomites diriguntur, expendere decrevimus. Cum autem inveterata exigat conſuetudo, a tribus illis ærariis, Chyrurgico nempe, Pharmaceutico, ac Diætetico, omnes Artis opes deſumere, a Diætetico auſpicari primo deliberavimus; cum ab hoc potiſſime vitales vires & conſerventur in eſſe, & deperditæ reparentur. Poſtea Pharmaceuticam provinciam luſtrabimus, in qua primo remedia Enormonticam vim confortantia; ſecundo effrænes illius impetus compeſcentia; tertio tandem moleſtantes infenſos eliminantia, gradatim conſiderabimus. Ultimo denique loco Chyrurgica etiam auxilia, in genere tamen, examinabimus; itaque ad primum.

Victus ratio quanti æſtimanda. 2. Diæteticam provinciam ſex res non naturales dictæ integre deſcribunt, in præſentiarum autem illam tantum partem luſtrabimus, quam ſola victus ratio a reliquis diſtinguit. Hoc auxilio æque adhibito, præcipuum Artis munus Medicus adimplet, *Celſo libr. 2. de re medic.* olim teſtante. *Optimum medicamentum eſſe, cibum opportune datum;* cum recta victus regula meliorem ſæpius partem in re medica dirigat. Ideo Hippocrates ipſe in hac re tot aphoriſmos condidit, quorum ſeveris legibus parere Peritiores non renuunt; a recto enim nutriendi regimine vitalis vigor ſervatur, infenſique vires enervantur. Victus ergo ratio ſub duplici reſpectu conſideratur; primo prout corpus nutrit; ſecundo prout morbos comprimit; hæc ultima ratio *lib. de febr. in ſpec.* reſervatur; hic vero in genere tantùm ſub titulo alimenti victus rationem exponimus, ut proficuum in febribus nutriendi regimen dignoſcatur; ideo tres cibandi conditiones nunc perpendimus, quarum prima erit alimenti probitas; altera cibi quantitas; tertia exhibendi tempus.

Optimi victus conditiones. 3. Primo itaque ciborum bonitatem ſequentes conditiones exponunt; primo quod purum ſuccum, optimæ nutritionis, & facilis digeſtionis, vireſque vel ſervantem, vel reſtaurantem, in ſtomacho deponat; impurum enim, propria indolis pravitate, ſanguinem defædat, febriumque fomites adauget; difficilis digeſtionis pariter noxium eſt, ventriculi enim opus ſupra vires defatigat; ultimo tandem non nauſeatus, ſed ſuavis cibus ſit, quia quod nauſeam facit, vomitum concitat, vireſque non reſtaurat, ſed fraudat; appetitum vero cibum ſtomachus libenter amplexatur, bene digerit, & cum probus ſit, optime nutrit; *equidem duplex robur, & admirandum ſimul auxilium exhibet id, quod naturæ ob jucunditatem gratum exiſtit;* ut recte *Aetius tetrab. 2. ſerm. 1.* Quare hæc ultima conditio cœteris ita præeſt, ut cibi probitas non ſufficiat, niſi ſtomachus illam non reluctet; adeoque dum vires conſervandæ, vel reſtaurandæ ſunt, nondum victus probitatem, ſed & ſuavitatem primo perpendere intereſt; unde 2. *aph.* 38. æque ſancitur, *parum deterior potus, & cibus, ſuavior autem, melioribus quidem, ſed minus ſuavibus, eſt præferendus.* Crudelis ergo regula eſt, unico ſemper, etſi a febriente nauſeato, carnis juſculo nutrire velle; cum nutrire non ſit, ſed vires hoc modo conſumere; in qua linea multum ponderant *celeb. Ettmulleri* verba. *Juſculum carnis optimum in ſtomacho febricitantis, qui*

*qui illud abhorret, cadaverizatur; halec verò aſſumptus, quia appetitus, ex inſperato febres ſanat interdum. Inſtit. Medic. Pathol. cap.*2.*theſ.*4. hanc veritatem ab Helmontio Ettmullerus deſumpſit, quam inſignis ille Chymiater *lib. de febr. cap.*12.*num.*4. &c. primò expoſuit. Cibus itaque ſuavis appetitum promovet, & qui appetit, ſibi proſpicit; noſcit enim Natura appetentiæ ſigno proprias urgentias indicare, ac anorexiæ monitu ſibi moleſta refellere; hæc inquam tuta regula eſt, licet aliquando ſuas exceptiones patiatur; ideo medicinæ Magiſter *lib.* 6. *de morb. vulgar. ſect.*4. *ægrotantibus gratificationes* præcipit, eaque concedit, *quæ non magnopere lædunt, aut facile reparari poſſunt.* Innumeris enim obſervationibus conſtat, quod gratificata ægrotantium appetentia, incurabiles diu morbos inexpectato, citoque curavit. Tanta Naturæ vis eſt, ut ſemel ſolata, ſuas clades facilè reparet; qui ergo hanc probe noſcit, ægris inſuavia non præcipit, nec in gratificando inexorabilis eſt; cum plus Natura, quam Ars ægrotantium indigentiis proſpiciat, ſed ad alteram victus conditionem accedamus.

Victus quantitas. 4. Cibi quantitas exigentiæ adæquata corporis vires conſervat, & fovet, exuperans verò illas opprimit; nimius enim cibus depreſſa in febribus digeſtionum fermenta magis deprimit, unde cruditates emergunt, quæ febrium fomites augent, & vires ſimul imminuunt; ſæpeque facilius febrientes perimit cibus, quam morbus, cum ab illius cruditatibus adauctus iſte inſuperabilis evadat. Quamobrem divinus Senex de victus ratione tot regulas *lib de diet. & libr. de rat. vict. acut.* ac alibi paſſim accuratè præſcripſit; unde tot aphoriſmi, ut *in* 1. *ſect.* &c. deſumpti fuere. Illius ergo in hac re documenta, ut æquo uſu cuilibet febri applicentur, tria febrium genera primo diſtinguere eſt opus. Primam ergo lineam tenent Febres acutiſſimæ dictæ, quæ intra quartum, & ſeptimum fauſte, vel funeſte abſolvuntur; alterum genus Acutarum eſt, quæ ſeptimum diem excedunt, & quartumdecimum, vel vigeſimum ſæpe attingunt; tertium denique Chronicæ tenent, quæ vigeſimum traſmeando, ad quadrageſimum, & ultra ad menſes, & annos uſque percurrere ſueſcunt; hæc ergo febrium ſtadia ita diſtinguere oportet, ut ſine illorum præviſione rectam cibi normam inſtituere nemo poſſit. Ideo docuit *Hippocrates* 1.*aph.*9. *Conjectari oportet an æger cum victu ſufficiat perdurare, donec morbus conſiſtat*, &c. quo monitu, & ægri vires, & morbi durationem perpendere jubet; ne vel acutiſſimis febribus, quæ cito vigent, & abſolvuntur, pleno victu indulgendo, ægri vires opprimantur; vel in diuturnioribus, quæ diutius percurrunt, cum tenui victu febrientis vires perdurare, non poſſint. *Quare* (hic benè *Galenus*) *ab initio ſtatim ad univerſum ægritudinis tempus inſpicientes, rationem victus inſtituemus, lib. ad Glaucon. cap.* 8. Tempus igitur durationis febrium conjicere, ac dimetiri Medens tenetur, ut æque, & recte victus quantitatem inſtituat; hæc verò conjectura, licet ardua ſæpe ſit, *Hippocrates* tamen 1. *aph.* 12. plurimum facilitavit, cum hujus dignotionis fontes aperuiſſet. Verum ſi quid aliud magis hanc obſcuritatem illuſtrat, tuta de virium ſtatu cognitio erit, ideo ab hac etiam lumen aliquod petimus.

5 Vires ergo in febribus duplicem ſtatum tenent, vel enim præſentes, vel futuræ conſiderantur. *Virium ſtatus.* Præſentes ut æque perpendantur, regulæ aliquæ *cap. ſequent. num.*2. &c. datæ ſunt, quibus præcognitis, tam in victus ratione inſtituenda, quam in cardiacis præſcribendis, nemo a recto facile declinabit. Futuras vero vires, difficilius conjiciendas, a pluribus concauſis hic expetere convenit. Prima ergo notio a præſentibus febrientis viribus deducitur, quæ ſi validæ ſint, de futuris æque bene ſperari poſſe, promittunt; at ſi ſub febris exordio langueſcant, in progreſſu magis adhuc debilitari debere portendunt. Altera notio a morbi natura deſumitur, quæ ſi vehementiam, aut malignitatem oſtendat, ocyter virium opes dilapidare minitatur; ſi vero nec venefica, nec vehemens febris ſit, non tam cito vires conſumit; item a præcognita febris duratione, quanta illarum deperditio futura ſit, conjectari poteſt. Tertia ex ſymptomatum atrocitate,

ac ab animi pathematum vehementia, quantum de virium robore imminuatur, facile noſcitur. Quarta ab anni tempeſtate; nam Ver, & Hyems vires fovere ſueſcunt; Æſtas vero, & Autumnus eaſdem diſſipare ſæpe ſolent. Quarta demum notio ab ætatis varietate, ac ab inſita febrientis conſtitutione deducitur; hæc enim multam adhuc de virium conſtantia, vel fragilitate conjecturam exhibent; ſed de his ſatis pro nunc.

Victus quantitas determinatur. 6. Febris itaque duratione, viriumque conditionibus præcognitis, peritus Medens facile deducet, quam determinatam cibi quantitatem febrienti exhibere debeat, cum qua perdurare queat, donec morbus conſiſtat. Cognita itaque primùm acutiſſima febre, cujus vigor citò imminet, citoque abſolvitur, tenuiſſimo victu utendum eſſe, Hippocrates docet; (qui non omnimoda cibi abſtinentia eſt, ut Præceſſores ſuos *lib. de rat. vict. acut.* 2. *text.* 18. improperabat) nam etſi maſticationes omnes penitus excludat, tenuis tamen ſubſtantiæ potiones tutò permittit; tenuiſſimus ergo victus ptiſanæ ſuccus erat, nunc vero conſueta carnis juſcula ſunt, ac ſæpius in panatellis, vulgo dictis, confecta, quæ niſi febrienti nauſeam concitent, tolerari debere, invaſa conſuetudo permittit; febrientibus vero carnis brodia nauſeantibus, vel hordeata, vel amygdalata juſcula, cum pane martio ad ſummum confecta præſcribi poſſunt; ex hiſce, vel ſimilibus ægrotanti ſuavius eligendum, & cum illo ad quartum uſque conſtanter perſeverandum eſt, niſi circumſtantiæ gravantes aliud petant. Quod ſi morbi vigor quartam diem excedat, & ad ſeptimam protrahatur, ſi cum hoc victu ægri vires perdurare poſſe, tuto noſcatur, nullo modo augendus eſt, ne a celeri coctione intenta Natura diſtrahatur. Acutas vero febres, quas ultra ſeptimum traſcurrere debere, conjicitur, tenuiſſimo victu minime tractandas eſſe, idem docuit; cum primo ad vires, quæ præcipuæ morborum domitrices ſunt, conſervandas, reſpicere teneamur. Cibus vero in hiſce febribus eſſe poteſt, vel carnium juſcula cum hordei ſucco, aut ovi vitello, vel cum pane, & ovo decocta, vel aliter pro Patientis conditione, & gratificatione, quæ provida deliberatio Periti munus erit; hic enim Galeni conſilium inopportunum haud eſſe credo, qui *com.* 1. *de rat. vict. acut. text.* 27. Sic ſeveram in hac linea Hippocratis legem moderatur. *Quod ſi æger ptiſanam, mulſamque faſtidierit, piſces ſaxatiles erunt maxime idonei &c.* Tanti penſi eſt, vires ſervare, ut ad minus apta cibaria, quia non nauſeata, confugere, aliquando cogamur; ſed hoc indultum Peritis relinquimus. Chronicas demum febres pleniori victu tractandas eſſe, nemo neſcit; in diuturna enim pugna copioſam reſtaurationem, ut æque conſiſtant, vires exigunt. Quibus denique ſemel, vel bis in die cibum dare oporteat, ex virium ſtatu, morbi gravitate, ac cœteris circumſtantiis æque perpenſis, deliberandum erit.

Tempus cibandi. 7. Ad tertiam ultimo cibandi conditionem, tempus nempè cibi opportunum examinandum, accedimus; circa quod plurima, non exiguæ difficultatis, perpendere intereſt. Et primo Praxeos dogma eſt, quod ſicuti cibandi occaſio indicatur a viribus, ut conſervandis, ne pereant, ita prohibetur a morbo, ne cibus lædat; ideoque ſi vires non reclamaſſent, toto morbi tempore cibare, vetitum eſſet; & quia virium ſervatio victum petit, & morbi ſeveritas illum recuſat; ut utrique ſatisfiat, inter morbi tempora illud ſeligere oportet, quod minus cibare prohibeat; cum ergo morbi tempora plurima ſint, hæc primum expendere intereſt. Quatuor ergo febrium ſtadia numerantur a Practicis, quæ ſuis cuique temporibus definiuntur, nempe Principium, Augmentum, Status, & Declinatio; & hæc tam de Univerſali, ſeu de totius morbi duratione, quam de particulari, ſeu de ſingula febris periodo, intelligenda ſunt; utrumque pro recta victus inſtitutione perpendere nunc eſt opus. Ad primum itaque, morbus per integram durationem dimenſus, dum ad ſalutem terminet, dicta quatuor ſtadia percurrere debet; at quia in hiſce omnibus per ſe cibum prohibet; contra vero in omnibus hiſce virium cuſtodia nutrimentum præcipit, inter hæc oppoſita inquirendum eſt; quan-

quando minus cibum renuat morbus, ut hoc tempore ſaltem virium ſervationi conſulamus. Cùm ergo notum ſit, quod *circa initia, & fines* morbi *omnia imbecilliora, cum conſiſtunt fortiora* ſint, ut 2. *aph.* 30. docetur; principium itaque, & declinatio morbi aliquam cibi tolerantiam admittunt, at ipſius vigor, ſeu augmentum, & ſtatus, cibum omnino reſpuunt. Quamobrem in acutis febribus, quorum vigores ultra ſeptimum tranſeunt, pro virium exigentia, cibum largiri docemur; unde Priſcos illos meritò improperabat *Hippocrates lib. de rat. victus acut. n.* 14. *Sub morborum initia homines fame præmacerarunt, duobus, tribus, aut etiam pluribus diebus*. Sic poſtea coacti, ob virium jacturam, cum detrimento, & periculo in morbi vigore importune cibare; ſicque pugnantis Naturæ victoriam divertere, morbique vires augere, cogebantur, quod non quidem ſocii, ſed hoſtis munus erat. In acutiſſimis vero febribus, quæ principium cum vigore confundunt, eandem regulam, qua in morbi ſtatu utimur, obſervare intereſt, tenuiſſimum nempe victum exhibendo. Declinatio denique, triumphantis ſed defatigatæ Naturæ tempus extat, in quo pro virium nutu refocillanti victu indulgere decet; at quia deſtitutæ vires, reſtaurationis avidæ, vitioſum ſæpè appetitum excitant, ut providus Medens repletiones, ac recidivas evitet, caſtigatum victum præſcribere tenetur.

Cibandi tempus in Intermittentibus. 8. Particularia demum febris tempora, in iiſdem quatuor ſtadiis diviſa, vario pariter modo cibari permittunt. Intermittentium primo febrium interſtitium liberum pro victus exhibitione opportunum ſeligitur; imò Galenus (in hoc certo peritus) in ſimplicis Tertianæ cura, die febris omnem prorſus cibum vetat, ſuadetque, *ſatis eſſe alternis diebus cibare, lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 10. Verum hanc integræ diei abſtinentiam, Ægri, & Aſſiſtentes ut crudelem vituperant, etſi in his febribus cito expugnandis, opportuna dignoſcatur; quia quantum ad celerem coctionem promovendam contribuere poſſit, Periti noſcunt. Verum ut timidis patientibus indulgeatur; in ipſa etiam febris die cibandum erit, ſed ab ejuſdem limine remotius quo poſſit; ideo pleniuſculum cibum ſex horis ante acceſſionem, tenuem vero quatuor ſaltem exhibere convenit: ne invadens febris digeſtionem præpediendo, crudo chylo nutriendas vires eludat, ſanguinemque novis impuritatibus inficiat Quod ſi longiori periodo febris protrahatur (ut nonnullæ intermittentes ſunt, quæ ſæpe duodecim horas excedunt) tunc in ipſo declinationis termino tenui aliquo victu patientem reficere, æquum erit: ſed hæc Initiatis etiam nota dimittimus, & ad difficilia deſcendimus.

In febribus continuis. 9. In continuis tandem febribus nulla cibandi opportunitas adeſt, quia nullum a febri liberum intervallum ſe prodit; ideo difficili methodo victus exhibitio præcipitur; at cum in iſtis etiam, & majori quidem urgentia, virium cuſtodia nos premat, aliquod cibandi tempus idoneum inveſtigare cogimur. In hac igitur ambage perpendere primò intereſt; an continua febris apertas, vel occultas remiſſiones, perſpicuaſque recrudeſcentias oſtendat? Si aliqua fervoris, vel ſymptomatum compeſcentia dignoſcatur, in ipſo lenitatis tempore cum minori adverſione cibum tolerat, & in ipſo tenuem victum exhibere decet; verum ſi æqualiter ſemper concitata, nulla hora miteſcere videatur, tunc vel conſuetam, vel tutiorem cibandi horam ſeligere oportet, ac tenuem victum pro virium indigentia, febriſque tolerantia opportunum præſcribere; hæ enim febres implacabiles ut plurimum ultra ſeptimam diem pertinacem hunc impetum continuare nequeunt, ideo tenuiſſimo etiam victu tractari debent. Continuæ vero, quæ manifeſtas recrudeſcentias, & remiſſiones oſtendunt, in deliberatione cibum tolerant; non ſemper tamen, interdum enim poſt brevem compeſcentiam, vehemens acceſſio inſurgere obſervatur, & in hoc caſu periculoſius eſt, etiam declinante febre, cibare; cum ergo principium grave, praviſque ſymptomatis fœderatum ſit, ſtatuſque febris longius, & mitius percurrat, tunc in ipſo ſtatus fine victus tenuis tolerabilior eſt; magna ergo in hiſce anguſtiis Medentis prudentia requiritur, ut deligere

ſciat,

ſciat; quod minus ſit noxium, diſcernendo quod magis ſit nociturum, tum ex acceſſionis, & ſummi vigoris conſuetudine; ut æque noſcat, quod in quovis febris tempore vires ſervari debeant. Impium enim eſt, ut ob nimiam prohibentis formidinem ægri vita deficere permittatur; temporibus itaque haud tolerantibus æque cibare abſtinemus, *cum eo tamen, ut nullo tempore is, qui deficit, non ſuſtinendus ſit*, *Celſus* prudenter concludit, ſed de cibo hæc ſatis ſint.

Potus cautiones. 10. Potus autem, Febrientium ſolamen, proprias adhuc reflexiones petit. Hujus materia primo Aqua eſt, quæ adhuc ſua commoda, & incommoda ſæpe habet; ideo Hippocrates frigidam (ſic aquam vocet) ut proficuam ſæpe concedit, ſæpeque ut noxiam denegat; plurimis item obſervationibus docemur, ſanos etiam homines ex aquæ potu ocyter è vita deceſſiſſe; quod ſi hæc pericula in ſanitatis vigore contingunt, quid ergo in decumbentibus minitare poſſint, periti noſcunt. Tutas ergo cautiones aquæ ſaturatio repoſcit: plurima enim permittunt, plurimaque adhuc inhibent; quæ permittunt primo febris ardens, ſitiſque impenſa eſſe poſſunt, in quo caſu frigidæ potus & febris ardores, & ſitim ſæpiùs compeſcit, non ſemper tamen, cum prohibentia reclamitent. Secundo febris haud pernicioſæ, ſed ſalutaris indicia, ſymptomatumque prohibentium abſentia; in periculoſis enim frigidæ ſaturatio aperta diſcrimina provocat. Tertio ætas florida, viſcerumque ſalubritas, quæ ſine damno aquæ potionem tolerare poſſunt, hæc, inquam, permittentia ſunt. Prohibentia vero plurima eſſe ſolent; & primo improbæ thoracis affectiones, nam frigida pectori male affecto noxia ſunt; ſecundo ſymptomata multa, quæ ab aquæ potu exaſperantur, ut alvi fluxus, vomitus ex relaxatione, convulſiones, affectus comatoſi, ſudores diaphoretici, cæteraque plurima; tertio ætas puerilis, & decrepita, horum enim tenera, vel languida conſtitutio aquæ potum relaxantem minimè tolerat. His ergo, ut & ſimilibus reliquis, in genere ſaltem notis, an aquæ ſaturatio prodeſſe, vel lædere poſſit, facilè noſcitur.

Potus diverſi expenduntur. 11. Crudam denique aquam in febribus exhibere, niſi ex puro fonte hauſta ſit, tutum haud ſemper eſt; limpidiſſimam enim, coctionis ope, cenoſum ſemper ſedimentum deponere, obſervavimus, ideo in vitreo vaſe aquam decoqui, ac refrigeratam, a præcipitatis fæcibus decantatione liberare jubeo, quam in æſtivis ardoribus pro febris conditione adhuc frigefactam, ac ſpiritu vitrioli acidulam redditam, & pro divitum gratificatione, niſi aliud prohibeat, extractis, vel ſpiritibus odoratis gratiorem reddere concedo, ſicque ſpiritus recreat, & ſtomachum minus lædit. Aquam vero hordei, olim in febribus refrigerandis uſitatam, cum nauſeabunda, & flatuoſa comperiatur, inter vetuſtatis deceptiones relinquere intereſt. At Cereviſia tam hordeacea, quam triticea in propriis regionibus laudabilem conſuetudinem ſervare, non improbamus; cum conſueta potio iſta, quæ vini gratiam emulet, non tam facile nauſeam provocet, nec flatuoſam noxam torrefactum hordeum gignere ſueſcat. Vinum denique familiare vitæ balſamum, ſpirituumque ſolamen, vulgari Medentum lege in febribus proſcribitur; nimis quidem rigide, nimiſque ſæpius injuſte; cum in plurimis febribus, quæ periclitantes vires omni cuſtodia ſervare petunt, ſpiritibuſque languentibus vires addere poſcunt, ne depurationis opus torpeſcat, vini cochleare unum in die opportuno tempore exhibitum, non quidem venenum, ut pavitant, ſed auxilium vitale fuiſſe, pluries comperti ſumus; excipe tamen ardentes, & colliquativas febres, quibus venenum fore non ambigimus, cœteris pene omnibus, niſi acerba ſymptomata prohibeant, præſentaneum juvamen, modicum, ut nunc diximus, exhibitum certò præſtat; in qua re qui clamitantem *Helmontium* deſpicit, peritum ſaltem inter alios *Ettmullerum* audiat, qui *comm. in Ludov. diſſert.* 1. *de reſolut. & robor. calid. titul. num.* 7. duplici titulo vinum in febribus laudat, tandem ſic concludit. *Inſanire nobis videntur omnino illi, qui vini generoſioris Rhenani uſum ægrotantibus recuſant exhibere; cum acidum illud vini analepticum ad ſudores, & ſomnum hos diſponat, non ſine*

ſine euphoria inſigni, &c. Generalis vero iſta ne pervertatur doctrina, prudenti peritia indiget, quæ vini commoda ſimul, & incommoda mature perpendat; vinum granatorum pariter (ab inſigni *Bacone de Verulamio in lib. vit. & mort. pag.* 139. tot laudibus celebratum) proprium hic uſum meretur; plurimum enim ad ſpiritus refocillandos contuliſſe, paſſim comperti ſumus; hæc autem de Diæta in genere ſatis, cum in *lib. ſequent.* ſpeciatim hanc vineam recolere opus ſit.

CAP. III.

De Pharmacis, & primo de Vitalibus.

Primum Artis munus innuitur.

1. ENormonticis indigentiis conſulere, ejuſque depreſſas vires levare, vel deperituras tempeſtive præſervare, præcipuum artis penſum eſſe dignoſcimus; ad ipſum enim primario pertinet (quod a Veteribus Naturæ tributum fuit) lædentes nempe ſubigere, ac eliminare; ideo validam ſemper illius integritatem tueri, Artis cura potiſſima eſſe debet. Quamobrem non æque penſitant illi, qui totum medicinæ munus purgantibus apprime concredunt, ultimaque manu Enormonticæ jacturæ ſubveniunt; ſicque alienum jus ſibi aſſumunt, quaſi ipſorum curationes tantum, & non *Naturæ ſint morborum medicatrices*. Primarium ergo per nos eſt, vitalia jura ſervare, viribuſque Enormonticis opportuna auxilia tribuere, ut hoſtes æque ſubigant, & cum poſſint eliminent; ſecundarium item, infenſas devictas lues, cum intimus impetus nequeat, debitis auxiliis cum ipſo ſimul propellere; nam ars ſola, niſi ad opus propriam manum Enormon conferat, auxiliaque obſecundet, nunquam hoſtiles ſordes eliminabit. Primarium ergo artis munus duo medicinæ ſubſidia expediunt, nempe Nutrimentum, & Pharmacum vitale, utriſque recte uſis, vivens machina in febrili pugna ſæpius ab interitu præſervatur; nutrimentum vero antecedenti capite jam expendimus; nunc pariter vitalia pharmaca perpendere aggredimur, quod opus haud æque perficitur, niſi opportunæ notiones præmittantur.

Virium vitalium ponderatio.

2. Vitalibus pharmacis ut bene utamur, virium ſtatus dignoſcere primo eſt opus, cum ab earundem exigentia illorum exhibitio dependeat. Vires ergo in quo conſiſtant, & quomodo enervari poſſint, expendere intereſt; conſiſtunt primo in ipſo Enormonticæ energiæ vigore, mediate vero, & quaſi de complemento in univerſa ſanguinis mole fundantur; ideo & ſanguinea diatheſis, & ſpirituum vis, & copia vitales ſuppetias Miniſtranti cognita eſſe debet, ne præparcus in ſubſidiis exhibendis, virium indigentias defraudet. Primus igitur, qui haſce notiones revelat Pulſus eſt, ſanguinis, viriumque ſtatus fidelis indicator; hic ergo quo plus debilis, & parvus ſit, eo languidiores vires denunciat, contra vero ſi validus, & magnus, ac vehemens inveniatur; ſicque cæteræ pulſuum differentiæ, quæ omnes cordis robur, vel languorem, ſanguiniſque ſtatum ſpiritali niſu divitem, vel inopem denunciant. Secundo Reſpiratio item hanc dignotionem facilitat; Enormonticam enim in pulmone propagationem fieri ſuo loco jam oſtendimus, quæ, inquam, reſpiratio ſi debilis, vel difficilis ſit, voceque languenti comitata, (niſi innatum aliquod, vel acquiſitum vitium culpari debeat) imminutam ſpirituum geneſin, & inde virium languorem oſtendunt. Tertio Functionum animalium imbecillitas, quæ quo major eſt, eo certius exponit, quanto defectu ſenſuum promotores ſpiritus langueſcant, vireſque jacturam patiantur. Quarto demum cum dictis ſignis dolores, vigiliæ, deliria, ſuccorum profuſiones, ægri, febriſque natura, & conditiones ſimul conferri debent, quæ omnia æque perpenſa, ad rectam languentium virium notionem, & ad propriam auxilii exhibitionem Medentem facile dirigunt.

Læſarum virium cauſæ.

3. Verum languentes vires dignoſcere Medenti haud ſatis eſt, cum cauſas, quæ illas opprimunt, perſpectas non habeat; harum ergo præcipuas ſaltem recenſere intereſt. Prima itaque Enormontica concitatio eſſe ſolet, a qua nimiam ſpirituum, & inde virium conſumptionem oriri, experientia docet.

Altera

Altera contra ſanguinis craſſities, vel coagulatio eſt, qua ſpirituum proventus ineptitudine quadam impeditur, ſicque debita reſtauratio deficiens, vires langueſcere cogit. Tertia item nimiæ ſuccorum, & præcipue ſanguinis profuſiones, quas non pauca ſæpe ſpirituum diſſipatio conſequitur. Quarta demum dolores impenſi, deliria, vigiliæque excedentes, quæ quantum vitalem theſaurum dilapident, nemo ignorat; hiſce tandem adde febris vehementiam, corporis conſtitutionem fragilem, ætatem ſenilem, tempus æſtivum, & autumnale, cœteraque ſimilia, quæ dictas cauſas prægravare ſolent. Præcognitis ergo dictis, probe diſcutere intereſt, 1. quantus a Pulſu, Reſpiratione, Functionum animalium uſu, cœteriſque *antec. num.* 2. expoſitis præſens virium defectus indicetur, 2. quantus item a ſpirituum concitatione, cœteriſque nunc ſupra datis cauſis idem defectus in futurum conjectari poſſit, quibus mature perpenſis, vitalis languoris gradum attingere, futurumque ſuſpicari, ac appropriatum auxilium præſcribere indigentia ipſa ſuadebit.

Auxiliorum duplex genus. 4. His demum ſuppoſitis, ad Auxiliorum expeditionem deſcendimus, quæ cum indefinitos pene limites ambiant, ad duo primaria capita revocare duximus. Equidem virium defectus ſub duplici reſpectu æque diſcriminantur; nempe ob deficientem ſpirituum geneſin, vel quia ſanguinis craſſities, & coagulatio illius ſpirituaſcentiæ obicem ponunt; vel quia ipſius colliquatio materiam, ſpiritibus gignendis aptam, præbere nequit; unde duo pariter vitalium auxiliorum genera utrique ſatisfacere poſſunt. Primum erit, quod Cardiaca calida (ſic a Priſcis nuncupata) continet, quæ cum particulis alkalinis volatilibus, ſummeque mobilibus redundent, ſanguinis coagulationes, & craſſitiem attenuare, ac diſſolvere poſſunt; ſicque ſpirituaſcentiæ obices auferunt, ac ſpirituum propagationem promovent. Alterum genus illorum eſt, quod nomine Cardiacorum frigidorum Veteres nuncuparunt; iſta enim particulas acido-ſtypticas poſſidentia, colliquatum ſanguinem ad priſtinam texturæ conſiſtentiam reducere apta ſunt, adeoque ſpirituum propagationi, ſuo modo, contribuunt. Providus itaque utriuſque uſus omni ſpirituum defectui, viriumque indigentiis opportune ſuccurrit; ideo duplici examine ambo perluſtrare accedimus.

Aquæ cordialibus calidæ. 5. Et primo Cardiaca vulgo Calida ex tribus Medicinæ provinciis, nempe animali, vegetabili, & minerali deſumuntur; quorum ingens copia inſtituti anguſtiam eludit, ideo ſelectiora tantum eligere, animus eſt; ab aquis ergo ſpirituoſis exordium facimus, quæ merito inter cardiaca primas tenent, cum celerius, præ ſolidis virium reſtaurationi ſubveniant; hujus cenſus ſunt.

Aqua Cinamom. deſtill. ſimplex, & compoſit. ut Bugloſſat. Cydoniat. de flor. cordial. &c.
Aqu. Tot. Citri ſimplex, & compoſit. ex ſucc. cordial.
Aqu. de Citro, ſub Elixir. titulo, varie a Tentzellio, ac Sennerto laborat.
Aqu. Cord. calida Hercul. Saxon. a Schrodero deſcripta.
Aqu. Cord. calid. Mynſicht, & altera Zuvelferi, &c.
Aqu. Carbuncul. vulgo Maximil. Imperat. ab Holfmann correcta.
Aqu. Cordium compoſit. Batei.
Aqu. è Cordib. Cervor. Clauderi.
Aqu. Cord. compendioſa noſtri uſus, quæ fit.

℞. *Aqu. Flor. Aurant. Meliſs. odorat. ana unc. iij.*
In ea diſſolv. Manus Chriſti perlat. unc. ij.
Diger. hor. 24. poſteà.
℞. *Aqu. hujus unc. j. ſem.*
De Cinnamom. deſtill. unc. j. Eſſent. Ambr. gryſ. gr. j.
M. detur cochleatim pro exigentia.

vel pro infimæ fortunæ ægris ſequentem præſcribo.

℞. *Aqu. font. puriſſim. lib. 2.*
Sacchar. optim. pulver. unc. ij.
Conquaſſent. ſimul, & ſæpe, poſt 3. hor. adde
Spir. Vin. optim. unc. j. ſem.
Aqu. flor. Aurant. unc. ſem.
M. & propina pro exigent.

Vini exhibitio. 6. Poſt Aquas cordiales Vinum moderate uſum, ubi prohibentia non reclament, virium reſtaurans haud infimum

nium eſt. In febribus enim verminoſis, malignisque nonnullis, quarum pulſus debiles, calor exiguus, nimiuſque virium defectus ſanguinis coagulationes oſtendunt, vini cochlear. j. vel alterum in die ſemper profuiſſe, comperti ſumus; ſic pariter in Acutis, quæ quartamdecimam diem exceſſerunt, magnumque virium lapſum oſtentant, vini oligophori hauſtulum virium reſtaurationem, morbique citam abſolutionem contuliſſe, pluries vidimus. Peritos itaque adhortor, ne in caſu, & cauſa tantum contemnant auxilium, cum propriis ægris æquè, rectèque conſulere cupiant; nec humanos reſpectus pavitent; ubi *fas, & jura ſinunt*, ac de vita tuenda deliberant; Imperiti verò ab hoc judicio recedant. Hìc demum præterire non decet, incomparabile illud, a vino extractum, vitalis reſtaurationis balſamum, *a Paracelſo lib.4. de vit. long. & a Poppio in Hodoget.* memoratum, hujus legitima compoſitio ex dono inſignis poſſidentis talis eſt.

℞. *Vini generoſi q. v. deſtill. in MB.per xv. ſaltem vices rectificando, & cum ſale Vini cohobando, ut igneus ſpiritus fiat, qui in vitro forti probè clauſo, per dies 40. in fimo equino digeratur; poſt dictos dies, aperto vitro, ſi fragrantem odorem ſpiret, confectum erit, ſin verò, iterum clauſo vitro digeratur tandiu, donec ineffabilis odoris ſignum prodat.*

Hujus ergo vires in præſentanea ſpirituum reparatione nulli ſecundæ ſunt; agonizantes enim paucis illius guttulis ad vitam revocatos non ſemel vidimus.

Syrup. Cordiales. 7. Syrupi cordiales item plurimi jactitantur, pauci verò hanc lineam æquè tenent; ſelectiores ſunt ſequentes.

Syrup. de florib. Aurant. & de cortic. ejuſdem.
Syrup. de flor. Boragin. Bugloſſ. Tunicæ, &c.
Syrup. de Cinamom. & de Cort. Citri.
Syrup. Cardiac. aurat. Batei in ſua pharmac.
Syrup. Gemmat. Patavinus.
Syrup. de ſucco Meliſſ. ſimplex, & compoſ. noſter, qui fit.

℞. *Succi Fermentat. & depurat. Meliſſ. lib. ij.*
Extract. granor. Chermes unc. ij.
Syſt. Medic. Roſetti.
M. & diger. loc. calid. hor. 24. poſt adde
Manus Chriſti perlat., & ambrat. unc. iij.
Sacchar. alb. in Aqu. Meliſs. ſolut. lib. j. ſem.
Coqu. l. a. in ſyrup. cujus Doſ ad unc. j.

Hic, inquam, in malignis febribus, quæ mites apparent, vireſque nimis atterunt, præſentaneum auxilium ſæpius contulit. In hyſtericis item paſſionibus compeſcendis, curandiſque maxime prodeſt, ſi Man. Chriſti perlat. ſine ambra compoſ. ingrediatur. In febribus dictis utimur ſimili ſæpe modo.

℞. *Aqu. de ſucc. Card. ben. unc. ij.*
de Cinnamom. unc. ſem.
Syrup. de Meliſſ. compoſ. noſt. unc. j.
M. f. Julap. ſæpius in die uſurpand.

8. Liquidis Cardiacis ſolidiora ſubnectimus, cujus generis ſunt Veterum ſpecies, & Confectiones cordiales calidæ nuncupatæ, ut Confect. cordialis; Confectio Alexandrina; confect. de Alchermes, confect. de Gemmis calid. ſpecies Diambræ; Diamoſch dulce, Diamargar. calid. Dianthon, cæteraque hujus veteris farinæ, quæ aliquando cum Aquis cordialibus, aliiſque auxiliis permixta, diverſas paginas implent, ut ex. gr. *Confectiones Cordiales.*

℞. *Aqu. de ſucc. Meliſs. unc. iij.*
de Cinnamom. deſtill. unc. ſem.
Confection. Alcherm. Drach. j. ſem.
Specier. Diamargar. calid. Drach. j.
M. & digere loc. calid. horis 12. vaſe probè clauſo, poſtea mixtura filtretur, cui adde
Eſſent. granor. Cherm. Drach. ſem.
in non hyſtericis Ambr. gryſeæ gr. ij.
ſumat cochleatim ter, vel quater in die pro exigentia, & opportunitate.

Hiſce addere oportet Chymiæ nobiliora cardiaca, eſſentias nempe, ac extracta huic generi competentia, videlicet.

Extractum Cinnamomi acerrimi, vel ex ſpiritu Vini tartarizato, vel melius cum ſpirit. ardent. Roſar. paratum.

Eſſentia Camphoræ, non ſimplex, quæ cordialis propriè non eſt, ſed compoſita *Hofmanni in clavi Schroder.* deſcripta, quæ cardiaca in hoc genere ſingularis comperta eſt.

Eſſentia Corticum Citri, tam liquida communis, quam ſicca *Zuvelffer.*, quæ

quæ grato odore, & ſapore ſpiritus recreat, & vires reſtaurat.

Eſſentia Croci orientalis cum aqua Roſarum vitriolata extracta, cum qua etiam componitur famoſum illud Aroph *Paracelſi*, ex croco, pane, vinoque circulatum, quod nondum in calculo, ut optimum ab *Helmontio* auxilium declamatur, ſed & in viribus reſtaurandis eximium remedium eſſe, compertum eſt.

Extractum granorum Chermes vel cum vini ſpiritu, vel cum aqu. roſarum acidul. vel melius ex tinctur. granorum Chermes cum *Cnoffelio* paratum.

Eſſentia Meliſſæ inſignis cardiaca, & cephalica, ut *Paracelſus lib.* 3. *de vit. long. cap.* 2. *&* 5. *ac nobilis Boyle in experim. chimic.* æque teſtantur, verum ut eximium cardiacum hoc aſſequamur, in ſpirit. cortic. Citri recenti proprium menſtruum quærere intereſt.

Eſſentia Ambræ gryſeæ, tam liquida, per elixir. vitæ *Matthioli*, & ſpirit. ceraſor. nigr. extracta; quam ſicca *Zuvelff.* ambæ eximium cardiacæ ſunt.

Sulphur Antimonii fixatum *Cnoffelii*, quod qui aſſequitur, incomparabilem theſaurum in virium conſervatione, ac reſtauratione poſſidet.

Cardiacum cæleſte *Batei* in ejuſdem pharmac. deſcriptum cardiacum nobiliſſimum eſſe, pluries comperti ſumus.

Elæoſaccharum cardiacum a *Rolfinkio lib.* 4. *chym. ſect.* 6. *cap.* 1. aliiſque plurimis varie compoſit. in hac linea ita confectum volumus.

℞. *Ol. deſtill. Cinnamom. deſtill. Nuc. Moſchat. aa. ſcrup. ſem.*
de Cortic. Citri recent. gutt. xv.
Ambr. gryſ. gr. iij.
Sacchar. candidiſſim. unc. j. ſem.
M. omnia probe in mortar. vitr. poſtea vaſe clauſo ſervetur uſui; doſ. hujus ſcrup. j. circiter in aqu. cordial. pro exigentia.

Sed hæc ſatis in hoc genere eſſe poſſunt, licet adhuc plura nobiliora optimis Chymiatris nota ſint; in quorum cenſu Aurum potabile eſt, quod hanc lineam æque complere poſſet, ſi genuinum ad publicum uſum eſſet, ut de Londinenſe, aliiſque deprædicatur, quæ, inquam, Peritorum experimentis relinquimus.

Alteriu generis cordialia. 9. Alterius generis Cardiaca frigida nuncupata, differentem a ſupra datis vim exerunt; horum enim opus eſt, cum ſanguinem attingant, illius turgentiam compeſcere, ſpirituumque acoſmiam placare; quod non præſtant, ob frigidam illam ſuppoſitam qualitatem, unde a Priſcis celebrata fuere; ſed ob particulas acidas, aut nitro-ſtypticas, vel terreo-tartareas, rigidaſque, a quibus nimii ſanguinis motus cohibentur, ne diſſolutioni ſuccumbat; ideo non omnia hujus generis ſpirituum propagationem directe promovent, ſed illorum diſſolutionem impediunt; ſi ergo Margaritas, & Corallia (ad nobiliorem gradum exaltata) excipias, cætera indirecte cordialia nuncupantur. Horum itaque farraginem ad utiliora coarctare duximus, ac inſtitutum ordinem inſequendo, ab Aquis cordialibus vulgo frigidis auſpicamur; at relictis ſimplicibus, utpote notis, ad compoſitas accedimus, & primo

Aquæ cordiales frigidæ. Aqua cordialis frigida Herculis Saxoniæ crebrioris uſus eſt; verum ut a pharmacopœa Londinenſi conficitur, intentioni magis reſpondet, in qua re vid. *Hofmanni* reflexiones in *Pharmac. Schroderi lib.* 2. *cap.* 38. *n.* 14.

Aqua cordial. ex ſuccis Timæi.

Aqua cordial. temperata Pharm. Auguſt. Reſt. ſi abſque aromatis fiat in hac linea proficua eſt; ſimiliter Aqua cord. frigid. Pharmac. Norimb. ſicut & Aqu. cordial. frigid. Mynſict, & altera Zuvelfferi, quibus ſubnectere placet Aquam cordialem noſtram, quæ fit:

℞. *Radic. recent. Acetoſ. Biſtort. Tormentill. aa. lib. j. ſem.*
probè contuſis affund.
Aqu. Roſar. fragrant. lib. vj.
Succ. Limon. lib. iij.
Diger. loc. calid. dieb. tribus, ut radic. virtus extrahatur, poſtea
℞. *Succor. Acetoſ. Plantag. Portulac. aa. lib. ij.*
Pomor. redolent. cum cortic. contuſ. lib. iij.
Flor. Roſar. Boragin. Buglοſſ. aa. manip. iv.
M. ſupradictis, & diger. horis 24. *demum in MB. deſtilletur, & ſervetur.*

Hac Aqua in ardentibus, & colliquativis febribus tuto compeſcendis cum ſequenti antipyreto ſæpius utimur, videlicet

℞. Ni-

℞. *Nitri puriſſim. drach. iij.*
Magiſter. ſolubil. Corallor. drach. ij.
ſolve ambo ex parte in aqu. roſar. q. ſ. poſtea ſolutiones miſce, & loc. frigid. ad cryſtallizandum repone; ad uſum verò

℞. *Dictor. Cryſtallor. drach. ſem. vel j. pro exigentia.*
Aqu. Cordial. noſtræ ſupradat. unc. ij.
M. & propina.

Syrupi cordiales. 10. Poſt aquas Syrupi cordiales hujus generis plurimi numerantur, quorum præcipui eſſe poſſunt ſequentes.

Syrup. de Berberis, & de Boragine.
Ceraſor. acidor. & Cydonior.
Corallor. ad Donzellii mentem, ac methodum, quæ melior eſt illa Quercetani, Schroderi, & aliorum.
de Fragis, de Granatis, de Limonibus.
de ſucco Plantag. & Portulacæ.
Roſarum, de Rub. Idæo, & de Violis.

Hæc ergo, & ſimilia nimium ſanguinis æſtum, a quo vires abſumuntur, compeſcere dicuntur. Nos vero in ardentibus, malignisque colliquativis febribus, hiſce parum credimus; cum occultum ſacchari acrem ſpiritum ſummum diſſolutivum eſſe, chymica experimenta demonſtrent; ideo ſanguinis diſſolutiones augere potius, quam inhibere, ſaccharata omnia apta ſunt. Nihilominus in hac etiam linea caute ſaltem, & in pauca doſi, ad gratum ſaporem cardiacis mixturis conciliandum, tolerari aliquando poſſunt.

Emulſiones cordiales. 11 Propè Syrupos Emulſiones cordiales inſequuntur, quas adhuc exponere, Juniorum petitio exoptat. Iſtæ igitur primo recenter ſemper parari debent; nam ex lacteſcentibus componuntur, quæ facilè fermenteſcunt, ac putreſcunt. Item ſub quavis intentione acidi ſpiritus emulſionibus haud miſceantur; lacteæ namque particulæ, a ſeminibus, & fructibus expreſſæ ab acidis ligantur, & præcipitantur, inutileſque redduntur. Demum emulſiones in febribus ut plurimum ſtomachi tonum laxatum magis relaxant; ideo in ardentibus, & maximè colliquativis febribus unius hauſtus doſis libram ſemis non tranſcendat. Harum itaque præſcriptiones in Juniorum gratiam tales eſſe poſſunt, videlicet.

℞. *Aqu. Fragor. Plantagin. aa. unc. iij.*
Semin. 4. frigid. major. decortic. aa. drach. ſem.
Manus Chriſti perlat. drach. j.
Syrup. Corallor. optim. unc. ſem.
M. f. l. a. Emulſio vires reſtaurans.

vel ℞. *Aqu. Plantag. Portulac. aa. unc. ij. ſem.*
Cord. frigid. noſtra, vel Saxon. unc. j.
Semin. 4. frigid. major. aa. drach. ſem.
M. f. l. a. Emulſ. cui adde
Cryſtall. antipyret. noſtri drach. ſem.
Syrup. Perlati optim. unc. ſem.
M. det. in Ardentib. & Colliquativ. febrib.

vel ℞. *Aqu. Lactuc. Nymphbeæ aa. unc. iij.*
Amygdal. ambroſin. decortic. unc. ſem.
Semin. Papaver. albi, Lactuc. ana. drach. j.
Magiſt. ſolubil. Corallor. ſcrup. j.
Syrup. de Papaver. ſimpl. unc. ſem.
M. f. Emulſ. Hypnotica in Vigiliis, & Deliriis.

12. Liquidis cardiacis ſolida ſuccedunt, ex quorum copia, quæ pharmaciam locupletat, utiliora ſeligimus; & ut a lapidibus pretioſis exordiamur, primo ſe offerunt Margaritæ cardiacæ nobiliſſimæ, quarum delectus plurima indiget reflexione, ut optimi cardiaci pretium mereantur. Primo igitur orientales occidentalibus præferuntur; nam ſicuti nobiliores, ita in viribus efficaciores ſunt; ſecundo quo majores eo maturiores, ideo ſolventi menſtruo facilius obediunt, minimæ vero, quia minus digeſtæ, difficilius ideo ſolvuntur, vireſque imbecilliores exerunt; tertio præparationes ponderandæ ſunt, quas enim Galenici præparatas nuncupant, nullo modo cordiales ſunt; quia non ſolutas, ſed trituratas tantum, non cardiacorum, ſed cruſtaceorum vires præſtare poſſunt. Ideo cum *Paracelſo* hic loqui juvat, *Mirificam quidem operationem perlarum eſſe, at non poſſunt operari, ſicut mortuum corpus, ſed reſolutione facta, vivificatur corpus earum, ut vivificent, lib. 6. de Archid.* Solvi ergo debent, ut & proprias vires exerere, & humanas reparare, æque poſſint. Harum vero ſolutiones plurimæ in *Cardiacum ex margaritis.*

in Chymiæ monitis perleguntur ; ſed dimiſſis reliquis , præſtantius eſſe credimus *Balſamum radicale Margaritarum a celebri Cnofellio* clara methodo indicatum ; at in illius deficientia magiſterium ſolubile perlarum huic ſcopo ſatisfacere ſaltem poterit , hoc autem ſequenti modo conficitur.

Magiſter. ſolubile Perlarum. ℞. Succi Limonis acerrimi , recta digeſtione depurati q. ſ. In eo diſſolve Margaritas oriental. optim. probè pulveriſat. q. v. ſolut. cum ſpirit. vitrioli rectificato in magiſter. præcipitetur ; qui cum Ol. Tartar. præcipitatum hoc inſtituunt, crudius magiſterium, minuſque ſolubile acquirunt . Præcipitatum poſtea , a menſtruo liberum , aqua fontis edulcoretur ; iterumque cum ſpirit. Vini aliquandiu digeratur , tandem ab illo abſtractum , uſui ſervetur . Ex hoc etiam ſyrupum perlatum conficimus tali methodo. *Syrupus perlatus.*

℞. *Magiſt. ſolubil. perlar. part. j.*
Julep. Violat. optim. part. ij.
M. digere , & f. Syrup.

Quod ſi adhuc nobilius cardiacum velis , dictum ſyrupum perlatum in retortam impone , ac ex una liquoris libra tres partes humiditatis deſtilla , & cordiale perlatum nobile , ac præſentaneum habebis.

Cardiacum ex coralliis. 13. Margaritis ſuccedanea Corallia ſunt , quibus cardiacam vim Veteres etiam tribuere ; hæc autem vis in illorum terreſtreitate ligata, niſi rectè ſolvatur , non æquè cardiaci titulum merentur . Solvuntur verò corallia variis modis , ſed genuina ſolutio, quæ veram illorum Tincturam proferat , adhuc latet : vide ſaltem in hac re *Pharmacop. Schroder. Hofmanian. lib. 3. cap. 6. tit. 7. uſque ad finem*. Operis difficultas in menſtruo inveſtigando adhuc pendet , cum nullo modo corroſivum requiratur; ideo inter Peritos Celebres Viri *D. Joel Langellott.* in oleo Aniſi deſtill. & rectific. , *Nobil. Boyle* in oleo ex pane ſecalino per retort. deſtill. *Celebr. Lemery* in ceræ albæ fuſione , ſicque Alii aliter abditum hoc menſtruum exquirunt. Meo tamen captu , cæteris proximius ad ſcopum hunc reſpexerunt illi qui a coralliis ipſis aptum hoc menſtruum , extrahere docent . Verum hujus Tincturæ negotium , utpote nimis arduum, pro nunc relinquimus , ac ejus loco Magiſterium ſolubile corallorum ſubſtitui poſſe arbitramur ; conficimus autem iſtud eo modo , quo illud Perlarum confici diximus . Syrupus verò ejuſdem ſic componimus , videlicet

℞. *Magiſt. ſolubil. Corallor. unc. iij.*
Aqu. Roſar. fragrant. unc. ix.
Sacchar. albiſſim. unc. iij.
M. & per horas aliquot loc. tepid. digerantur.
Demum coqu. in vaſe argenteo ign. leniſſim.
Ne Corall. ſeſe præcipitent , ad Syrup. conſiſtent.

14. Ultimam tandem claſſem ſubeunt Mineralia, & Metallica, quæ propriè (unicum excipe Aurum) cordialia non ſunt ; at quia ſpirituum diſſipationi ſæpè proſpiciunt , ideo ſub hoc genere aliquando referuntur . Hujus ergo primam lineam tenet Sulphur omne minerale, arte fixatum, ut peritus *Sylvius de le Boë diſquiſ. de peſt. ſect. 26. num. 2.* probè notavit . Cum acre veneficum , quod ſanguinis texturam diſſolvit, figere , ac debellare , aptum ſit ; ſub hoc cenſu primo veniunt omnes Antimonii cum Nitro fixationes, ut ex. gr. *Cardiaca mineralia*

1. Antimonium diaphoret. vulgare , vel ſingulare *Helmontii* , vel etiam ſolare *Zuvelſferi* , & alterum *Cnoffelii* , &c.

2. Bezoardicum minerale commune , ac illud Joviale *Fabri* , ab expertis Viris *Ludovico*, *Ettmullero*, & *Hoffmanno* celebratum, vel ſolare *Grollii*, & *Cnoffelii*.

3. Sulphur Antimon. fixum *Ludovici* , & *Cnoffelii*, utrumque in hac linea nulli ſecundum eſſe, experimenta oſtendunt .

4. Nitrum ipſum , & nitrata plurima , ut Nitrum fixatum , antimoniat. perlat. & corallatum , ac ſimilia . Hæc duo ultima breviter ſic conficiuntur.

℞. *Nitri puriſſim. part. ij.*
Solv. in aqu. commun. ſ. q. ſoluto jam adde
Magiſt. ſolubil. Perlar. vel Corallor. part. j.
Et in vaſe apto ad ſiccitatem reducantur.

5. Demum Nitri Spiritus , qui cum penetrans ſit , validius etiam ſanguinis ever-

everſiones cohibere, creditur; quod ſimiliter de Spirit. Salis, Sulphuris, & Vitrioli cenſetur. Verum cauta manu ſpiritus hoſce præſcribere intereſt, cum in Ardentibus, & Colliquativis febribus plus detrimenti, quam ſubſidii afferre poſſint; ideo dulcificatis ſaltem, & parcè uſis fidere, prudentis erit. Hæc denique in genere ſunt, quæ utramque Cardiacorum lineam complent, quorum peritus uſus utrique vitali exigentiæ ſatisfacere poſſunt; plura etiam particularia in *ſequent. de febr. in ſpecie lib.* exponuntur. Nunc vero genericam inquiſitionem proſequendo, ad febrifuga deſcendimus; & merito iſta, quæ ſpirituum concitationes compeſcunt, poſt cardiaca, quæ illos reſtaurant, ſubnectuntur; ambo enim, licet differenti modo, vitalia jura tuentur.

CAP. IV.

De Febrifugis auxiliis.

Febrifugorum ponderatio. 1. FEbrifugorum multiplicata farrago æquam ponderationem nobis ſuggerit; plurima enim ſunt, quæ indirectè hoc titulo decorantur; cum non niſi per indirectas vias, & contingenter ſæpius febres compeſcere, aliquando aſſequantur, quod non raro ipſis etiam purgantibus contingere ſolet; quæ cum ſanguinis impuritates ſubducant, illico depurativa febris machina quieſcit. Illa vero directè, ac propriè Febrifuga nuncupari merentur, quorum energia occaſionales febrium fomites non reſpiciunt, ſed immediatè, ac directè ſanguinis commotionem petunt, illamque compeſcere pro viribus contendunt. Quæ ergo ab hac linea declinant, & ad metam aliam tendunt, etſi febrem ſedare, contingenter obtineant, impropriè quidem febrifuga, propriè vero ſordium purgantia, vel abſorbentia, & præcipitantia nuncupari debent; hujus itaque cenſus ſunt.

Primo Febrifuga Crollii, Strobelbergi, Mynſichti, cæteraque hujus cruſtaceæ farinæ inventa, quæ pro varia celebris Inventoris idea, variam antipyreti famam uſurparunt.

Secundo nonnulla vegetabilium ſalia tam fixa, quam volatilia, ut ſal fixum Abſinthii, Cardui benedicti, Centaureæ minor. &c. ſimiliter volatilia ex Majorana, Salvia, Roremarino, ſimilibuſque, in forma pulveris elaborata, quæ ab Helmontio pro febrifugis celebrantur.

Tertio Salia mineralia plurima, ut Sal Armoniacum, ejuſque præparata, Sal Nitri ſimpl. & compoſit. ut Nitri ſtibiat. perlat. corallat. quæ plurimum in ardenti febre minuenda contribuunt; denique Sal Aluminis quod purum ab Empyricis pro univerſali febrifugo jactitatur.

Hiſce inquam, ſimilibuſque immerita largitate febrifugorum ſpecimen donarunt. Horum vero uſum haud inconcinnum cenſemus, cum ſanguinis moles plurima ſordium illuvie redundet; tunc enim iſta, cum appropriatis purgantibus fœderata, ſanguinem expiando, illius puritatem aſſequuntur; ſicque febris machinam a depurativo niſu deſiſtere, non rarò vident.

Legitima febrifuga. 2. Legitima verò febrifuga, ut diximus, illa ſunt, quæ nullum in ſanguinis ſordes conatum impendunt, ſed unicus illorum ſcopus eſt, Enormon afficere, ac ipſius turbationes compeſcere, ſicque febris cauſam ſedando, effectum ſubripiunt; ideo ab hiſce febrifugis nulla ſanguinis deſpumatio promota, ad oculum apparet; quòd ſi aliqua excretio aliquandò contingat, Naturæ motionibus attribuenda erit; cum ſæpe ſimiles, vel poſt febrem, vel ſine illa, ſanguinis deſpumationes per varias vias emergere conſpiciamus. Hujus ergo notæ febrifugi rari ſunt; tales vero *Paracelſus*, & *Helmontius* poſſediſſe gloriabantur, & hoc Mercurium præcipitatum diaphoreticum nuncuparunt, *quo omnem ſanare febrem unica potione*, teſtatur *Helmontius*. At eorundem (neſcio ſi dicam) invidia, tantum auxilium ænigmis velando, abſcondere ſtuduit, unde poſt ipſos Periti plurimi doloſa veſtigia premendo, labores, & operam perdiderunt. Febrifugum non diſſimile *Kergerius* etiam inveniſſe refert *lib. de ferment. ſect. 3 cap. 3. circa finem*; ac aliud in Intermittentibus, & maximè Quartanis efficaciſſimum, ex communicatione *Celebr. Cnoffelii peritus Hoffmannus*

mannus in clav. Schroder. deſcribit. Alterum denique inſignem Chymicum habuiſſe, noſtris oculis, ac experimentis inſpeximus; cujus pulveris unica doſi, quæ ſcrup. j. non excedebat, plures febres etiam continuas abſque recidiva fugatas vidimus. Verum febrifuga iſta cum Inventoribus ſuis lethea nunc premit obſcuritas; Natura tamen, invidos improperans homines, febrifugum inſigne in vegetabilium regno indigitavit, Peruvianum nempe corticem, cujus hodie famigeratus uſus univerſam Europam implere obſervamus; at ſicuti de rebus omnibus adagium illud eſt, *utito cautè*, ita in hujus febrifugi uſu cautiones noſtras, Junioribus ſaltem opportunas, reticere non decet. In hoc ergo tanti momenti propoſito a tuta Praxi exordiri, æquum erit.

In hujus uſu ponderationes. 3. Tribus conſiderationibus, in Peruviani febrifugi præſcriptione, noſtra methodus dirigitur, quas aſſiduæ medendi obſervationes docuerunt. Prima eſt; quod non quidem in quavis febri, ſecunda nec in ſingulis febrium ſtadiis; tertia neque in omni annorum tempeſtate, & conditione indifferenter Peruviano febrifugo uti tutò poſſit. Has inquam ponderationes ſingulatim expendere nunc aggredimur. Et primò non in quavis febre hujus Corticis uſus proficuus eſt; cum in plurimis etiam noxius evaderet, quod ut dignoſcamus, duo febrium genera diſtinguere intereſt; primum illarum, quæ ſanguinis depurationem ex inſtituto promovent, & conſequuntur; alterum illarum, quæ ſanguinis corruptelam, & diſſolutionem ultimo inducere nituntur; diſparitas iſta contingit, cum Enormontica concitatio, vel moderato, vel præcipiti motu ſanguinem commovet, moderatus enim impetus depurationem, præceps vero everſionem molitur. Hæc ergo febrium genera non æquè certò Peruvianum febrifugum excipiunt; primi enim generis febres, cum ſanguinis expiationem apertis ſignis aſſequi contendant, a recta meta diſtrahere, injuria eſt; equidem depurativam machinam intempeſtivis febrifugis præpedire, idem eſt, ac ſanguinis ſordes in ipſius maſſa confirmare, ut pejores turbas iterum excitent, quod, inquam, poſt inopportunum febrifugum, vel frequentes recidivæ, vel, quod pejus, Cachexiæ, Hydropes, ac Hecticæ febres non ſemel invaſæ, ad oculum oſtendunt; hos enim caſus, a febrifugi abuſu inductos, plures vidimus. Itaque in hac febrium claſſe Peruvianus cortex nondum inopportunus, ſed & pernicioſus eſſe poteſt. Alterum vero febrium genus, quod ex præcipiti ſpirituum impetu ſanguinis diſſolutionem minitatur, Peruvianum febrifugum æque poſcere videtur; & tunc maximè, cum cæteris auxiliis concitatum Enormon parere nolens, efferam commotionem magis adaugeat, tunc, inquam, ne ſanguinis texturam omnino diſſolvat, ad ſedativum febrifugum confugere cogimur, a quo auxilio, niſi integram compeſcentiam, optatam ſaltem febris imminutionem obtinuimus, quod ſatis eſt, ad minitatam ſanguinis diſſolutionem evitandam. Hæc ergo febrium genera ex legitima ſignorum ſyndrome diſtinguere, & dignoſcere tenemur, ut in febrifugi abuſionem non incidamus; nam ſicuti magnum detrimentum eſt, ſanguinis inſtitutam purgationem diſtrahere, ita promptum auxilium eſt, diſſolutivam concitationem intercipere.

Non in omnibus proficua eſt.

Nec in primo febrium ſtadio. 4. Altera conſideratio eſt, quod nec in ſingulis febrium ſtadiis hujus corticis uſus proficuus ſit; non quidem in primo ſtadio, nullaque curatione præmiſſa, quod ut plurimum periculoſum eſt; ſi enim aliquando in Intermittentibus fauſtum eventum obtinuit, in plurimis etiam funeſta pericula induxit; in qua re plures caſus inſpeximus, quorum unum vel alterum pro communi bono exponere decet. Primus ergo: Juvenis puella annorum 26. tertiana ſimplici laborans, quam Pater Pharmacopola, citò curare credens, præmiſſo caſſiæ bolo, in tertio paroxiſmo Chinchinam ſumere, ac bis in die per octiduum continuare compulit; Interim febris receſſit, ut dicebant, Ægra tamen ſe non bene valere, conquerebatur; tandem poſt 20. diem febris vehemens rediit, & Pater potionem ex manna propinavit; febris verò pravis comitata ſymptomatis, & continua facta, noſtrum conſilium petere induxit, ſerò tamen; nam eadem die, qua vocatus

catus fui, poſt horrendum vomitum vitam amiſit. Alterum caſum Juvenis ſuggerit, qui poſt Patavinam lauream domum reverſus tertiana ſimplici correptus fuit, qui proprio marte ad peruvianum corticem confugit; at poſt dies 16. in continuam incidit, vaganti arthritide comitatam, a qua febri, longa tamen curatione, liberatum tandem vidimus. Hi quidem ſimileſque plures caſus affatim ſuadent, quod in primo Intermittentium ſtadio Peruvianum febrifugum ſemper tutum non ſit, imo nunquam, cum ad ſanguinis depurationem febris inſtituta ſit. Verum periculoſius adhuc continuarum initium hoc febrifugo intercipitur; cum Enormonticus niſus, ob pertinacem concitationem compeſcentiam tolerare minus poſſit; maximè quia occaſionalis continuarum fomes nimis forti aculeo ſpirituum impetum ſtimulat; unde ſine intermiſſione moleſtante eliminare ſollicitat; ideo ante illius deturbationem inopportuna, & noxia febrifugi repagula eſſe, apertè noſcitur. Hæc mihi regulæ perpetuæ ſunt, quæ in particularibus exceptionem interdum audire poſſunt, ut *lib. de febribus in ſpec.* videre eſt.

Quid in cæteris ſtadiis. 5. Cæteri tandem febrium ſtadii corticem febrifugum an expetant, aut recuſent, ſequentes ponderationes docebunt. Conſiderandum itaque primo eſt, quod poſt primum cruditatis tempus, alterum coctionis ſuccedit, in quo ſanguinis deſpumationem Natura perficere laborat. Si ergo apertis indiciis opus hoc tantum ritè, ac rectè promoveri, & perfici, conjiciatur, hujus febrifugi uſum, nondum importunum, ſed & noxium eſſe, cenſetur; cum inſtitutam deſpumationem ſedativum remedium everteret, quod quantus error ſit, nemo peritus neſcit. Sin autem poſt primum ſtadium, ſeu in febris vigore cruditas perſeveret, ſanguiniſque commotio vehementius aucta, non ultra depurationem, ſed ipſius diſſolutionem minitetur; tunc ſedativum corticem ad uſum vocare, tam opportunum eſt, quàm exagitatum ſanguinem ab imminenti corruptela eximere; ſicque exitioſam febrem a præcipiti commotione revocando, in ſalubre commutare perſæpe aſſequimur. Altera ponderatio ultimum ſtadium conſiderat, nempe febris declinationem, in qua ut plurimum nulla Peruviani corticis urget occaſio, nam febris per ſe recedere ſueſcit; cum poſt lædentis ſubactionem, ac eliminationem depurativa machina a ſuſcepto, abſolutoque opere deſiſtat. Aliquando tamen poſt deſpumationem pertinaciter adhuc aliqua Intermittens perſiſtit; in hoc caſu igitur conſiderare intereſt, an ex vitiata ſpirituum habitudine febres iſtæ producantur; aut a non adhuc integra ſanguinis depuratione abſoluta, febris machinam non dimittere Natura cogatur. In primo caſu, Enormonticam thymoſin, quæ ſola irregulatos hoſce concitat impetus, ſedativo Cortice compeſcere, opportunum eſt; in altero autem, tutius eſt, ut integra depuratio perficiatur, non quidem ſedantibus, ſed appropriatis purgantibus rectum Naturæ niſum coadjuvare; ſed hæc trita dimittimus, & ad minùs perpenſa deſcendimus.

Nec in omni annorum cõditione. 6. Tertia tandem conſideratio fuit, quod nec in omni Annorum tempeſtate, & conditione febrifugum hoc proficuum cenſeri poſſit; hanc autem notionem diuturnæ obſervationes docuerunt; ſæpè namque in autumnali tempeſtate, ſæpiuſque in epidemica conſtitutione febres adeo pertinaces invadere obſervavimus, ut Peruvianus cortex, poſt brevem compeſcentiam, contumaciores febres reddidiſſet; hinc ſimplices duplicare, ſæpeque continuas, ac exitioſas evadere inſpeximus. Anno equidem 1693. (a quo hanc obſervationem incepimus) & 1702. & 1709. & 1718. dictas febrium contumacias apertè conſpeximus. Heu quot vidimus, ægros tędioſo hujus Corticis uſu inutiliter vexatos, quotque audivimus adhuc Peruviani fide necatos! In annis hiſce Tertianæ plurimæ ſimplices graſſabantur, quæ Veris tempore poſt tertiam periodum in duplices, & cum a phlebotomia exaſperatæ fuiſſent, in continuas, ſummeque periculoſas degenerabant; in autumno autem duplices ut plurimum invadebant, diuque ſic perſiſtebant, cum verò a Chinæ febrifugo aggrediebantur, plurimæ illico ſine intermittentia excandeſcebant; atrocibuſque ſymptomatis ſe muniebant, & quæ diuturna febrifugi

fugi pugna premebantur, ſæpiùs ad lethi limina ægros ducebant; ſicque Peruvianum corticem iſtæ illudebant. Concludamus itaque, quod ad febres maximè autumnales expugnandas, febrifugis non raro inaniter fidimus; cum intentam ſanguinis deſpumationem, vel illius diſſolutionem, nullis additis compeſcentibus, aſſequi certò ſtatuant. Equidem ſicuti *Autumno morbi acutiſſimi, & exitiales maxima ex parte, 3. aph.* 9. perpetuò ſunt; ita ſæpius *ab Arturo ad Vergilias* menſes adeo funeſti obſervantur, ut ſpeciali contumacia, & quodam quaſi veneno affectas febres inducant, quibus, haud æquè cognitis, Peruviano cortice occurrere, idem eſt, ac Febrientium ſalutem, & Medentum expectationem fraudare; quod acuto intuitu æquè diſcernere intereſt.

Febrifugi hujus uſus 7. Hiſce demum præcognitis, ad hujus febrifugi uſum deſcendimus; vulgares ergo exhibitionis formulæ, pro Medentum intentione Patientum gratificatione, ac temporum circumſtantiis, plurimùm variari poſſunt; aliquando enim ex infuſo, interdum ex bolo, aut pilulis, vel morſulis, nunc etiam in Julapium, aut in Electuarium, ac denique in Tincturam, vel Extractum confici ſolet. In pueris vero, qui per os ſumere vel nolunt, vel nequeunt, non ſemel epithematis forma circa hypochondrii regionem Chin. chin. decoct. bis in die apposuimus, ac febres evaneſcere ſæpe inſpeximus. Sic prægnanti Matronæ, quæ diuturna tertiana laborabat, a Chin. chin. uſu omnino abhorrens, ſimilibus repetitis fomentis integrè profuit, nam quarta die febris non apparuit, diuque continuatis hiſce, abſque recidiva convaluit, quod in his caſibus opportunum, pluries expertum auxilium, ut aliis prodeſſe poſſit, præterire nolui. Circa formulas demum, quibus Peruvianus cortex præſcribitur nonnulla obſervanda occurrunt.

Primò itaque, hujus infuſio aptiùs in Vino, quam in alio quovis liquore fit, niſi ardens febris prohibeat, in ſimplicibus enim, mitibuſque tertianis, quartaniſque, ac maximè quotidianis a lymphæ vitio ductis, cortex iſte in vino infuſus, utramque paginam implet; nam & illius vis penetranſior fit, & febris fomites validiùs afficit. Poſt vinum Aquæ ſpirituoſiores, urgentibuſque ſymptomatis etiam appropriatæ ſeligantur, ut Centaur. minor. Card. bened. Fumar. Plantag. in fluxibus &c.

Secundò: Nonnullorum inventum comprobare nequimus, qui cum Peruviano febrifugo alia ſimul permiſcent infuſa, ut pluribus intentionibus ſatisfaciant; Cum enim a ſolo cortice febrifugam vim expetamus, ab aliorum commixtione abſtinemus; innatas enim corticis hujus cum alienis corporibus reluctantias neſcimus, ideo hoc ſolo pro ſcopo uti, tutius exiſtimamus.

Tertiò: nec item proficuam judicamus infuſionem per duas, vel tres horas à plurimis uſitatam; non enim brevi hoc tempore febrifugi corticis energia extrahi, & ad integram ſui vim reduci poteſt; nec credere decet, quod bis, vel ter quotidie amaros calices cum tota reſidentia perbibere Æger queat; cum ſæpe, ni ſemper grata etiam juſcula nauſeat.

Quartò: quia duæ tantum corticis drachmæ, ac pauco tempore digeſtæ, nec æque febrem compeſcere, nec commode aſſumi poſsunt; ideo ſequenti modo infuſum præſcribimus, videlicet

℞. *Chin. Chin. ſubtil. pulver. unc. ij.*
Infund. in Vini, vel Aqu. lib. iij.
diger. in baln. mar. vaſe clauſo hor. 24. poſtea

℞. *Infuſ. hujus unc. iiij. propin. hor.* 4. *ante cibum, & totidem etiam hor.* 4. *ante cenunculam; ſicque bis in die in quotidianis lymphaticis; at in Tertianis bilioſis ter in die ſumat, nempe tertiam doſin hor.* 4. *etiam poſt brevem cenam, & ſic pariter in Quartanis. Quæ regula pro febris pertinacia diu continuare ſueſco.*

Quintò: cum autem gratificationis motivo in forma ſolida præſcribere coacti ſimus, nunquam cum ſaccharatis pulverem hunc permiſcemus; ne corticis amaror, in quo febrifuga vis fundari credimus, dulcibus hiſce minuatur; ideo bolos, vel pilulas nec cum Syrupis, nec cum Conſervis componimus, ſed cum Gummi traga-

gacant. in aqu. Centaur. minor. ſoluta bolos conficimus, videlicet.

℞. *Chin. Chin. ſubtil. pulver. Drach. ij. Gum. Tragac. in aqu. Centaur. min. ſolut. q. ſ.*

M. f. bolus, vel pilulæ pro una Doſ. Huic ſuperbibat pro febris conditione, vel Vini hauſtum, vel Aqu. Centaur. minor. aut Card. ben. vel Fumar. unc. iv. ut facilius in ſtomacho diluta, & digeſta per chyliferos ductus Sanguinem ſubeat.

Sextò denique difficulter nimis Delicatis ſatisfacere inducor, cum Corticis Extractum petere audio. Novimus enim, quod brevem ſæpe, & aliquando nullam febris compeſcentiam ab hujus extracto obtinuerim; cujus inertiam, non ob improbam temporis conſtitutionem, in qua conſimiles febres corticis infuſum promptè audiviſſe, novimus, ſed de imbibito extracti menſtruo, Venaliumve impoſturis, ſuſpicio facilè ſuaſit; ideo niſi ex noto Laboratorio extractum hoc habuiſſem, ab illius uſu abſtinere didicimus.

Cætera febrifuga ponderantur.

8. Cætera tandem febrifuga non ſine debita conſideratione præterire convenit; cum enim indirectè ſaltem febres tollant, quia illius fomites vel abſorbere, & invertere, vel fixare, & præcipitare, apta ſunt; non tamen ut Peruvianum febrifugum tuto ſemper uſurpantur. Ratio perſpicua eſt; quia non in quavis febre famigeratum Acidum peccare ſolet, ad cujus everſionem febrifuga iſta inventa ſunt. Equidem ex. gr. Crollianum febrifugum, cæteraque hujus cenſus, ex puris alkalinis componi, noſcitur, adeoque ex particulis Acidis avidis, quod cum inveniant, illico abſorbent, & figunt. Cum ergo vitioſum acidum non inveniant (quod in omni febre adeſſe nequit) tunc naturalem ſtomachi acidum ſibi rapiunt, & in tertium enixum corpuſculum invertuntur; ſicque primæ digeſtionis officinam proprio fermento depauperant, ac univerſam vitalem œconomiam evertunt, & hinc morboſis affectibus, primum lapidem ponere ſueſcunt. Hic ſincere fateor, aliquem poſt febrifuga iſta hydrope affectum vidiſſe; alterum poſt ſedatam febrem contumacem Icterum pati; vidimus denique Matronam Crolliano febrifugo ab intermittenti febre liberatam, in tetram mæſtitiam incidere, qua per menſem, & ultra nec ſuos, nec ſeipſam tolerare poterat, ſæpeque poſt horam a cibo delirare; at ſubacidis diu miniſtratis auxiliis, ab immani paſſione redemptam vidimus. Iſta ergo imperita manu exhibita febrifuga, ſæpe quidem varias a curatione metas attigerunt; ideo ubi acidum non luxuriat, ab illis abſtinere, ratio, & experimenta ſuadent. Hæc illis dicta ſint, qui Veterum legem colunt, ac Peruvianum febrifugum maledictis perſequuntur.

Syſt. Medic. Roſetti.

Externa febrifuga.

9. Externa demum febrifuga non negligi petunt; non enim pro nihilo habenda ſunt, cum tot experimentis profuiſſe noſcatur; ideo ſelectiora ſaltem innuere, commune bonum ſuadet. Primo itaque *Platerus* teſtatur, ſequenti febres intermittentes expugnaſſe, videlicet. ℞. Cortic. interior. ramor. Jugland. q. ſ. & aceto acerrimo maceratas carpis manuum appon. Alterum *Ettmullerus* in Tertianis proficuum refert, nempe ℞. Camphor. elect. Drach. j. ad ij. hanc ſacculo lineo incluſam cordis regioni append. donec tota exhalet; hinc *D. Michaelis* Emplaſtr. febrifug. annectit, quod & nos in Quartanario Sene mirabile comperti ſumus; fit ergo

℞. *Fuligin. ſplendent. unc. j. ſem.*
Therebinth. Venet. drach. vj.
Telar. Aranear. unc. j.
Camphor. ſcrup. ij.
Olei Aranear. q. ſ.
M. f. Emplaſtr. carp. manuum appon.

Non inferius eſt febrifugum *Strobelbergeri*, cujus compoſitionem refert *Schroderus in ſuæ Pharmacop. lib. 2. cap. 53. n. 4.* quæ compoſitio ab *Hofmanno in illius comment.* approbata, ab *Ettmullero* tamen ut manca deprehenditur, quidquid vero ſit, experimenta docere poterunt. Loco hujus alterum ab eodem *Ettmullero in Prax. medic. de febr. intermit. circa finem* deſcribitur, ſicut & alia multa, quæ inibi videri poſſunt; non infimum item eſt cataplaſma *Mynſichti in Armament. ſuo ſect. 38.* Alia item ab *Hofmanno in theſaur. Pharmac. ſect. 10. num. 10. 11. & 12.* Pariter alia in *Faſcicul. Medic. Cnoffellii tit. Febrilia in fin.*

ubi deſcribuntur Oleum febrifug. Cataplaſm. febril. & emplaſtr. febris, ſingularia quidem inventa. Non negligendum item eſt illud *Batei in ſua Pharmac. titul Emplaſtr. febrile*. Sicuti & alia plurima hujus farinæ, ut amuleta febrilia, curationeſque ſympathico-magneticæ, ac Tranſplantatoriæ, quas curioſis Naturæ Scrutatoribus relinquimus, cum ambiguis fidere auxiliis, cauto Medenti non deceat.

C A P. V.

De Præparantibus.

Præparantium vis expenditur. 1. Febrifuga ſanguinis commotiones ſedantia, Pharmaca nunc occaſionales fomites evertentia proſequuntur. Hæc vero duplicis generis ſunt, alia enim febriles occaſiones invertunt, alia tandem evertunt; priora ergo nunc, poſteriora in ſequenti capite perpenduntur. Primi generis auxilia Præparantia, Digerentia, Abſorbentia, &c. vulgo nuncupantur, quia in intimis fluidis ingeſta, nocentes ibi particulas ita modificant, ut vel ad utilem ſubactionem, vel ad congruam eliminationem diſponant. Hanc ergo nocentium particularum inventionem per mechanicum contactum, ac imbibitionem fieri arbitramur; nempe cum dictæ digerentes moleculæ, cum chylo, vel aliter in ſanguinis fluido ingeſtæ, ibique turmatim explicatæ, conſpicuas, lædenteſque inibi luxuriantes particulas primo contactu amplexantur, ſicque ſimul abſortæ, in tertium corpuſculum invertuntur, ac ita diſponuntur ut ſi utilia evadant, nova figura proprioque ſitu locata, non amplius lædant, ſed cum cæteris contemperatæ ſine diſſidio componantur; ſi vero inutilia ſint, tunc ſimul coagmentatæ, gravitatis lege ſimul præcipitantur, & ut recrementa, qua data impulſione, ultimo eliminantur. Hoc Præparantium munus *Hippocrates* etiam nos docuit; cum non primarum qualitatum exceſſus attemperare, ſed *conſpicuas, & per ſe ſtantes, ſicque lædentes* ſalium energias corrigere ſuaſiſſet *lib. de veter. medic. n.* 24. & 25. *Ineſt enim in homine & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita, omnigenas facultates habentia, &c. Atque hæc inter ſe temperata, neque conſpicua ſunt, neque hominem lædunt. Ubi verò quid horum ſecretum fuerit, atque ipſum in ſeipſo fuerit, tunc & conſpicuum eſt, & hominem lædit.* Has ergo exaltatas, conſpicuaſque præpotentias ſubigere, ne vitalis fluidi ſymmetriam dilacerent ipſe innuit, & has quidem invertere, ac evertere digerentibus ſpectat; verum ad minus generica tranſire, eſt opus.

2. In Febrium ergo linea tria lædentium genera emergere poſſunt, nempe Acidum, Acre, & Viſcidum, *ut part.* 1. *cap.* 4. expoſuimus. Non ergo ut *Hippocrates* etiam loquitur *ubi ſupr. Non ſiccum, neque humidum, nec calidum, neque frigidum hominem lædere, ſed quod in unoquoque forte, & humana natura potentius eſt, quodque non poſſit ſuperare.* Illud nempe, quod inſubicibile eſt, & Naturæ vires eludit, & ſanguinis ametriam inducit, hoc ſubigere Præparantibus incumbit. Tuto itaque ſuademur, quod Acidum, vel Acre, aut Viſcidum, quovis modo in ſanguine vel ingenitum, vel ingeſtum, naturalem illius texturam evertat, ac Enormonticos motus pervertat; unde ſpirituum concitationem, & inde ſanguinis commotionem ſollicitet; Hoc ergo exaltatum in maſſa, & conſpicuum infenſum Præparantibus appropriatis vel attemperando corrigere, vel præcipitando ad eliminationem diſponere, Medens tenetur, cum Febris occaſiones proximas delere contendat; ideo ut methodice ſcopum hunc aſſequatur propria cujuſque lædentis præparantia exponere aggredimur. *Lædentia digerenda exponuntur.*

3 Et primo ab Acido infenſo exordiendo, omnia pene Alkalia, utpote directa antacida, illius vim enervare apta ſunt, in horum ergo cenſu ſequentia notantur. *Acidum abſorbent.*

Primo: Salia fixa vegetabilium, ut Abſinth. Centaur. minor. Card. bened. & ſimilia; item ſucci concreti, vel depurati Plantar. alkalinis particulis redundantes, ut Meliſſæ, Fumar. Boragin. &c.

Secundo: Salia fixa, & volatilia ex Animalium Cornibus, Unguliſve parata, ut Corn. Cerv. cum, & ſine igne

igne calcin. ſicut illius Sal volatil. a quo volatile Acidum fortius aſſorbetur.

Tertio: Cruſtacea omnia, ut Lapid. Cancr. & illorum Cheles, Conchæ maris, ut Mater perlar. imo & Perlæ ipſæ, & Corallia &c.

Quarto: Mineralia plurima, tam terrea, ut Bolus armen. Terra lemnia Japponic. Strigenſ. &c. quam metallica, ut Martis præparation. plurimæ, quæ validam abſorbendi vim exerunt, plura item ex Mercurio, & Antimonio parata, ſed quæ ex Auro fiunt, cæteris palmam rapiunt.

In Malignis vero ac Peſtiferis febribus, in quibus virulentiæ gradum Acidi vis aſcendit; ideo ab Hippocrate, *inter Acida Acidiſſimum* dicitur, *& humana natura potentius, quod non poſſit ſuperare, libr. de veter. medic.* cum defacto tales in fluidis coagulationes congerat, ut Natura per ſe nunquam, & cum Arte ſociata, difficillime adhuc, a tanto hoſte ſe expediat; inter auxilia ergo, quæ hujus Acidi virulentiam infringunt:

Primo: Camphora ſe offert, quæ proprio aromatico ſale, ſummeque volatili turgida, Acidorum antagoniſta nuncupatur; ideo plura illius parata, plurimaque camphorata ad hunc uſum inſtituuntur.

Secundo: Antimoniata multa, ut Antimonium diaphoret. vulgare, & ſingulare Helmontii, Cinnabar. Antim. recte parati, ſed omnium præſtantiſſimum eſt ejuſdem Sulphur. ex proprii reguli ſcoriis præcipitatum, quod omne virulentius acidum expugnare certo poteſt.

Tertio: Ex Cervi partibus vario modo paratis, plurimi proſtant ſpiritus, liquores, & ſales, quæ omnia in peſtifero etiam acido ſubigendo, haud infima eſſe ſolent.

Quarto: Bezoar maxime oriental. at quia genuinum rarum eſſe, comperitur, ejus vices occidentali ſaltem tribuimus; Bezoardica vero artefacta, ut Bezoardic. mineral. & animale, cum ex perita manu exeant, ad hoc opus plurimum valent; ſicque Compoſita multa Alexipharmaca, inter quæ primas hic tenet; Sal volatil. *Syſt. Medic. Roſetti*. oleoſ. Sylvii, ex Sal. Armoniac. part. j. Tartar. part. ij. & Spirit. Vin. part. iij. confectum, quod in hac linea eximium eſſe, multis experimentis didicimus.

4. Acre item excedens, alterum lædens eſt, hoc ergo, cum propriis alkalinis particulis ſanguinis conſiſtentiam diſſolvere contendat, Acidis ideo, figentibuſque pharmacis inverti, & contemperari debet; horum ergo ſeries, ad hoc opus opportuna, ſequens eſſe poteſt. *Acre invertunt.*

Primo: Herbarum, & fructuum ſucci aciduli omnes, ut Acetoſæ, Berberis, Citri, Aurantii &c. quibus adde Acetum, Omphacium &c. quæ pro exigentia ſæpe ad uſum vocantur.

Secundo: ex Tartaro vini ſpiritus volatilis acquiritur, qui recte paratus, cæteris antacribus antecellit, vide *Tract. de volatil. Sal. Tartar. celebris Ludovici*; item Spirit. Fuligin qui ex lignorum acido, & urinoſo Sale volatili conſtans, ſanguinis diſſolutioni valide reſiſtit.

Tertio: ex regno Animalium proficua multa ſuſcipimus, ut Gelatina corn. cerv. Liquor. corn. cerv. corallat. perlat. &c. item Aqu. e cornib. tenellis una cum ipſius ſanguine deſtill., quæ omnia ad varios Acri lædentis exceſſus corrigendos præſentanea ſæpe ſunt.

Quarto: ex Mineralium claſſe uberiore deſumuntur, & primo Nitrum ipſum plurimaque nitrata, ut Nitrum corallatum, perlat., vitriolat. &c., ſed quod omnia nitrata excellit, Terra Nitri philoſophica eſt, cujus non vulgaris encheiria, diu abdita, hodie communis facta eſt. Hiſce ſuccedunt ſpiritus mineralium aciduli, ut ſpirit. ſalis, Vitrioli, Sulphuris, qui omnes caute dulcificari debent. *Sed ut cum celebr. Sylvio deleboe* tandem loquar, *Omnium præſtantiſſimum figens eſt Sulphur minerale arte fixatum; hoc enim ſummam vim, ſalem volatilem figendi, habet, unde hoc ſolum inſtar omnium medicamentorum eſſe queat. Sic diſputat. de peſte ſect. 26. numer. 2.* ideo ſulphur Antimonii fixum *D. Ludovici* cæteris præferre, longæva Praxis, fauſtaque experimenta nos docuere.

Viſcidum reſolvens. 5. Viſcidum denique ſicuti prædicta excedere in fluidis poteſt, licet ſic frequenter haud obſervetur; quia non raro ſub abditis effectibus latet; nec vane quidem ſuſpicor, quod in malignis nonnullis (quarum occultum virus non adhuc innotuit, cum inopini deceſſus obſervationes deludant) Viſcidum tenax ita ſanguinis circuitum detineat, ut ocyter interimat; quod & ſyncopes lethales ad oculum oſtendunt, in quo arduo caſu aliquod ex ſequentibus prodeſſe poterit.

Primo: itaque Attenuantia, & Incidentia plurima hanc luem corrigere apta ſunt, in quorum cenſu veniunt vegetabilia omnia hiſce characteribus ſignata, quorum tam foliis, quam ſuccis concretis, extractis, ac ſalibus tam lixivialibus, quam eſſentialibus ad hoc opus utuntur; ſic pariter eorundem radices, cortices, ligna, & gummata, ipſorumque variæ præparationes hic utiles ſunt.

Secundo: Tartarea plurima, ut Tartarum vitriolat. & Martiale, Terra foliata Tartari, & Spiritus Tartari legitime paratus ad hunc ſcopum advocantur.

Tertio: in regno animali Serum lactis validius, licet lentius, attenuans eſt, ideo diutine utitor, ut opus ſuum perficiat. Urina item, & ejus Sal volatil. & Armoniacum, utramque paginam implent; Mel pariter, & Caſtoreum, ac eorundem parata plurimum præſtant.

Quarto: ex metallicis, ac mineralibus tandem, Martis primo præparationes multæ, item Mercuriales, ac Antimoniales plurimæ, & quæ ex auro fiunt, potiores in hac linea ſunt; item ex ſalib. mineralib. Nitrum vitriolatum, ſeu Arcanum duplicatum, ſic & ejuſdem ſpiritus, ut & Spirit. vitrioli dulcis, & Philoſophicus, ac Diaphoretic. alter; item ſpir. ſal. dulc. & coagulatus, ut & ejuſdem Cryſtalli, validis hic viribus pollent.

Hæc ergo in genere pravas fluidorum diatheſes corrigere nata ſunt, non tamen in ſpecie omnibus omnia conveniunt; cum licet Acidum in genere Antacida omnia invertere, & ſubigere poſſint, non ideo cuique lædenti acido, (quod ex varia combinatione, ac indole ſæpe diverſum eſt) nec ſingulis individuorum circumſtantiis indifferenter conferunt. Non levis ergo hic ſicut in cæteris, Medentis peritia requiritur, quod ſatis.

CAP. VI.

De Purgantibus omnibus.

1. PUrgatio, ſeu infenſæ luis extra corpus expulſio, quamlibet, & per quamcunque partem recrementorum eliminationem exponit; quamobrem ſub hoc titulo quodlibet hujus generis pharmacum, ut Emeticum, & Catharticum, Diureticum, & Sudoriferum, indifferenter comprehenditur. Purgatio enim ſicut Coctionem ſupponit, ita per quamlibet conferentem viam inſtitutas eliminationes denunciat; confert enim nunc per vomitum, nunc per alvum, nunc per urinam, & nunc per ſudorem ſeparatas ſordes educere. Hoc ergo brevitatis noſtræ commodum optat, omnia hæc ſimul præſenti capite claudere, ac diſtinctum ſingulorum uſum exponere; primo itaque

De Emeticis.

2. Iſtis tunc utimur, cum per œſophagum extra os ventriculi luem exonerare intendimus, ſicque illud a lædenti ſarcina liberare, & cæteris, quæ ab ipſo læſo repatiuntur, partibus levamen afferre conamur. Auxilium hoc Practicorum ſcopum ita ſæpius feliciter attigit, ut contumaces febres, quæ repetitis catharticis obſtiterunt, opportuno Emetico parere, coactæ fuerint, ut in Practicis obſervationibus paſſim inſpicitur. Et certo quidem in plurimis Febribus quantum eliminatio iſta conferat, ipſa Natura inſinuat, cum in illarum invaſione vomitum concitet, vel vomituritionibus petitum Emeticum indicare ſueſcat. Auxilium vero tantum, nec ſemper tutum eſſe, nec a pluribus incommodis eximi poſſe, ratio, & experimenta ſuadent; multa enim prohibent, quod ſæpe Natura petit; quæ pro-

prohibent, ſunt primo Ætas vel tenera nimis, vel nimis matura; 2. Stomachi vel imbecillitas nimia, vel nimia renitentia; 3. Corporis gracilitas ſumma, vel tabeſcentia; 4. Temporis conſtitutio nimis frigida; 5. Denique Capitis, Thoraciſve affectiones plures, quæ omnia vel abſolute vomitionem reſpuunt, vel difficulter patiuntur. Opportunum vero tempus, in quo proficuum (cum permittatur) Emetici uſum eſſe noſcimus, ipſum febris exordium eſt, in quo & Natura petit, & experientia comprobat; ideo peritus practicus *Sydenham* hanc tempeſtivam vomitionem ita ſuadet, ut facilem febrium curationem ab hac pendere, propria obſervatione comperierit; cum ſola vomitio, in febris exordio inſtituta, integrum ſæpius febris fomitem eliminaſſet, integramque morboſam ſcaturiginem exhaurire potuiſſet; ſed hæc in altero *de febr. in ſpec. libr.* reſervantur.

Emeticorum Selectio. 3. Emetica vero mature ſeligenda eſſe Veterum placita docuere; ideoque cum mitioribus uti debere crediderint, ſequentia præſcribere, mos illis erat; nempe vel Decoctum ex Anetho, vel ex ſeminibus Raparum, aut ex florib Geniſtæ; validiora vero ex radic. Aſari; ex Vitriolo albo, cæteriſque petebant, & hæc cum Syrupo aliquo, vel Oxymell. pro lædentis materiæ conditionibus, cæteriſque circumſtantiis. Maturiori vero obſervatione adhibita, majus ab hiſce incommodum, minuſque levamen obtinere, plurimi ante, & nos ipſi comperti ſumus; ideo ad Crocum metallorum cum ipſis confugere didicimus; hoc enim Emeticum, vel ſimpliciter infuſum (nam in ſubſtantia exhibere non approbo) vel cum aliis maritatus, tuto ſemper intentionem adimplevit. Ex hoc equidem eximiora, & uſitatiora Emetica conficiuntur, ut Tartarus emeticus, qui ex eodem Croco, & cryſtallis Tartari componitur, quod hodie in hac linea omnes Medentum paginas implet. Item Aqua benedicta Rulandi, quæ licet vario modo a pluribus componatur, dummodo cum eodem Croco fiat, ſemper ex hac baſe utilis erit. Similiter ex hoc fiunt Oxyſacchari emetici, & Syrupi vomitivi; & licet diverſæ compoſitionis, omnes tamen proficui; & primo relictis Syrup. vomitiv. *Hartamanni*, *Quercetani*, *Mynſichti*, *Grulingii*, *Scroderi*, aliorumque, qui omnes quidem proprias laudes merentur, nobis item ſequenti modo confici placuit, ac tutiſſimum ſemper fuiſſe comperti ſumus.

℞. *Croci metallor. optim. Drach. ij.*
Cinnamom. acerrim. pulver. Drac ſem.
Nucis Moſchat. pulveriſ. ſcrup. j.
Infund. in Aqu. Card. ben. lib j. ſem.
Diger. loc. calido hor. 24. poſtea coletur.
Colat. adde ſacchar. lib. j. coqu. ad conſiſtent. Syrupi.
Doſ. hujus ab unc. ſem. ad unc. j. circiter.

Hoc ſtatim aſſumpto, largum hauſtum brodii tepidi propino; & in febribus Tertianis præcipue, cum Naturæ indicia poſtulent, ſequenti modo utor.

℞. *Syrup. Emetic. unc ſem. vel unc. j. &c.*
Aqu. Scabioſ. Roſar. aa. unc. ij. vel aliar. pro exigent.
M. & tepidam mixturam propina.

Non minoris efficaciæ in febribus ardentibus, vel malignis, in quibus Acre diſſolvens tragædiam agit, Oxyſaccharum emeticum Salæ, vel Ludovici erit, quod fit.

℞. *Croc. Metallor. edulcorat. unc. ſem.*
Aceti vin. alb. acerrim. lib. j.
Infund. & in MB. per triduum diger. poſtea filtretur Acetum, cui adde Sacchar. albiſſim. unc. vi.
ac len. calor. in patin. vitrea ad conſiſtent. reducatur.
Doſ. hujus a Drach. j. ad unc. ſem.

Hujus vero uſus in prædictis febribus, cum expetiti vomitus ſigna urgeant, in *ſequent. libr. de feb. in ſpec.* propriis capitib. deſcribitur; ſic pariter in ipſa contumaci Quartana Emeticum appropriatum ſuo capite reperitur. Hæc ergo de Emeticis in genere ſatis eſſe poſſunt. Et licet hujus cenſus compoſitiones plurimæ perlegantur, raro tamen a ſupradictis diſcedere duximus; nunquam vero ad Stibiata cætera, ut Vitra, Floreſve Antimonii deſcendere placuit; quia conviciis pœnas luere, formidavimus, quod Juniores non negligant. Hinc demum digredimur, & accedimus ad

Cathar-

Cathartica:

4. Hiſce tunc utimur, cum vitioſa viſcerum, vel ſanguinis recrementa per alvum depellere curamus; modum vero, quo iſta in ſanguine propriam energiam exerant, hactenus inter Phyſicos per opiniones vagavit. Arduum enim eſt intime percipere, quomodo Natura catharticorum vires ad actum ducat; non equidem per ſe tantum ſolventes ipſorum particulæ ſordium eliminationem perficiunt, ſed intimum poſcunt niſum, a quo primum moveantur, demumque cum ſordibus ſimul eliminentur. Verum hic non quidem Catharticorum actionem, & paſſionem, ſed uſum duntaxat expendere, ſcopus eſt: ad quod aſſequendum, neceſſarias cautiones primum exponere intereſt. Duo itaque in eorundem uſu conſideranda ſunt; primo Cathartica abſolute, & per ſe; alterum reſpective ad Ægros; quas notiones in Juniorum gratiam examinare non piget. Ad primum igitur Cathartica in ſeipſis conſiderata alia mitiora, alia fortiora ſunt, quæ virium differentiæ, uſum diverſum requirunt; inſita enim fortiorum virulentia nimis Enormonticum niſum exaſperat, nimiſque ſæpius de vitali theſauro ſuffuratur. Ideo *ab Helmontio* acriter in illorum violentiam invehitur. *Tract. de poteſtat. medic. num.* 34. quod pejus ante ipſum *ab Aloyſio Mundella in epiſt. medic.* 10. actum fuit; quos tamen, ſimileſque alios in omnibus audire velle, improvidum eſt; cum iſti Catharticorum virulentiam exaggerent, utilitates vero mutuo ſilentio prætereant. Itaque ſicuti purgantium beneficia ad uſum nos alliciunt, ita eorum nocumenta cautos nos reddant, ut ipſorum commoda inquiramus, incommoda vero vitemus; nempe dum mitiori cathartico intentum ſcopum obtinere quimus, a violento abſtinere tenemur; & in caſu, & cauſa permittenti, tutius eſt, mitiora repetere, quam unico fortiori dura ſymptomata excitare; ſæpeque Naturam opprimere; leve enim incommodum, etiam iteratum, minus lædit, quam grave damnum ſemel tantum illatum; illud Natura tolerat, iſtud illam exaſperat, ſæpeque adhuc proſternit. Dum vero forti cathartico uti cogimur, (quod in febribus raro contingit) ejuſdem doſin dividere potius, quam pericula tentare docemur; *quoniam omne nimium eſt naturæ inimicum, ſed quod paulatim fit; tutum eſt*, 2. *aph.* 51. In his ergo Epicraſi utentes, non delinquent.

Cathartica in ſe conſiderata.

5. Altera conſideratio eſt, Cathartica reſpective ad ægros perpendere; cum enim in uſu ad illos purgandos referantur, illorum cum iſtis convenientiam, & inconvenientiam diſcernere intereſt, ut æque conferant, & non lædant, vel a gravi declinando, ad leviorem noxam in urgentiis deſcendamus. Hoc inquam arduum non erit, cum hujus curandi corporis conſtitutionem, & circumſtantias æque perſpectas habeamus; primo nempe noſcendo, quod imbecilles naturæ validam purgationem non tolerant; hæc enim vel naturaliter languida, vel a diuturno morbo extenuata corpora, ſub incongrua catharſi, vires magis, quam ſordes deponunt; in hac linea pariter Pueri, Seneſque notantur; item femineum ſexum blandiori ſæpius manu tractare oportet; cum vero lunare fluxu mulier exerceatur, a qualibet alia purgatione averſatur; prægnantes item purgari poſſunt, *ſi materia turget, à quarto menſe uſque ad ſeptimum.* 4. *aph.* 1. quæ regula tamen pro febris ſævitia Medentis prudentiam repoſcit. Ægrotantium pariter idioſyncraſiæ, a quibus plures emergunt tolerantiæ diſparitates, adhuc ponderare intereſt; in quo cenſu primo ſe offert nimia plurimorum a catharticis averſio, vel ob lypothimias, vel ob hypercatharſes olim inductas, vel ob pavidum naturæ vitium, quod purgantia recuſet, in hiſce caſibus peritus Medens verum averſionis motivum inquirens, caute poſtea in deliberando ſe gerit. Item non negligenda eſt prompta quorundam ad vomendum propenſio, quæ ſæpe catharticis præpoſterum finem imponit, fraudatque intentionem; ſtomachis iſtis bolus, vel pilulæ melius quam potiones aptantur. Nimia pariter corporis ſtypticitas, quæ difficulter deturbari ſolet; ſicut econtra facilis diſſolutio quę a leni purgante, ſæpeque ab ejus odore, purgationes multiplicat; hæc ergo cætera-

Reſpective ad Ægros.

raque ſimilia parvi pendere nequit, qui jucundam, tutamque facere medicinam ſatagit.

Purgandi tempus. 6. His demum prævifis, Tempus item, in quo tuto cathartica exhiberi poſſint, expendere, adhuc ſupereſt; in hac linea vero proprium placitum colere unuſquiſque nunc ſatagit; nos autem ne ſine duce pericula faciamus, peritiſſimo *Hippocrati* fidere conſulimus; docuit ergo ipſe 1. *aph.* 22. *Concocta medicari, atque movere, non cruda, neque in principiis, modo non turgeant, plurima vero non turgent*; quibus verbis, turgentia illico evacuare, & non turgentia ad coctionem expectare, nos inſtruit; quia ſicut in turgentibus præceps purgationis occaſio ſuadet, *quod tardare in talibus malum eſt*, 4. *aph.* 10. ita in non turgentibus, purgatio in cruditate, noxium, non ſeparatum, minime deturbat, ſpirituum vero niſum exaſperat, ſanguiniſque commotionem, ac illius depurationem pervertere, ſæpe ſolet; ideo divinus Senex repetit, 1. *aph.* 24. *In acutis raro in principiis medicinis purgantibus uti debere*; quod ſi circumſtantia urgens ſuadeat, *hoc cum præmeditatione faciendum ſit*. Eximius enim Præceptor dignovit, ſuæ regulæ appendicem tribuere; nam in Acutis nonnullis, tam continuis quam intermittentibus, quarum fomes in primis viis adhuc ſtabulari, repletionum occaſio ſuadet, ne iſta labes cum infecto chylo ſanguini communicetur in febris principio purgationem inſtituere, hic & alibi docuit. Hinc ſi pravos ſuccos in primis viis fermentando Diarrhœas Dyſenterias, Choleraſve atroces, parere poſſe timendum ſit, ſtatim, & in principio debitis purgantibus uti expedit, ut horum ſcatebra ante irruptionem exhauriatur. Sed de his, ac ſimilibus *in lib. ſequent.* ſermo erit.

7. Modum denique, ſeu formulas Cathartica præſcribendi, pro Medentum intentione, ac febrientium gratificatione multifariam variare, uſus obtinuit; vel enim in ſolida, vel in liquida formula præſcribuntur, quarum farraginibus Practicorum volumina redundant, ad quorum mare noſter adhuc rivulus appellit. Inter mitiora ergo, ultra Caſſiam, Mannam, ſyrupoſque purgantes, ſequentia frequenter uſurpamus; primo Potionem magiſtralem ſolutivam communem, quæ ſæpe plurimas nobis implet paginas, quam pro delicatulis gratificandis, ſequenti modo præſcribo.

℞. *Mann. elect. unc. iij. ſem.*
Flor. Sen. mund. Drach. vj.
Cremor. Tartar. unc. ſem.
Semin. Coriand. Drach. j.
Cinnamom. acerrim. ſcrup. j.

Craſſe contuſa includantur nodulo, cui affund. aqu. bullient. unc. viij. diger. ſic hor. x. circiter; coletur ſine expreſſion. dentur unc. v. cum Spirit. Citr. q. ſ. aromatiſat. qui vero fortiorem deſiderat, unc. alteram augebit, nodum leniter exprimendo; potiunculæ item plurimæ *in ſequent. libr.* deſcribuntur. Cum autem bolus purgans expetatur, ſequens mihi in uſu eſt,

℞. *Magiſter. Tartar. purgant. gr. x.*
Diagryd. ſulphurat. gr. v.
Balſam. Peruvian. gut. ij.
cum Syrup. aliquo q. ſ. f. bolus.

Huic ſuperbibat Æger vel brodium, vel ſerum, vel Aqu. Nocer. pro exigentia &c. In Magiſterio Tartar. purg. conficiendo, brevi expedimur, nempe.

℞. *Sal. Tartar. albiſ. q. v. affund. in olla ferrea Acet. deſtill. q. ſ. & evapor. quod repete, donec Tartar. odorem acidum ſpiret, poſtea coagulatum cum Spirit. Vini edulcora, ſæpius cohobando. Magiſter. hoc Terra foliata Tartari eſt, & pro inſigni depurativo exiſtimatur.*

Cum denique Pilulis uti cogor, in malignis etiam febribus ſequentibus utor.

℞. *Aloes ſuccotr. unc. ſem.*
Myrrhæ elect. drach. iij.
Croc. orient. Drach. ſem.
Diagryd. ſulphurat. ſcrup. ſem.
Mithridat. optim. unc. ſem.

Omnia pulveriſata ſenſim cum Mithridato in mortar. vitreo miſceantur, & cum Spirit. Roſar. vel alio aromatizentur, harum Doſ. pilul. viij. ad inſtar piſi minor. Cathartica demum fortiora in febrium curatione (ſi Quartanam excipias) inopportuna eſſe arbitramur; ideo ſuis locis expenſa relinquimus, & deſcendimus ad

Diu-

Diuretica.

8. Hæc in febribus tunc uſurpamus, cum ſanguinis laticem, ſuperfluis noxium, per ureteres pellere inducimur; hiſce vero tuto utimur, cum ſequentes ponderatione æque notas habeamus; ideo in Juniorum gratiam illas exponere, non dimittimus. Et primo tunc in febribus tuto Diureſin provocamus, cum a Natura illam expeti dignoſcimus, contra vero cum aliorſum vergere conſtet, ut cum ex. gr. ad ſudorem inclinat, artis delictum eſt, ſæpeque exitioſum fuit, determinatam Naturæ motionem intervertere, ſanguiniſque laticem a cutaneis ductibus ad ureteres compellere. Quamobrem non niſi poſtulante illa Diureſin in febribus ſollicitare, æquum erit, quam petitionem per urinam ſolito copioſiorem, aridamque cutim ſæpe oſtendere ſolet; tunc enim ureteres diſpoſiti, patulique ſunt, cum ab intimo impetu ſtimulentur; ideo periculoſa ſymptomata, quæ ſæpe hiſce infarctis diuretica induxerunt, pertimeſcere nequimus, ſimulque Naturæ inibi vergenti opportunum auxilium deferimus. Cum vero poſt coctionem nullibi Naturam movere dignoſcamus, tutam in hoc caſu viam, ad ſeparatam ſanguinis luem eliminandam, diureſin eſſe credimus, maxime in hieme, & in corporibus, quibus ob fixam cutim raro diaphoreſis auxiliatur. In his ergo caſibus Diureſin tentare non timeo, multis obſervationibus edoctus, febrientes plurimos, ac Pleuriticos nonnullos per hanc viam tuto reſtitutos fuiſſe.

Diureſis promovendæ cautio prima.

9. Altera ponderatio duplicem Diureticorum ſpeciem conſiderat; prima eſt ipſorum propria, quæ ſanguinem attenuando, & ſolvendo, ſeroſum laticem fundere, & redundare adigunt. Altera vero illorum eſt, quæ inſito ſtimulante niſu, urinaria vaſa irritando, ſollicitam ſeri expulſionem provocant; ideo alia magis irritant, alia magis colliquant; iſta in coagulativis febribus proficua, in ardentibus vero, & colliquativis noxia ſemper ſunt; cum magis fundere ſanguinem, illiuſque conſiſtentiam diſſolvere, nata ſint, ſicque colliquativæ luis virulentiam adaugerent. Quare in hiſce febribus, cum diureſin promovere opus ſit, alterius generis diuretica, blande nempe irritantia tutius uſurpantur; cum iſta ſanguinem colliquare nequeant, ſed tantum ſanguineo latici ſtimulos addunt, ut renes, & ureteres ad velociorem cribrati ſeri deſcenſum inducant. Itaque in febribus coagulativis, quæ ſanguinis attenuationem, & ſolutionem expetunt, fundentia Diuretica proficua ſunt; in aliis vero, quæ ſanguinis conſiſtentiam diſſolvunt, blandis irritantibus tantum uti expedit. Utriuſque generis ſeriem pro Juniorum commodo innuere, ſaltem nunc decet, ut quæ in caſu, & cauſa proficua ſunt, a noxiis diſcernere, æque ſciant.

Cautio altera.

10. Primo itaque cum mitiore diuretica, ſeu blande irritantia uſurpare contingat, ad ſequentes formulas ſæpe recurro, videlicet.

Diuretica mitiora.

℞. *Semin. Melon. Angur. decort. aa. Drach. ij.*
Aqu. Fragor. Melon. aa. lib. ſem.
Ocul. Cancr. pp. Drach. j. ſem.
Man. Chriſti perlat. unc. ſem.
M. f. l. a. Emulſ. diuretic.

vel ℞. *Succ. Limon. recent. unc. j.*
Aqu. Geniſt. Bugloſſ. aa. lib. ſem.
Magiſt. ſolubil. Perlar. ſcrup. ij.
Syrup. Heder. terreſtr. unc. j.
M. f. Pot. diuret. pro Doſ.

Sub hoc cenſu plurima proficua numerantur, quæ febrium ardentium ebullitionem compeſcunt, placidoque niſu diureſin promovent, ut ſequentia videlicet.

Primo Aqu. deſtill. plures, ut Fragor. Melon. de Flor. Fabarum &c.
Item Julap. & Syrup. de Succo Citr. de Fragiſ. Heder. terreſtr. &c.
Sic Tartarea multa, ut Arcan. Tart. Cnofell. Tartar. nitrat. Terra foliat. Tartar. Spirit. Tartar. & ejus Tinctura.
Nitri pariter multa, ut Nitrum fortificat. Nitrum nitrat. & regenerat. Terra foliata nitri, Spirit. Nitri dulcif. Spirit. Nitri alius ex arenæ part. ij. Nitri part. j. per retortam deſtill. quod diureticum eximium eſt.
Item Spirit. Alumin. & Spirit. Sal. coagulat.

gulat. cæteraque plurima placidaque diuretica, in ardentibus, & colliquativis febribus ad expetitum opus præſentanea.

Diuretica validiora. 11. Diuretica vero fortiora, quæ ſanguinis coagulationes diſſolvunt, acidumque illarum fomitem in ſero præcipitant, & per ureteres educunt, ſequentia eſſe poſſunt, primo

℞. *Sal Geniſt. Betonic. aa. Drach. j.*
pulveriſentur ſimul, & cum Spirit Vitriol. irrorentur, poſtea adde
Magiſt. Ocul. Cancr. Drach. ſem.
Sal. volatil. Armoniac. ſcrup. ſem.
M. f. pulvis pro duab. Doſ.
quas in aqu. Geniſt. lib. j. præſcribo.

Vel in iiſdem febribus, cum plus æquo excandeſcunt.

℞. *Aqu. Petroſel. Fragor. aa. unc. v.*
Diuretica noſtra ex florib. unc. ij.
Tartar. nitrat. Drach. j. ſem.
Spirit. Nitri dulcific. ſcrup. j.
M. f. Pot. diuret. pro duabus Doſ.

Aqua Diuretica ex floribus mihi uſualis ſequenti modo fit.

℞. *Flores Sambuc. Geniſt. exiccat. aa. unc. ij.*
Chamæmel. Stæchad. aa. unc. j.
Spicæ, Thimi aa. unc. ſem.
Infund. in Aqu. Betonic. Spirit. Vitriol. acidul. lib. x.
diger. per biduum, poſt. deſtill. Doſ. ad unc. ij.

Hæc Aqua per ſe ſola pluries hoc opus perfecit, nec minus in renibus infarctis proficua fuit. Hujus demum generis plura extant auxilia, quæ ſæpius ad praxim advocari ſolent; ideo pro Medentum commodo ſelectiora ſaltem hic recenſere non piget, & primo

Aqu. deſtill. ut Betonic. Juniper. Ononid. Petroſell. item
Aqu. Compoſit. ut Aqu. Diuretic. Vvillis, alia Charraſ. altera d'Aquin. &c.
Item Aqu. ſecunda Vitriol. poſt illius ſpirit. deſtillat. ſicut & liquor. Diuret. Dolei, & liquor. Lithonthryptic. Cnoffel. &c. ſic pariter,
Salia plurima, ut Sal. Beton. Ononid. Gentian. &c. item Sal Succin. Sal Prunell. & Flor. Sal. Armoniac. &c. item
Olea deſtillat. multa, ut Juniper. deſtill. de Sem. Cumin. & Petroſel. deſtil. Terebint. & Ceræ deſt. &c. ſic pariter. Syſt. Medic. Roſetti.
Spirit. Vitriol. Spir. Nitri, Spir. Alumin. Spir. Sal. Armon. Spirit. Sal. coagul. Spirit. Terebinth. Spirit. Juniper. & Ceraſor. nigr. &c. Plura demum compoſit, ut Quint. Eſſent. Perlar. Crocus Vener. Nitr. nitrat. & Tartariz.
Balſam. Sulphur. terebinth. Balſam. Succin. Batei, Balſam. Copaivæ cum Spirit. Terebinth. malaxat. Pilul Diuret. Charraſ. Pilul. Starkii, ſed ſine hellebor. Elixir Juniper. Schroder. Diuret. Glauberi &c.

Hæc demum & ſimilia pro febris, ac Patientis conditionibus ad uſum vocari poſſunt, in qua linea hæc ſatis ſint, nunc accedimus ad

Sudorifera.

12. Hiſce demum utimur, cum a centro ad peripheriam ſanguinis recrementa, venenatamque luem revocare, ac per cutim eliminare contendimus. Commodum hoc in febribus auxilium a Natura indigitatur, dum in illarum declinatione ſudorem ſæpius, prorumpere nititur; nec in ſolis Intermittentibus hanc tenet viam, cum & continuas plurimas, imo & Peſtiferas critico ſudore abſolvere perſæpe ſueſcat; nullum equidem expeditiorem aditum, ad intimas ſordes eliminandas habere, *Sanctorii ſtatica* oſtendit. Ideo impedita perſpiratione, ſæpe febres oriuntur, quia depurativa hæc machina corporis peripheriam aperiendo, detenta ſuperflua per cutim propellit. Per hanc ergo uſitatam Naturæ viam intimas lues ſudoriferis eliminare Ars noſtra didicit. Hoc tamen commodum auxilium, ut innoxium uſum obtineat, eaſdem ponderationes, quas *antec. num.* 8. jam dedimus, obſervare debet. Cum enim a Natura, alibi vergente, non expetatur, inopportuna, imo & noxia Diaphoreſis evadit, ut de Diureticis dictum eſt. Item cum Diaphoretica non ſuppari energia æque polleant, alia enim Alkalino, altera Acido ſchemate ſignantur, ideo non omnia febribus omnibus indifferenter conveniunt, ut pariter *n.* 9. de Diureticis ſupra expoſuimus. Quamobrem ut caute Juniores incedant, in duplicem claſſem eorundem genus diſtri-

Diaphoreſis energia.

Sudoriferi uſus cautiones.

ſtribuimus; & primo Alkalina Sudorifera, maxime volatilia, quorum vis eſt, ſanguinem attenuare, ac fundere, in Ardentibus, & Colliquativis febribus exhibere non decet, cum ad ſanguinis colliquationem una cum intimo febris fomite conſpirarent, quod veneno venenum adderet; in his ergo febribus Acida ſudorifera tuto uſurpantur; quia & ſanguinis conſiſtentiam reſtaurare, & Alkali noxium abſorbere, ac extra compellere valida ſunt; ſequentibus ergo frequenter in hiſce febribus utor, videlicet.

Sudorifera in ardentibus febribus. 13. ℞. *Aqu. flor Sambuc. Schorzoner. aa. unc. ij.*
de flor. Aurantior. unc. ſem.
Oxitartar. Diaphoret. noſtri drach. ij.
Extract. de bacc. Juniper. cum aqu. propr. facti ſcrup. ij.
Spirit. Vitriol. optim. gutt. xij.
M. f. Diaphoret. pro duab. Doſ.

Oxitartarum Diaphoreticum tali modo conficimus, videlicet

℞. *Tartar. optimè depurati unc. vj. Aceti Bezoard. noſtri lib j. M. in vaſe vitr. probe clauſo, & in BM. bulliant per diem integrum. Cum refrigerit Acet. effunde, exiccatumque Tartarum pulveriza, & ad uſum ſerva.*

Acetum pariter Bezoardicum ex Ther. Androm. unc. v. Camphor. Drac. j. ſem. Opii thebaic. Drach. ſem. (maximè cum Theriaca vetus ſit) Acet. de ſucco Berber. lib. iv. M. diger. per dies aliquot, & ſic brevi conficio.

Reliqua item in hac linea Diaphoretica, quæ frequenter præſcribo, talia ſunt.

℞. *Aqu. de ſucc. Acetoſ. Plantagin. major. aa. unc. ij.*
Tinctur. Bezoardic. acidul. Ludovic. Drach. ij.
Extract. Croc. oriental. gr. vj.
Syrup. de Rubo Idæo unc j.
M. f. Sudorifer. pro duab. Doſ.

Cum vero Bolus magis exigi videatur, ſequenti, vel ſimili ſæpius utor, videlicet.

℞. *Extract. Card. bened. Drach. ſem.*
de bacc. Sambuc. ſcrup. j.
Sulphur. Antimon. fixi Ludov. ſcrup. ſem.
Syrup. de Berber. q. ſ. ut f. Boli pro una Doſ.

Omnes enim Antimonii cum Nitro fixationes in ardentibus malignis, & peſtiferis febribus utramque paginam implent; cum & diaphoreticæ ſint, & Acre veneficum dictarum fomitem abſorbeant, & per ſudorem eliminent. At cum ſitis (quæ in his ardentibus frequens adeſt) febrientem excruciet, ſudoremque erumpere conſpiciam, copioſum ſolamen aquæ fontis ſpirit. vitriol. acidulatæ permitto, vel ſequentem exhibeo.

℞. *Aqu. Card. ben. Acetoſ. aa. unc. iv.*
de flor. Sambuc. unc. ij.
Syrup. de Rubo Idæo unc j. M f. hauſt.

Sequentia pariter in Ardentibus hiſce, pro æſtus gradu, & colliquationis vi, plus minuſve inſervire Perito poterunt, videlicet.

Alumen diaphoret. Mynſichti, Cinnabar. Antimon. corallat. Tilingii.
Lapis Contrayerv. Batei, Materia perlata in Germania vulgaris.
Pulv. alb. bezoard. Ludovici, Albus alter Cantiani, Sal. Aceti eſſential. ex Capit. mort. Aceti deſtillat. extrahen.
Spirit. Nitri bezoard. Batei.
Spirit. ex bacc. Sambuc.
Spirit. Corn. Cerv rectificat.

Hæc ergo cauta manu tamen præſcribi poſſunt, ſed ad alia fortiora, quæ ſanguinis coagulationem diſſolvunt, nunc deſcendimus.

14. Alkalina vero Diaphoretica, in febribus, quæ magnum æſtum non oſtentant, quia ab Acido coagulante foventur, utiliter exhibemus; iſta enim ſanguinem attenuando, & fundendo, ipſum a coagulis redimunt, acidumque noxium abſorbendo, ſubactum per cutim eliminant; hujus ergo generis ſequentia ſunt. *Diaphoretica alkalina.*

℞. *Aqu. Card. ben. Scabioſ. aa. unc. ij.*
Sal volatil. Armoniac. ſcrup. j.
Mixtur. de tribus Paracelſ. Drach. ſem.
Syrup. de ſucco Scordi. unc. ſem.
M. f. Sudorif. pro una Doſ.

vel ℞. *Aqu. Bardan. compoſ. P. A. R. unc. j.*
Schorzoneræ unc. ij.
Sal volatil. Corn. Cerv. ſcrup. j.
Bezoard. mineral. ſcrup ſem.
Syrup. de ſucc. Card. ben. unc ſem.
M. ſimiliter pro una Doſ.

vel

vel ℞. *Sal Card.ben.ſcrup.ij.*
Corn. Cerv. philoſ. calcin. ſcrup.j.
Camphor. gr. iv.
Cum Syrup. de Scord. q.ſ.f. Bol. pro Doſ.

Plurima demum in hac linea extant Diaphoretica, quorum innumeram ſeriem compilare, brevitas noſtra non ſinit, nonnulla tamen celebriora præterire non decet; in Juniorum ergo commodum ſequentia, prout memoria dictitat, ſaltem innuimus.

Et primo Aquæ compoſitæ (nam ſimplices notæ ſunt) ut Aqu.alexipharmac. Zuvelfer. Aqu.Bardan.compoſit. Ph.Aug. Reſt. Aqu. Prophylact. Sylvii, Aqu. Theriacal. Donzellii, alia Charraſii, & alia Hofmanni, & ſimilia

Item Bezoardica tam Animal. quam Mineral. quæ pluries a Pluribus componuntur, ut Animal. ſimplex Hartmanni, & compoſitum aliorum. Sic & Bezoardicum mineral. ut Bezoard. Solare, Lunare, Martiale, Joviale &c. quorum omnium baſis Butyr. Antimon. eſt. Hinc Lapis Bezoar tam Oriental. quam Occidental. nobilior primus, ſed raro verus, ob doloſam Venalium impoſturam.

Item Confectiones Veterum, ac Recentiorum celebriores, ut Confect. Alcherm. vel Hyacinthin. cum Antimon. diaphor. aa. ad Drach.j. exhibit. ſingular. ſudorifer. eſt; item Electuar. Diaphor. Plateri, alterum Ludovici, aliud Camphorat. Kegleri, alter.diaphor. Hofmanni, ut & Theriacæ omnes, & cætera ejus Extracta.

Item Extracta plurima, ut extr.Angelicæ, Card. ben. Centaur. min. Juniper. & ſimilia, Extract. compoſit. ut Extract. Bezoard. Quercetani, Extract. peſtilential. Tychonis de Brahe, alter. Hofmanni, aliud Zuvelfer. &c.

Item Olea deſtillata nonnulla, ut Ol. Antimon. Ol. ex bacc Heder. deſtill. Ol. Camphor. verum &c. ſed quia in oleis acidum latitat, ideo in febribus iſtis uti non conſulo.

Item Salia plurima tam fixa, quam volatilia, ac eſſentialia, ut Sal Card. ben. Centaur. minor. &c. Eſſential. Abſinth. cum Bezoard. aliquo mira præſtat. Salia vero volatilia in hiſce febribus utramque implent paginam, cum & Acidas moleculas abſorbere, & ſanguinem ad motum concitare apta ſint: hujus cenſus ſunt Sal volat. Camphor. Armoniac. &c.

Syſt. Medic. Roſetti.

Item Spiritus plurimi, qui pariter acidum abſorbent, & præcipitant, in quorum linea præſtantiores ſunt Spir. Camphoræ, Corn Cerv. Bacc. juniper. &c. ſimiliter Spirit. compoſiti celebr. Dottor. inter quos & noſtrum ponere non ambigimus, cum experimentis plurimis nobilitatum ſit, quem conficimus ſic.

℞. *Spirit. Therical. camphorat. lib.j.*
Spirit. Corn.Cerv. Spir.Camphor. aa. lib.ſem.
Sal volat. Corn.Cerv. volat.Camph. aa. unc.j.
M. & deſtill. in MB. Doſ. Spirit. hujus gutt.x.

Tincturæ demum plures ad hoc opus aptæ ſunt, ut Tinct. Antimon. Diaph. Tinctur. ex Sulphur. Antimon. aurat. &c. ſimiliter Tinctur. Bezoardic. compoſit. ut illa Ludovic. alia Cnoffelii, altera Dolei &c. Sed hæc pro præſenti ſcopo ſatis eſſe poſſunt; nunc denique remediorum paginam volvimus, aliamque auxiliorum claſſem, non minoris aliquando momenti, luſtrare aggredimur.

CAP. VII.

De Phlebotomia.

1. PHarmaceutis expenſis auxiliis, ad Chirurgiæ remedia ultimo accedimus, quorum neceſſitatem tanti æſtimamus, ut plurimas febres abſque illorum ope abſolvi non poſſe credamus; methodica enim praxis hanc veritatem multis experimentis comprobavit. Quamobrem haud probe conſulunt, qui hanc auxiliatricem a febrium curatione proſcribunt, cum univerſale remedium non poſſideant. Noſcimus enim & nos, ſanguinem vitæ pabulum, & theſaurum eſſe, non facile, ut plures audent, aperta vena depauperandum, & profundendum; ſed & adhuc noſcimus, pluribus ejuſdem vitiis, niſi phlebotomo utamur, tuto occurrere, *Chirurgiæ neceſſitas.*

non poſſe. Non quidem abſque tuta methodo; ſolis Chymiæ ſpecificis, pericula tentare præſumpſimus; cum refutata venæ ſectione, repetitis etiam Jactatorum arcanis, paratas clades inſequi, non ſemel inſpexerim. Qui ergo *Helmontii* veſtigia premere credunt, cum rectum ejuſdem ductum neſciant, hic certo decipiuntur. Equidem tutam methodum ſequendo, certe ſcio, quantum in plurimis phlebotomia juvaſſet, & quantum neglecta nocuiſſet. Tuto igitur in febrium cura hoc auxilium, cum opportunum ſit, expetere arbitramur; at quando debitum ſit, in genere ſaltem perpendere, nunc intereſt.

2. Magnum Phlebotomiæ remedium, ſicuti cum *Helmontio* funditus abrogare, praxis non approbat; ita cum *Galeno*, *in omnibus febribus ſaluberrimum eſſe remedium*, ſtatuere, experientia improperat. Extrema utraque ſunt, quæ per arduas vias periculoſæ ducunt; contra primum Natura reclamat, quæ aſſiduis irruptionibus urgentem, ac turgentem ſanguinem per tot vias explodit, ſicque nos edocet, commotum illius impetum, aperto aditu, aliquando compeſcere. Hæc autem ratio, quæ in Helmontianos invehit, Galenicos, ſanguinem profundentes, non excuſat; cum nec tuta ratio, nec experientia ipſa in omnibus febribus phlebotomiam permittant, quod inter Veteres olim, diſſentionum tumultus concitavit. Dum ergo cum *Galeno* currere non decet; nec minus cum *Helmontio* adire Corinthum; tutius ergo Coacis inſulam petimus, magnumque in hiſce ambagibus *Hippocratem* conſulimus; hic, inquam, in omnibus fere libris ſuis, ad varios morbos, ſymptomataque tollenda, phlebotomiam celebrare, ſed cauta manu præcipit; adeoque nec omnino refellit, nec liberas habenas phlebotomo cedit, ſed intra urgentiæ limites claudit. Ideo in venæ ſectione tres conditiones requirit, prima *ſi vehemens morbus ſit*, ſecunda, quod *infirmus ætate floreat*, tertia, quod *vires ei adſint*, *lib. de vict. rat. in acut.* quo ſolito illius laconiſmo omnes cautæ Phlebotomiæ leges amplectitur, imo ſub determinatis legibus reſtringit. Hanc ergo tritam, ac tot ſæculis tutam compertam, viam premere, nobis decet; quomodo vero febrientes ad ſalutem ducat, indigitare adhuc ſupereſt. Dicimus itaque quod venam ſecare tunc intereſt, cum aperta neceſſitas urgeat; urgetque ſæpius, cum vel a retardato, vel a nimio ſanguinis motu, aut ab acerbo ſymptomate phlebotomia expetatur. Huic ſententiæ rationes non addimus; quia in dictis fluidorum vitiis nunc explicandis, perſpicuæ ſatis intuentur.

Phlebotomia non rejicienda.

3. Vitia ergo ſanguinis, a quibus propriæ venæ ſectio indicatur, ſub duplici genere facile reducuntur, nempe ſub Quanto, & ſub Quali. Sub quanto primum Seniorum plethora venit, qua voce nimiam ſanguinis redundantiam (tam *exquiſitam*, quam *notham*, ut dicebant) exponere conſueverunt; hæc autem Veterum cantilena apud Recentiores tandem ſiluit; adeo ut a plurimis, qui ultra meritum phlebotomiam refellunt, ſanguinem quantitate nunquam peccare, ſancitum ſit. Verum ut ſuum quiſque colat Palladium æque relinquimus; nos vero exauctam ſanguinis copiam facile intuemur, cum inter plurima, unicum ſaltem in *Excretis*, & *Retentis* vitium deprehendamus. Noſcimus enim certo, multa ſanguinis cum chylo ingeſta ſuperflua, per urinam, & præcipue per inſenſilem tranſpirationem perpetuo eliminari debere, cujus copiam *celebris Sanctorius in Statica ſua* exacte ponderavit, ut conſtat *ſect.* 1. *aph.* 56. 58. 59. & præcipue *aph.* 60. ubi ſic habet. *Pluribus unica die naturali per inſenſibilem tranſpirationem tantum evacuatur, quantum per alvum quindecim dierum curſu.* Itaque ſola impedita perſpiratione, quantam ſuperflui copiam in fluidis perſiſtat, ex multo perſpirandi retenti pondere, facile deducitur; hoc ergo plus ſolito auctum ſanguinis pondus, copiaque ſuperflua vaſorum diatrum extendere, naturales preſſionum, & reſiſtentiarum energias, ſeu ipſorum commodam dilatationem, & conſtrictionem præpedire; adeoque debitas omnes inter ſolida, & liquida tam equilibrii, & proportionum leges, quam naturales preſſionum, & reſiſtentiarum, ac projectionum regulas evertere certo debent. Hanc ergo auctam fluidorum copiam, cum Naturæ tolerantiam deprimat, vitiatam

Sanguis quando V. S. petat.

tiatam ſanguinis quantitatem veraciter nuncupare, ac diminutionem expetere, tuto arbitramur. Nam ſæpe ſæpius, niſi diminuatur hic ſanguis, nec debitæ motuum celeritati, nec functionum vitalium exercitio æque, & recte inſervire, aptus eſt; unde & corporis languores, & febres etiam invadere, ſæpe conſpiciuntur, quarum in hac linea plurimas ſola phlebotomia abſolutas vidiſſe me, æque, & ſancte confiteor.

Sanguinis turgentis vitium. 4. Altera, priori aliquando deterior, ſanguinis plenitudo, non ab illius exaucta copia, ſed a nimia Turgentia, ſpeciatim exoritur; ab ipſo enim plus debito luxureſcente ſpiritu, tota ſæpe maſſa tumeſcere cogitur, & licet inter congruam continentium capacitatem, & contenti quantitatem equilibrium ſervetur, Enormonticus tamen orgaſmos ultra limites maſſam exagitans, (uti vinum intimo vigore ebulliens) vaſorum parietes nondum diſtendit, ſed non raro etiam infringit, ut turgentiæ aditum faciat. Hoc paſſim plurimæ, non facile compeſcibiles, hæmorrhagiæ ad oculum oſtendunt; hoc item in Iracundis nonnullis aperto lumine inſpicitur; novimus olim virum, qui quoties iraſcebatur, toties in narium hæmorrhagias, difficillimè ſiſtendas, incidebat, tandemque per ipſam, validis nullis remediis obedientem, ſuffocatus deceſſit. Simili cauſa Valentinianus, & Nerva Imperatores, ab impenſa nempe iracundia, primus *ſanguine irrumpente animam exhalavit*; alter in iræ impetu, *febre exitiali correptus interiit*, ſic de utroque Hiſtoricus refert; ſimiles caſus plurimi in *Officina Textoris l.2. cap.*60. perlegi poſſunt. Concludamus itaque, quod a quavis cauſa ſpiritus ad exploſionem concitentur, illico ſanguis tumeſcit, ſæpeque vaſorum anguſtiam non ferens, illos diſſilire ſueſcit; quæ ſanguinis turgentia, illius redundantiam pejori omine ſuperat, cum aliquando repentinam ſuffocationem moliatur, ut in ſupra dato iracundo inſpeximus. Utrumque tamen ſanguinis vitium opportunam expetit diminutionem, in priori nempe ut copia, in altero ut turgentia imminuatur.

Vitium alterũ ſub quali. 5. Sub Quali vero, cum ſanguinis mixtio examinari debeat, apprime Veterum Cacochymia ſe offert; hæc tamen ſi vitiatam ſanguinis in moleculis componentibus mixtionem exponat, non claudo ſtabit talo. Mixtura enim ſanguinis a minimorum componentium proportione derivat; quod olim adhuc indicavit *Hippocrates libr. de veter. medic. num.* 24. *&c.* docens, *Ineſſe in homine* (h.e. in ſanguine) *amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & alia infinita, omnigenas facultates habentia, copiamque, ac robur; atque hæc quidem juxta, & inter ſe temperata, neque conſpicua ſunt*, (ecce temperata craſis) *neque hominem lædunt*; *ubi vero quid horum ſecretum fuerit, atque ipſum in ſeipſo fuerit*, (ecce Cacochymia, ſeu vitiata mixtura) *tunc & conſpicuum eſt, & hominem lædit*. His ergo verbis & ſanguinis naturalem mixtionem ab indefinitis, & minimis heterogeneis ſimul, & æque contemperatis manare; & mixtionis everſionem in earundem moleculàrum præpotentia, ſeu improportione, & exaltatione conſiſtere, apertè docet. Et certo quidem, cum harum aliquæ ab aliis ſegregentur, ac ſenſibiliter conſpicuæ fiant, illico mixtio violatur; particulæ enim exaltatæ, omnes propriæ indolis niſus exerunt, ſicque ſanguinem proprio vitio contaminant. Verum ſeparabiles particulæ iſtæ cum variæ, ac multiplices ſint, illas duntaxat pro inſtituti debito nunc inquirimus, quæ phlebotomiam in febribus indicare poſſunt.

6. Primo itaque in hac linea ſe offerunt moleculæ ſalino-ſulphureæ, quæ paſſim in bilem glomerantur, & excandeſcunt, hæc, inquam, plus æquo ſolutæ, ac inter cæteras exaltatæ, utpote celerrime mobiles, ac inflammabiles, totam maſſæ texturam commovere, attenuare, & diſſolvere, natæ ſunt; unde concitati ſæpe ſpiritus, ut eaſdem eliminent, febris machinam ad opus vocant. Verum cum particulæ ſalino-ſulphureæ non ſine magna ſanguinis commotione (quæ & ab illarum excandeſcentia, & a vehementiori ſpirituum impetu exaugetur) deſpumari queant; ideo febres hac occaſione inductæ, ardentes perſæpe ſunt, ſanguiniſque diſſolutionem minantur. Quamobrem tempeſtive in hiſce febribus venæ ſectio expeti- *Quænam hic phlebotomiam expetant.*

peti-

petitur, ut aperto aditu, non pauca tumultuantium particularum portio excundo, ſanguinis ſubverſio imminens, primo artis auxilio divertatur, enervata ſic reluctantium vehementia, non tam atroces paroxyſmos invadere, ſæpe obſervavimus. Alterius generis, ſanguinis texturam evertentes, Acidæ particulæ ſunt; hæc enim ſi copioſius in maſſa cumulentur, ac exaltentur, propriam vim exerendo, alkalinas cæteras figere, ac in majores moleculas ſimul coagmentari, & excreſcere, ſicque ſanguini fluiditatem adimere, & inde coagulationes inducere, natæ ſunt. Hæc ergo quantum ſanguinis motum ſufflaminent, & Enormonticam impulſionem præpediant, febres, ab ipſarum occaſione inductæ, demonſtrant; quæ pro majori Acidorum copia, licet minus ardentes, non minus tamen exitioſæ comperiuntur; ideo ut coagulationis, ſanguiniſque ſtagnationis periculum evitetur, vitiatæque mixtioni conſulatur, nil recte cenſetur, phlebotomia opportunius, quæ totius maſſæ celeriorem circuitum promovendo, & craſſas ex motu particulas attenuare, & vitiatam mixtionem ad correptionem diſponere, facilius poteſt. Hæc demum præcipua ſanguinis vitia ſunt, quæ in febribus phlebotomiam exigere ſolent.

Phlebotomiæ Cautiones

7. Verum non tuto ſemper Venæ ſectio inſtituitur, niſi prohibentia primo audiantur; cum unicum venæ vulnus, ex quavis parte indebitum, ſæpe exitioſum eſſe poſſit; ideo caute ſemper ęgrotantibus, nobiſque pariter conſulere tenemur. Cenſere itaque decet, quod in ſanguinis cauſa judicaturus Medens, inaudita parte ſententiare nequit; partem autem præ cæteris primam Ægrum eſſe, *Hippocrates loc. ſupr. citat.* jam denunciavit, docens. *In acutis affectibus ſanguinem detrahes, ſi vehemens morbus ſit, & Infirmus ætate floreat, vireſque ei adſint*; de vehementi morbo, qui pars altera eſt, ſupra jam verba fecimus, nunc vero. Ægri ætatem, vireſque examinare intereſt, merito quidem; nam ſicut in quavis ætate (puerili, & decrepita exceptis) conſtantes vires perſæpe adeſſe; ita in ipſa etiam florente aliquando abeſſe poſſunt; ideo utraſque febrientis conditiones cautus Magiſter inſinuat. Cum ergo venæ ſectio de vitali theſauro aliquid ſemper adimat, Vires ideo præſentes primo ſimulque futuræ conſiderandæ ſunt. Equidem ſicuti debiles actu vires phlebotomiam haud tolerant, ita futura, imminenſque debilitas eandem refellit. Caute tamen hic prænoſcere intereſt, an præſens, futuraque virium dejectio a ſanguinis ſtagnatione, quod ſæpe contingit, inducatur: tunc languor iſte phlebotomiam non recuſat; cum in hoc caſu vires ab emiſſo ſanguine haud ſuffurentur, ſed redimantur, ut ſuo loco expoſuimus. Similiter cum ſęvum Symptoma vitalis animaliſque vigoris oppreſſionem inducat, vires tunc dejectæ venæ ſectionem non prohibent, ſed repoſcunt, maxime cum per ipſam ab excrucianti ſymptomate liberentur. Hiſce igitur, ſimilibuſque exceptis, vires reſpicere ſemper eſt opus; cum generoſum phlebotomiæ auxilium haud ſaluti proſpiceret, dum ægrum, ab innato languore, debilem, vel a venefico morbo enervatum, magis adhuc venæ ſectio debilitaret. Hæc inquam, præcipua ratio eſt, quare in malignis febribus, quæ ocyter ſanguinem colliquant, ad phlebotomiam vel nunquam, vel raro deſcendimus; cum virium conſtantiam, non oppreſſionem ad victoriam uſque pugnando Natura requirat.

Coctionem non præpedire

8. Altera non minoris momenti conſideratio eſt; Coctionis opus importuna phlebotomia non pervertere. Sæpe enim contingit, nova (ut dicunt) emergente ac urgente cauſa, ſanguinis miſſionem præſto repetendam eſſe; ac non raro a vana conjectura ducti, nulloque habito coctionis reſpectu, in ipſo morbi incremento importune præcipiunt, ſicque ut ſæpe fallibilem conjecturam ſequantur, infallibile damnum inferunt, cum non morbi cauſam, ſed Naturam opprimant, quæ debilitata, neceſſariam illam (a qua ſalutis ſpes primario pendet) lędentium ſubactionem, vel diutius prorogare, vel prorſus dimittere cogitur. Potiſſima itaque cautela eſſe debet, ante coctionem Naturæ vires nunquam debilitare; plurimis enim experimentis conſtat, quod coctionis opus brevi greſſu abſolvitur, cum validum Naturæ robur ſit, contra vero tardius, vel nunquam,

cum

cum langueſcat ; & hæc præcipua ratio eſt , quare in veneficiis febribus raro nimis coctiones appareant, quia intimus vigor , a lædentis virulentia depreſſus , hoſtem tantum ſubigere nequit . Poſt coctionem pariter phlebotomiæ occaſio , ob ſymptomatum recrudeſcentiam , emergere videtur ; hic quoque cavendum eſt , ne imminentem Criſin venæ ſectio ſubvertat . Eodem enim tempore , quo Natura ſordium eliminationem molitur , intempeſtiva phlebotomia illius conatus pervertere poteſt. Nec dubitandum eſt , vehementem illam ſymptomatum exacerbationem , quæ venæ ſectionem ſuadere videtur , aliud eſſe (ut 2.*aph.*13. docemur) quam vehementem Naturæ conatum , pro critica deſpumatione eliminanda , inſtitutam ; ideo caute obſervandus , non interturbandus eſt, cum poſt coctionem, ut alibi ſatis oſtendimus, tutam ſemper criſin promittat , & abſolvat . Nec in praxi audiendi ſunt , qui criticos Naturæ motus critice nimis cenſurant ; quia quod ſagaciter improperare Apalæſtritæ nituntur , Periti omnes, in praxeos palæſtra ſæpius comprobatum intuentur.

Nec Criſes evertere.

9. Ultima denique conſideratio eſt , phlebotomiam in Ardentibus febribus , cum opportuna dignoſcatur , nunquam procraſtinare, ſed in ipſo morbi limine primo inſtituere ; & quia vigens Natura facilius tolerat , & quia ſæpius a ſecta vena febris vehementiam, ſævaque ſymptomata ſenſim imminui , pluries vidimus ; contra vero cum ad tertiam diem prorogata fuit , & multam virium dejectionem , & nullum febris , nec ſymptomatum levamen frequenter inſpeximus . Prima ergo febris die, cum poſſit , inſtuendam eſſe , cenſemus ; novimus enim ſæpius ardentiſſimas febres in ipſo exordio a venæ ſectione pene devictas, etſi magno vehementiæ, ſymptomatumque apparatu ipſa prima die ingruiſſent ; facilius enim eſt , favillas excandeſcentes , quam factum incendium , extinguere , & cum diutius abſque prompta caſtigatione ſanguinis concitatio ferocire permittatur , difficilius quidem , ſæpeque nunquam compeſcitur . Reliquæ demum ponderationes , quæ phlebotomiam tutiorem reddere ſolent , ut anni tempeſtates , aeriſve preſſiones , loca mari , vel montibus proxima , cæteraſque circumſtantias , quas perpendere in qualibet venæ ſectione haud parum intereſt , cum nimis prolixas digreſſiones requirerent , pro nunc Peritis dimittimus . Hæc tandem generice perſpecta inſtituto huic ſatis eſſe poſſunt ; nunc pariter inquirere decet , quid ſentiendum ſit , de reliquis Chirurgiæ auxiliis, nempe.

In ardenti febre V. S. regula.

CAP. VIII.

De Cucurbitulis , Hirudinibus , Veſſicantibus &c.

1. Cucurbitulæ ſcarificatæ , ac Hirudines , quia communia plus minuſve cum venæ ſectione habent indicantia , ideo ſanguinis evacuationi deſtinantur; ipſas ergo, vel ut phlebotomiæ vicarias , cum venam aperire minus liceat , ad uſum vocamus; ſic pariter vel cum Naturæ impulſionem ad cutim vocare, aut a ſuperioribus ad inferiora ducere , vel alicui ſymptomati occurrere, eſt opus , illis utimur; plurima enim in febribus beneficia ab ipſis obtinuiſſe , ipſa praxis perſæpe comperiit ; improbe tamen uſis maleficia duxiſſe etiam compertum fuit , cum ex vana indicatione deductæ , non auxilium, ſed perniciem ſecum induxiſſent. Quamobrem unicam ſaltem in eorundem uſu cautionem hic quoque repetere eſt opus ; omni ergo reflexione dignum eſt, quod ſæpe tam cucurbitulæ humeris , quam hirudines ſedalibus venis affixæ, imminentes criſes retardare, ſæpiuſque pervertere poſſunt; vidimus olim criſin per ſudorem inceptam , hirudinibus ano applicatis, ad ſævam hemicraniam divertendam , illico evaneſcere, febremque acutam quartadecima per ſudorem ſolvendam , in chronicam trium menſium degenerare, tandemque ſudore copioſo iterum abſolvi. Alterum ſimiliter vidimus , cujus criſin per urinas inſtitutam, cucurbitulis affixis cum ægri exitio ſubverſam . Hujus caſus recenſere Juniores nos urgent . Juvenis 29. annorum in hyeme acuta febre laborans , ſeptima die ſigna coctionis exhibuit,

In harum uſu Cautio.

hibuit, ac nona, decima, & undecima uſque ad meridiem urinas multas profudit; undecimæ autem de ſero, ob criſin eadem die abſolvendam (ut arbitror) pejus habuit; ad conſultum eadem nocte vocatus, ob febris ingraveſcentiam occultæ malignitatis indicium aſſiſtens Medicus ſuſpicavit, ſcapuliſque cucurbitulas affigere, & ſcarificare, ac ſudoriferis uti debere inſiſtebat; hujus opinionem nulla ratione, (quæ apertam criſin per ureteres vergentem oſtendebant) diſſuadere potui; cucurbitulæ ergo ſcarificatæ fuere, cum æger nepos ejus eſſet, exinde vero urinæ profluvium evanuit, & quarta decima e vita deceſſit. Tanti diſcriminis eſt, Naturæ motus poſt coctionem divertere; monimentum pariter non negligendum, minus ſemper, ubi Natura docet, in proprio ſenſu perſiſtere; ſæpe enim fallax opinio, nec Medentum animæ, nec ægrotantium corpori prodeſſe poteſt.

Veſſicantium uſus expeditur

2. Veſſicantia, ſub generico Pyroticorum titulo Priſcis non ignota, inter Recentiores magnum, & indefinitum litigium adhuc ſervant; hinc inde enim Practicorum claſſes adverſa methodo pugnare audiuntur, aliqui illorum uſum ut infenſum condemnant, alteri proficuum eſſe contendunt; nos ergo, plurima experientia firmati, ultimos æque ſequimur, non quia nobis ignota ſint, quæ in veſſicantium horrorem afferuntur, ſed quia in recto illorum uſu fauſta ſemper experimenta obſervavimus. Punctum difficultatis eſt, quod ſæpe in quavis maligna febre, prohibentibus neglectis, facile nimis uſurpantur, illa non ſemper æqua lege ſuaſi, quod in hiſce febribus tutum ſemper ſit, a centro ad peripheriam ducere, quæ per ſe bona regula, ſuas tamen patitur exceptiones, quibus neglectis, veſſicantium uſus innocuus eſſe nequit. Qui ergo veſſicantia refellunt, pluries etiam juvaſſe confiteri debent, etſi multoties adhuc læſiſſe contendant; hæc autem læſio invaſit, quia remedii hujus exceptiones incauti non dignoverunt; ſæpe enim colliquativa malignarum febrium occaſio illorum uſum recuſat, ſæpe item accenſa, vel frigida nimis aeris conſtitutio illorum plagas male tolerant, ſæpiuſque non ad cutim, ſed per alias vias febres ſolvere Natura molitur; ideo in hiſce, ſimilibuſque circumſtantiis veſſicantia ſæpe lædere concedimus. At cum prohibentia haud vetent, & indicantia æque petant, ut cum ex. gr. petechias, morbillos, variolas, cæteraſque ad cutim expellendas malignitates, vel ſegniter nimis erumpere, vel expulſas retroferri videamus, tunc inter alia remedia, veſſicantia ſimul advocare, periti Medentis erit; ſed hæc omnia *ſequ. lib. de febr. in ſpec.* reſervantur.

Cauterii uſus.

3. Cauteria tandem, ſeu Fonticulos ab Helmontio peculiari tractatu damnatos, ex laudabili Cordatorum experientia rectum uſum retinere poſſe, non denegatur. Celebris enim Chymiater ille arcanis ſuis utens, nec pyroticis, nec cauſticis indigebat; qui vero methodice curant, quodlibet rite inventum remedium ad opus revocat; & certo quidem nondum chronicos morbos, ſed & contumaces febres hoc auxilio debellatas fuiſſe, obſervationes plurimæ teſtantur; ipſa pariter Natura hoc idem inſinuaſſe videtur, cum per tibiarum ulcera ſanguinis recrementa eliminare, ſæpe ſueſcat; quæ inquam cum ab Imperito claudantur, valetudinem decedere, ſæpeque mortem vocare, obſervatum eſt. Opportunum ergo fonticulorum uſum non improperandum, abuſum vero frequentem vitandum eſſe cenſemus, maxime quia & Catharrorum deliramenta ſanior doctrina evacuavit, & mitioribus remediis Ars noſtra fæcundior hodie ſit, & quia noſcitur, quod fonticulorum lacrimæ ſanguinis, ac ſucci nutricii colliquationes certo ſunt. Non negamus autem ſordes etiam plurimas per hos aditus Naturam ſæpe detrudere, ut Practicorum obſervationes teſtantur; in qua linea etiam nos vidimus, primo Veſtalem virginem, tertiana febre ultra tres annos laborantem, ſolo fonticulo ex potentiali cauſtico ſibi aperto intra menſem convaluiſſe. Similiter ſenem ruſticum a diuturna quartana per cauterium, a quodam Chirurgo factum, liberatum inſpeximus. Item Artificem quandam novimus eodem ſolo remedio a contumaci quartana redemptum. Sed quid ultra ineſpectatas curationes teximus;

mus ; cum ſatis notum ſit , quod non raro contumaces morborum fomites per extravagantes vias eliminare Natura potiſſima medicatrix ſueſcat.

Hippocratis leges commendantur. 4. Ultimum tandem hujus genericæ Curationis monitum Initiatis repetere , ac firmare , non dimittimus: videlicet, quod qui tutam praxim excolere cupit, ab *Hippocratis* dogmatibus nunquam diſcedat ; cum nova in arte noſtra tentare pericula , & a Coacis peritia diverſa dogmata innovare, ſeculorum exigat experimenta ; hippocratica vero doctrina per duo annorum millia, & amplius tuta ſemper comperta fuit; & licet Compilatores plurimi ad proprias hypotheſes firmandas divini Senis mentem extorquere laborarunt; tamen extra omnium commenta ſatis quidem perſpicua , ſatiſque recta illius dogmata clareſcere ſemper , ſemperque tutas medendi methodos dirigere , in Ævum comperietur . Potuit equidem Anatome , & Chymia , potuit & Mechanica ſimul illius doctrinam perficere , novas autem , ſed tutas , praxeos leges fundare , haud ſatis potuere ; quod ſi Aliquis curationum apicem Pyrotechniæ ignibus detexiſſe gloriatur , rara Phœnix fuit , hæredem ſui nullum relinquens ; illumque ſequi , nemini decet , cum illius opes non poſſideat . Qui ergo methodice curare ſtudet , Perito in arte ſtare debet . Hic quidem proprios Naturæ niſus in morbis dignoſcens, pro univerſali regula primo, qua potiores medendi methodi partes diriguntur , ſic æque ſancivit ; *Naturæ ſunt morborum medicatrices* . Et ratio potiſſima eſt ; quia corpus vivens, non cadaver , medicari in morbis repoſcat; corpus enim ſanabile ab intimo vitæ , motuſque principio primario moderatur , cujus munus eſt , lædentem materiam a ſana ſeparare , (quæ Hippocratis coctio dicitur) & ſeparatam per commodas ſibi vias eliminare , (quæ Criſis ab illo vocata fuit) quæ veritas perpetuis experimentis confirmata , illius medendi methodis firmiter credere, nos cogit ; ut cum præcipit 1. *aph.* 20. Quæ a Natura medicatrice judicata ſunt integre , neque movere , neque novare aliquid , ſed ſinere . Sic item cum languida motio intima ſeparatas jam ſordes tardo molimine depellat , auxiliator Medens non aliorſum , ſed quo maxime natura vergit , per loca conferentia eo ducere debet . Sicque demum quæ a naturali niſu non adhuc ſeparata , & præcipitata , ſeu ad promptam eliminationem diſpoſita non ſunt , movere non decet ; Concocta enim medicari, atque movere, non cruda , modo non turgeant, ab ipſo præcipitur, quæ inquam, ſimiliaque illius dogmata , quanto in bona praxi tutiora ſunt , tanto quidem cautus Medens obſequi tenetur . Qui vero arbitrario ductu Coacis leges parvi , nihilve pendit , ſæpe ſæpius ipſos , ægroſque ſimul decipere inſpeximus . Hic ergo, ſicut in cæteris , non nimium ſapere , ſed cum Perito ſapere , ſemper juvabit; ſic tandem univerſam Febrium inquiſitionem , curationemque in genere luſtratas , termino claudimus ; & ad Febrium ſpecies , ut inſtituti ſcopus eſt , DEO benedicente , accedimus.

LIBRI II. PARS III.

DE FEBRIUM DIGNOTIONE, ET CURATIONE IN SPECIE.

PRÆFATIO.

1. AD ſpecificam Febrium dignotionem, & curationem, Deo favente, nunc accedimus; Febris vero licet unicam ſemper in ſingulis naturam ſervet, diſpares tamen ipſius invaſionis, & durationis, ac acerbitatis modi Proteiformem indolem oſtentare videtur. Ideo Græca ſedulitas numeroſas febrium legiones ampliare ſtuduit, ut omnes illius invaſiones proprio vexillo diſcriminaret. Verum ſingulas a Priſcis multiplicatas febrium ſpecies, hic deſcriptas inſpicere B. L. ne cogites; cum noſtram de febrium differentiis ſententiam ſatis jam expoſuerim. Ex unica enim intima cauſa quamlibet febrem manare ſemper, oſtendimus; ideo unicam a proprio fonte naturam omnes derivare debent. Tot ergo ſpecificas, ut dicunt, febrium differentias ad vetuſtatis caligines relegamus. Nec obſtat, quod variæ febris figuræ, diverſo ſæpe vultu illudentes, varias naturas effingant, ambiguaſque progenies oſtendant; quia externæ facies ſunt illæ, quacumque occaſione variantes, dum intime ſemper unica, ſemperque eadem ſit Febris. Nec recte opponunt, quod in illarum curatione, nunc una, nunc alia methodo, ac ſæpe contraria Medentes uti cogantur. Quia differentibus auxiliis non directe in ipſam Febrem, ſed illius occaſionales fomites eliminare nitimur; ſicque concitatum Enormon, depulſis irritantibus, placare. Sine dubio enim Naturæ machina febris eſt, cujus niſu ſanguinem a ſordibus depurare molitur; Medens ergo non contra ipſam, cum illius Auxiliator ſit, ſed contra occaſionales hoſtes purgantibus variis decertare contendit. Cum autem febris machina non depurationem, ſed ſanguinis diſſolutionem intentare, oſtendat; tunc pro concitati ſpiritus impetu, vel febrifugis, vel compeſcentibus aliis, præcipitem concitationem refrenare conatur.

Non tamen hæc tuta dignotio ad ſingulas febres curandas æque ſufficit, cum diſtincta cujuſque medela ſingularem de ſingulis notionem adhuc repoſcat; ideo eaſdem in proprias claſſes diſtribuere, omniumque indolem diſcriminare convenit; cum varia lædentium vehementia, aut virulentia diſpares etiam medendi methodos exigant. Primo itaque Febrium univerſitatem in Simplices, & Veneficas, alibi jam diviſas, ſpecifico titulo expendimus; ſub primo nempe genere Intermittentes apprime dignoſcere, & curare oſtendimus. Iſtarum autem claſſes, inutili Priſcorum tedio, in commentitias ſpecies dividere, diſtinctaque diſquiſitione, ac methodo ſingularem medelam affectare, minime placuit; cum ſatis hodie fictitios humores a ſanguine depulſos, febreſque fovere, haud amplius audiamus. Satis olim ſimplices quotidianæ, cum tertianis duplicibus con-

confuſæ , inter inſulſa diſſidia Humoriſtas agitarunt . Quacumque ergo die febris recurrat , dum occaſionalis fomes non variat , Quotidianæ , Tertianæque titulus medendi methodum non immutat ; ideo ſub unica Intermittentium claſſe omnes hujus generis manipulos comprehendimus; una excepta Quartana, cum ob contumacem fomitem curationi reſiſtat , propria medicationis lege a reliquis diſtingui , ac ſubigi meruit.

Continuæ item febres , quot fæcundas propagines ſub Veterum cultura pullulaſſent , illarum nominum ſylva adhuc oſtendit . Recentiores autem inutiles hoſce pampinos amputare ſtuduerunt ; cum ſuperfluas harum differentias, quæ Practicorum mentes inaniter fatigabant , & a commentitiis indicatis curationem petebant , merito quidem oblivioni dediſſent . Nos item , quia febres omnes a vitali fonte promanare dignoſcimus , omneſque unicam tantum naturam habere, non ſpecie quidem , ſed contingenti acerbitate , ac duratione inter ſe differre ſancimus ; cum nempe magis , minuſve ſpirituum impetus exaſperetur , aut ſanguinis ſordes plus, vel minus eliminationi reſiſtant ; hiſce febrium modis propriam curationem aptare fategimus ; præcipue tamen cum divino Sene Acutiſſimas ab Acutis diſtinguere , ac utraſque diſtinctis , appropriatiſque auxiliis relevare ſtuduimus . Priores enim ocyter nimis de vita , & morte decernunt ; alteræ vero ſimpliciter acutæ ad quartam decimam , & vigeſimam adhuc diem tranſcurrere ſæpe ſolent ; has ergo breves , longaſque periodos medendi leges plurimum diſcriminare , cum Hippocrate ſentimus ; ideo cuique debitas ponderationes , curationeſque tribuimus.

Poſt Simplicium genus , Veneficum alterum expendimus , in cujus ſcrutinio duplicem malignarum fomitem (in prima hujus libri parte detectum) duplici capite proprio cuique titulo inſcripſimus , ac utraſque veneficas pro viribus dignoſcere , & curare ſtuduimus . Inter veneficas item Hecticas, & Scorbuticas febres computavimus , iſtæ enim per venenata miaſmata ſæpe communicantur ; at quia non ocyter , ſed ſenſim interimunt , ideo chronicas veneficas nuncupavimus , ac utrique determinatas medelas perſolvimus. Utinam labor iſte tibi gratus evadat ; meum enim hic eſt , Hippocratem ſequendo , arduam Medicinæ praxim in Febrium ſtadio peragere ; tuum vero erit , conatibus fruere meis, & deliquiis , quibus humanitas ſubjacet, clementi animo ignoſcere ; æquum enim eſt , ut dum tibi ſervire ſtudui , tu mihi etiam faveas . Vale.

CAPUT PRIMUM.

Medentis munia expenduntur.

Hippocrates ductor. 1. CUm ex mente ad opus, ex theoria ad praxim deſcendere oporteat, ut hoc maximum, Medicinam complens, opus Hippocrate ductore perficiamus, ejuſdem monita inſequi apprime duximus; ut ſaltem Initiatis, qui tutam, jucundamque Artem profiteri cupiunt, utile officium perſolvamus. Primo itaque, cum ad Ægrum accedere contingat, in operis initio, Hippocratis monitum diligenti examine adimplere intereſt. Docet ergo Ipſe *lib. de affection. text.* 36. *Cum ad Ægrotum deveneris, interrogare oportet; quæ patitur, & ex qua cauſa, & quot jam diebus, & an venter ſecedat, & quo victu utatur?* His igitur inquiſitionibus Ægrum, & Aſſidentes examinare oportet ut integrum, ac rectum de febre illa judicium decernere, medendique methodum appropriatam inſtituere, tuto noſcat. Hæc ergo ſingula, ut perſpicua fiant, probe perpendere decet.

Febris inquiſitiones 2. Prima igitur interrogatio eſt. *Quæ patitur Æger?* Ex hac inquiſitione febris idea primum; & inde ipſius invaſionis modus, nempe cum horrore, vel frigore, aut ſine ipſis; & concomitantia ſymptomata, ut Capitis dolor, Vomitus, Sitis, cæteraque ex reſponſis elucefcunt; cognitis hiſce, altera interrogatione utimur, nempe. *Ex qua cauſa?* ſeu ex qua Procatartica origine? quæ Ægrotanti, vel Aſſiſtentibus nota ſit. Hæc ergo in abuſione ſex rerum non naturalium præcipue conſiſtit; ut ex. gr.

1. Si Aeris frigidæ nimis, vel nimis fervidæ, aut maleficis effluviis infectæ abuſio ſit?

2. Si in Cibo, & Potu error notabilis, multam læſionem inducens, anteceſſerit?

3. Si ex violenti motu, vel nimia quiete non ſolita, occaſionem duxerit?

4. Si Somno longius indulſerit, vel Vigilias ultra naturæ tolerantiam protraxerit?

5. Si Excernenda, ut fæces, urina, menſtrua, hæmorrhoidalia, ſemen &c. vel nimis largiter, vel parce nimis in excretionis modo vitiata fuerint?

6. Tandem ſi ab aliquo Animi motu, vehementique pathemate, agitatus ſit? Ex his ergo quid febrem anteceſſerit, ut occaſionalem impulſum expendere intereſt; cum ad legitimam febris ideam concipiendam, non parum conducat. At ſi nullum in hiſce procatarticis delictum febrem præceſſiſſe, intelligatur; Patientiſque nulla de intimis affectionibus querela audiatur; tunc inquinatum illius ſanguinem eſſe, primo conjicitur, ad quam conjecturam firmandam, Febrientis conditionem, febris apparatum, pulſus, ac urinæ, cæterorumque indicia, & Aeris in illa tempeſtate circumſtantias conferre ſimul oportet; ſicque illius febris fomites minus obſcuri aſpiciuntur. Hæc primo ad febris dignotionem aſſequendam indicavit Hippocrates.

3. Tertio quæritur, *Quot jam diebus* Æger febricitet? Supponit hic poſt plures febris dies Medentem vocatum eſſe, ſic ex præſenti, quam videt, periodo, præcedentes recolligat, ſimulque febris tempora dimetiatur, & an principium, vel incrementum, aut vigorem percurrat, mature dignoſcat; hinc illius motum, durationemque prænoſcere, & an acuta, vel chronica eſſe debeat, prænunciare ſciat. Si vero prima die vocatus ſit, febremque vel mitem, vel acerbam, aut acerbiſſimam videat, de futuro illius curſu, ac termino definire, acerbitatis gradus, ægri conditiones, aeris circumſtantiæ, cæteraque adjacentia, ſimul connexa docebunt. Hinc ab his omnibus æque perpenſis, indicationes curativas deducere, ſequentes etiam inquiſitiones adjuvant. Quartum quæſitum eſt; *An venter ſecedat?* ex quo adhuc non parvum in medendi methodo judicium deducitur; cum ab alvo vel nimis aſtricta, nimiſve fluente, varias medendi regulas expeti di- *Febris prognoſis & curatio.*

gno-

gnoſcatur ; docuit enim paſſim peritus ille, quod in primis viis morborum fomites frequenter latitant ; ideo ventris dejectiones non omiſit. Quintum denique eſt ; *Quo victu utatur?* quod ultimum in ordine interrogationis, primarium in methodo directionis eſt, cum victus ratio indicationis vitalis materia ſit. Plurimum enim ad vitale robur firmandum, vel infirmandum, decens, vel deficiens victus contribuit; ideo hic ex cibandi conſuetudine ipſam vitalium virium ponderationem deſumere, inſinuat ; ut inde curativas methodos ad illarum exigentiam moderari noſcat. Inquiſitionibus abſolutis, ac pulſibus, urinis, cæteriſque, cum opus ſit, mature perpenſis, quid certum de febris conditione ſentiendum ſit, quidque de auxiliorum ſelectione determinandum, attenta mente revolvere, ac deliberare intereſt. Et primo febris ideam ex enunciatis colligere, ex qua deſumptum prognoſticum elicere, juxta quod quas vitales, quaſque curativas indicationes deducere, ipſiſque tutam medendi methodum adaptare, tandem eſt opus.

Medicinæ pericula exponuntur. 4. Curationem denique aggreſſurus Medens, ut tutiorem pro viribus perficere aſſequatur, ad Artis pericula, *ſect.* 1. *aph.* 1. deſcripta, reſpicere ſemper, non negligat. Ibi enim & arduam Medentis operationem, & Febrientis obedientiam, & Aſſidentium cooperationem oſtendit ; cum alterutra delinquens, medicinæ opus diſperdat ; hæc inquam omnia brevi ſaltem greſſu percurrere Juniorum expectatio requirit. Primo igitur Medentis pericula expendimus, quorum præcipuum, quod ſæpe Artis conatus deludit, *Occaſio præceps eſt*. Potiſſimum enim Artis noſtræ penſum, tempeſtive opportunitatem noſcere, & illico ſumere, ne remedii occaſione dimiſſa, morbus inde vel diuturnus, vel incurabilis evadat. Hinc divinus Senex repetit etiam *libr. de præcept. text.* 1. *Medelæ tempus eſt, in quo occaſio eſt, occaſio vero in quo tempus non multum*. Profecto in febribus acutis, & maximè acutiſſimis, brevis agendi opportunitas emergit, poſtquam occaſio calva deludit, elapſumque tempus, non revertitur. Ideo improbe ſibi, ſuiſque Ægrotis conſulunt, qui ſæpe

Occaſio præceps.

conſueto verbo illos relinquunt, *videbimus quid in craſtino* ; cum procraſtinare, dum agere oportet, imo ſæpius per horam *tardare in talibus malum ſit*. 4. *aph.* 10. Contra vero nec æque plauditur illis, qui quavis die auxiliorum fertilitatem oſtentantes, nullam viſitationem ſine remediorum novitate relinquunt ; ſicque nimis officioſi ſæpius officiunt, cum non raro Naturæ niſus, quibus ſibi proſpicere molitur, pharmacorum copia præpediat, ac evertat. Tempus ergo medicationis nec præterire, nec pervertere, providi Naturæ Auxiliatoris penſum eſt. Hinc Juniores noſcunt, quod non minus inopportuna remedia, quam opportunæ occaſionis omiſſio lædere poſſunt ; extrema quippe ſunt, utraque periculis plena.

5. Alteram non minoris formidinis offenſam, in Therapeutica ordinanda, *Experimentum periculoſum* eſſe, peritus Senex denunciat. Equidem Artis auxilium quodlibet, etſi ſæpe proficuum compertum ſit, ut ſemper innocuum evadat, nemo Peritus a periculis nos eximere poterit ; cum Ægrotantium idioſyncraſias, naturæque reluctantias noſcere, abſque compertis experimentis, nemo poſſit. Novimus olim Comitem, qui ab unica Mannæ uncia hypercatharſim patiebatur, & ab uncia Sennæ parum deiciebat ; ſic alios aliter a purgantibus affici, ſæpe dignovimus. Quamobrem arcanam illam in omnibus divariantem humanæ machinæ diatheſin, ab hoc, vel ab alio remedio diverſimode affici poſſe, minime ambigitur ; ideo periculoſum Artis experimentum eſſe peritus Magiſter nos inſtruit. Ut ergo caute incedamus, corporum circumſtantias cuique peculiares, quæ licet, ut *Galenus ad Glauconem* ſcribens, *pene incomprenſibiles ſint*, ſcibiles ſaltem cognitas habere convenit ; ſic etiam remediorum vires, effectuſque probatos, æqua lance perpendere ; temporum conditiones, plus minuſve pharmaca tolerantes, dignoſcere; cæteraque alibi expoſita, probe perſpectas habere intereſt, ut Artis experimenta æque tuta reddantur. Caveant demum Juniores ſectari illos, qui ſæpe in febribus nova tentare experimenta non pavent, quaſi vel expertis deſtituan-

Experimentũ periculoſum.

tuantur auxiliis, vel ignorarent, quod adhuc in tutis pericula ſæpe adſint.

Judicium difficile. 6. Alterum denique periculum, *Judicium* nempe *difficile*, nobis detegit *Hippocrates*. Medendi enim ſcientia, cum demonſtrativa non ſit, nullum judicium elicit, niſi a conjecturis deductum; & licet ex illis non temere arguamus, cum experimentis, rationique ſimul conjecturæ noſtræ innitantur; quia tamen varia ſemper circumſtantiarum congerie obruimur, ideo in morbi notione, & curatione difficile nimis judicium elicimus; & nunc maxime, cum tot ſyſtematibus variis Medicinæ cathedra loquatur. Diverſis enim principiis unicam febris ideam exponere, ac veritatis punctum tangere, difficillimum eſt; ideo plurimorum judicia, licet plauſibili locutione ornata, a recto deviare ſæpius obſervamus. Profecto a deceptione non ſemper immunes ſunt celebres etiam Practici, ut ex. gr. qui ab Acido vitioſo indefinitam morborum catervam oriri, moderno plauſu contendunt; cum in tot morbidis affectibus hoc acidum, a Duelliſtarnm hypotheſi firmatum, demonſtrari non poſſit; & in hoc unico decepto judicio præcellentes etiam Practici non raro aberrant. Hiſce igitur, ſimilibuſque plurimis aperte ſuademur, quam difficile ſit de morborum natura rectum judicium ſtatuere; ideo ut æque judicemus, & ſana doctrina, & tuta peritia nobis eſt opus.

Æger non obediens. 7. Hactenus quæ Medentem reſpiciunt divinus Senex expoſuit; *ſed nec ſolum ſeipſum præſtare oportet, opportuna facientem, ſed & Ægrum, & Aſſidentes, & Exteriora*; quibus verbis cætera non minori difficultate vitanda, pericula complectitur. Et primo ægrum auxilia reluctantem, ac præcepta ſpernentem, validis premere ſuaſionibus, providi Medentis eſt, & maximè,

Cum mora non tuta eſt, totis incumbere remis
Utile, & admiſſo ſubdere calcar equo.
Ovid.

Ubi enim præceps occaſio evaneſcit, ob Ægri renitentiam auxilia protrahere, exitio ſæpe vitam linquere eſt. Ideo & quæ divina, & quæ humana ſunt, ad reluctantem ſubigendum, revocare intereſt; ad quem ſcopum textum aliquod divinæ Scripturæ, ad hoc aptum, explicare, ut illud *Eccleſiaſt. cap.* 38. *Deus creavit medicamenta, & Vir prudens non abhorrebit ab illa*. In quo & divinum monitum, & humanum debitum, vitam ſervandi, exponere; imminentia morbi, non expugnati, diſcrimina enunciare, in quibus, cum ſui culpa, cadat, corporis, & animæ damna pandere, & publicam imprudentiæ notam ante oculos ponere, opus erit. Inſuper & opportuna ſolatia promittere, ac ſecurum reddere, quod levis remedii pœna omnium erit medicina pœnarum. Demumque fidem facere, ſemper cum poſſit, ſibi ſatisfacturum fore, & in victu, & in auxiliis præſcribendis, illius genium exploraturum, placitumque ſecuturum. Hiſce demum ſimilibuſque ſuaſionibus Renitentes plurimos obtemperantes reddere, Deus dedit.

8. Aſſidentibus item obedientiam, in exequendis mandatis promptam, commendare oportet, ut horarias ordinationes adamuſſim adimpleant; cum autem negligentes cooperatores, juſſaque maxime urgêntia ſpernentes, comperiantur; inducta, vel imminentia ex omiſſis pericula exagerare convenit. Futurorum accidentium prædictionibus (cum tuto poſſit) illorum attentionem obſtringere, optimum erit; ægros enim, & Aſſidentes, ad obediendum diſpoſitos, rectum prognoſticum reddit. Tandem in hoc linea quid ipſemet agam, rectum eſſe arbitror; nempe cum pertinacem Aſſidentium inobedientiam comperiam, propria muneris authoritate fungens, (*qua & Regibus imperare Plato de leg.* docuit) contravenientes etiam Magnates formidare neſciens, modeſta, ſed forti objurgatione moleſta curationis impedimenta avertere curo; at cum nullam correctionem videam, ne ſimul cum ægri vita propria fama periclitetur, prudenti aliquo prætextu ab extorta medela me eximere ſtudeo. Noſco enim, tacitos Medentes, Aſſidentium errores abſque cenſura tolerantes, illos negligentiores reddere, unde vel ad exitium, vel in deterius morbi ducuntur; ſicque conſcientiam, & bonum nomen ſibi dilaceraſſe, non vident. *Aſſidentiũ obedientia firmanda.*

9. Ex-

Exteriora quæ ſint. 9. Exteriora demum prævidere, illiſque providere, cum poſſit, ultimo innuit *Hippocrates*; hæc autem omnia ea ſunt, quæ morbo, ægrotiſque adjacentia, ſeu externas circumſtantias eſſe dicimus, & facile, cum adſint, morbum gravare poſſunt, ut ex. gr. Cubiculum, quod in ardentibus febribus, ac ſub æſtivis ardoribus, Aquilonem reſpicere, melius erit; Cubicularii, & Clynici erga quos æger averſionem non nutriat; Lectus nec plumeis, nec gravibus culcitris in æſtu febrili, deliriiſque vigentibus, tectus ſit; cibaria nec incondita, nec nauſeabunda miniſtrare; ſimiliter omnia detrimenta, quæ morbi tempore contingere poſſunt, ægri paſſiones concitare; ſicque temporum conſtitutiones adverſæ, Lunæ phaſes, Equinoctia, & Solſtitia, cæteraque turbida emergentia, quibus pro viribus providere prudenti Practico etiam tribuit Hippocrates; & pro certo ad Medicum ſpectat, omnia removere, quæ morbum gravare poſſunt.

Medens gratus ægrotis. 10. Hæc demum fuere, quæ cum divino Sene tutam Medicinam facere poſſunt, nunc autem ut ſimul gratam, jucundamque reddamus, aliquid adhuc ponderare ſupereſt. Gratam igitur Medicinam faciunt Medicus, & Remedia; Medicus primo cum ſerio jucundas, amabileſque viſitationes ferat; ideo ad hunc finem ſingulas Medentis perſpectivas ad moderationis prototypum correctas voluit *Hippocrates lib.*6. *de morb. vulg. ſect.* 4. *Ægrotantibus gratificationes ſunt Ingreſſus, Sermones, Figura, Veſtes, Tonſura, Ungues, Odores*. Quæ inquam ad ægri conformationem omnia eſſe ſuaſit. Verum ſi hæc de corporis habitu, aſpectuſque elegantia, quid de mentis habitibus exquiſiviſſe *Hippocrates*, audi *Galenum in eodem lib. com.* 4. *Nos in libris ſuis edocuit, Medicum eſſe debere, doctrina, experientia, probitate, diligentia, & attentione præditum*. Medicus ergo tunc gratus evadet, cum ſana doctrina, ſimul cum experta peritia polleat; morum probitate clareſcat; unde a bono nomine omen bonum ſibi augurantur Patientes; ac omnem in medendo attentionem, plenamque diligentiam oſtendat; hæc demum propria integri Medentis inſignia ſunt; quæ apud ægros, & apud omnes gratum ſemper efficiunt.

Remedia ingrata vitare. 11. Ultimo tandem a Priſcis recedere cogimur, cum gratificationis opus integre perſolvere lubeat; nauſeabunda enim Veterum remedia, ingratam nimis medicinam reddere ſolent; ideo a plurimis Ars odioſa vocatur, quia nauſeatos calices epotare compellit. Faſtidita igitur, horridaque remedia, qui gratam facere Medicinam cupit, proſcribere omnino debet; cum ea, quæ fieri poſſunt per gratiora, non debeant fieri per ingrata; ne ſatis faſtiditos a morbo, medela etiam novas moleſtias adaugeat. Exulent ergo a nobis Apozemata ſæva, horridæque Potiones, ſtomachum evertentes, quæ febres non compeſcunt, ſed concitatam Naturam magis exaſperant; bene namque poſſumus, remedia non ingrata præſcribere, & curationis ſcopum æque attingere. Conſule primo Chymiam, quæ te meliora docebit; *hac enim qui caret, ſe habet ad verum Medicum, ſicuti coquus porcorum, ad coquum Principum*. Sic bene, etſi emphatice *Paracelſus*. Et certo quidem nauſeabundam remediorum molem in exiguas doſes reſtringere, chymia oſtendit, quæ ab inutili cortice liberata, multo efficaciora, minuſque incommoda eſſe ſolent. Conſule item Modernos emendatiores, qui ab odioſa Veterum pharmacia ſano jure abhorrentes, gratam, tutioremque medendi normam inſtituiſſe reperies, qua ſi recte uti addiſcas, nec te unquam pœniturum, nec ab ægris contempturum eſſe comperies.

Diætam, & Chyrurgiam moderari. 12. In Diæteticis pariter Ægrotantibus gratificari debere, debere, docuit *Hippocrates lib.* 6. *de morb. vulg.* cum ad gratam ſatisfactionem illis permittat, *etiam ea, quæ lædunt, ſed non valde, aut noxa, quæ facile corrigatur*. Hinc diſcant, qui nauſeatis juſculis ægros nutrire ſemper contendunt, cum haud nutriant, quæ a ventriculo reluctantur; *ſuavia ergo, etſi deteriora ſint*, 4. *aph.* 38. concedere docemur. Caveant ergo Medentes, ne nauſeata exhibendo, & ægros lædant, & odioſam medicinam reddant. Hoc idem ultimo de Chyrurgia docetur; hujus enim auxilia horridiora eſſe ſolent. Quæ ergo a Priſcis

ſcis non ſine ferro, & igne curabantur, mitius ſemper, cum poſſit mederi expedit; ſicut enim efferis remediis nunquam abuti debemus, ita quo parcius utimur, prudentius agemus. Sed ſatis hic; nunc ad Febres in particulari explorandas, curandaſque deſcendimus.

CAP. II.

De Febre Intermittente.

1. Febris quid, pro noſtro captu, proprie ſit, in hujus libri limine ſatis expoſuimus; cum Impetum facientis niſum, in proprio ſanguine vel depurando, vel immutando, febres omnes promovere, prorogare, & abſolvere tutis rationibus demonſtraverim; hic ergo, ne palinodiam canamus, omnia ſupponimus, quæ inibi oſtendimus. Verum quia ibi generice de febribus locuti ſumus, hic autem ſpecifice loqui de ſingulis debemus; ideo nunc omnes ſingulatim ad ſcrutinium vocamus. Noſcimus enim, quod non unico, ac indifferenti niſu, nec ab unica ſemper occaſione concitatum excandeſcat Enormon; & ideo varios febrium modos in praxi obſervamus, ſæpe namque intermittenti, ſæpeque remittenti, ſed continuo conatu ſanguinem commovet, & ad deſpumationes varias, aliquando per intervalla, ut in Intermittentibus, quarum periodus quælibet aliquid noxii a maſſa ſecernit, & eliminat; aliquando ſemel tantum, ut in Continuis, poſt abſolutam coctionem, integram ſanguinis deſpumationem critico impetu depellit. Sed ſicuti non unicus ſemper, ſeu invariabilis niſus, ita nec unica, eademque ſemper occaſionalis irritatio eſt; varia enim lædentia eſſe, ac aliquando venefica labe tincta, quæ diſſimilibus febribus anſam præbent. Itaque cum de omnibus ſingillatim nunc ſermo ſit, ſingulas ideo explorare, & ad curationem perducere, aggredimur; & primo ab Intermittentibus auſpicamur.

Intermittentia febris explicatur. 2. Hæc ergo, quæ frequentius invadit, ideo Intermittens dicitur, quia periodice accedit, & recedit, ac inter utrumque paroxyſmum liberam apyrexiam relinquit. Hoc inquam contingit, cum a quolibet hujus machinæ conatu activiorem lædentis materiæ partem, quocumque dato aditu, vel per ſudorem, vel per urinam, vel aliter eliminatam eſſe, paſſim videamus; ideo irritatione ceſſante, enormontica contatio compeſcitur, & uſque adeo quieſcit, donec nova iterum exaltati lædentis hoſtilitas emergat, qua denuo irritatum Enormon, alteram plus minuſve ſimilem, pro concitationis modo, ſanguinis commotionem ſuſcitare aggreditur, ut altero niſu lædentem a ſanguine depellat. Tandiu ergo periodicos febris regreſſus perſeverare, obſervamus, quandiu moleſta lues ad integrum eliminetur; abſoluta enim ſanguinis depuratione, febris machinam ſtatim, niſi vitiata ſit, Natura deponit; ſicque ſanguinis commotio, ſpirituumque concitatio, quæ ob infenſam occaſionem invaſerunt, depulſo tandem provocante infenſo, illico vel ſenſim omnino compeſcuntur.

3. Variæ vero Intermittentium Febrium invaſiones, & regreſſus, quia diverſo ſæpe apparatu, variaque temporis mora, divagari obſervantur, ideo in differentes propagationis ſpecies dividere, variiſque nominibus nuncupare, anſam dedit. Harum ergo plurimas (præcipue quæ ab Humoriſtarum quadriga diſceſſerunt) apud Veteres invenire, quiſque poteſt, ut ex. gr. Quotidianam a Pituita, Tertianam a flava bile, Quartanam a nigra derivare dixerunt; nec hiſce contenti, ut nunquam perceptas larvas explicarent, alias ab humorum ſimplicitate, alteras ab eorundem complicatione deducere, ſtuduerunt, unde legitimam ex unico, & ſpuriam ex commixtis humoribus indixerunt; ſimiliterque adhuc alias ab invadendi modo, nempe Simplices, vel Compoſitas inſcribere, illis placuit. Sicque varia febrium figura, nimia Priſcorum ſuperſtitione exculta *Febrium differentiæ nullæ.*

Nunc Equa, nunc Ales, modo Bos, modo Cervus abibat.

Sic Ovidius de Proteo, ſicque de Febri Galenus. Verum a diuturno luſu vetera commenta recedere, tutior notio dijudicat. Profecto unicam ſemper febris naturam eſſe, licet contingenter variam, ratio, & experientiæ convincunt.

cunt. Quamobrem non febrem in ſpecies multiplicare, ſed ipſius invadendi modos diſcriminare, ac eoſdem pro urgenti læſione mederi, tutiori doctrina erudimur.

Febrium ſigna diagnoſtica. 4. Intermittentium Signa diagnoſtica, præter pulſum p. n. & frequentem, ac vitalis œconomiæ turbationem, quæ pene pathognomonica ſunt, cætera ſine lege vagantur; nunc enim aliqua, nunc alia ſymptomata obſervantur; ut ſæpe totius laſſitudo, horror, aut frigus, nunc iſtorum nullus, (quod raro in Intermittentibus) ſed vomitus, vel cephalalgia, ſimiliaque viciſſim alternare ſueſcunt. In incremento autem calor cum ſiti, vel alio invadit, at in febris vigore, ob ſpirituum exploſionem plurimum accenditur, corporiſque peripheriam ſæpius aperiendo, ſanguinis deſpumationem eliminat; non ſemper tamen per cutim ſeparatæ ſordes detruduntur, cum non raro etiam per ureteres impellantur, & aliquando per ſeceſſum. Nullam enim Intermittentem ſine aliqua eliminatione terminare vidimus, niſi illæ, quæ intimam aliquam metaſtaſin moliebantur. Cum certum ſit, quod in quolibet intermittentium paroxyſmo deſpumatio aliqua fiat, unde febris abſolvitur, ſpuma vero illa, a ſanguine ſeparata, cum per externos aditus non exeat, ad partem aliquam intimam deponi debet, ſicque ſæpe morbi tranſmutationes, quæ imperitos decipiunt, inviſuntur. In hiſce caſibus de molita metaſtaſi tutum prognoſticum, cæteris æque perpenſis, exponere, ſibi, & Ægro proderit, ſed hæc obiter. Intermittentium diagnoſim non ad unguem percipimus, niſi illarum occaſionum ſigna æque perſpecta noſcamus; ideo infra de hiſce ſermonem repetere, eſt opus.

Cauſæ expenduntur. 5. Ad Cauſas nunc deſcendimus, quæ ſub vario ſyſtemate diſparem figuram faciunt. Nos autem, qui unicam febrium, intimamque Cauſam noſcimus, cæteras poſt ipſam, occaſionum titulo inſcribimus, ut affatim ſuo loco docuimus. De ſingulis tamen prolixam, ſed neceſſariam explicationem Inſtituti debitum petit; cum ad febrium omnium tam Cauſam, quam fomites attingendos, æque primordia iſta conducant. Vera ergo Cauſa intima, & perpetua febrium omnium ductrix, & productrix eſt, ſine qua nulla prorſus febris eſſe, nec concipi poteſt; quod licet in hujus libri principio *cap.* 1. 2. & 3. ſatis demonſtratum ſit, aliquid novi luminis & hic petere videtur. Primum ergo ſit vulgatum illud placitum, quod cenſet, eſſe certo febres a ſola ſpirituum concitatione inductas, quas Ephemeras nuncupavit. Iſtæ igitur abſque infenſo fomite invadunt, & febres certo ſunt. Febris ergo naturam infenſus nullus afficit, nullaque cauſa præter concitatum ſpiritum febrem conſtituit. *Vera cauſa Enormon eſt.* Nec dicant, quod ſolis Ephemeris hoc jus peculiare tribuitur; quia falſum eſt; cum innumeras alias febres abſque ullo lædenti fomite, ac ſola ſpirituum concitatione productas, etiam Veteres dignoviſſent. Perlege obſervationes, & Chronicas contumaciſſimas, ad annos plurimos productas, febres invenies, quas omnes celebris inter Veteres *Celſus*, cum tam diuturnam morbificam materiam in hiſce febribus ſupponere, veritati conſonum non vidiſſet, faſſus eſt, *Naturam ipſam, quadam conſuetudine ductam, febres has prorogare.* Et certo quidem in febribus iſtis morbificam materiam, abſque inſigni corruptela, tam diu in viſceribus ſtabulari poſſe, nemo cordatus judicabit. Annis enim plurimis Quartanæ, Tertianæ, & Quotidianæ obſervatæ fuere. Vide *Maſſariam*, *Capivaccium*, *Sennertum*, & præcipue *Vierium lib. obſerv. pag.* 85. *Spigellium de febr. lib.* 2. *cap.* 13. *Gabelchoverum cent.* 6. *obſerv.* 74. quorum ultimi Quartanam, & Tertianam ultra triginta annos perduraſſe referunt. In his ergo febribus Naturam cum Veteribus, ſeu Impetum facientis diu vitiatam concitationem culpare, vero ſimilius eſt. Nec ſine tuta ratione hoc aſſertum firmatur; non ſemel enim contumaciſſimas febres, quæ purgantia deluſerant, a ſolo animi motu ſanatas fuiſſe, obſervatum eſt; ſic *nobil. Boyle in philoſ. experiment.* refert, Quartanarium inſanabilem noviſſe, qui ſubitaneo terrore febrem prorſus fugavit; ſic *Valeriola lib.* 2. *obſerv.* Inveteratum alium, ab excedenti Iracundia liberatum vidit. Has inquam nulla ſanguinis

lue productas fuiſſe, tuto convincimur; cum pertinacem quartanæ fomitem, valida ſæpe remedia eludentem, ſolo animi motu extemplo eliminari poſſe, nemo Peritus concipiet. Apte vero percipimus, quod a vehementi pathemate excuſſum Enormon, vitiata febriendi conſuetudinem corrigere didiciſſet; quod ſatis oſtendit, proprium ſui eſſe, producere, & abſolvere febres.

Confirmatur. 6. Hinc celebris Practicus *Sydenhamus meth. curand. febr. ſect. 1. in princip.* non dum Intermittentes, ſed & continuas plurimas, nulla prorſus febrili lue ſollicitante, febres invadere, & perdurare donec ſanguinis mutationem obtineant, ſed ipſum audiamus. *Hominem, cui ſanguis purus, & intaminatus perſtat, febri corripi poſſe, ſicut in corporibus ſanis evenire, frequenti obſervatione compertum eſt, in quibus nullus apparatus morbificus, vel quo ad plethoram, vel quo ad cacochymiam fuerit, nulla inſalubris aeris anomalia, quæ febri occaſionem ſubminiſtraret.* Hanc veridicam febrium ſcenam aſſiduis obſervationibus & nos vidimus; cum ſana corpora diuturnæ febres invaſerint, quæ nullas medendi methodos audiverunt, ac tandiu Ægros, Medenteſque agitarunt; donec ſuo juri relictæ, ſanguinis mutatione obtenta, per ſe tandem receſſerunt. Caveant ergo Juniores ne haſce ignotas febres pertinaci curatione præpediant; quia vano conatu evertere nituntur, quod febrili machina Enormon conſequi molitur. Sed redeamus ad punctum. Febres ergo iſtæ a nullo prorſus fomite, ſed a ſola impetum facientis concitatione producuntur; propria igitur febrium cauſa, non lues aliqua lædens, ſine qua febres plurimæ ſunt, ſed Enormonticus niſus, ſine quo nulla febris invadit, certo eſſe debet.

Fomites exponuntur. 7. Verum non ſemper in febribus propria thymoſi concitatur Enormon; ſæpius etiam ab exaltato in ſanguine, coſpicuo lædente ad illius expulſionem provocatur, ad quod opus febris machina utitur. Equidem cum inſenſa lues ſanguinem inficiat, & Naturæ tolerantiam irrumpat, ſtatim concitatur ſpiritus, totamque maſſam tandiu commovet, donec lædentem luem proprio conatu ſubiget, proprioque impetu, vel cum Artis auxilio, tandem eliminet. Has ergo irritantes, lædenteſque occaſiones plurimas eſſe poſſe *Hippocrates* docuit *lib. de veter. medic. n. 24.* ubi *per infinita omnigenas facultates habentia* deſcribuntur. Hanc vero lædentium multitudinem ad tria ſumma capita, in *prima hujus libr. part. cap. 4.* reduximus, nempe ad Acidum, Acre, & Viſcidum, quæ in febribus præcipua lædentia eſſe demonſtravimus. Aliqua enim ſanguinis fluidum coagulare, ut Acida; alia illius conſiſtentiam colliquare, & diſſolvere, ut Acria; reliqua vero viſcidum in illius maſſa lentorem inducere queunt, ut Viſcida; tribus hiſce potiſſimum, & illorum combinationibus proprias infectiones ſanguis attribuit. Hæc autem lædentia ex qua ſcaturigine dimanent, & quomodo ſanguinem invadant, inquirere nunc eſt opus; ut ergo clare incedamus, duplici lumine utimur, nempe ſub duo genera omnes ſanguinis lues colligere, ac expendere; alias enim Ingenitas, alias ab extra Ingeſtas nuncupamus, illæ ex intimis vitiis, iſtæ ab externis cauſis ortum ducunt, omnes ergo diſtincte inveſtigare aggredimur.

8. Primo itaque Ingenitas lues ab interna origine ortas expendimus; inter intima vitia, omnia primum viſcera, ad ſanguinis percolationes deſtinata, æque culpantur; ut ex. gr. Hepar, quod bilis percolatorium eſt, ſicuti Pancreas lymphæ, Renes ſeri, &c. in his enim vivificum fluidum propria ſuperflua deponere, Natura decrevit. Hæc ergo viſcera, cum proprium munus haud rite fungantur, cauſæ certo ſunt, quod non cribrata ſuperflua in ſanguine degant, & lædant ac ſenſim congeſta, exuberanti copia, & vi caput elevando, ſanguinis craſin dilacerant, ac ſpirituum regulatos in maſſa motus ad acoſmiam inducunt, unde febris exoritur. Hæc viſcerum vitia, non raro ab Imperitis inviſa, valetudinariam vitam inducunt; febreſque ab illis ortas, febrifugiſque ſopitas, tandiu caput erigunt, quandiu viſcerum vitia non corriguntur. Ne igitur imperitos effugiant, curationeſque deludant, ſciendum eſt primo; quod in ſanitatis latitudine occulta ſanguinis dyſcraſia tandiu toleratur, quandiu *Intima viſcerum vitia.*

diu apertam vitalis æconomiæ læſionem non inducat, qua data demum, Naturæ tolerantiam lacerat, ſicque febris ex ignota ſcatebra emergit. Hunc ergo abditum febris nidum non arduo nimis detegere aſſequimur; cum primo circa ſex res non naturales, & præcipuæ circa *Excreta*, *& Retenta* diligens inquiſitio fiat; plurimum enim ad viſcerum vitia conjicienda, excernenda retenta conducunt; item partium corporis, ſeu ſuperioris ventris obſtructiones, tumores, doloreſque ipſarum vitia ſæpe produnt; ſic demum quælibet vitalium functionum læſio viſcerum defectus nunciare ſolet; ſed de his pro nunc ſatis.

9. Quæ vero ab extra in ſanguinem lædentia ingerunt, Aer primo eſſe ſolet; ideo de ipſo conſiderationes multas in libris ſuis reliquit Hippocrates, quarum plurimas in primarum qualitatum exceſſu, ſæpe obvias, *celebr. Sanctorius in Static.* ponderavit, quas ignorare Imperiti eſt. Nec cum minori Artis fænore *nobil. Boyle* aeris preſſionem demonſtravit, quæ quantum corpora premere, ſanguinem immutare, ſpirituſque ſimul exagitare poſſit, Peritus nemo hactenus abunde percepit. Pejora vero ſunt ſanguinis damna ab illius effluviis inducta; multa enim noxia corpuſcula cum inſpirato, & ambienti aere ſanguinis clauſtra invadere, ac illius diatheſin mutare, hinc ortæ corporum infectiones abunde oſtendunt, Chymicis experimentis docemur, ſulphura, ſaleſque volatiles, & ex hiſce acida, vel acria compoſita, cum effluviis his volitare, quæ ſanguinem invadentia, vim propriam exerunt, & illius maſſam vario modo pervertunt; Hinc plurimæ in Antumno præcipue ſanguinis infectiones, febreſque pertinaces, ſæpeque lethales divagari conſpicimus; cum in illa tempeſtate, a corruptis effluviis aer plus ſolito gravis, plus etiam noxias occaſiones miniſtrat; quod non ita in aliis temporibus (niſi aer ſimili diatheſi inficiatur) facile obſervatur.

Aeris læſiones.

10. Altera lædens occaſio a cibo, & potu, nocentibus, deducitur; proprias vero cibi, potuſque noxas *prim. part. cap* 4. ſatis expoſuimus, ideo hic præterimus; at quia non ſemper potus, cibique per ſe noxii, ſed ſæpius chylificationis opus ſanguini læſiones præparat; ideo hujus defectus expendere hic oportet. Cum ergo ad chylum perficiendum, non dum ſtomachi fermenta, ſed & Bilis, & pancreatis Lympha in duodeno ſimul concurrant; quodvis ex hiſce vitiatum, non ipſum perficere, ſed inficere ſolet; ambo igitur chylificationis inſtrumenta, cum non raro ab æquo famulatu recedant, variaſque febrium occaſiones inducant, abſque conſideratione hic præterire non decet Bilis itaque primo vario modo vitiari poteſt, nempe vel quantitate, vel craſi peccare quantitate vitiatur, cum ultra debitum in duodeno exundet, vel econtra nimis Pauca ex choledoco deſcendat. In craſi autem peccat, cum craſſa nimis, vel contra nimis volatilis ſit. Hæc itaque bilis vitia chylificationes depravare, ſicque febrium fomites procreare ſolent; profecto ſi minori, quam exigatur, copia ad inteſtina deſcendat, nimiſque ſimul craſſa ſit, (nam quo craſſior eſt, eo difficilius ſecernitur, ac parcius per choledocum dilabitur) tunc defficiente illa, a cujus ſulphureo alkali chyli volatilitas exaltatur, & perficitur, crudior, & quaſi indigeſta chylificatio relinquitur, quod imperfectum opus propria labe ſanguinem inficit; & hinc febres contumaces perpetuari obſervantur. Contra vero cum bilis ultra exigentiam in inteſtinis redundet, nimiſque attenuata, & volatilis ſit, (quo enim volatilior, eo fervidior, & mobilior eſt, unde copioſius in duodenum deſcendit) tunc etiam chylificatio male conficitur; nam copioſa, & fervida bilis cum pancreatis lympha vehementius efferveſcit, unde chyli opus non perficitur, ſed pervertitur; inſuper plurima fervidaque bile turgidus chylus, cum ſanguinem invadat, ardentibus, acutiſque febribus fomitem ingerit. Nec minorem noxam pancreatis vitiata lympha inducere ſueſcit, hæc enim cum a debita ſubacida energia declinet, nimiſque acida, vel ſalſo-acris evadat, debito plus cum bile efferveſcens, chymoſam maſſam devaſtat; ſimiliter in lymphaticis ductibus, per quos ad ſanguinem chylus ducitur, cum illorum lympha efferveſcendo, illius vitia contrahit, unde

Bilis vitia.

Lymphæ defectus.

unde infectum ſeminium, ad febres germinandas aptum in ſanguinem ingerit. Intereſt ergo Medentibus, non dum cibi, potuſque improbitatem perpendere, ſed & chylificationis labes, a bilis, ac lymphæ vitiis inductas, attente dignoſcere; cum ab hiſce præcipue, ultra tolerantiam vitiatis ſuccis plurimæ febrium, morborumque catervæ ſuſcitentur.

11. Fomites demum, qui ab hiſce cauſis emergunt, Acre, Acidum, & Viſcidum eſſe, *antec. num.* 7. expoſuimus, hos vero lædentes ut facilius dignoſcantur, propriis ſignis diſtinguere, non dittimus. Primo igitur Acri lædentis ſigna, cum propriam in ſanguine vim exerat, plurima eſſe poſſunt, quorum ſyndrome, ut tutam conjecturam firment, ad quædam capita redigere duximus.

Acri lædentis ſigna.

1. Itaque febres ab Acri fomites excitatæ, lancinanti rigore, non vero frigore ſummo, ut plurimum invadunt; non nimium enim refrigeſcit ſanguis, quem Acres particulæ ad motum concitant, membranas vero mordaciter vellicando, cauſa ſunt, quod communi ſenſorio quaſi puncturæ offerantur; ideo membrorum lancinationes pati, Febrienti videtur.

2. Pulſus in hujus febris initio frequentes, parvi, ac debiles ſunt, non tamen diu ſic perdurant, cum in incremento ad frequentes, magnos, & ſæpe vehementes aſcendiſſe, obſervavimus; manifeſtam in his febribus, ab acri lue concitatam ſpirituum exploſionem.

3. Calor poſt brevem rigorem ſenſim accenditur, ac in æſtuum impenſum tandem excreſcit, duplici fomite auctum, & ob vehementem ſpirituum impetum, & ob acres particulas, quæ fortius tunc agitantur, calor hinc intentus, & vaporoſus eſt, manum tangentem acri quodam madore ſenſibiliter inficiens.

4. Vomitus non raro in caloris initio emergit, nauſea primo, deinde anxietatibus comitatus, cum maxime in ventriculo fomes iſte redundet, & tunc amaro-acria vomuntur. Interdum ſine vomitu has febres inviſimus, ſed lumborum, capitiſque dolores ægros cruciare, obſervavimus.

5. Linguæ ariditas, ſiccitaſque ſuccedunt, ob fuligines acres illius papillas infarcientes, quæ humiditatem aſſumunt, ſæpeque in cruſtam, vel quaſi tartarum abeunt; unde ſitis ſuccedit, plus minuſque moleſta, prout magis vel minus oris glandulæ exuſtæ ſunt; ad quarum inareſcentiam ſpirituum concitatio plurimum conſpirat.

6. Aridam linguam delirium ſæpe conſequitur; cum ſpirituum acoſmia, cujus veſtigium in lingua apparet, propriam in cerebro ſcenam vehementius agat; poros enim, objectorum impreſſionibus deſtinatos, turmatim excurrendo, ſpecierum confuſiones, meningum incaleſcentiam, & inde ſimul delirium inducunt.

7. Capitis item, & lumborum dolores, cum vomitus abſit, perſæpe moleſtant, ad quorum vehementiam augendam, & enormontica concitatio, & ſanguinis fervor, & acri fomitis redundantia una ſimul conſpirant; dolores vero iſti poſt ſudoris, vel urinæ copiam ſemper ſedantur.

8. Alvi fluxus aliquando in febris incremento vexare vidimus, tunc ſolum cum ab horreis fructibus acris lues orta, inteſtina occupaverit, inibi enim ab ipſius mordicatione vellicatæ fibrillæ ſpirituum impetum advocant, quo ſimul cum acri lue periſtaltici motus cato, & ano frequenter concitantur.

9. Urinæ conditiones variæ ſunt, nam in febris initio crudæ, & aquoſæ apparent, in ſtatu vero ſubruſæ, & craſſæ, in quibus multa ſalium, & ſulphuris ſolutio fit, in magna ſanguinis commotione præcipitatis

10. Sudores pene ſemper in febris declinatione eliminantur; cum & ab acri lue, & a ſpirituum concitatione, ſanguis effervеſcens, cutis poros aperiat, ut devictam luem a maſſa depellat; ideo auſtero quodam redolent fætore, & cum ſpaſmodica inquietudine excernuntur; cum vero ſudores, nec urinæ multæ appareant, febris certo continua evadit.

11. Periodi demum febris hujus, pro fomitis conditione a ſeptem ad duodecim horas, & in autumno ad vigeſimam ſæpe protendere, obſervantur. Facilius enim fomes iſte per cutim eliminatur.

Hanc

Hanc ergo Acri lædentis legitima ſignorum ſyndromen eſſe, diuturna praxi didicimus, quorum vel omnium, vel plurium concurſus tutam hujus fomitis conjecturam ſuadet.

12. Febres vero ab Acida lue provocatæ, propriis etiam ſignis ab aliis diſcriminantur, quorum epitome ſequens eſt.

Acidi lædentis ſigna. 1. Frigus magnum febris initium moleſtat, quod ſi Acidum redundet, diutius etiam excruciat; ſpiritus enim ſanguinis a figenti hoſte difficulter liberari poſſunt, hinc ob præpeditam ipſorum expanſionem (a qua calor oritur) longius in corpore frigus invaleſcit.

2. Pulſus ad incrementum, & ultra obſcuri, vel parvi & celeres ſunt, ac tandiu ſic perſiſtunt, donec ſpiritus, proprio elathere utentes, & ad plenam expanſionem reſurgentes, corporis calorem, & arteriis dilatationem ſimul reſtituant, quarum pulſatio raro magna, nunquam vehemens in his febribus apparet, cum exploſivi ſpirituum niſus a coagulante acido præpediantur. Si vero cum acidi ſignis vehementem pulſum invenio (quod raro accidit) tunc infenſo fomite multo validiorem enormonticum niſum eſſe dijudico.

3. Vomitus in his febribus raro apparet, ſæpe vero nauſea, vel vitioſa fames moleſtat, maxime cum acida lues in ſtomacho hæreat, tunc optima nauſeantur, improba vero appetuntur, & tunc ventriculi morſus, hypochondrii tenſiones, ac præcordiorum anxietates moleſtant; adeo ut ſtomachus, & inteſtina potiorem in hoc caſu tragædiam agere videantur.

4. Hinc Abdominis tormina ſæpe invadunt, quæ in febris vigore audiuntur cum pancreatis acidior lympha, exaucto æſtu, in duodeno effervеſcens, inteſtina moleſtet, unde fibrarum contractiones, & dolores emergunt.

5. Calor febrilis a ſpirituum niſu promotus, uſque ad integrum febris vigorem ſæpe horrificus eſt, nec unquam ad impenſum æſtum aſcendit; niſi ſpirituum expanſio præpotens, acidi violentiam ocyter ſubigat.

6. Sitis aliquando adeſt, non nimis infeſta, ſæpius vero nec auditur; nulla ideo linguæ ariditas, potius vero ſalivatio multa, & aliquando cum tuſſi moleſtat, ſæpe enim lymphatici ductus, & copia & aciditate vitiantur.

7. Urinæ in principio aquoſæ ſunt, in febris vigore ſaturatæ, ac ſæpe lividæ, hypoſtaſes vero ut plurimum lateritiæ inviſuntur, maxime cum poſt febrem, vel in illius declinatione copioſæ mingantur.

8. Sudores in primis diebus non apparent, poſt quartum vero cum madore ſæpe incipiunt, & in progreſſum augentur, niſi urinæ copia ſanguinis deſpumationem a cuti divertat; interdum adhuc moleſto acidi fætore ita olent, ut tolerari nequeant.

9. Paroxyſmi periodus vigeſimam horam attingit, & ſæpe adhuc excedit, nullumque quindecim horis breviorem obſervaſſe recordor; acidum enim præ acri difficilius ſubigitur, & eliminatur, ideo non dum periodos protrahunt, ſed chronicos etiam morbos efficiunt. Hæc ergo ſigna Acidam luem oſtendunt.

13. Viſcida demum illuvies in febribus raro ſincera ſe prodit, cum vel acida, vel acria viſcidis copulentur; unicum vero, vel præpotens cum ſit, ſequentibus ſignis manifeſtatur. *Viſcidi lædentis ſigna.*

1. Febris hujus initium diuturniori frigore infeſtat, non vero magnum ſemper eſt, ſed magis horrificum, cum vero plurimum viſcidum in maſſa prædominet, nullus calor ſuccedit, ut Algidæ febres oſtendunt, cum in iſtis ob viſcidi redundantiam ſpiritus ſe expandere, difficulter poſſint, ideo calor non accenditur.

2. Pulſus in hiſce ita parvi, & debiles ſunt, ut quaſi a tactu non inveniantur; qui pariter præpeditum enormon oſtendunt, ſicque tepor tantum in febris vigore auditur, pulſuſque ſenſibiles, & frequentes, ſed nunquam vehementes inviſuntur.

3. Præcordiorum anxietates, difficiliſque reſpiratio, & interdum lypothymiæ contingunt; cum viſcidus ſanguis pulmonum, cordiſque munia fatiget; & ſi fomes iſte diu in maſſa redundaverit, ſpiritus ex illa geniti, ut minus elaſtici, ad proprias expanſiones incepti ſunt.

4. Hypochondria item ſæpe tumeſcunt,

ſcunt, obſtruentis viſcidi culpa, qui ſæpius in iiſdem nideſcit; hinc dolores cardiaci, vomituſque frequentes, vel anorexiæ diuturnæ a redundante viſcido limo, ſtomachum infarciente.

5. Lingua in his febribus nec ariditate, nec ſiti afficitur, ſed tenaci ſorde ſæpius inficitur, & ſi tuſſis humido-viſcida expurget, in pulmonibus moleſta hæc lues redundare demonſtrat, & ſi tuſſis profunda ſit, ex ventriculo ſcatet.

6. Urinæ ad febris uſque ſtatum naturales minguntur, attenuata poſtmodum viſciditate, in craſſas, fædoque ſedimento plenas ſæpe mutantur.

7 Sudores nunquam apparent, niſi cum acris fomes viſcido fæderatus febrem ducat, tunc etiam per ureteres potius biformis hæc lues expellitur.

8. Hujus Periodi tandem varii ſæpe ſunt, aliqui enim cum ad veſperas invadunt, ſequentem auroram non vident, breves ſunt, & ſine multa moleſtia invadunt, & recedunt, unde diu tolerantur, donec viſcidum acrimoniam concipiat, & tunc hecticis cunabula præparat; hujus cenſus ſunt chloroſes Virginum febres. Aliæ item ſunt, quæ promeridianam invaſionem non ſervant, ſed tempore ſemper vario invadunt; diuturniores iſtæ periodos ducunt, cum integram ſæpe diem percurrant; hujus generis ſunt, quæ mulieres non meſtruatas, ſeneſque provectos affligunt. Tertiæ adhuc lineæ ſunt, quæ non ſimplici viſcido nutriuntur febres, ut Hypochondriacæ, Scorbuticæ, Hecticæ, &c. iſtæ igitur, pro complicati fomitis prævalentia proprias periodos determinant. Hæc demum præcipua ſigna ſunt, quæ febrium fomites denunciant, at non ſemper invariabiles in praxi obſervantur, cum ætates, ſexus, climata, Anni tempora cæteraque in ſingulis aliquatenus diverſa videri cogant. Item commixti fomites confuſa ſigna etiam exhibent; acria enim, acida, & viſcida non ſemper ſincera, ſeu ſine alterna mixtione ſanguinis puritatem inficiunt, cum unum alteri complicatum aliquando ſit; pro alterutrius vero exceſſus, & prævalentia, propriam etiam potioris lædentis ſigna dignoſcuntur. Sed his ſatis, nunc prognoſis non vocat.

14. Ut de Intermittentibus tuta inſtituatur prognoſis, vulgare aſſertum illud, quod *quælibet intermittens febris periculo vacet*, delendum eſſe arbitramur; furtim enim ex 4. *aph.* 43. hanc regulam nonnulli carpere auſerunt; cum non cuique attribuatur, quod inibi tantum de continua in intermittentem commuta Hippocrates dicit, & revera intermittentes periculoſas invadere, Practici ſæpe inſpiciunt; ideo caute ſemper has judicare tenemur, ne quia intermittunt, periculo vacare, imperite pronunciemus. Primo igitur periculoſæ ſunt, quæ diuturnos periodos omni die protrahunt, quæ in autumno maxime continuæ perſæpe fiunt. Item illæ, quæ ſemper eadem recurrunt, cum *difficile habeant judicium*, *ut Hippocrates*, & experientiæ nos docent; ſic pariter quæ ſine ulla viſibili deſpumatione ſuas periodos abſolvunt, cum intimam metaſtaſin ſæpe moliantur; unde viſcerum inflammationes emergere, non raro inſpeximus; ſimiliter quæ cum effuſa diaphoreſi periodice terminant, & non levamen, ſed languorem relinquant, in continuas periculoſas ut plurimum devolvuntur; nec minorem ambagem portendunt, quæ horrificæ, ſeu nunc frigus, nunc calorem viciſſim recurrere cogunt; inæquales enim iſti ſpirituum niſſus, maxime cum acidum præpotens ſit, ambiguam ſpem promittere ſolent. Omnes demum intermittentes, quovis aliquo exitiali ſymptomate comitatæ, periculoſæ ſemper, ſæpeque malignæ compertæ ſunt. Hæc omnia ergo ambiguam ſemper Intermittentium prognoſin denunciant; cum autem a dictis contingentiis liberæ ſint, per ſe quidem perniciofæ non ſunt, cum proprio titulo Sanguipurgiæ nuncupari poſſint, & vere ad hunc ſcopum inſtituantur. *Prognoſis.*

15. Ad Curationem denique accedimus, in cujus limine modernam inſcriptionem legimus, *omnes intermittentes febres Peruviano febrifugo delentur*, pulcra quidem, ſi vera; timemus autem quod cum altera *Plinii* concordet; *hæc illa infelicis monumenti inſcriptio, turba medicorum ſe periiſſe*, *lib.* 29. *cap.* 1. Sed mordacem Plinium non audimus; Naturæ vero aures præſtare tenemur; hæc *Curationis prima notio.*

certe

certe ſibi noxio huic inſtituto reclamat; quia febris ab ipſa, ad proprium ſanguinem expiandum iſtituitur, qui ergo illius depurativam machinam deſtruere tentant, opus ſuum evertere, non coadjuvare contendunt. Cum vero effrenati illius conatus a recto ſcopo aberrare dignoſcantur, tunc noxios illius impetus ſi cohercere, febrifugiſque compeſcere nitamur, ipſa non renuit, ſed beneficium gratum accipit, cum ſic a pena, & damno eximatur. In omnium ergo febrium curatione pro primo cognito ſtatuendum eſt, quod non abſolutum Artis arbitrium ſit, inconſulta Natura, illarum medelam inſtituere. Sæpe enim arbitrarii Medentes inaniter, & infeliciter etiam, omnes indifferenter Peruviano cortice expugnare contendunt, cum non raro vel febrifugum pluries repetitum, non audiant, ac intentam deſpumationem aſſequi tandem moliantur, vel ſi audiant, a depuratione divertuntur; quantum vero malum hoc ſit, cordati noſcunt. Ut caute igitur incedamus, noſtræ indicationes curativæ ſequentes erunt; primo cum febrem depurativam non eſſe, ſed a ſordibus primas tantum vias occupantibus, oriri dignoſcatur, apprime dictas vias expiare; poſtea ſi febris perſiſtat, opportuno febrifugo compeſcere intereſt. Cum autem depurativam, ſeu ad ſanguinem ab inficientibus expiandum, inſtitutam eſſe noſcamus, tunc febrifugis dimiſſis, ut certe inopportunis, & noxiis, depurativam machinam perito regimine ſecundare tenemur, debitas Artis ſuppetias, juxta Naturæ exigentiam, exhibendo; ſicque illius molimina coadjuvando, & lædentia ſecum ſubigere, ac eliminare, & ejuſdem conatus, cum moderationem excedant, refrenare, & inde orta ſymptomata compeſcere, totum hic artis penſum eſſe videtur. Quomodo autem depurativam eſſe febrem, vel non, æque conjiciatur, ex quæſitis, & reſponſis, *cap.* 1. *num.* 2. *&* 3. *expoſitis*, non arduo nimis deducitur; ad auxilia demum pro indicatis accedimus.

Indicationes curativæ.

Curatio primi generis.

16. Cum ergo ad Ægrum in febris initio Medens vocatus ſit, ex inquiſitionibus, ut nunc diximus, capite primo datis, de febris indole certior factus, nempe quod depurativam illam non eſſe dignoſcat, cum non adhuc ſanguis inquinatus conjiciatur, ac impuræ ſordes, quæ febrem excitarunt, primas vias tantum inficiant; ideo ne tempus capiant, ſanguinem invadendi, ocyter illas eliminare fas erit. Quamobrem antequam ad febrifuga deſcendat, debitam primarum viarum expiationem inſtituere debet; cum hæc haud eliminata recrementa, ſenſim ſanguinis clauſtra invadendo, poſt etiam tedioſum febrifugi uſum, recidivas perennare, ac ſæpe febres periculoſas concitare ſoleant, ut non ſemel obſervavimus. Pro illorum ergo facili deturbatione, perpendere oportet, quam proprie regionem occupant, ſi in ſtomacho primum inhæreant., & cum ructus nidoroſos, cibique averſionem, aut vomiturítiones, vel ſtomachi pondus, & anxietates, cæteraque ſimilia febris comites eſſe, comperiatur, ſi valida prohibentia non vetent, ab Emetico medelam auſpicari, fas erit; in qua linea vel *Tartar. emet. vel ſyrup. vomitiv. vel oxyſachar. emet.* cum propriis vehiculis exhibere oportet. Opportunam vero propinandi horam, ipſam ſuggerit Naturam, cum vomendi propenſio inſtans, motas tunc ſordes ſurſum petere indicet; ubi autem nulla vomiturio apparet, & alia vomitum indicantia ſe prodant, tunc ſeſquihoram ante paroxyſmum emeticum exhiberi decet, ut febris invaſio ſtomachum depuratum inveniat, vomendique conatu minus exaſperet. At cum nullum opportuni vomitus ſignum adſit, ſed potius abdominis tormina, renum pondus, leviſque diarrhea, & ſimilia in inteſtinis infectionem ſtabulari denuncient, tunc non emeticum, ſed catharticum aliquod lene exhibere oportet, ut *Caſſ. recent. extract. cum Rhabarb. mixt. vel ſyrup. aliquis ſolut. vel Mann. clarific. aut Pot. magiſtr.* ſimiliave, pro exigentia, & gratificatione præſcribatur, & cum regimine prima dies ſic abſolvatur. Aliquod item ex dictis Catharticis, poſt Emeticum exhibere adhuc intereſt, ut omnes primæ viæ omnino expientur; & hæc omnia pro exigentia etiam ad tertiam repeti poterunt.

17. Dictis ergo ſic præmiſſis, febrique

Febrifugi methodus. que adhuc perſeverante, Peruvianum corticem præſcribere oportet, cujus methodus hæc mihi, Ægriſque proficua ſemper comperta fuit, videlicet.

℞. *Cortic. Peruvian. optim. pulv. unc. ij.*
Infund. in Aqu. Card. bened. lib. v.
& in MB. vaſe clauſo horis 24. digeratur.

In uſum vero pro febribus iſtis ſic revoco.

℞. *Infuſ. hujus unc. iv.*
Hor. 4. ante brev. prandium ſumat.
Sic item unc. iv. hor. 6. poſt prand.

Sic ſemper bis in die per octiduum; poſtea ſemel tantum ante prandium unc. iv. quotidie, donec tota infuſio aſſumatur; & hac methodo, cum regimine debito directa, has febres devictas, reſurgere nunquam vidi. Hoc pariter modo ad auxilium iſtud confugere, Intermittentes illæ cogunt, quæ ſanguinis depurationem recte, tutoque perficere nequeunt, ut illæ ſunt, quæ nimis diuturnas periodos ſine fructu protrahunt, ſeu abſque manifeſta deſpumatione abſolvuntur; vel quæ cum impenſa diaphoreſi, viriumque deperditione paroxyſmos ſine lenimine terminant; vel quæ frigus, æſtuſque viciſſim in eadem periodo alternant; hæc, inquam, ſimileſque, cum nullam tutam ſanguinis expiationem, ſed acerba diſcrimina moliantur, febrifugo cortice æque compeſcere intereſt; ut ſpirituum acoſmia tempeſtive quieſcat, & ad tutiores niſus reducere, aſſequatur.

Altera methodus curativa. 18. Non autem hanc lineam currunt Intermittentes illæ, quæ tutam ſanguinis deſpumationem moliri, apertis ſignis promittunt; hæc inquam febrifugis præpedire, & febres diutius protrahere, ac ſæpius exaſperare, unum & idem eſt; molitam enim depurationem intercipiendo, diutius in maſſa lædentem ſordem vigere, & aſpera diſcrimina præparare eſſe, certo dignoſcimus. Ideo Periti non erit, has febres reprimere, ſed inceptum Naturæ opus coadjuvare, præparantibus nempe, ac purgantibus appropriatis ad ſcopum miniſtrare; tuta certo, & ab eximio Hippocrate ſignata hæc via eſt, a qua recedere nemo (niſi univerſale pharmacum teneat) audere poteſt. Non itaque contra Naturam, ſed in illius hoſtes arma voluere urget, cognitoque infenſo, curationem ſic inſtituere. Præmiſſis pro renata Emeticis, vel Catharticis, de Præparantibus (quæ hoſtis ſubactionem ſimul cum Natura celerare ſolent) cogitandum eſt, quorum ſelectio diſtinctam infenſæ luis dignotionem ſupponit. Conjectandum itaque eſt, an Acre, vel Acidum, aut Viſcidum recrementum ſanguinem inficiat, quod ex ſupra datis ſignis non fallaciter deducitur, quo detecto, ad ſubactionem, & eliminationem diſponendum, ſequentibus uti convenit.

Acre lædens præparant. 19. Cum ergo Acrem luem febris fomitem eſſe, ex ejuſdem ſignis conjiciatur, ad illius præparationem hæc, vel ſimilia, pro Ægri, temporis, cæterorumque conditionibus præſcribi poſſunt.

℞. *Magiſt. ſolubil. Corall. drach. ſem.*
Nitri nitrati le Mort. drach. j.
Vel in hujus defectu.
Nitri ſine ſulphur. depurat. drach. j.
Aqu. de ſucc. Acetoſ. unc. ij.
M. & propin. pro Doſ.

vel ℞. *Magiſt. Saturn. gr. xij.*
Nitri Corallat. drach. ſem.
Aqu. Papaver. rehad. unc. ij.
M. pro Doſ. & exhib.

vel pro Pauperibus acida plurima vulgariter præparata, vel

℞. *Nitri ſimplic. depurat. drach. j. ſem.*
In juſcul. Acetoſ. alterat.
M. & propin.

Vernali vero tempore vegetabilium ſuccis pro exigentia uti etiam poſſunt, ex. gr.

℞. *Succ. depurat. Acetoſ. Portulac. aa. unc. j. ſem.*
Nitri nitrat. aut Corallat. drac. ſem.
M. & in Juſcul. Acetoſ. & Portul. ſumat.

Præparantia iſta ſeſquihoram ante cibum ſumere oportet, ad bilem in his febribus intra duodenum ſæpius exorbitantem, temperandam, ut chyli opus non pervertat, nec cum illo ad ſanguinem ducta, acrem luem magis adaugeat; his vero præparantibus uti tandiu eſt opus, donec coctiones appareant, & perſiſtant, quæ in his febribus non diu expectantur, cum hæc lues non arduo ſubigatur; ſtante demum coctione, pro Naturæ motu, eliminatia præ-

præſcribere eſt opus, de quibus infra *num.*23. *&c.* ſermo eſt.

Acidum luem præparant. 20. Cum autem Acida lues ex propriis ſignis conjiciatur, ſequentibus, vel ſimilis antacidis uti convenit, ex.gr.

℞. *Magiſter. ſolubil. perlar. ſcrup. ſem.*
Tinctur. Martis alkal. Boylei gut. xij.
Vel in hujus defectu
Tartar. martial. ſcrup. j.
Aqu. Boragin. un ij. M. pro Doſ.

vel ℞. *Magiſter. Eboris ſcrup j.*
Solubil. Corallor. ſcrup. ſem.
Aqu. de ſucc. Menthæ unc. j. ſem.
M. pro Doſ. & propin.

vel pro Ægris infimæ fortunæ Cruſtacea omnia præparat. vel

℞. *Cort. Ovor. combuſt. & pulver. drac. ſem.*
In juſcul. Boragin. alterat. M. & propin.

Verno pariter tempore vegetabilium ſuccos præſcribere poſſumus ex gr.

℞. *Succ depurat. Eupator. Fumar. aa. unc. j. ſem.*
Tartar. martial. ſcrup j.
In juſcul. Fumar. Borag. alterat.
M. & propina.

Hæc ergo exuberantem acidum ad ſubactionem ducentia remedia horis 4. ante cibum aſſumi debent, ac in eorum uſu continuare donec cruditatis ſigna perſiſtant; Acida enim lues, præ Acri pertinacior, ſubigi renuit. Coctio demum emergens, appropriata purgantia petit, de quibus infra *num.*23.*&c.*

Viſcidam labem præparant. 21. Tandem, cum Viſcida illuvies, propriis characteribus deſignata, ſanguinem inficere dignoſcatur, pro illius præparatione ſequentia, vel ſimilia in uſum vocari poſſunt, videlicet.

℞. *Extract. Ammoniac. veri*
Croc. Mart. aperitiv. aa. ſcrup. ſem.
Fæcul Aronis ſcrup. j.
Aqu. de ſucc. Scabioſæ unc. ij.
M. pro Doſi, & exhib.

vel ℞. *Tinctur. Antimon. diaphor. gut. xx.*
Extract. Saſſafraſ ſcrup. j.
Spirit. Camphor. gut. ij.
Aqu. Aſparag. Pulegii aa. unc. j. ſem.
M. pro Doſ. & propin.

vel pro Pauperibus,

℞. *Baccar Juniper. torrefact. & pulver. drach. ſem.*
In Juſculo Scabioſ. & Puleg. alterat.
M & ſume.

Verno tempore pariter herbarum ſuccis uti proderit, videlicet.

℞. *Suc. Scabioſ. Card. bened. aa. unc. j. ſem.*
Elixir. Proprietat. ſcrup. ſem.
In Juſculo Scabioſ. & Puleg. alterat.
M. & exhibe.

Præparantia iſta ſimiliter ad Coctionem uſque protrahi debent, poſtquam ſervato Naturæ niſu purgantibus, ut infra datis, uti convenit. Hoc item tempore Victus ratio pro lædentis natura dirigenda erit; in Acri enim Victus refrigerans, in Acido aperiens, & in Viſcido attenuans expetitur. De præparantibus plura dedimus *antec. par. 2 cap* 5.

Purgationis cautiones. 22. Coctionis ſignis conſtantibus compertis, non illico ad arbitrium purgationem determinare, Hippocrates docet; cum prænoſcere oporteat, an conferentem aliquem eliminationis aditum Natura ſibi elegerit, firmoque niſu devictas ſordes per ipſum deturbare inceperit; quia tunc utile, ac tutum eſt, *quo ipſa vergit, eo ducere*. Contra vero qui aliter purgare decernat, Naturæ motum ſibi commodum evertendo, ſanguinis deſpumationem, quæ ex.gr. cutim petebat, catharticis ad centrum revocaret, quod artis crimen chronicarum febrium pœna ſæpe compenſatur, ut ſæpius Incautis contigiſſe, non ambigo. Conferentem ergo Naturæ motum, cum inſtitutus ſit, dignoſcere, ac illum ſecundare tenetur, qui tutam, facilemque facere medicinam exoptat. Indaginis ergo hujus conſuetæ viæ ſequentes mihi ſunt; primo ſi Febrientis cutim raram, madoreque humidulam, cui auſtrina conſtitutio foveat, poſt coctionem inſpicio, tunc ad peripheriam conferentes impulſiones, ab intimo niſu inſtitutas eſſe, conſidero, maſſime ſi ſanguinis ſpuma non craſſæ, aut viſcidæ, ſed ſubtilis (ut in Acri fomite conſideratur) materiæ ſit; tunc opportunis ſudoriferis inſiſtendum eſſe, determino. Secundo cum aſperam, aridamque cutim inveniam, quam adhuc borealis conſtitutio denſare conſpiret, urinas vero ſolito copioſiores mingere comperiam, tunc ureterum vias Naturam currere arguo; & ideo diureticis, in illius auxilio, uti determino. Tertio denique ſi cum arida cuti paucas

etiam urinas invenio; tunc vel feriantem Naturam, vel ad catharſin diſpoſitam eſſe conſidero; ideo reliquis viis occluſis, per quas intimi niſus devictam luem propellere ſueſcit, ne ſanguinis deſpumatam labem diutius in maſſa remoretur, per inteſtina ſordem illam ducere delibero. Hæc mihi perpetuæ in acutis febribus purgandi regulæ ſunt, ex Coacis praxi deſumptæ; quas me decepiſſe nunquam, niſi error externus emerſerit, ſed tutam ſemper accelerаſſe medelam, diuturnis obſervationibus didici. Nunc demum ad methodum accedamus.

Sudoriferi uſus. 23. Et primo cum Sudorifera ex nunc dictis ſignis indicata ſint, in illorum uſu lædentis in illa febre vires perpendere eſt opus; & cum Acris lues ſanguinem infecerit acida potius diaphoretica ſeligere, & ab alkalinis abſtinere intereſt; hujus vero selectionis rationem in ſequenti continuarum febrium curatione, ubi magis urget, expoſitam dedimus, nempe *cap. 4. numer.* 21. 22. Horum ergo formulæ tales ut plurimum in uſu mihi ſunt in Acri ergo fomite.

In Acri fomite. ℞. *Aqu. de florib. Sambuc. unc. iij.*
de ſucc. Acetoſ. unc. ij.
de flor. Aurant. unc. ſem.
Tinct. bezoard. acidul. Ludovic. drac. j. ſem.
Syrup. de Rub. Idæo unc. j.
M. f. ſudori f. pro duab. Doſ. eadem die ſumend.

vel cum Bolus magis faveat, ſequens eſse poterit.

℞. *Extract. Bacc. Sambuc. ſcrup j.*
de Card. bened. drach. ſem.
Oxitartar. diaphor. noſtri drach. j. ſem.
Syrup. de Cortic. Citr. q. ſ. ut f. Boli pro Doſ.
Superbib. Aqu. de flor. Sambuc. unc. iij.

Hanc doſin de ſero repetere, Ægri, febris, ſudoriſque conditiones Peritum docebunt. Cum autem Acidum fomitem febris tragædiam agere dignoſcamus, tunc depulſis acidis, Alkalina diaphoretica præſcribere convenit, cujus cenſus ſequentia ſunt, videlicet:

In Acida lue. ℞. *Aqu. Card. ben. Schorzon. aa unc. iij.*
de flor. Aurant. unc. ſem.
Bezoard. mineral.
Corn. Cerv. philoſ. calc. aa drach j.
M. f. ſudorif. pro duob. Doſ.

vel ℞. *Sal volatil. Corn. Cerv gr. xij.*
Antimon. diaphor. optim. drach. ſem.
Cum Syrup. Card. bened. q. ſ. f. Boli pro Doſ.

In Viſcida illuvie. His ergo vel ſimilibus an ſemel, vel bis in die uti debeamus, ſupra datæ, cæteræque circumſtantiæ ſuadebunt. Cum demum Viſcida lues febrem duxerit, tunc ad diaphoreticam, licet indicata, non facile deſcendere oportet, cum illuvies iſta difficulter nimis, & non conferenter etiam per cutim eliminari patiatur; ſubtiliori enim ſeroſa parte per ſudorem depulſa, fixior viſciditas in ſanguine, ad novas turbas excitandas, coaleſcit; ideo conferentius per diureſin, & melius per catharſin hæc lues educitur. Sudorifera vero plura in *antec. part. 2. cap. 6.* inveniri poſſunt.

Diuretica in Acri lue. 24. Ad Diuretica vero cum deſcendere Natura petat, hic quoque febris fomites conſiderare oportet; ut illorum viribus remedium appropriatum reſpondeat. Cum ergo ab Acri labe febrem concitatam fuiſſe, conjiciamus, diureticis validioribus, quæ magis fundunt, evitatis, ad mitiora declinare, eſt opus ex. gr.

℞. *Aqu. Fragor. Melon. aa. unc. iv.*
Succ. limon. recent. unc. j.
Magiſt. Ocul Cancr. drach. ſem.
Syrup. Heder. terreſtr. unc. j.
M. f. Pot. diuret. pro una Doſ.

vel ℞. *Tartar. nitrat. ſcrup. ſem.*
Spirit. Sal. coagulat. ſcrup. j.
Syrup. de fragiſ. q. ſ. ut f. bol. pro Doſ.
Cui ſuperbib. Aqu. fragor. unc. vj.

In Acida, & Viſcida labe. Cum autem Acida, vel Viſcida febris occaſiones eſſe noſcatur, tunc validiora præſcribere convenit; cum in utroque fomite attenuantia diuretica expetantur, ideo ſequentibus uti poteſt.

℞. *Aqu. Geniſt. Petroſell. aa unc. vj.*
Diuretic. noſtræ ex flor. unc. j. ſem.
Tartar. nitrat. drach. j. ſem.
Spirit. Sal. dulcif. gut. xv.
M. f Pot. diuret. pro duab. Doſ.

vel ℞. *Sal. Geniſt. Betonic. aa. drach. ſem.*
Sal. volatil. Armoniac. gr. viij.
Spirit. Terebinth. q. ſ. ut f. boli pro Doſ.

Diuretica item plurima in *antec. part. 2. cap. 6.* ad hoc opus advocari poſſunt; caute vero, ut in omnibus auxiliis, & æque præſcribi debent.

Cathartieorum uſus.

25. In Catharticis tandem, cum expetantur, exhibendis, ultra lenientia, vel mitiora in his febribus præterferri non decet; ſordes enim, in hac linea ſanguinem inquinantes, lenem purgationem audiunt, & inſequuntur; ideo pro ſcopo, & ſatisfactione, vel *Syrup. Roſar. aut Violar. ſolutiv. vel Mann. Potion. vel Caſſiam cum Rhabarb. aut Pulv. aliquem ſolutiv.* præſcribere ſueſco. Pulveres cathartici ſequentes ut plurimum in uſu mihi ſunt, videlicet.

℞. *Magiſt. Jalapp. ſcrup. j.*
Tartar. vitriolat. ſcrup. ſem.
Balſam. Peruvian. gr. vj.
M. f. Pulv. pro una Doſ.

Cum autem efficacior exigatur, ſæpius ſequenti utor.

℞. *Magiſter. Tartar. purgant. ſcrup. ſem.*
Diagryd. ſulphurat. gr. viij.
Sacchar. citrati pulver. drach. ſem.
M. f. pulv. pro una Doſ.

Hæc vel ſimilia pro exigentia etiam repeti poſſunt, & maxime ſi cum pauco fructu ſudorifera, vel diuretica opſum ſuum expedierint; cum vero non confertim, ſed per epicraſin purgare ſit opus, nil mihi ceſſit utilius, quam ſequentes Pilulas exhibere.

℞. *Extract. Senn. orient. drach. j. ſem.*
Rhabarb. drach. j
Diagryd. ſulphur. gr. xx.
Balſam. Peruvian. ſcrup. ij.
Ol. Aniſ. deſtill. gut iij.
Syrup. Violar. q. ſ. ut f. Pilul. pro 4. Doſ.

Hæc ergo Purgantia ſunt, quibus ut plurimum in febribus iſtis uti contentus ſum, pro quarum purgatione validiora impendere, nec opus expetit, nec tutum eſſe poſſe conſidero.

Contumaces febres perpenduntur.

26. Ultimo tandem præterire non decet id quod in harum curatione ſummi ponderis aliquando eſſe poteſt; cum nempe poſt debitas purgationes, vitiata ſpirituum concitatio febres perennare, contumaciter inſiſtat; ſi hoc in autumno contingat, Peruviano febrifugo Enormonticum hoc vitium corrigere, omnino intereſt; at ſi vernali tempore firma hæc pertinacia comperiatur, tunc ſuo juri Naturam relinquere, eſt opus; quia ultimo tandem, cum intentum ſcopum obtinuiſſet, febriendi terminum poſuiſſe, non ſemel obſervavimus. Arbitror enim cum *celebr. Practico Sydenham*, quod in his febribus novitatem aliquam in ſanguine Natura moliatur, ſeu illius ſyſtaſin variare, & in novam diatheſin immutare; quod cum obtinuerit, febris machinam dimittit. Hoc negotium in Vere potius, quam in alia temporum conſtitutione perfici poſſe conjicimus. *Hæc enim anni pars maxime juxta naturam homini convenit; ſanguis hic augeſcit. Signa autem hinc colligere licet, quod hominibus Vere maxime ſanguis è naribus fluit, & rubérrimi ſunt &c. Hippocrates lib. de natur. homin. num.* 13. In Vere igitur ſanguis reviviſcit, augetur, ac proprie immutatur, cum ſordes repurgando, ad exteras partes veteres fæces detrudat. *Vere enim impetigines, & vitiligines, & puſtulæ ulceroſæ, & tubercula, & articulorum morbi*, 3 *aph.* 20. quæ omnia ſanguinis deſpumationes, ob innovatam ſyſtaſin, ad cutim expulſas eſſe, perſpicue noſcitur. In Vere igitur, cum febres contumaces appareant, depurativas machinas iſtas febrifugis præpedire, non abſolvere febres, Ars inconſiderata deliberat; cum ipſa reluctans Natura, febrifuga non audire, ſed inceptum depurationis opus ad metam perducere, firmiter inſiſtat. Plurimos enim vidimus verno tempore febrientes, inutiliter per menſes febrifugis vexatos, his demum dimiſſis, non diu integre convaluiſſe. In hiſce contumacibus ergo Vere potiſſimum ſolemne mihi eſt, poſt debitas curationes, febrifugaque inaniter adhibita, ſimiles Artis induſtrias omnino ſuſpendere, & cum febris conatus, moderationem ſervantes, pericula non minitentur, ſic excurrere dimitto, donec Natura inſtitutum ſcopum aſſequatur, quem non ſine fructu, nec diu prorogari, multis obſervationibus compertum habeo. Ab hac tamen regula febres autumnales eſcluduntur, quo tempore ſanguini raro in melius exurgere, ſæpeque in deterius procumbere, (diſſipatis a Sirio ſpiritibus, qui certe illius reviviſcentiam promovent, & perficiunt) contingere ſolet; ideo iſtas omni ſtudio compeſcere intereſt, ne conſumpti jam ſpiritus, in diuturno febrium niſu prorſus deperdantur, *cum Autumno morbi acutiſſimi, atque exitiales*

les maxima ex parte, 3. *aph.* 9. ob eandem cauſam comperiantur. Sic item Quartanæ febres omni conatu Ars ſollicita devincere debet, cum iſtæ Naturæ viribus relictæ (niſi verno tempore, in quo plurimas reviviſcens Enormon per ſe tantum abſolvit) in annos vetuſteſcere obſerventur; ad harum ergo curationem nunc accedimus.

CAP. III.

De Quartana Febre.

1. Cum omnes medendi leges rebellis Quartana eluſiſſet, unde contumaciſſima, *Saturnique proles* inſcribitur; non miror ideo, ſi æque Medentes, Ægrotanteſque ſemper divexaſſet; nec poſt tot labores methodica illius medela inventa fuiſſet. Ideo ad empyrica remedia experienda, plurimi deſcendere ſtatuerunt; nec ſine felicitate Nonnulli. Nam *Riverius* primo in ſuo *ex triplici hercule* confecto arcano, Quartanæ triumphum jam cecinit; ſic *Franc Piens* proprium *hydrocatharticum turquetum* hujuſce domitorem celebravit; *Kergerus* item ad eandem victoriam proprio febrifugo uſus eſſe gloriatur; ſimiliterque Plurimi pervicacem hanc febrem *Peruviano cortice* debellari poſſe promittunt. Verum licet *Paracelſi*, ac *Helmontii* arcanum hujus hydræ capita prorſus excidiſſe, facile credam, de cæteris tamen plurimum ambigo; minuſque in ſolo Peruviano febrifugo fidendum eſſe arbitror; cum Quartanæ plurimæ diuturnam Chinæ torturam ſæpe deluſerint. Hujus ergo pertinaciæ cauſam eſſe credo, quod in tenaci viſcida lue (quæ febris hujus fomes eſt) irretiti Spiritus, frequenter, ſed inaniter proprium ſanguinem febrili machina expurgare nitantur; ideo & ob præpeditum intimi depurantis niſum, & ob duræ luis reſiſtentiam, hæc febres diutine producuntur. Quamobrem in hiſce compeſcendis vulgaria febrifuga inutilia ſemper, ſæpeque noxia ſunt; cum poſt inductum ſoporem, ſæpe febris duplicetur. Sic Natura nos edocet, ſuppetias illius labori congeneres, non impedimenta præbere, nempe una ſimul cum illa in ſanguinis depurationem incumbere, qua obtenta, ſpirituum concitationes per ſe, vel cum Peruviano cortice facile compeſcuntur.

2. Verum antequam præciſas curativæ methodus leges exponamus, præ- noſcere oportet, quod non in quolibet tempore cum eadem felicitate, ac facilitate febres iſtæ debellantur; Autumnus enim, & Hyems tanto labori adverſatur, Ver autem opportune favet. Profecto autumnali tempore ſanguinem ſpiritibus depauperatum, & viſcidam luem magis redundantem eſſe, affatim noſcitur; ideo hac tempeſtate oriuntur, & ad acmin extolluntur Quartanæ, quia inſenſa labes vegetior, & ſpiritus languidior eſt. Hyems etiam proprio frigore febres iſtas indomabiles nutrit; cum enim frigus fluida incraſſare, motumque cohibere ſueſcat; viſcidum magis craſſum, fixumque reddere, hyberni catarrhi, tuſſes, ac ſimilia demonſtrant. Gelido item tempore ſpirituum expanſio multum imminuitur, hoc præ cæteris aer oſtendit, quæ minus hyeme, æſtate magis expanditur. Quamobrem intimo ſpirituum niſu imminuto, ac inſenſo viſcido exaucto, febris contumacia indomabilis redditur. Vernale vero tempus, cum temperatum ſit, ac dictante Hippocrate ad ſanguinis augmentum, & depurationem diſpoſitum, vegetos ſpiritus in ſanguine ſuſcitare ſolet. Nec viſcida lues in ipſo tam idomabilis curationi reſiſtit, cum in Vere diuturnas quartanas ſuapte Natura abſolvere, *Celſus lib.* 3. *cap.* 16. & experientia teſtantur; & certo quidem ſpirituum copia major, ac minor inſenſi reſiſtentia faciliorem tantæ febris abſolutionem promittere æque poſſunt.

Tempus curationis opportunum.

3. Ex dictis ergo curativa methodus eluceſcit, cum duplex indicatio ex ipſis deducatur; prima viſcidum lentorem in ſanguine attenuare, & depellere, alteram Enormonticas non imminuere, ſed augere expanſiones; prima enim ſine altera hactenus inepta fuit; cum apprime ſpirituum niſus proprii ſanguinis depurationem perficiat, hos ergo ad æquas expanſiones promovere, præcipuum Artis penſum hic eſſe dignoſcimus; ideo tota hæc noſtra curationis me-

Indicationes curativæ.

methodus, in quovis auxilio præſcribendo, utrumque ſimul indicatum reſpicit; ita nempe appropriatis attenuantibus, ac eliminantibus utor, ut una ſimul & ſpiritus excitare, ut aptam ad opus commotionem dirigant; & ſanguinem a lentore ſolvere, viſcidamque luem diſſolvere poſſim. Affatim enim obſervatum eſt, quod ob impares ad inteſtinos motus, ineptoſque ſpiritus, ita viſcida labes ſanguinis ditionem occupavit, ut inde cachexiæ, hydropes, tabes, ſimileſque deſperatæ affectiones poſt quartanam emerſerint; contra vero ad iram concitati, & excandeſcentes ſpiritus inveteratas has febres extemplo abſolviſſe, *Schenchius*, *Boyleus*, ac alii vidiſſe teſtantur. Plurimum itaque hic urget, enormonticos niſus ad validas impulſiones promovere, ut præpotens illius vigor tantæ pertinaciæ infenſam luem ab infecta maſſa evellat, ac eliminet.

Curationis methodus. 4. Curativa ergo methodus Verno tempore ſic inſtituo. Primo ſic ſanguinis plenitudinem, quæ illius motus præpediat, deprehendo, tunc pro exigentia phlebotomiam præſcribo, ſin vero prorſus dimitto; non enim hic confert, ſanguinis quantitatem imminuere, niſi cum expeditiores illius motus hoc auxilio promoveri queant. Poſt venæ ſectionem, (ſi celebrata ſit) mature conſidero, an vomitus, nauſea, vel præcordiorum anxietates, hypochondriorum moleſtiæ, ſimiliaque ſtomachi regionem infeſtantia Patientem agitent, tunc ſtantibus his, niſi urgentiora prohibeant, Emeticum præſcribo. Plurimum, & apprime in his febribus confert, curationem ab emeticis, per dicta ſigna expetitis, auſpicari; tempus autem opportunum eſſe judico, in quo Natura vomendi propenſiones, vel aliud ex dictis ſignis oſtendat, tunc enim ſtomachi ſarcinam exonerare ipſa petit, & tunc copioſæ, conferenteſque vomitiones ſuccedunt; quod ſi nulla vomituritio, ſed alia indicata ſigna ſe prodant, tunc emeticum exhibeo, cum præcordiorum anxietates augentur, quæ vel in febris initio, vel in ejuſdem ſtatu contingere ſolent, quo tempore viſcida lues a febris motu in ſtomacho agitata, facilius educitur.

Emetici uſus. Vomitoria ergo, quæ in quartanis adhibeo, ſequentia ut plurimum ſunt.

℞. *Syrup. Emetic. & Croc. metall. parat. unc. j.*
Oxymell. Scyllitic. unc. ſem.
Aqu. Scabioſ. Betonic. aa. unc ij. ſem.
M. pro Emetic. & tepidum propin.

vel ℞. *Infuſion. Croc. metall. unc. j.*
Oxymell. Scyllit. unc. ſem.
Syrup. de Cortic. Citr. unc. j.
M. & ſimiliter utere.

Poſt vomitum brodii vel aquæ Noceræ largum potum exhibeo, & cum ventriculi tonum læſum eſſe conſidero, paregoricum aliquod præſcribo, ex. gr.

℞. *Aqu. Menthæ unc. ij.*
Sal eſſential abſinth. ſcrup. j.
Elixir. Propriet. Paracelſ. gut. xv.
Laudan. Cydon. liquid. gut. viij.
M. f. Paregor. pro uſu.

Diebus vero apyrexia fruentibus, ad viſcidam in ſtomacho luem ſenſim præparandam ſequentes pulveres, vel bolum exhibeo.

℞. *Tartar. martial. drach. ſem.*
Sal. Armoniac. depurat. ſcrup. ſem.
M. f. pulv. pro una Doſ.
Vel cum Syrup. de Cort. Citr. f. bol.

Quibus ſuperbibat Juſculum ex fumaria, & beton. alteratum, vel earum aqu. deſtill. ad unc. iv. die febris ad emeticum redeo, ac alternatim dictis omnibus ad tertium incluſive paroxyſmum incedo, poſt quem ſequentibus infra enunciandis utor.

5. Cum autem nulla petiti vomitus indicia detego, ab emeticis abſtineo; cum nil ultra niſi malum a vomitu non indicato, compertus ſim. Ideo a miti catharſi, quæ primas vias detergat, curationis initium capio, & huic ſcopo, vel Caſſia cum Rhabarb. vel Manna clarificata, aut ſyrupus aliquis ſolutiv. ſimiliaque lenientia ſatisfacere poſſunt; hic enim ſuperſtitione quaſi, a forti cathartico in cruditatis ſtadio abſtinendum eſſe conſidero, cum infenſæ luis agitationem, febrium duplicationem, ac ſymptomatum exacerbationem ſolummodo concitent. Poſt lenientem ergo præparationis gratia, per octiduum primo digeſtivos pulveres exhibeo, videlicet. *Præparatio innuitur.*

℞. *Martis tartarizat. drach. ſem.*
Spir. Sal. Armoniac. aniſat. ſcrup. ſem.

Cum

Cum Syrup. de Betonic. q.ſ. f. bolus.
Cui ſuperbib. Aqu.deſtill.Fumar.Marub. aa. unc.ij.

Vel dictos pulveres in juſculo ex dictis herbis aſſumat, hoc vero quotidie per dies 8. horis quatuor ante prandium: Mars tartarizat. pro præſenti ſcopo ſic fit.

℞. *Vitriol. Mart. rite parati*
Cremor. Tartar. aa. q. v.

Probe pulveriſentur, miſceantur, & in aqu. font. q. ſ. coquantur ad mellis conſiſtentiam, maſſa refrigerata, in lapidem pulveriſabilem congeritur, cujus pulv. drach. ſem. Ex hac maſſa beneficio Spirit. Vin. fit Eſſent. Mart. tartariz. aperitiv Ludovici, de qua infra ſermo erit; cum utrumque pro hac intentione appropriatum auxilium ſit. Ante cenam pariter ſequ. bol. ſumat, videlicet.

℞. *Magiſt. ſolubil. Corall. ſcrup.j.*
Corn. Cerv. philoſ. calcinat. drach. ſem.
Confect. Alcherm. q. ſ. ut fiant Bol. pro Doſi.

Quos ſeſquihoram ante brevem cenam quotidie in octiduo dicto ſumat. Poſtea lenientem ex dictis aliquem pro gratificatione, ad primas vias iterum detergendas, exhibeo, cui tribus poſt horis Seri caprilli depurati ſeſquilibram cum gutt. aliquot Spirit. Sal. armon. ſuperbibere præcipio, moderatumque cibum poſt horam ſumere permitto, nec a vino oligophoro Patientem abſtineo. Poſt hæc ad validiora præparantia deſcendo, quibus donec coctio appareat, uti ſoleo, videlicet.

℞. *Eſſent. Mart. tartarizat. Ludovic. drach. ſem.*
Spirit. Sal. coagulat. gr. xv.
Spirit. Vitriol. diaphoret. gut. x.
Confect. Alcherm. complet. q. ſ.
Ut f. bol. pro una Doſ. hor. 4. ant. cib. ſum.

Quibus ſuperbibat Seri caprill. depurati lib. j. De ſero autem ſupradatam mixturam ex magiſt. Corall. C.C. philoſ. & Confect. Alcherm. confect. continuare oportet, donec coctionis ſigna conſiſtant, quæ ad plurimum circa vigeſimum hujus præparationis diem emergere vidimus, in multis citius etiam apparuere. Intra hos dies ſi alvus inobediens ſit, lenienti clyſtere ſubducere permitto; quibus tantum, & raro etiam uti, tutius hoc tempore eſt, ne a coctionis negotio Natura divertatur.

6. Coctio tandem manifeſta purgationem ſuadet, quæ per epicraſin directa magis confert; nec per aliam viam quam per catharſin ſanguinis feces iſtę facilius eliminantur; ideo cum Natura per ſe diureſin non elegerit, quod ſemel vidiſſe recordor, ad cathartica recurrere ſemper ſueſco, quod vero frequentius hic utor ſequens eſt. *Purgationis methodus.*

℞. *Mercur dulcif. gr. xvj.*
Diagryd. ſulphurat. gr. x.
Extract. Rhabarb. ſcrup. j.
Ol. Aniſi deſtill. gut. j.
Balſam. Peruv. gut. iij.
Cum Syrup. Roſ. ſolut. q. ſ. m. f. bol. pro una Doſ.

Quibus ſuperbibat Seri caprill. lib. ſem. Catharticum hoc prima intermiſſionis die, horis quatuor ante prandium ſumere præcipio, ſic ter, quaterve pro exigentia, eadem ſemper prima poſt febrem vacua die repetere jubeo. Veſpere autem poſt purgationem hora ſaltem ante brevem cenam ſequentis opiatæ unc. j. ſumere præſcribo, videlicet.

℞. *Conſerv. Roſar unc. iv.*
Confect. Alcherm. complet. unc. ſem.
Elixir. Citr. Rolfinc. gut. xxxxx.
M. f. Opiata pro quatuor Doſ.

Hanc ut cætera ad ſpiritus ultimo excitandos, & refocillandos adhibeo. Diebus item a purgatione vacuis, horis duabus ante prandium Mixturam ex Magiſt. Corallorum &c. ſupra datam ſumere præcipio.

7. Abſoluta purgationem, cum indomitam febrem perſiſtere (quod raro accidit) adhuc videam, ejus pertinaciam, a ſpirituum vitio firmatam, Peruviano cortice expugnare delibero; ideo eadem methodo utor, quam *cap. antec. num.* 17. dedimus, addito tamen ad quamlibet doſin *Spirit. Sal. Armoniac. gut. x.* Cum autem efficacius in Quartana febrifugum expeti dignoſcam, ſequenti Elixiri utor. *Febrifugi uſus.*

℞. *Extract. Chin Chin. unc. j.*
Gentian. unc. ſem.
Myrrhæ elect. pulveriſ. drach. ij.
M. & affund. ſpir. Vin. rettific. lib. vj.
Spirit. Sal. Armoniac. unc. ſem.
Digere vaſe clauſſo loc. calid. dieb. octo. poſtea ad uſum ſerv. Doſ. hujus ad dr. ij.

Ama-

Amarum quidem, ſed in hac, pluribuſque aliis febribus, eximium febrifugum, bis quotidie longe a paſtu per dies XV. ſumendum, a cujus uſu nunquam fraudatum fuiſſe confiteor. Hæc tandem curativa Quartanæ methodus eſt, at niſi dietæ fæderata ſit, oleum, & opera perdere eſt; fruſtra enim hanc febrem ſola pharmaciæ manu expugnare nitimur, cum altera ſimul regulatæ dietæ ſiniſtra mala non evitet. In victus rationem ergo providi Medentis attentio incumbere debet, ne ob fortuitas Patientum tranſgreſſiones, ac vivendi libertatem, irritis tandem omnibus, pro medelæ præmio, indignam ſibi comparet illuſionem; quod in his febribus, quæ in Artis improperium debaccantur, facile contingit. Intermittentibus tandem abſolutis, ut de minori ad majus gradatim aſcendamus, continuarum limina nunc ingredimur.

CAP. IV.

De Febribus Continuis ſimplicibus.

Nominum varietas. 1. Tantam ſæpe cum Intermittentibus dictis affinitatem Continuę periodicæ febres oſtendere videntur, ut Plurimorum judicium fuerit, quod continuæ remittentes, Intermittentium complicationes ſint, cum altera invadat, antequam prior decedat, & ſic periodice recurrendo, Intermittentium naturam conſervent; ideo ſub hac lege Quotidianæ, Tertianæ, & Quartanæ complicatæ, & continuæ merito dici poſſint. At quæ periodos occultant, Synochas dixerunt; cæteras vero quæ periodicas recrudeſcentias cum ſymptomatum acerbitate confundunt, variis nominibus diſtinguere ſatagerunt, ut Ardentes Cauſos, anxioſas Aſodes, ſudatorias Helodes, ſimileſque plurimas a ſymptomatum varietate multa ſollicitudine inſcriptas. Hanc vero inutilem nominum ſylvam ab Artis cultura divellere, Cordatiores didicerunt; cum non ultra circa nominum corticem, ſed in Febris nucleum inſtituamus indaginem. Verum etſi merito futiles nomenclaturas obliterare deceat, utilia vero, & ad praxim neceſſaria, continuarum agnomina cum cæteris proſcribere, non quidem Medicinam perficere, ſed mutilare eſt; quamobrem ut proficua non dimittamus, duo continuarum nomina, & cultus, quaſi divinus Senex tanti fecit, cum vario modo afficiant, ac diſparem curationem expetant, & retinere, & excolere, Artis pericula ſuadent; ſunt itaque ab Hippocrate ſignatæ *Acutiſſimæ* primo, & inde *Acutæ febres*, quibus infra diſtincta notio, & curatio referuntur.

Diagnoſis. 2. Diagnoſtica continuarum febrium ſigna abſque certa lege ſæpius erraſſe obſervavimus; generalis tamen regula nobis eſt, nempe quo greſſu miti, vel aſpero febris incedit, eo minor, vel major ſpirituum concitatio, ſanguinisque commotio ſit, & inde levia, vel acerba ſymptomata, ac pericula plus minuſve pavitanda, percipi poſſint; ut plurimum autem ſanguinis ſordes hujus diſparitatis Occaſiones ſunt, prout magis vel minus ſpirituum concitationem ſollicitant, aut reſiſtentiam provocant, hanc enim ab Acidis, & Viſcidis, illam ab Acribus excitari, explicatum jam eſt; ſic pariter dictarum ſordium ſigna *cap. antec.* 11. 12. *&* 13. expoſita ſunt. Quælibet ideo continua febris propria ſibi ducit ſignorum comitia; determinatam vero ejuſque in ſingularibus diagnoſin nullam præciſe dari poſſe, experientia nos docuit. Ægrotantium enim natura, etas, ſexus, temporum, & aeris conſtitutiones, prophaſes præteritæ, infectiones præſentes, cæteraque ſimilia continuam quamlibet febrem diverſam ab alia efſingere, nata ſunt. Hinc Pulſus primo licet ſemper frequentes, aliquando tamen magni, vel parvi, vehementes, vel languidi, æquales, vel inæquales paſſim conſpiciuntur. Urinæ inſuper primis diebus crudæ, vel ſanorum ſimiles, aut contentis ſaturatæ minguntur; in morbi ſtatu, apparente coctione, nunc laudabile, nunc pravum ſedimentum, & enæorema conſpiciuntur, prout coctio valido, vel languido niſu peragitur. Omnia demum ſymptomata, ut capitis dolor, ſitis, Nauſea, Vigiliæ, Deliria, cæteraque hujus cenſus, incerta ſemper ſocietate continuas febres

febres comitantur; hæc enim plura, vel pauca, pro ſpirituum plus vel minus exaſperato niſu differenter invadunt. Varietas ergo ſignorum in hoc ſaltem utilis eſt, quod febris vehementiam, vel moderationem indicet, ſic in auxiliis exhibendis, propriam methodum quaſi oſtendit.

Cauſæ occaſionales. 3. De Febrium cauſis in prima hujus libri parte, ac *in antec. cap.* affatim locuti ſumus, neque hic inutilem diſſertationem repetere juvat. Intimam enim, omniumque febrium perpetuam, concitatum ſpirituum niſum eſſe, ſatis oſtendimus; occaſionales item cauſas inibi etiam deſcripimus. Hic vero has ultimas pro viribus dignoſcere intereſt; primo itaque cum febrem vehementem, ac ardentem, ſævis etiam ſymptomatis comitatam inviſere contingat, æque conjici poteſt, quod Acris lues illius occaſio ſit; plurimum enim acres particulæ, cum in ſanguine caput elevent, illius ſpiritus exaſperare, & ad vehementes motus concitare, natæ ſunt; unde ſanguinis commotio vehemens, ſævaque ſymptomatum turba exoriuntur, quæ clades eo plus augetur, quo magis Acres illæ, mordaceſque moleculæ ſanguinis texturam diſſolverint; tunc enim concitati ſpiritus, reſiſtentiis undique ſolutis, effræni impetu ducti, impenſam totius maſſæ commotionem adaugent. Cum autem non adeo vehemens febris ſit præcipue ſi primum paroxyſmum cum magno frigore invaſerit, quod in omni exacerbatione ſenſibiliter appareat: tunc Acidam luem febris occaſionem eſſe merito conjicitur. Acida enim ad læſionis gradum exaltata corpuſcula, duplicem in ſanguinem noxam inferunt, primam nempe ſpiritus figere, dum poſſint, alteram plurimas in maſſa cogulationes inducere; quibus detrimentis enormonticus niſus, partim enervatus, partimque præpeditus, ad vehementes impetus impar, immoderatam ſanguinis commotionem, febremque ardentem inducere nequit: ideo in hac lue diuturnum frigus tardo greſſu ad æſtum aſcendit. Quod ſi aliquando inſueto more febrem hanc excandeſcere video, tunc in illo corpore vel ſumme validum Enormon eſſe, vel minus infenſum Acidum lædere, conjicio. A Viſcida vero illuvie continuas febres inductas, (Hecticas, a viſcido-acri ortas, excipe) raro, & pene nunquam obſervavimus: adeoque Chloroſes, & Catarrhales nuncupatas, quas ad viſcidam lympham referre, aliquibus placuit, raro quidem continuas; mihi obſervare contigit, & tunc non ſimplex Viſcidum, ſed cum Acri, vel Acida lue congeſtum fuiſſe ab effectibus conjecimus: ideo hic plurimum confert, horum lædentium ſigna *in antec. cap.* 2. *num.* 11. 12. & 13. expoſita, æqua lance perpendere.

4. Expenſis breviter cauſis, ad Prognoſin accedimus, in qua Hippocrates primo nos inſtruit, 2. aph. 19. acutorum morborum non omnino certas eſſe, ſalutis, aut mortis prænuntiationes; cum varia variis contingentibus permixta, Naturæ ſcopum intercipere, noſtrumque acumen decipere, ſepe poſſint: quæ tamen tutiora eſſe videntur prædictionum ſigna, hinc inde in libris ſuis nobis reliquit, ut *in hujus lib. part. prim. cap.* 8. generice ſaltem expoſita fuere; quæ vero ſpeciatim hic attinent, præterire non decet. Primo itaque Acutiſſimæ Febres, quæ ocyter de vita deliberant, cum ſubitaneas excretiones, vel properam coctionem haud oſtendant, exitiales ut plurimum eſſe ſolent, ſi vero parita manu moderentur, non raro in acutas commutantur, nempe quæ in ſeptimo ad ſummum periclitabant, ad quartum decimum, vel ultra cum ſalute ſæpe ducuntur. Item ſi ab exitioſo ſymptomate, quod cito compeſci nequeat, comitatæ ſint, deſperatam omnino ſpirituum concitationem oſtendunt, cui ſpes nulla ſupereſſe ſolet; cum in hoc caſu non ad ſalutem tuendam, ſed ad deſtruendam Enormon concitetur. Acutas vero febres, quæ ad quartumdecimum, & ultra excurrunt, periculoſas eſſe *Hippocrates* docuit, & maxime cum pertinaces cruditates diutine perſiſtant, tunc enim a continuo niſu defatigati ſpiritus facile dilabuntur. Succeſſivus item recrudeſcentiæ modus differentem prognoſin ſepe ſuggerit; eadem ſemper hora recurrentes, judicium habere difficile 4. *aph.* 20. docemur; difficilius enim expediuntur *Prognoſis.*

tur

tur iſtæ præ illis, quæ circuitus anticipant, vel retardant. Quæ pariter die tertia fortius exacerbantur, magis periculoſæ, 4. *aph.*43. denunciantur, & maxime cum in ſeptimo coctionis ſigna non appareant;. tunc enim vehementes niſus irriti, facile deperduntur. Similiter adhuc exacerbationes bis in die recurrentes, abſque coctione, peſſimæ ſunt, cum in exitium terminaſſe, compertum ſit. Demum ab occaſionali fomite prænotiones non negligendæ deſumuntur; & primo ad febris vehementiam, vel diuturnitatem inducendam, haud parum contribuunt; nam ab Acri lue provocatæ febres vehementer accenduntur, citoque abſolvuntur; quæ vero ab Acidis excitantur, non excandeſcunt, ſed diutine protrahuntur; quæ notiones plurimum ad prænuntiationes juvare poſſunt; conferantur hic etiam quæ in 1.part. cap.8. dicta ſunt.

Curationis intentiones. 5. Liminaribus his breviter luſtratis, ad intimiora, ſeu ad Curationem nunc ducimur; cujus intentiones potiſſimæ ſequentes mihi ſunt. 1. Vehementem febrem, quæ nimium ſanguinem commovet, intra moderationis limites coercere, ut maſſæ depurationem, non diſſolutionem conſequatur. 2. Cum autem lento niſu deſpumationem inſtituat, tunc tardo Naturæ molimini ſuppetias ferre, deperditas illius vires reſtaurare, infenſa lues, quo ipſa vergit, ſecum depellere, ut ipſa potiſſima Medicatrix in operis diſcrimina non ſuccumbat, ſed ſcopum, ad quem ducitur, in tuto poſita, conſequatur. 3. Ideo & urgentibus, ab illius concitatione excitatis, ſymptomatis tempeſtive occurrere, ne præcipitet. 4. Tandem ad priſtinam tranquillitatem reſtituere, ut vitalis æconomia in integrum reſtauretur. Has inquam in Continuis febribus, in quibus de vita certatur, Artis auxiliatricis intentiones eſſe, Hippocrates, & experientia me docuere; ad hanc ergo therapejam, ſequentibus methodis accedimus.

Acutiſſimæ curatio. 6. Cum conſultus Medens non in genere Febrem, ſed in ipſis individuis, ut curet, advocetur; ideo apprime Febrientis conditiones conſidero, reſponſa ad inquiſita expendo, demumque ex febri, ſymptomatis comitantibus, cæ-

teriſque circumſtantiis mature perpendo, an febris Acutiſſima, vel Acuta duntaxat eſſe poſſit. Ad hanc notionem præſens paroxyſmus me ducit, qui cum ultra limites vehemens ſit, ac ſymptomatis multis, & valde ſævis comitatus appareat, acutiſſimam febrem eſſe debere conjicio. Acutæ enim ſimpliciter exordium ſic acerbum non oſtentant; cum ſenſim, & in dies ingraveſcere ſoleant; ſolæ vero Acutiſſimæ atroci apparatu propria limina muniunt, cum brevi, ſed feroci conflictu de vita decertent. Ne ideo in deſperato certamine Natura ſuccumbat, ſollicita præſtare auxilia, ſub criminis infamia tenemur; equidem *medicari in valde acutis eadem die*; *tardare enim in talibus malum eſt*, 4.*aph.*10. ſancitur.

7. Primo igitur, & apprime phlebotomia uti conſidero, cujus in hac febri neceſſitas ab effræni ſpirituum concitatione indicata eſt; omnes enim alibi expenſæ in hac linea reflexiones, hic certo exercendam eſſe confirmant; itaque pro circumſtantiis exigentibus, plena manu huic petitioni ſatisfacere jubeo, cum tempeſtiva, & copioſe phlebotomia minitatam in hoc caſu ſanguinis diſſolutionem, ſymptomatumque acerbitatem cito intercipere apta ſit; cum autem vel parca, vel poſt primam diem, aut nullo modo celebrata fuiſſet, eaſdem clades evitare non potui. Ideo ab ipſa primo in his febribus periclitantis Naturæ tutelam pependiſſe dignovimus; quantitatem ergo pro ætatis, virium, temporum, cæterorumque conditionibus, ad libram unam circiter accedere, ſæpe jubeo; ex qua impavida, copioſaque venæ ſectione, vehemens febris, ac ſymptomatum exorbitantia moderationem ſæpius audiviſſe, pauciſque inde auxiliis indiguiſſe, obſervavimus. Celebrata phlebotomia, quid eadem die agendum ſit, mature perpendo; cum ergo inter acerba ſymptomata anxietates, vomituritiones, cardialgia ſimiliave patientem infeſtare audiam, tunc Emeticum aperte indicatum, niſi urgentius aliquid prohibeat, ſeſquihoram poſt venæ ſectionem præſcribo; Emeticum vero conficio vel ex Oxyſachar. emetic. Ludov. vel ex Syrup. vomit. aut ex Tartar. emet. in appro-

Methodus curativa. *Phlebotomiæ neceſſitas.* *Emetici uſus.*

Hh priato

priato vehiculo, poſt horam hauſtum ex brodio, vel ſero, aut ex aqu. Nocer. pro exigentia, & gratificatione bibere jubeo, ad emetici reliquias evocandas. Expetiti hujus remedii eventus ita felices non ſemel experti ſumus, ut ferocem hanc febrem eadem die manſueſcere ſymptomataque omnino recedere vidiſſem. Cum ergo prima die indicata vomitio clamet, nec validum prohibens reclamat, pavidus non eſitet Medens, cum promptam victoriam hic ferre ambiat.

Vel Cathartici uſus. 8. Si vero febris fomes, inlæſo ventriculo, per inteſtina vagare conjicio, ut ex abdominis torminibus, hypochondriorum tenſione, renumque ardoribus, aut Dyſſenteriæ indiciis, ſimilibuſque deduci poteſt; tunc ab Emeticis abſtineo, & ad Cathartica confugio, ac eadem die, niſi commodius, ac tutius ad alteram protrahere videatur, illorum aliquod exhibeo, in quorum cenſu ut plurimum pro exigentia, & gratificatione unum vel alterum ex ſequentibus hic uti ſoleo.

℞. *Fol. Senn. mund. unc. ſem.*
Rhabarb. elect. drach. ij.
Aniſ. Coryand. Cinamom. q. ſ.
Coqu. in aqu. font. lib j.
℞. *Colatur. expreſſ. unc. iv.*
Syrup. Violar. ſolutiv. unc. j.
Aqu. de florib. Aurant. q. ſ. & f. Potio.

vel ex bolo.

℞. *Magiſt. Tartar. purgant. ſcrup. ſem.*
Extract. Rhabarb. drach. ſem.
Diagryd. ſulphurat. gr. iv.
Balſam. Peruv. gut. ij.
Cum Syrup. aliquo M. f. bol. pro Doſ.

At in Dyſſenteriæ indiciis, vel in ejus epidemia conſtitutione, ſequentem ſæpius exhibeo.

℞. *Myrobalan. citrin. unc. ſem.*
Thamarindor. drach. vj.
Rhabarb. elect. drach. j. ſem.
Coqu. in aqu. font. lib. j.
℞. *Colatur. expreſſ. unc. iv.*
Syrup. Roſar. ſolut. unc. j.
Aqu. flor. citr. q. ſ. & f. Potio.

Quemlibet ex hiſce hora una poſt venæ ſectionem propino, & cum debito regimine primam hanc diem moderari ſatago.

Tres febris progreſſus. 9. Altera vero die febris progreſſum conſidero, ut pro vario illius, ac ſymptomatum apparatu, diſparem curationem, cuique propriam determinare ſciam. Varii, autem hujuſce inceſſus triplicem viam currere poſſunt; primam nempe, cum poſt data remedia, febris exacerbatio mitis appareat, itaut placido greſſu, & abſque ſymptomatum acerbitate, tutam deſpumationem moliri promittat; alteram ſi adhuc vehementi perſiſtente febre, minus effera ſaltem ſymptomata ingruant, minuſque perdurent; tertiam denique ſi omnia immutabiliter, cum eodem impetu, ac vehementia, pertinaciter ingraveſcere obſerventur; omnibus ergo dictis hujus emergentiis appropriatam pro viribus curationem diſtribuere, nunc intereſt, ad quam gradatim ſic deſcendimus.

Primi progreſſus curatio. 10. Si primum ergo contingat, nempe cum alteram hujus febris, & præcipue tertiam periodum, minus ſemper exacerbatam, ac in omnibus ſymptomatis mitiorem progredi comperiam; tunc generoſa quælibet remedia ſubducendo, totum depurationis negotium æquis Naturæ juribus committere, non dubito, illius acoſmiam placatam vidiſſe contentus. Febris enim Machina, cum moderata expiationis molimina inſtituat, intempeſtivis remediis præpediri vetat, ideo illius niſus, cum non excedant, pervertere, vel compeſcere, minime audeo. Vulgarem enim illam de febribus trepidationem a Medentium mente prorſus diſcutere, jam decet; cum male quidem febrem ut morbum perimentem, non ut Machinam contra morboſas infectiones a Natura pro ſui tutela inſtitutam eſſe, concipiant; videant ſaltem cum Hippocrate, quot indomabiles morbos opportuna febris expugnet, & conceptum de ipſa nimis pavidum, ac injuſtum caſtigare diſcant. Sed redeamus ad centrum; cum ergo hujus febris conatus moderato impetu ducantur, illos nec invertere, nec compeſcere, ſed conferenti regimine ſecundare ſtudeo; facile ſperans, quod modificata hæc febris, depurationis opus cito abſolvat, nec a correpto ſpirituum impetu ulla pericula ultra tentari poſſe, diuturnis experimentis didicimus. Ideo febrem hanc opportunis auxiliis ſecundare,

dare, non præpedire intereſt, & Acutarum methodo curare.

Alteri progreſſus cura. 11. Cum vero alterum emergat, quod nempe miteſcentibus ſaltem ſymptomatis, integra tamen ſequenti die febris vehementia perſiſtat, tunc ad excedentem ſanguinis commotionem moderandam, ne ocyter mixtionis ſuæ texturam diſſolvat, omnes Artis vires impendere intereſt; ad hoc opus ergo Purgantibus ut noxiis relictis, cum inutiliter nunc, & magis, ac magis etiam ſanguinem exagitarent, ad Compeſcentia remedia confugere eſt opus; huic ergo intentioni ſequentibus ſatisfacere arbitror.

℞. *Cryſtall. ex Nitro, & Corall. parat. drach. j. ſem.*
Aqu. Cord. Saxon. frigid. unc. ij.
de florib. Citri unc. ſem.
Syrup. de ſucc Acetoſæ unc. j.
M. & cochleatim tota intra quadrant horæ ſumat.

vel ℞. *Aqu. Papav. errat. Acetoſ. aa. unc. j. ſem.*
Cordial. noſtræ frig. unc. j.
Magiſt. ſolubil. Corall. drach. j.
Nitri ſimplic. depurat. ſcrup. ij.
Syrup. Papav errat. unc. j.
M & ſimiliter utito.

vel pro Pauperibus.

℞. *Aqu. Plantag. Acetoſ. aa. unc. ij.*
Nitri depurat. drach. j. ſem.
M. pro una Doſi.

Dictis ergo ſanguinis æſtum ſenſim compeſcentibus declinante febre exhibere eſt opus, ut nova exacerbatio mitius procedat. Item in febris æſtu, cum maxime ſitis ardeat, ſequens, vel ſimilis emulſio præcipiatur.

℞. *Aqu Fragor. Acetoſ. aa. lib. j.*
Semin. 4 frigid. decortic. aa. drach. j.
Nitri perlat. drach. j. ſem.
M. f. Emulſ. pro duab. Doſ. in ead. die.

Hac methodo ad quartam incluſive perſeverare oportet, & cum in quarto coctionis rudimenta emergant, conjici æque poteſt, quod poſt ſeptimum vel febris abſolvatur, vel ſine ſtrepitu ad quartumdecimum progrediatur, ibique terminum ponat. Cibum vero uſque ad ſeptimum tenuem ſemper, propriiſque digerentibus intermixtum præſcribere convenit. Cum autem nec in quarto, nec in ſeptimo ſigna coctionis appareant, febriſque non ultra excandeſcat, ex acutiſſima in acutam commutatam eſſe demonſtrat, ideo poſt ſeptimum ſequenti infra methodo, in acuti expoſito, facile obediet.

12. Tertia demum cæteris gravior contingentia, nempe cum Febris, & ſymptomata integram ſemper vehementiam ſervent, nec in quarto coctionis indicium prodat, ſed præcipiti greſſu funeſtum terminum petere oſtendat; tunc extremo morbo extremum remedium deberi, tuto decernitur. Ideo primum ſi pulſus adhuc magni ſint, ut in his caſibus frequentius inveniuntur, tunc effrænes ſpiritus altera venæ ſectione refrænare oportet, hanc vero quinta die celebrare, & ad uncias quinque limitare intereſt; poſt horam vero ne vires langueſcant, ſequenti cardiaco utatur. *pro cur.*

℞. *Aqu. Borag. Acetoſ. aa. unc. ij.*
Cordial. Saxon frigid. unc. j.
Nitri Corallat. drach. j ſem.
Magiſt. ſolubil. perlar. drach. ſem.
Syrup. Corallor. optim. unc. ſem.
M. & cochleat. intra hor. ſumat.

Interim una, vel altera præparantium, & compeſcentium mixtura *num. 11. ſup. data* bis quotidie horis duabus ante cibum aſſumi debet; cibus vero non adeo tenuis ſit, maxime ſi vires labeſcere oſtendant, ideo in juſculo pulli vel ovum, vel deſtillati caponis cochleare unum permiſcere decet; ſimiliter pro potu Seri deſtillati hauſtum concedi poterit; Cordis item regioni epithema ex temperatis cardiacis apponatur, & hæc methodus ad ſeptimam uſque percurrere debet. Cum autem in ſeptimo coctionis ſigna emergant, tuta ſalutis ſpes effulget; febris enim mutato more, ſub acutarum curatione, infra exponenda, ſubigi petit. Contra vero cum immota ſemper cruditas perſiſtat, febriſque, ac ſymptomata ſine miteſcentia invaleſcant, vireſque in dies dilabere conſpiciantur, tunc ſeptimam circiter diem funeſtam eſſe, ſuſpicari debet; *cum morbus imbecillum jam corpus vincens, curationi non obediat; ut lib. de rat. vict. acut. Hippocrates* docuit. Nec in caſu iſto devictam Naturam purgantibus cujuſvis generis tentare convenit; cum ab hoſtili ſorde oppreſſa,

nec ſudoris, nec urinæ vias, neque catharſin dignoſcat; unicum ideo auxilium ſupereſt, illius vires, quo poſſibile eſt, diu ſervare. Vidimus enim deſperatum jam Virum, per diem integrum in agone cum morte luctantem, guttulis aliquot balſami Vini (cujus compoſitionem *lib.2. par.2. cap.3. num.6.* jam dedimus) ſenſim reviviſcere, demumque a morbo reſurgere; vires ergo uſque ad extremas auras reſpicere, illiſque proſpicere tenemur, quem finem ſequens mixtura conſequi poteſt.

℞. *Aqu. Cordial. Saxon. frigid. unc. ij.*
de flor. Aurant. unc. ſem.
Magiſt. ſolubil. perlar. ſcrup. ij.
Eſſent. Croc. orient. ſcrup. j.
Syrup. Corall. optim. unc. ſem.
M. & ſæpe cochleatim ſumat.

Cum autem auxilium hoc vires præſervet, efferamque febrem miteſcere cogat, unde in ſeptimo lethum evitet, ac inde coctionis ſigna emergant, tunc ſequenti methodo & iſtam curare, opportunum erit.

Acutarum ſimplicium Curatio. 13. Acutiſſimis febribus inſpectis, ad ſimpliciter Acutas deſcendere, adhuc ſupereſt, quarum curatio ſequenti ordine perfici poteſt; plures enim lethales ſyrtes etiam in iſtis detegere ſtuduimus. Ad opus ergo; & primo, ſi febris vehemens, cum pulſu magno reperiatur, & Patiens florente ætate, robuſtave maturitate fruatur, ut immoderatam ſanguinis concitationem compeſcere aſſequamur, phlebotomiam ſeligere primo decet, cujus quantitas ad unc. x. limitetur. Multum in his ardentibus confert, ſanguinem minuere, *Venæ ſectionis uſus.* ut ſpirituum exorbitantia compeſcatur; hoc enim auxilio utens, ferocientem febris impetum, ac ſymptomatum furorem miteſcere, ſæpe vidimus. Contra vero ſi moderata febris, nullaque ſymptomatum ſevitia inſpiciantur, tunc a venæ ſectione, ut incongrua, abſtinendum erit; ne ſine urgentia depauperatus ſanguis propriam deſpumationem diutius protrahat, ſæpeque omnino dimittat. Celebrata demnm, vel dimiſſa phlebotomia, quid in hujus initio movendum ſit, ſerio perpendere intereſt. *Cum enim morbi inchoant, ſi quid movendum videtur, move, 2.aph.29.* docemur. Equidem in febris initio, cum Natura vel nihil, vel irrite movere ſueſcat, Artis penſum eſt, pro urgentia illius irritationibus occurrere. Si ergo irritos illius motus, ut ſtomachi anxietates, vel præcordiorum anguſtias, aut vomituritiones, ſimiliave in febris exordio inſpicere contingat; vomitum in hoc caſu movere ſueſco; cum hæc ſigna, ſtomachi ſarcinam indicantia, Emeticum petant, & cum levamine audiant. Emetici ergo ſelectum *antec. num. 7.* dedimus, ſimiliterque exhibitionis tempus innuimus; ſi vero nimia ſtomachi lues, ut in acidi vitio contingit, Emeticum repetere indicet, ad alteram adhuc diem illius uſum extendere oportet; cum autem ventriculi tonum everſum, ſpirituſque a vomitu exaſperatos eſſe, conſpiciatur, paregoricum ſequens, vel ſimile præſcribatur.

℞. *Aqu. Papaver. errat. Menth. aa. unc. j. ſem.*
de florib. Citr. unc. ſem.
Diaſcord. Fracaſtor. ſcrup. ij.
Laudan. cydoniat. liquid. gutt. x.
Syrup. Corall. optim. unc. ſem.
M. detur ad hauſtum, vel cochleat. pro Doſ.

Cum bolus magis arrideat, ſequens eſſe, vel ſimile æque poterit.

℞. *Diaſcord. Fracaſt. drach. j*
Extract. Papaver. errat. ſcrup. j.
Tinctur. anodyn. Ludovic. gut. vj.
M. f. Bolus pro una Doſi.

Cui ſuperbibat brodium pulli, vel Aqua Meliſſ. Menth. deſtill. aa. unc. ij.

14. Cum vero vomitus indicatio non appareat, altera a venæ ſectione, vel eadem prima die, maxime cum phlebotomia celebrata non ſit, lenientem catharticum præſcribere convenit, ut *Cathartici lenientis uſus.* illuviem, ab improbo victu ſæpius inductam, ne febrem foveat, & exaſperet, eliminare fas eſt; ex primis enim viis hac occaſione depulſa, faciliorem febris abſolutionem frequenter vidimus. Purgantia vero hic mihi ſunt Potiones magiſtrales ſolutivæ, vel ſyruppi ſolutivi, aut Caſſia cum Rhabarbaro, ſimileſque lenitentes Mixturæ, quæ primas vias tantumodo expurgent. Fortiora enim cathartica in febribus continuis, & maxime in principio, niſi *materia turgens* aliud petat, noxia ſemper ſunt; cum in cruditatis

ſtadio

ſtadio præcipue inutiliter exagitent, & non luem, quæ ſeparata, & ſubacta non eſt, ſed nutritium ſuccum eliminent; quod quartum a recto aberret, Periti noſcunt.

Febris indoles noſcitur. 15. Vomitione, & Catharſi prima die rite abſolutis, ad præparantia, ut infra innuitur, deſcendere oportet; iterum diem quartam, 2. *aph.* 24. ſpectabilem nuncupatam, accurate conſiderare, eſt opus, ut febris hujus indolem, & durationem æque perſpicuas habeamus. In quarta ergo ſi nullum coctionis rudimentum appareat, ultra ſeptimam diem febris permeare denunciat, & cum nec in ſeptima ſignum coctionis oſtendat, quartam decimam ut plurimum excedere demonſtrat. Item illius veram indolem perpendere intereſt, nempe an maligna in progreſſu fieri poſſit, quod ex nimia ſymptomatum improportione, ac ruvinoſa virium præcipitatione, vel excurrenti Epidemia conſtitutione, quæ facile acutas febres in veneficas pervertat; in quo caſu febrem talem non hic, ſed ad veneficarium curationes infra nunciandas, dimittimus. Cum autem intra ſimplicium acutarum linea perſiſtere conjiciatur, toto cruditatis tempore digerentia illius fomiti appropriata conſtanter adhibere oportet, & niſi occaſio præceps aliquam variationem repoſcat, præ digerentibus nil aliud exhibere ſoleo; certo ſciens, quod purgantia etiam leniſſima coctionis opus prorogent, & divertant. Hæc ſententia Cordatiorum eſt, in quorum numero peritus *Syndeham* coctionis tempore etiam Enomata prohibet, *ne Naturæ opus interturbetur, atque impediatur*, ſic ille in *method. curand. febr. contin.* quod Initiati Juniores pro tuta methodo teneant.

Coctionis vindicæ. 16. Neque hic audire decet, qui dialectico ſtilo fallibilem, ut dicunt; nec adjuvare, nec expectare coctionem, ſed cito lædentem luem eliminare, contendunt; iſti enim arbitrariam medicinam faciunt, quia experientiæ pericula neſciunt, quæ ſi dignoſcerent, non utique Hippocratis legibus tam facile terga verterent. Contra ipſos autem ratio primum dictat; quod nunquam a ſanguinis miſcela intruſas ſordes purgantia educere queant, niſi prius a ſana maſſa improba lues præcipitata, ac ſeparata ſit; cathartica enim malum a bono ſegregare, & ſecum ducere neſciunt, quod opus Naturæ proprium eſſe, mechanica etiam experimenta oſtendunt, Succi ex. gr. Vegetabilium ante propriam inſitam fermentationem a fæcibus depurari nequeunt, ſic Muſtum ſi centies per filtrum colaveris, nunquam Vinum clarificatum evadet, cum hanc perfectionem ab intimo, proprioque ſibi motu ſolum obtineat; hoc idem per intimam commotionem ſanguis fædatus conſequitur, cum per febris machinam etherogeneas partes a pura maſſa Natura ſecernat, & præcipitet, quod opus & Concotio eſt, & Naturæ labor, ab Arte ſæpius adjutæ, Ars autem ſine illa minime poteſt. Hoc item in externis tumoribus ad oculum apparet, in quibus ut debita purgatio ſuccedat, noxia ſordes in pus æque concoctum converti debet; crudum namque tumorem purgare, Chyrurgus peritus deteſtatur. Quod ergo in hiſce hoc idem in impuro ſanguine cruditatis, & coctionis ſtatus ineſſe, Hippocrates, & Experientia nos docent; ideo *cocta medicari, atque movere, non cruda*, ab ipſo præcipitur. Coctionem ergo expectare, ac præparantibus coadjuvare, non vero purgantibus præpedire, ac pervertere, Peritus debet.

17 Altera non minoris damni Nonnullorum culpa eſt, crudelis illa aquæ ſitientibus denegatio, quæ licet in febris initio recte prohibeatur, in illius tamen vigore, cum æſtus impenſus, & ſitis ardens congruam humectationem expetant, debitum potum inhibere, crudelis animi eſt; nec ulla validam illorum excurationem reperio; cum ſumma viſcerum ardentium neceſſitas panicis illorum timoribus longe præponderet. Perlegant quæſo *celebr. Dottor. Langii*, *& Lindani epiſtol.* ac Anatomicas inſpectiones revolvant, legant *Argenteri Comm. in lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 2. Qui in Cadavere ardenti febre extincto nullum ſanguinis laticem repertum fuiſſe narrat; item *Spilegii l.* 1. *de ſemitert. cap.* 15. *&* 16. qui duorum ſimili febre conſumptorum cadavera *Potus neceſſitas.*

omni-

omnino eſanguia inveniſſe ſcribit. Denique videant *Panaroli pentec.4. obſerv.8.* qui in multis ardenti febre necatis omnia thoracis viſcera exuſta, & arida tractaviſſe deſcribit; ſicque certo perire ſuſpicor, qui in febre ardenti ex negato potu decedunt. Ex his ergo inſpectionibus & potus neceſſitatem, & micidiariam prohibentium crudelitatem inſpiciant; & inde noſcant, quod non abſque urgentia in ardentibus ſitis clamitat, cum intimus æſtus, qui Caniculæ ardores longe ſuperat, ſanguinem ebullientem areſcere tandem cogat, unde viſcera, proprio ſucco depauperata, cito exuruntur. Concludere igitur decet, quod in ardentibus febribus, quæ ſanguinis laticem conſumunt, ſine mortis crimine, debitum potum denegare, nemo poſſit. Verum nec plenam potandi libertatem ſitientibus relinquere, fas eſt, ne in exitium pervertatur auxilium; tuta ideo bibendi regula erit, ſi non ſemel ad ſatietatem, ſed ſenſim, & ſæpe ſitis ſolatium repetant, & viſcera paulatim humectando reficiant. Sic enim nec ſtomachi tonum relaxare, nec ſpirituum vigorem ſuffocare pavitamus, quæ inquam timidum Imperitorum animum tenet, ne exuſtos in ardenti febre Patientes viſcera irrigare permittant. In ardentibus ergo febribus, cum calor excandeſcat, ſitiſque impenſa clamitet, ſequentes, vel ſimiles potus concedere ſuadeor, videlicet.

℞. *Aqu. font. optim. lib. vj.*
Succ. limon. recent. lib. ſem.
Syrup. de Berber. unc. iv.
Aqu. de florib. Aurant. unc. j.
M. pro 4. Doſib. in febr. ardor. proin.

Cum vero non tam impenſa ſitis excruciet, licet febris ardeat, ſequens potus aptus eſt.

℞. *Aqu. Nocer. vel Seri deſtillat. lib. ij.*
Syrup. de Agredin. Citri unc. iij.
Spirit. Nitri dulcific. gut. x.
M. pro duab. Doſ. ut ſupr. ſumend.

Emulſiones item ex Seminibus frigidis, quorum oleoſitas hic proficua eſt, æque præſcribi poſſunt, quarum Doſes in magna ſiti ad lib. vj. in miti vero ad lib. ij. eodem modo propinari poſſunt.

In linguæ ariditate. 18. In febribus autem, quæ ſine magno æſtu viſcerum phlogoſes non minitantur, copioſus potus noxius certo eſt; harum enim ſitis ultra fauces non extenditur, cum a ſtomachi fuliginibus lymphatici oris ductus exiccentur, vel infarciantur, unde faucium ariditas, & linguæ aſperitas humectationem expetunt; in his ergo copioſum potum, hic lædentem, in lambitiva, vel rotulas humectantes commutare, eſt opus; hujus ergo cenſus ſequentia ſunt.

℞. *Aqu. Portulac. Violar aa. unc. iij.*
Nitri corallat. drach. j. ſem
Vin. Granat. acidor unc. j.
M. f. lambitiv. ſenſim, & ſæpe utend.

vel ℞. *Mucillag. Semin. Cydon. aqu. roſ. extract. drach vj.*
Nitri Saturnizat. drach. j.
Succ. Granat. ſubacid. unc. j.
M. f. Eclegma ſenſim lambend.

vel ℞. *Semin. Cucumer. Cydon. aa. dr. iij.*
Nitri perlat. drach. ſem.
Contuſ. cum gum. Tragacant. f. trochiſ.
Vel cum ſacchar. q. ſ. f. rotul. in ore liquand.

Præparantium methodus. 19. Sed redeamus ad meſſem, quam *num.* 15. ob opportunas digreſſiones relinquimus. Poſt emeticum ergo, vel catharticum, ad præparantia deſcendere eſt opus; hæc vero hic proficua eadem ſunt, quæ pro varia lædentium indole, ſupra jam *cap.* 3. *de Intermitt. num.* 19. 20. & 21. expoſita fuere, quæ hic repetere vanum eſſet; cum vero magis valida expeti videatur, *in antec. part.* 2. *cap.* 6. ſeligi poſſunt, hæc autem in Continuis hiſce mane, & veſperi opportuno tempore, cum febris permittat, repeti debent, hora ſaltem ante cibum tenuem; ſi vero febris periodus nimis longa protrahitur, ſemel ſaltem in die hora congrua perſcribantur; quod decernere, providi Aſſiſtentis eſt, ſicuti conſtanter in iſtis perſeverare, donec ſigna coctionis perſpicua emergant. Cum autem ex diuturna præparatione intentum ſcopum non attingant, nullumque in ſeptimo coctionis initium appareat; tunc febris conditionem æque perpendere, eſt opus, nempe ſi miti, vel ardenti greſſu percurrat. Si primum ideſt, quod moderatum ardorem, pulſum magnum, ſed non vehementem, nullumque grave ſymptoma oſtendat, in hoc caſu firmiter in præparantibus inſiſtere decet, nullumque vitæ periculum ab hac miti ſanguinis commotione ſuſpicari

ſpicari æque poteſt ; tarda vero illius deſpumatio circa quartumdecimum, vel vigeſimum ad ſummum protrahi poterit. Si alter febris progreſſus inſpicere contingat, nempe ſi vehementer accenſa, praviſque ſymptomatis comitata, poſt ſeptimam irritis omnibus in cruditate perſiſtat ; tunc imminentia diſcrimina pro viribus evitare intereſt ; cum febres iſtæ ſine coctione incrudeſcentes decima quarta ſæpius funeſtum terminum ponant ; in his igitur coctionem expectare non decet, ſed turgentium fræno domare, cum a ſordibus pene turgentibus gravata Natura, illas ſubigere, & ad coctionem ducere nequeat. Ideo cum præparantibus ſimul purgantia miſcere intereſt, ut ex aliqua parte minuantur ſordes, & Natura levetur. Ad hoc opus ergo die octava mane catharticum mite, ut potio magiſtralis communis, vel Syrupus aliquis ſolutivus &c. veſperi vero tribus horis ante brevem cibum ſequens mixtura exhibeatur.

℞. *Aqu. de florib. Sambuc. unc. iij.*
de florib. Aurant. unc. j.
Extract. de Bacc. Juniper. drach j.
Spirit. biformis noſtri drach. ſem.
M. pro una Doſ. utend. ut ſupra.

Spiritus biformis hoc modo conficere jubeo,

℞. *Spirit. Tartar. optim. unc. j.*
Nitri volatil. unc. ſem.
M. & digere per biduum vaſe prob. clauſo.

Spiritus iſte, ſicut & Mixtura nunc data ad diaphoreſin, & ad diureſin, quo conferentius eſt, Naturam provocare poteſt. In his enim ambagibus mucrone ancipiti utamur oportet, ut per alterutram magis commodam viam aliquam deſpumationem promovere aſſequamur; & ita ad quartumdecimum diem in hac methodo, mane videlicet præparantibus, veſperi pariter hac mixtura conſtanter uti oportet. Item ſi opus videatur Cucurbitulas ſiccas, vel ſcarificatas, maxime cum in febris initio venæ ſectio celebrata non ſit, & a cutis madoribus expetantur, ad uſum vocare opus erit. Plura item auxilia non niſi a circumſtantiis variantibus indicata, peritis Aſſiſtentibus relinquuntur.

20. Coctio demum poſt præparantia emergens, appropriatam Purgationem petit, quam non illico, & præcipitanter inſtitui debet; in his enim ſimpliciter Acutis coctionis perſeverantia ſigna conſpicere, & proximiorem diem criticam obſervare, ſolemne mihi ; ne intempeſtiva purgatio inſtitutam criſin pervertat, quod quantum cum Patientis damno contingat, ſoli Cordati noſcunt : Criticum ergo poſt prima coctionis ſigna proximiorem diem expectare, ac inſpectare convenit, an aliquem morbi terminum, vel ſaltem ſibi commodam eliminationem Natura elegerit, ne Artis violentia intima illius molimina præpediat, vel evertat. Nec ullum unquam damnum a ſimili cunctatione compertum habeo ; cum per hanc viam pericula non tentamus ; ubi contra in plurima diſcrimina incidere, facile eſt. Ideo cum ex. gr. in quarto coctionis ſigna eluceſcant, poſt ſeptimum (in quo, ſicut in omni ſeptenario morbi judicantur) expetitam purgationem defero. Qui vero in hac caſu ante ſeptimum purgare ſtatuat, hic inquam vel determinatam jam criſin præpedit, & cum Ægri damno pervertit; vel ſi Naturæ vigor Artis violentiam deludat, propriam infamiam acquirere, certo laborat. Hæc inquam arbitraria, ac indecens purgatio vel Ægri, vel Medici damna ſemper inducit, quos infelices eventus, ſepe inſpectos, numerare non ſatis poſſum. Verum ſuas quiſque vias currat, noſtram vero tutam Hippocratis veſtigia determinant. Cum itaque ſeptenarium, in quo coctio emerſit, Criſi vacuum inſpicio, (non enim ſemper criſin inſtituit Natura) altera die vel octava nempe, vel decimaquinta determinatam purgationem aggredior, quam non arbitrariam quidem, cum intimi motus purgationis viam indigitent, ſed auxiliariam, & quo Natura vergit, inſtituere determino ; ſicque non diſcordi quod ſubvertit, ſed concordi motu fœderatæ impulſiones ſanguinis deſpumationem, citius, ac tutius eliminant.

Purgationis ponderationes

21. Cum itaque a Naturæ indiciis ſeparatas a ſanguine ſordes per cutim eliminandas eſſe dignoſcam, tunc primo appro-

Diaphoretica in febre ardenti.

appropriata Diaphoretica ſeligenda, ſtatuo, in quo delectu obſervandum eſt, quod non indifferenter omnia omnibus hujus generis febribus æque, recteque conveniant; ideo febris conditiones primum examino, quæ propria, ad opus apta, ſudorifera mihi ſuggerunt; differentes enim fomites, ac diſpares febres eliminantia diverſa expetunt. Primo itaque in ardenti febre, cujus furoris occaſio eſt alkalinum Acre virus, ſanguinis conſiſtentiam diſſolvens, acidula ſudorifera tutius uſurpantur. Hic hactenus a vulgaribus inconſideratus delectus, cauſa certo fuit, cur febres aliquando nec cito, nec tuto abſolutas vidiſſent; ideo ut tutius Juniores incedant, in ardenti febre ſequentibus uti ſuadeo, videlicet.

℞. *Aqu. de flor. Sambuc. unc. iij.*
de flor. Aurant. unc. ſem.
Tinct. Bezoard. acidul. Ludovic. drac. j. ſem.
Extract. de bacc. Iuniper. Drach. ſem.
Syrup. de Rub. Ideo unc. j.
M. pro hauſt. ſudorif. j. Doſ.

vel cum bolus magis arrideat.

℞. *Oxitartar. diaphoret. noſtri drach. j. ſem.*
Extract. de bacc. Sambucc. drac. ſem.
Aqu. flor. Aurant. q. ſ. ut f. bol. pro j. Doſ.

vel ℞. *Sulphur. Antim. fixi Ludov. ſc. ſem.*
Extract. de bacc. Juniper. ſcrup. ij.
Syrup. de Berber. q. ſ. ut f. bol pro j. Doſ.

Hiſce bolis ſequentem hauſtum propinare oportet.

℞. *Aqu. Card. ben. Acetoſ. aa. unc. ij.*
Spirit. de bacc. Sambuc. gut. xij.
M. pro hauſt. ut ſupra &c.

Plura hujus ſelectæ farinæ *in antec. p. 2. cap.* 6. expoſita fuere, quæ ad hunc uſum æque adaptari poſſunt, cum pro ardenti febre dictata ſint.

Diaphoretica in febre mitiori.

22. In febre autem mitiori, quæ nec vehementiam, nec æſtum magnum oſtendat, alkalina ſudorifera opportuna ſunt; utpote quia frequenter ipſarum fomes Acida lues eſt, quæ ſanguinis coagulationes varias inducere ſolet; horum autem formulæ ſequentes, vel ſimiles in uſu mihi ſunt, videlicet.

℞. *Aqu. Card. ben. Schorzon. aa. unc. ij.*
Mixtur. de Tribus Paracelſ. drach. ſem.
Sal. volat. Armon. vel Camphor. gr. xv.
Syrup. de ſucc. Scordi unc. j.
M. pro j. Doſ.

vel ℞. *Aqu. Bardan. compoſ. P. A. R. unc. j.*
Schorzoner. unc. ij.
Bezoard. Martial. opt. ſcrup. j.
Spirit. Camphor. gut. viij.
Syrup. Card. ben. unc. j. M. pro j. Doſ.

Vel ex bolo,

℞. *Sal. Card. ben. ſcrup. ij.*
Corn. Cerv. philoſ. calcin.
Antimon. diaphor. aa. drach ſem.
Confect. Alcherm. q. ſ. ut f. bol. pro j. Doſ.

Hæc ergo ſudorifera tandiu frequentare jubeo, donec integram deſpumationem obtentam eſſe, febris abſolutio demonſtret. Cum autem a nimio ſudore vires debilitari conſpiciam, in illorum exhibitione manum tempero, ac intermixtis analepticis vires refocillare ſtudeo ut ex. gr.

℞. *Aqu. Acetoſæ Violar. aa. unc. j. ſem.*
Cordial. Saxon: frig. unc. j.
Magiſt. ſolubil. Corall. ſcrup. ij.
Man. Chriſti perlat. drach. ij.
Vin. Granat. ſubacid. unc. j. ſem.
M. & cochleatim ſæpius utatur.

Item ſi poſt ſudoris copiam ſitis appareat, niſi alia inhibeant, decenti potu, & ſitim reſtinguere, & exhauſti ſeri defectum compenſare eſt opus, videlicet.

℞. *Aqu Nocer. vel Seri deſtill. lib. ij.*
Vin. Granat. ſubacid. lib. ſem.
Spirit. Nitri dulcific. gut. xv.
M. & tribus vicib. propin.

Diuretica in febre vehementi

23. Aſt ubi Diureticam purgationem apertis ſignis Naturam petere inſpicio, ut toties repetitum eſt, in vehementi febre validiora fundentia vitare, ac irritantia tantum, improprie dicta Diuretica, uſurpare decet; ex. gr.

℞. *Semin. Melon. Angur. decort. aa. drach. ij.*
Aqu. Fragor. Melon. aa. lib. ſem.
Magiſt. Ocul. Cancr. drach. j.
Syrup. Heder. terreſt. unc. ij.
M. f. Emulſ. diuret. pro duab. Doſ.

Vel ex bolo.

℞. *Terra foliat. Nitri drach. ſem.*
Ocul. Cancr. pp. ſcrup. ij.
Syrup. de Succ. Citr. q. ſ. ut f. bol. pro j. Doſ.

Poſt

Poſt quem propin. Aqu. Frag. Melon. aa. lib. ſem.

Diuretica in febre miti. In mitiori vero febre diuretica validiora præſcribere convenit, duplici quidem ratione, & quia coagulationes ab acida lue inductæ fundentia remedia petunt; & quia in his febribus, quæ digeſtionis opus tarde perficiunt, diuretica iſta ut digeſtiva etiam inſerviunt. Ad utrumque uſum ergo ſic eadem præſcribere ſoleo.

℞. *Aqu. Geniſt. Petroſell. aa. unc. v.*
Diuretic. noſtra ex florib. unc. ij.
Sal. Geniſt. Gentian. aa. drach. j.
Spirit. Sal. Armon. gut. xx.
M. f. Diuret. potio pro duab. Doſ.

Vel ex bolo.

℞. *Nitri fortificat. ſcrup. ſem.*
Tartar. nitrat. drach. j.
Syrup. Heder. terreſt. q.
Ut f. bol. diuret. pro una Doſ.
poſt quem bibat Aqu. Petroſ. Beton. aa. un ij.

Cum autem vires dejectas inſpiciam Magiſter. ſolubil. perlar. cum dictis miſceo, qui ſimul urinam movere, ac ſpiritus reſtaurare ſolet, ac inſuper Vin. Granator. ad unc. aliquot propino; & hanc methodum ad febris terminum uſque firmiter continuare ſueſco.

Purgatio ambigua expenditur. 24. Hactenus juxta Naturæ motus purgationes dirigere docuimus; nunc vero nullibi movente illa, quid Medens agere debeat, expendere ſupereſt; cutis enim, ac ureterum clauſæ viæ, ambiguam nimis purgationis methodum ſuſpendunt. In hac ambage igitur nec a Coacis monitis recedere decet, qui *lib. 2. de morb. vulg.* innuit, quod in hoc caſu, vel nullam adhuc viam vel ſolam catharſin Natura eligere ſtatuat; unde cæteris clauſis aditis, (ut ſimul tardos, ac ambiguæ ſortis abſceſſus divertamus) promptam Catharſin promovere ducimus, cui intentioni primo in ardenti febre ſequentibus ſatisfacio. *In febre ardenti.*

℞. *Tamarind. in ſero lact. infuſ. unc. iv.*
Syrup. Violar. ſolut. unc. ij. ſem.
Aqu. flor. Citr. q. ſ. m. f. Potio pro Doſ.

vel ℞. *Extract. Rhabarb. ſcrup. ij.*
Reſin. Jalapp. Tartar. vitriol. aa. gr. xij
Balſam. Peruvian. gut. iij.
Syrup. Viol. ſolut. q. ſ.
Ut f. boli pro una Doſ.

Cum autem lumbricorum fomitem ſubeſſe conjiciam, tunc ſequenti utor.

℞. *Syrup. flor. Perſicor. unc. v.*
Reſin. Jalapp. optim. ſcrup. ſem.
Aqu. Flor. Citri unc. ſem.
M. f. Potio purg. pro Doſ.

Vel ex bolo.

℞. *Mercur. dulc. gr. xv.*
Diagryd. ſulphur gr. viij.
Balſam. Peruv. gr. iij.
Syrup. Roſar. ſolut. q. ſ. ut f. bol. pro Doſ.

In miti vero febre, quæ catharticorum vim facilius ſuſtinet, ſequenti, vel ſimili purgatione utor. *In febre mitiori.*

℞. *Pot. Magiſtr. ſolut. reſtrict. ad unc. iv.*
Syrup. Roſar. ſolut. unc. ij.
(Vel in Vermium ſuſpicione)
Syrup. flor. Perſicor. unc. j. ſem.
Aqu. flor. Aurant. q. ſ. m. f. Pot. purg.

Vel ex bolo.

℞. *Magiſt. Tartar. purgant. ſcrup. ſem.*
Extract. Panchym. Croll. ſcrup. j.
Balſam. Peruv. gr. iij.
Syrup. Roſar. ſolut. q. ſ. ut f. Bol. pro Doſ.

Quod ſi per epicraſin purgationem inſtituere opus ſit; tunc *Pilul. antec. cap. 2. num. 25.* expoſitas eodem dato modo perſæpe adhibeo, & cum digeſtivis propriis alternare ſoleo. In his denique terminis febris abſolutionem expendo, ut a recidivis Æger eximatur. Non enim omnes Acutæ febres fauſte ſemper, maxime autumnales, abſolvuntur; cum exiguis occaſionibus exaltatæ, in Intermittentes degenerare aſſueſcant. At ſi a ſupra data methodo expugnari nequeant, tunc reflexione, *antec. cap. 2. num. ultim.* expoſita, uti debemus; cum regula illa Medentis cautionem, Patientiſque ſolamen fuiſſe, obſervavimus. Siquidem febres iſtæ, niſi ſanguinis immutationem obtineant, nullis compeſcentibus obediunt; ideo Naturæ ſcopum febrifugis præpedire velle, inutile ſemper, ſæpeque pernicioſum fuiſſe, comperti ſumus. Hiſce tandem Acutarum curationem abſolvimus, nunc ad Veneficas febres dignoſcendas, & curandas accedimus.

CAP. V.

De Febribus Veneficis.

Veneficæ febris idea.

1. Vulgaris olim Febrium Malignarum propago, ita feraciter luxuriaſſe videtur, ut plurimas immerito malignitatis titulo inveſtitas fuiſſe, perlegamus. Ardua enim inter utraſque febres diſtincta notio; quæ noſtris etiam temporibus plane haud eluceſcit, Veterum ſententias extorxit. Cauſam ſi quæras? cæcas occultæ qualitatis caligines fuiſſe, facile reperies. Noſtra vero Ætas anatomiæ luminibus expergefacta, doctrinisque chymicis, & mechanicis illuſtrata, proximius, quo humanæ vires ferunt, febrium harum ſcaturigines detexiſſe videtur. Tutioribus enim doctrinis ducta, Malignas, Peſtilenteſque febres illas eſſe dijudicat, quæ duplici veneno ſanguinem devaſtant, illius nempe conſiſtentiam diſſolvendo, vel ejuſdem fluiditatem coagulando. Hos inqnam præcipuos veneficiarum februm effectus, tam ab illarum afficiendi modo, ſymptomatumque conditione, quam a juvantibus, & lædentibus expertis auxiliis, dignoſcere potuere, ut ut primum anatomicæ inſpectiones eaſdem ſanguinis ſtrages multoties indigitarunt; cum in variis epidemiis, apertis Infectorum cadaveribus, ſanguinem vel coagulatum, vel prorſus colliquatum inſpexiſſe, denuncient. Hæc ergo inſpecta Contagiorum producta, occultas illorum ſcatebras oſtendere poſſe videntur; non enim, ut vulgus cogitat, intra obſcuras Naturæ latebras tam arcte reconduntur, ut nemini penetrare, conceſſum ſit; cum manifeſti effectus ad illorum cauſas perducere ſæpe ſoleant.

Acidi & acris opinio.

2. Ut ergo in re tam ardua indago noſtra non aberret, chymico-mechanica exempla nos dirigant. Et primo pro præſentis ævi notionibus æque ſancitur, quod cum liquidorum fluiditatem imminui grumeſcere, & coagulari conſpiciamus, tunc Acida corpuſcula fluidum illud figentia, & invertentia culpamus; ſic pariter cum liquidi ſucci texturam, ſeu naturalem conſiſtentiam, partiumque nexum diſſolutum videamus, tunc alkalinum acre hujus diſſolutionis cauſam incuſamus; cum immediatas dictorum effectuum cauſas eſſe, chymico--mechanica documenta oſtendant. Ex hoc ergo æque celebri principio, nulla contrarietas prohibet, quin ſanguinis coagulationes ab Acidis, & colliquationes ab Acribus corpuſculis, cum plus æquo in maſſa redundent, deduci poſſint; ſanguinis enim fluidum interdum coagulari, & colliquari Anatomiæ inſpectiones oſtendunt; ergo ab iiſdem cauſis affici, & infici poſſe, tuto concluditur. Hæc tandem hodie vulgata, & celebris opinio eſt, a qua febres benignæ (ut dicunt) communi calculo deſcribuntur. At in veneficis, malignisve febribus acidum, vel acre tantummodo culpari debere, vulgare placitum ambigit; plurima enim iiſdem cauſis haud imponenda ſymptomata, ab hiſce alienas, abditaſque origines indicare videntur, ideo in his tenebris nemo quid certi determinare præſumit.

Exponitur & firmatur.

3. Verum etſi ad abdita Naturæ arcana ſcrutanda, ſæpius mens noſtra deficiat, non ideo ignorare ſemper, cordati Phyſici eſt; maximeque cum urgeat, Naturæ latibula pro viribus penetrare intereſt, ac ab effectibus notis abditas cauſas relevare; *ſicque gradatim obſcura luſtrando, multa quidem venientis ævi populus ignota ſciet*, *Seneca* loquitur; cum ad ignota penetranda, ſenſim ingreſſus aperiamus. Non temere igitur in his ambagibus opinando, a notis effectibus cauſa deducimus, ac veriſimillimam ſententiam ponere arbitramur; dicimus ergo, quod valde probabile ſit, Acidam, vel Acrem luem veneficis febribus fomitem parare, quod directe ipſorum effectus ſuadent; non tamen quodlibet ex iſtis, *ſed quod humana natura potentius eſt, quodque non poſſit ſuperare; fortiſſimum autem eſt inter amara amariſſimum, inter acida aciдиſſimum, & in omnibus vigor ipſe, ac ſummum, ut lib. de veter. medic. num.* 24. *Hippocrates* docet. [Noſcimus enim, quod Acris, vel Acida lues, cum ad ſummum læſionis gradum exaltata non ſit, omnibus ſimpliciter acutis febribus pro-

proprium fomitem tribuant ; at cum ad ſummum activitatis acmin evecta, naturæ vires peſſundent, tunc virulenta evadere, febreſque veneficas ducere, nata ſunt; cum pro vehementi viru ſanguinis coagulationes, vel colliquationes ſæpe inexpugnabiles inducere ſoleant; quod propriam in his febribus veneni indolem, effectibus expoſitam, plane oſtendunt. Nec plures deſunt, ex chymicis, practicisque experimentis deductæ rationes, quarum aliquas innuere ſaltem, eſt opus.

Experimentis probatur. 4. Et primo ex chymicis obſervationibus didicimns, quod ex infuſione ſpiritus acidi in Canis venam cum ſyringa impulſi, ſanguinis coagulati ſymptomata emerſerunt, & cito quaſi a peſte invaſum animal interiit; & interim anatomicæ inſpectionis examine facto, coagulatus ſanguis inventus fuit, quod properæ mortis cauſam fuiſſe, nemo negabit. Similiter ex acri alkalino urinoſo in venis infuſo, & lethalia ſanguinis colliquationem conſequentia ſymptomata, & mors præceps canem interfecit. Similia experimenta apud Doctores perleguntur, quorum plurima ab aliis, & a ſe ipſo peracta enarrat *Mich. Ettmullerus diſſert. de Chirurg. infuſor. cap.* 1. §. 4. ubi tandem concludit. *Nimia ergo ſanguinis coagulationem, pariter ac ejus nimiam diſſolutionem mortem inferre, abunde patet: quarum illam ab exuberante Acido, hanc vero ab Urinoſo prædominante contigere, præter modo allegata Experimenta, quilibet experiri poteſt, &c.* Nonne igitur properæ iſtæ Animalium mortes illis æque ſimiles ſunt, quas veneficæ febres in humanis inducunt; cum in utraque ſtrage celeres interitus, & ſanguinis coagulationes, vel colliquationes æqualiter detecte ſint. Si ergo in Canibus acidum, vel acre virus frigere, vel diſſolvere ſanguinem potuit, quare in Hominibus eaſdem ſanguinis clades, ab iiſdem cauſis ortas, dignoſcere, ac ſtatuere dubitamus? Effectus enim iſti cum clariores cauſas non oſtendant, ſapientis ergo erit illas determinare, ac melius ſemper, quam de peſtilentes cauſas ambigere, ac ignorare. Sed ad alteram indaginem deſcendamus.

5. Hoc idem perſpicua Praxeos ex- perimenta ſuadent; cum febres quaſdam, benignas in principio expertas, in progreſſu tandem malignaſſe, acerbiſque ſymptomatis interemiſſe, compertum ſit. *Experimenta in febrium progreſſu.* Hos inquam tranſitus de minori ad majus, quomodo abſque futilibus effugiis exponere, quiſnam poſſit, non video; niſi æque, ac plane noſtro ſenſu explicentur. In his ergo febribus, cum Acris ex. gr. fomes in principio non nimis efferus, plenam ſanguinis colliquationem aſſequi haud poterat, ardentes duntaxat febres incitabat; in progreſſu vero exauctus, nempe ab aere conſimilibus effluviis infecto, vel a ſex rebus non naturalibus abuſis, aut ab Arte imperita fundentibus auxiliis prava methodo utente, plurimum nutritus, integram ſanguinis diſſolutionem induxit, & hinc venefica febre patientem interfecit. Qui ergo ſimplicium febrium fomes erat, quavis cauſa adauctus, peſtiferas febres inducere etiam poteſt; quod & oppoſitum experimentum confirmat, cum nempe malignæ febres in ſimplices declinare inviſuntur. Hunc enim de majori ad minorem deſcenſum haud recte percipimus, niſi eadem methodo exponamus; in venefica ergo febre nimis ex. gr. præpotens Acidum, omnes fluidorum motus figere nitebatur, quod acerba in hoc genere ſymptomata denunciabant; ſenſim vero a Natura, & Arte enervatum, lethalia ſymptomata compeſcendo, ſimplicem febrem adhuc prorogavit, ac demum iiſdem antacidis omnino ceſſiſſe, non ſemel comperti ſumus. Hæcce itaque in his ambagibus explicationes apertam apud nos veritatem evolvunt; facileque ſuadent, eandem Acris, vel Acidi luem, plus minuſve noxiam, tam ſimplicibus, quam Veneficis febribus anſam præbere; hæc mihi clara videntur, ſed adhuc clariora inſequamur.

Praxeos experimenta. 6. A Juvantibus denique Lædentia iſta magis adhuc produntur; Juvantia enim in morbis illa ſunt, quæ illorum fomites directe oppugnant, illoſque pro ſui vi ſubigere, apta ſunt. In malignis ergo, ac peſtiferis communi ore Juvantia Alexipharmaca remedia celebrantur; quæ vero iſta proprie ſint, & quomodo in veneficam luem agant,

variis linguis, placitiſque diverſis tam Veteres, quam Recentiores exponunt. Nos vero diſſidiis relictis, cum ſanioribus ſancimus, quod Alexiteria iſta, cum juvent, malignarum virus, in ſanguine luxuriantem, abſorbeant, ac evertant, ne ſtrages inferant, quas anatomicæ inſpectiones paſſim detexerunt. Ideo recte arbitramur, quod cum ſanguinis colliquationes evitent, Antacria certo eſſe; cum vero coagulationes diſſolvant, Antacida eſſe debeant. Hanc veritatem intra quadraginta noſtræ practicæ annos frequenter compertus ſum in veneficis febribus alexiteria vel Antacria, vel Antacida, pro fomitis indole, fauſte ſemper ad opus advocaſſem; cognita enim a ſignis coagulativa febre, antacidis alexipharmacis uſus ſum; ac febre colliquativa ſimiliter detecta, ad antacria alexiteria confugimus, ac benedicente Deo ſępiſſime ſalutis metam attigimus. Ex hiſce igitur, diuturna experientia mihi notis, tutam conſequentiam deduco, quod nunc Acre, nunc Acidum virus, ſeu in propria linea ſumme noxia, febrium iſtarum fomites certo ſint, quod in ſequentibus clarius adhuc erit.

Objectio & reſponſio. 7. Sed dicent. Plures interdum comperiri febres, quas nec ad colliquativas, nec ad coagulativas reduci poſſunt; cum nulla auxilia audiviſſent, abditaque virulentia, brevi greſſu morbum, & vitam ſimul confeciſſent; ideo ad alterum non adhuc cognitum veneficiarum genus ſpectare videntur. Huic inſtantiæ non facile reſpondetur; ſola vero in hiſce caſibus anatomica inſpectio veritatem detegeret. Verum ut ab expertis ſaltem non diſcedamus, veriſimillium eſſe arbitramur, quod etſi peſtiferis hiſce, ocyter interimentibus nullum remedium profuiſſe, compertum ſit, (pauca vero remedia in his anguſtiis experiri poſſunt) non ideo abſolute negari poteſt, quod nec coagulanti, nec colliquanti virulentia militaſſent. Cum interdum ab Acido, vel acri veneno ita fortiter, ocyterque ſanguinis coagulatio, vel colliquatio compleantur, ut nulla remedia inflictas clades reſtaurare ultra poſſint quod in cæteris minus virulentis æque bene perficiunt; cum ſub iiſdem auxiliis in eadem Peſtilentia non omnes moriantur. Argumentum ſane validum, quod ſi antacida, vel antacria plurimos a morte redimant, in eadem peſte, in qua plures decedunt, ab iiſdem acidis, vel acribus venenis interimantur. Hæc enim toxica in aliquorum ſanguine fortius, in aliorum minus imprimuntur; ideo plus minuſve remediorum energiam audiunt, ſicque illos ocyter opprimere, iſtos ſanabiles relinquere obſervatum eſt. Hæc demum pro tutis noſtri Ævi notionibus æque diſcuſſa ſunt; cupimus autem, quod hiſce non ſatis contenti, ulteriores indagines inſtituant; cum ingentem veneficiarum febrium provinciam, non adhuc integre cognitam, penitus deſcribi poſſit.

8. Poſitis demum his, non obſcuræ veneficarum febrium differentiæ noſcuntur; ſolus enim virulentiæ gradus has febres primo diſcriminat; cum malignæ mitiores ſint peſtilentibus, & iſtę minus exitioſæ, quam ipſa Peſtis; quæ diſparitates ab iiſdem lædentibus plus minuſve deleteriis dimanant, cum magis vel minus Enormaticam reſiſtentiam devincant, ſicque vitæ regnum vel tantum oppugnent, vel penitus evertant. Differentiæ vero, quæ magis ad praxim pertinent, a lædentium effectibus deſumuntur, qui diſpari veneno Coagulativas, & Colliquativas febres diſſimiles efficit. Hæc demum ſine ambagibus explicata eſſe credimus; qui vero & manifeſta lædentia, & illorum effectus ex ignota origine ſemper inſpicere, nunquam dignoſcere contenti ſunt, & ſibi, & ægris officiunt, ſibi quia ſemper ignorant, quod pro viribus ſcire tenentur; Ægris vero, quia ignorata morbi cauſa, nulla recta medendi methodus inſtitui poteſt; demum & poſteros etiam defraudant, cum rectam philoſophandi viam, arduam ſemper, explanare graventur. *Ignorare, quæ opportuna non ſunt, inſcitia dicitur; neceſſaria vero neſcire, duplex & ſibi, & ſuis detrimentum eſt.* Sic *Plutarcus* concludit. *Febrium iſtarum differentię.*

C A-

CAP. VI.

De Veneficis Coagulativis.

Deſcribuntur & dividuntur. 1. VEneficas ergo febres, ut ſingulariter expendamus, a Coagulativis auſpicari duximus; cum & frequentiores ſint, & minorem incendii ſcenam licet non minus exitialem, aperiant. Hæcce inquam febres a forti Acido, impenſeque vehementi inducuntur, cujus virulentia in coagulando ſanguinis fluorem ſic impenditur, ut motum omnem, tam inteſtinum, quam circularem undique figere, vel ſufflaminare ſaltem contendat. Congrumatus enim ab hoc veneno ſanguis nec inteſtinos ſpirituum impetus audire, nec ab arteriolis egredere, venarumque capillaria vaſcula ingredere, potis eſt; ſicque hinc inde ſtagnando, circulationis progreſſum inhibet, ac univerſam vitalem æconomiam ſubvertit, & cum ultimum grumeſcentiæ apicem tangat, vitam illico extinguit. Quo ergo major eſt hujus Acidi vis, & quo debilior ſpirituum reſiſtentia, eo celerius figitur ſanguis, ac perículoſior febris evadit; contra vero minus periculum minitatur. Hujus enim Figentis virulentia quoſdam quaſi limites non traſcendit; cum ſæpe malignas tantum febres inducat, quarum nec tanta, nec tam cito ſanguinis coagulatio peragitur, faciliuſque antacidis deſtruitur; interdum etiam virulentiſſimum eſt, & tunc peſtilentes febres inducit, quæ properam coagulationem, difficilem ſolutionem, ac repentinum interitum ſæpe moliuntur. Hæc ergo febrium iſtarum indoles, ac differentiæ ſunt; nunc illarum diagnoſin inſequimur.

Diagnoſis expenditur. 2. Non infimum igitur ſignum, quod ſanguinis coagulationem exponit, a Pulſu primo expetitur, qui, cum illius commotionis præcipuus indicans ſit, ideo apprime conſiderandus eſt; pulſus itaque in hac febre parvi ut plurimum, & non nimium frequentes, ſed inæquales ſemper, ſæpeque conſiſtentes inveniuntur; quia coagulatus hinc inde ſanguis, nec nimium commoveri, nec a cordis ſyſtole libera, & æquali impulſiones in arterias impellitur, unde parum, & inæqualiter, minuſque debito arteriæ dilatantur; conſiſtentiam vero ſæpe ſervant, cum compreſſi reſiſtere, nec a ſua pulſatione deſiſtere obſerventur. Cum autem ut in peſtilentibus hiſce ſumma coagulatio ſanguinem inficiat, tunc pulſus pene obſcuri, vel caprizantes tanguntur, ob defatigatam a grumeſcenti ſanguine cordis impulſionem. Ab urinis pariter non obſcura coagulationis indicia panduntur; in maligna ut plurimum ſanorum ſimiles minguntur, cum non nimium febris machina ſanguinem agitare, & deſpumare poſſit; congrumati enim ſoles, in ſeroſo latice ſolvi nequeunt, ideo niſi poſt Naturæ victoriam nunquam ſaturatæ urinæ inviſuntur; in peſtiferis vero pejus, cum pene ſemper aquoſæ, crudæque mingantur, quia quo major ſanguinis coagulatio extat, eo minor in urinis contentorum copia obſervatur. Vidimus olim in peſtiferis hiſce aquoſum lotium uſque ad morbi terminum perdurare, & qui decedebant, ultima vitæ die, jumentorum ſimiles urinas mingere, quæ abſolutam ſanguinis everſionem denunciabat. Vitalium item & Animalium functionum defectus propriis ſignis figentem virulentiam oſtendunt; vires primo, quæ in aliis malignis ſubito langueſcunt, in his coagulativis uſque ad morbi ſtatum (qui ſæpe intra quartum, & ſeptimum contingit) ut plurimum conſiſtunt; cum vero in febris limine pereant, tunc peſtilentis coagulativæ, cæteris concordantibus ſignis, indicium eſt; quia ſummum virus inexpugnabilem ſpirituum obicem in ſubita ſanguinis congrumatione, illico inducit. Hinc frequentes lypothimiæ, ac ſyncopes emergunt, maxime in hujus febris initio, cum craſſior maſſa ſit, minuſque ad motum diſpoſita; hos affectus præcedunt, vel inſequuntur præcordiorum anxietates, cardialgiæ, ſpirandi labores, ob congrumatum ſanguinem per cor, & pulmones moleſte circulantem. Nec animales functiones ab hoc veneno eximuntur, cum nil nervis moleſtius, quam Acidum virus ſit; ideo in hac febre ut plurimum ſenſus, & motus hebeteſcunt; hinc viſus defectio, aurium tinnitus, & ſurditas,

ditas, tactus, guſtatuſque perverſiones experiuntur. Nec minorem labem interni ſenſus patiuntur, cum perſæpe ſoporoſi affectus, & interdum deliria obſerventur. Cætera demum febris hujus comitia febris proceſſus oſtendit; hæc inquam cum frigore primo invadere, & in quavis periodo cum extremorum refrigeratione exordiri ſolet; calor vero, qui ſenſim, & tarde accenditur, nunquam impenſus eſt, cum ſpiritus in ſanguine grumeſcente nimium explodi nequeant; hinc ſitis pauca, ſæpeque nulla moleſtat; capitis dolor gravativus potius ut plurimum adeſt, quod ſi ſanguis intra meninges congeſtus incendium capiat, cephalalgias atroces inducit; ſic in cordis auriculis congrumatus, ſyncopes, vel lypothimiæ, in pulmonibus aſthmaticas paſſiones, & in artubus quaſi arthriticas moleſtias producere ſæpe obſervavimus; hæc vero pro coagulati ſanguinis gradu plus, minuſve contingunt. Quod ſi peſtilens virus extremas vires impendat, tunc anginæ, pleuritides, peripneumoniæ lethales, parotides, bubones, anthraceſque inviſuntur, quæ magis exitioſa ſunt, quo minus a fundentibus validis maſſæ grumeſcentia expugnatur. Hæc tandem propria hujus febris indicia ſunt; nunc proximam occaſionalem illius cauſam ultimo expendere decet.

Occaſionalis cauſa. 3. Proximum ergo hujus veneficæ febris fomitem virulentum Acidum eſſe paſſim jam diximus, & ſatis adhuc *part.* 1. *cap.* 5. expoſuimus. Hujus ergo venenum, in ſanguine ingeſtum, ejuſdem ſales, ſulphura, terreaſque particulas in unum concreſcere, moleculaſque omnes ſimul coagmentare cogit; ſicque ex pluribus congeſtis corpuſculis majorem molem adauget, ita ut totius maſſæ fixationem (cum præpotens ſit) ocyter intentare, & conſequi ſæpe ſueſcat; ideo quo ſævius eſt hujus figentis virus, eo major in ſanguine coagulatio extenditur, eoque minus enormonticus vigor expanditur, ſicque vitæ regnum ocyter, vel ſenſim deperditur. Ideo ſepius cum minima febri, maximum vitæ diſcrimen conjungitur, quia febris machina, præpedito ductore ſpiritu, langueſcens, parum, nihilve ad opus inſervire poteſt; unde vitali impetu depreſſo, figentis veneni præpotentia triumphat. Tales ergo eſſe hujus Virulentiæ conatus, perſpicui ejuſdem effectus paſſim demonſtrant; ut *antec. cap.* 5. in animalibus ſaltem obſervati, convincunt.

Prophaſes cauſæ. 4. Prophaſes vero, quæ virus hoc in ſanguinem intrudere poſſunt, plurimæ certo ſunt, quarum indaginem *antec. part.* 1. *cap.* 5. ſatis inſtituimus, inter has ergo Aer primo, Cibuſve, Potuſque plurimum contribuunt. In Aere primo indefinita hujus terraquei corporis effluvia volitare, notum eſt, quæ cum acida indole polleant, & redundent, ac ut *Hippocrates* docuit, ab *improbis diu circumacta ventis*, igneque ſolari nimium volatiliſata, impenſam figendi vim acquirant, ſi vel per inſpirationem, vel per cutim ſanguinem invadant, pro vario veneni gradu, varias etiam coagulationes inducunt; ſæpe vero ſanguis ipſe forti textura, validiſque ſpiritibus munitus, venefico figenti reſiſtit, ac eliminat, quod enervis texturæ ſanguis perficere nequit; & hæc ratio eſt, cur non omnes ſub hac univerſali cauſa æqualiter inficiantur; nec ipſi infecti æquali labe afficiantur. Altera hujus veneni prophaſes a Cibo, & Potu non raro dimanat; per hos enim improbos, nocenteſque morborum proventum in ſanguine ingeri, experientia docet; ſic cum chylo ſæpius etiam acidi copia venas permeat, quod pro ſui gradu, & redundantia, plus, minuſve noxium eſſe poteſt; cum vero illius vis *Natura potentior ſit*, *ut Hippocrates* loquitur, tunc virulentum eſſe, tuto dicimus; hoc ergo venenum ex cibi potuſve corruptela, ut alibi notavimus, produci poteſt; nam ſicut cibi fermenteſcentes, ut fructus horei ſunt, ingentes ano, & cato regurgitantes impetus in primis viis inducunt; ita cibi, potuſque jam corrupti, & in acidam virulentiam reſoluti, veneficam vim in ſanguinem deferunt. Animi pathemata demum, & maxime mortis terror, veneficas has febres facile promovent; in Peſte enim ſæpe compertum eſt, a forti terrore Pavidos in febrem incidiſſe, & cum ipſa interjiſſe. Hic enim enormonticam vim evertendo, venenatis ab aere ingeſtis

geſtis effluviis vitalem ſubripit reſiſtentiam, ſicque ſine obſtaculo venefica lues ſanguinem pro genio devaſtat. Hinc in periculoſis morbis Juniores diſcant, Enormonticam vim exhilarare, & ſervare; mors enim nil aliud eſt, quam ultima impetum facientis deperditio.

Prognoſis. 5. Inſpectis demum cauſis, Prognoſtica ſigna nos vocant, quorum judicium variæ ſæpius ambiguitates eludunt; hic certo *incertas pronunciationes aut ſalutis, aut mortis* contingere confitemur; quia in his febribus tam ſalubria, quam lethalia ſigna ſæpe mendacia fuiſſe, compertum eſt. Verum ſi in omnibus veneficis febribus hoc certum eſt, in Coagulativis potiſſimum ſignorum fallacia deludit, cum ſæpius, & pulſus, & urinæ parum a ſanis diſſimiles, & febres non excandeſcentes, vireſque non nimium dejectæ, properam mortem occultare ſoleant; quia congrumatus ſanguis, cum cordis auriculas obſtruat, repentinum interitum facile infert, quod in hiſce peſtilentibus ſæpe obſervatum eſt; hinc ſyncopes, vel lypothimiæ frequentes, quæ ſi diutius perſiſtant, extrema pericula portendunt; item ſudores, madoreſve frigidi, maxime in morbi principio, cum ſymptomatum acerbitate ſociati, properam ſæpe mortem prænunciant. Improbum item judicium ferunt, ſenſuum hebetudines, memoriæ languor, & oblivio, diſcurſus non articulati, aut dementes, maxime cum ſoporoſi affectus, qui has febres frequentant, internos ſenſus depravent; pejus adhuc ſi convulſiones, & ſingultus inſequantur; peſſimum tandem ſi leviſſimæ febri conjungantur, quæ cum in hoc caſu mitior ſit, eo funeſta eſſe ſolet; quia ſpiritus in grumeſcenti ſanguine irretiti, nec expanſiones explodere, nec vitæ munia promovere apti ſunt; ideo deſperata erit hæc febris, niſi fundentibus auxiliis exaltetur ita, ut deſpumationem perficiat.

Curatio. 6. Potiſſima Curationis intentio eſt, ſanguinis congrumationes fundentibus remediis diſſolvere, ut per apertos connaturales poros, libera ſpirituum impulſio reſtituatur, ſanguiniſque moles ad priſtinam fluiditatem, & puritatem revocetur. Indicationes iſtæ eo difficilius intentum aſſequuntur, quo fortiorem figentis virulentiam eſſe, mitiſſime febres, & acerba ſymptomata denuncient, quæ ambo indicia magnum in ſanguine dominium hoc virus uſurpaſſe demonſtrant. Primum ergo ut ſanguinis motus promoveantur; Phlebotomiam opportunam eſſe arbitramur, *Phlebotomiæ uſus.* quam ratio, & experientiæ ſimul ſuadent. Ratio apprime, quia congrumatum ſanguinem tarde ſe movere, & alicubi ſtagnare noſcimus; ideo per illius miſſionem, facta maſſæ imminutione, ad inanita vaſcula ſanguinem excurrere, ſitumque ampliorem occupare, æquilibrii leges oſtendunt; ſicque liberiorem motum in maſſa promovendo, ejuſdem attenuatio facilitatur, ac major ſanguinis congrumatio inhibetur. Hæc ratio, ultra plurimas, fauſtum eventum ſuaſit; nec experientiæ ſilere debent. Sancte quidem confiteor, quod proficuam ſæpius, in his peſtilentibus maxime, ſufficientem, ac tempeſtivam ſanguinis miſſionem, nondum mihi, ſed & Medentibus aliis, a me ſuaſis, contigiſſe; cum ab hoc auxilio pene omnes redemptos, omneſque, hoc neglecto, interfectos vidiſſem. Hoc tuto conjicere me docuit, quod peſtilentes febres, quibus phlebotomiam profuiſſe, Medentium acta denunciant, vere Coagulativas fuiſſe; & econtra alias, quibus nocuiſſe teſtantur, Colliquativas extitiſſe; & hæc certo ratio eſt, cum in una peſtilentia venæ ſectio profuit, in alia vero obfuit. Experimenta ergo iſta, rationis pediſſequa, tuto confirmant, in Coagulativis febribus, maxime veneficis, phlebotomiam celebrari debere. Quantitatem vero pro viribus, ætate, anni tempore, cæteriſque non negligendis, ad libram circiter unam determinare eſt opus; quam ſi unica vice emiſſam, nocere poſſe noſcatur partitis vicibus per commodiores horas, eadem vero die omnino abſolvatur. Diem autem, cum poſſit, ante tertium ſeligere intereſt, ne poſt tertium dejectæ vires venæ ſectionem tolerare nequeant.

Poſt venæ ſectionem. 7. Peracta phlebotomia, quid ſtatim agendum ſit, mature perpendere convenit; cum ergo, quod hic frequenter contingit, poſt ipſam vitalis vigor immi-

minuatur, ut vires ſerventur, ſpirituſque irretiti ſolvantur, ſequentis cardiaci medietatem exhibeo.

℞. *Aqu. Meliſſ. Boragin. aa. unc. ij.*
Spirit. Therial. camphorat. drach. j.
Syrup. de Meliſſ. compoſ. noſtri unc. j.
Confect. Alcherm. drach. ij.
Eſſent. Cortic. Citri gut iij.
M. f. Cardiac. pro duab. Doſ.

Hoc vel ſimili quotidie etiam pro exigentia, uti ſoleo; cibum vero ex ſolo juſculo mane, & ſero, tenuem ſic victum præſcribo; & ſic primam phlebotomiæ diem abſolvo. Non negligo tamen ſymptomatum acerbitati conſulere; horum vero remedia ſequenti libro ſingulatim notantur.

Lenis purgatio. 8. Altera die ſingulas Patientis exigentias conſidero; præcipueque ſi primæ regionis ſordes Naturam gravare conjicio, eaſdem vias, leni purgante expiare delibero; probe ſciens, quod primæ regionis vitia remediorum fallaciam ſæpe induxiſſent, cum per ſordes ventriculi, vel duodeni illibata tranſire non poſſint. Itaque cum ſtomachi luem ex vomituritione, anxietate ſimilibuſque ſignis conjiciam, tunc Emeticum aliquod *antec. cap. 4. num. 7.* expoſitum, propinare, ac ſi opus petat, paregoricum exhibere convenit. Cum vero ventriculus inſons a ſordibus ſit, lenem Catharticum ſaltem præſcribere non dimitto, ad quem finem ſyrupus aliquis ſolutivus affatim ſufficit. Prima ergo regione leniter ſic expiata, cito alkalina bezoardica ad opus vocare intereſt; figens enim hoc quod properam ſanguinis congrumationem molitur, valida fundentia, quæ penitus maſſam exagitent, æque poſtulat hæc autem ſequentia ut plurimum in uſu mihi ſunt.

Bezoardici uſus.

℞. *Aqu. Scabioſ. Scordii aa. unc. ij.*
de Cinamom. deſtill. unc. ſem.
Sal. volatil. Viperin. ſcrup. j.
Diaſcord. Fracaſt. drach. ij.
Syrup. de Meliſſ. compoſ. noſtri unc. j.
M. pro duabus Doſib.

Vel cum efficacius expectatur.

℞. *Aqu. Card. ben. Schorzon. aa. unc. ij.*
de flor. Aurant. unc. j.
Sal. Volatil. Oleoſ. noſtri ſcrup. j. ſem.
Mixtur. de Tribus Paracelſ. drach j.
Spirit. Camphor. gut. vj.
M. pro duab. Doſ.

Sal volatile oleoſum ad mentem Sylvii, ſic conficere jubeo.

℞. *Sal. Tartar. Armoniac. aa. unc. v.*
Nuc Moſcat. Cinamom. aa. unc j. ſem.
Cortic. Citr. Aurantior. aa. unc. j.
Spirit. Vin. rettific. lib. j. ſem.
M. & diger. hor. 24. demum
Deſtill. ex aren. ad mediet.

Hoc ſal in febribus iſtis nulli remedio ſecundum eſſe ſolet. Doſ. ad ſcrup. j. cum autem bolus magis faveat, ſequens eſſe poteſt.

℞. *Corn. Cerv. philoſ calcin.*
Antimon. diaphor. aa. drach j.
Camphor. gr. viij.
Syrup. de Scord. q. ſ. ut
f. bol. xij. pro duab. Doſ.

Quibus ſuperbibat ſequentes, vel ſimiles aquas.

℞. *Aqu. Scabioſ. Scorzoner. aa. unc. ij.*
Syrup. de Scord. unc. j. m. & propin.

Horum itaque duplicatas doſes quotidie opportunis horis diſtribuere convenit, ut una ſimul figentis virus enervent, & ſpirituum vigorem adaugeant, ut ſanguinis grumos diſſolvant. In his vero tandiu conſtanter inſiſto, donec figentem devictum, & ſanguinem attenuatum eſſe, ab indiciis conjiciam, quæ ſigna ex febris augumento, pulſu magno, & æquali, urinis ſaturatis, ſymptomatiſque demiſſis, facile deſumuntur. Cum his auxiliis victus rationem componere eſt opus, tenuis enim & attenuans eſſe debet, viribuſque ſervandis aptus; ideo ſupra datum cardiacum cochleatim inde ſumere concedo; morbi tandem progreſſum ſequenti ordine perpendere, illique proſpicere ſtudeo.

9. Poſt dicta remedia uſque ad ſeptimum adhibita, vel pertinax febris languor, cum ſpirituum torpore perſeverat, vel febris tandem ingraveſcens novam ſanguinis diſpoſitionem oſtendit; alterutrum enim illius progreſſus detegere poſſunt. Si primum, nempe quod lenta perſiſtat, nullumque Naturæ motum in ſeptimo appareat, inſtitutam methodum non dimittere, ſed graviori manu adaugere ſollicito; breve enim ſalutis tempus ſupereſſe noſcitur; ideo cum ſanguinis coagulatio datis auxiliis fortiter reſiſtat, fortius etiam oppugnare fas eſt. Hinc primo die octa- *Febris progreſſus expenditur.*

octava quinque Veſſicantia, occipiti nempe bracchiis, & coxis applicare jubeo, ut ab illorum acribus particulis torpidi ſpiritus ad exploſiones conciteneur; ſimulque ad eundem ſcopum Epithema cardiacum ſic præſcribo.

℞. *Aqu. Scordii unc. ij.*
Theriacal. camphorat. unc. j.
Confect. Alcherm. complet. drach. ij.
M. pro Epithem. cordis region. applic.

Item ad ſopitos Naturę motus excitandos, vel Bezoar occidentale ad gr. xx. vel aliquam ex ſequentibus mixturis, quæ tam diaphoreſin, quam diureſin ſollicitant, præſcribere ſoleo, videlicet.

℞ *Aqu. Scord. de bacc. Juniper. aa. unc. ij.*
Extract. de bacc. Juniper. drach. ſem.
Spirit. Biform. noſtri drach. j.
M. pro una Doſ.

vel ℞. *Aqu. de flor. Sambuc. Scabioſ. aa. unc. ij.*
Tinctur. Tartar. drach. ſem.
Bezoard. mineral. ſimpl. ſcrup. j.
Spirit. Sal. Armon. gut. vj.
M. pro una Doſ.

Hæc ergo cum ſupra datis bezoardicis remediis peritus Medens ita componere debet, ut quotidie per opportunas horas diſtributa ſumantur; nec ultra quartam diem ab eorundem, uſu ut perſæpe vidimus, tanti morbi expugnationem procraſtinare comperiet; cum a figenti prædominio Naturæ vires excuſſæ, ſubactum venenum, ſæpius per diureſin, ac interdum per diaphoreſin eliminare ſueſcant. Cum autem ab hiſce remediis nullum fauſtum obtinere contingat, inexpugnabilem ſanguinis coagulationem eſſe, funeſtumque terminum imminere, credendum, ac denuntiandum erit.

Alter febris progreſſus. 10. Alter demum hujus febris progreſſus eſt, cum nempe a validis fundentibus auxiliis Naturæ vigor a figenti ſolutus, ac ſpiritus in ſanguine concitati, ardentem quaſi febrem ſuſcitare contendant; quod ex pulſu vehementi, ſed æquali, ſiti multa, urinis turbatis, æſtuque magno facile conjicitur; tunc novam methodum cito inſtituere oportet. Expugnata enim illa ſemper funeſta ſanguinis congrumatione, concitatum Enormon appropriatis remediis compeſcerę, ac ut maſſæ depurationem ſine diſcrimine perficiat, intra moderationis limites illius impetus cohibere intereſt, ne devitata charybdi, in ſcyllam incidamus. *Ex duobus ergo malis*, a Juris regula edocti, *minus eligimus*; cum exitioſum illum ſanguinis coagulati morbum per minorem alterum, ab Arte ſelectum, provide vitavimus. Curativam ergo methodum, qua nimium concitati ſpiritus moderantur, *cap de febr. contin. ſimplic.* affatim expoſuimus; non enim devictum virus ultra pavitandum eſt, cum bezoardica abſorbentia remedia veneficum Acidum jam invertiſſent, nunc liberum in ſanguine ſpiritum a vehementi impetu refrenare eſt opus, ut ſubactas veneni ſcorias, moderata impulſione prorſus eliminet; ne igitur palinodiam canamus, methodus, quam dicto capite dedimus, hic adamuſſim proficua eſt.

CAP. VII.

De Veneficis Colliquativis.

1. SEviores præ ante dictis, veneficæ Colliquativæ febres eſſe videntur; cum intimum, externumque incendium, ſævumque ſymptomatum apparatum, præcipitemque ſpirituum concitationem oſtentare aſſueſcant. Iſtarum fomes Acre virus eſt, impenſe mobile, & corroſivum, in Alkalium volatilium claſſe reponendum; hujus virulentia in impenſo illius motu conſiſtere videtur; quo particularum ſanguinis attritionem molitur, unde illius textura poroſior primo redditur, deinde proprio nexu hinc inde ſolvitur, demumque ex corroſa ſuperficie diſcontinuatis particulis, tota maſſa colliquatur; hanc ſanguinis cladem Acre virus primo efficit, & a nimis libero ſpirituum impetu ita conficitur, ut vappida maſſa reddatur, ut infra videbimus. Acre vero venenum in tota ſui latitudine, non unicum ſemper læſionis gradum poſſidere, ac exerere ſolet; majori enim vel minori virulentia præditum, magis etiam minuſve febris excandeſcentiam adauget; unde ſub diſpari veneni gradu, nunc malignas tan- *Deſcribitur & dividitur.*

tum, & nunc peſtilentes febres inducere potis eſt. Hæc ergo iſtarum febrium indoles, & differentiæ ſunt; nunc ad illarum diagnoſin accedimus.

Diagnoſis. 2. Signa magis propria, quibus veneficæ colliquativæ febres ab aliis diſcriminantur, ſequentia ſunt; primo Pulſus, qui ſanguinis motus revelant, in iſtarum vigore magni ſæpe, ſæpiuſque vehementes, ac ſemper celeres, & inæquales inveniuntur; ſpiritus enim in colliqueſcenti ſanguine ſolitas reſiſtentias haud comperiendo, impetu effræni ducuntur, ſic proprium fluidum ad celerrimum motum concitant, unde pulſus celeres, & magni, æſtus impenſus, febreſque vehementes inducuntur. In peſtilentibus vero, cum veneni gradus major ſit, ac vitalis impetus minor, nunquam pulſus magni, minimeque vehementes, ſed celeres, parvi, & inæquales inviſuntur, imo in febris initio ſæpe obſcuri ſunt, & quo plus comprimuntur, plus etiam obſcurantur; virus enim in exceſſu præpotens, enormonticam vim cito diſſipat; ideo febres nunquam vehementes, dejectæ vires, & lethalia ſymptomata ſæpe adſunt. Urinæ item pro veneni gradu, patientiſque conſtitutione ſæpe variantur; cum nunc croceæ, nunc rubræ, nunc etiam ſubjugales mingantur. Quo enim major, in malignis ſaltem, ſpirituum impetus eſt, eo ſaturatiores urinæ apparent; in peſtiferis vero pene ſemper ſubjugales inſpeximus. Salinæ namque, ſulphureæ, ac terræ colliquati ſanguinis particulæ in copia ſolutæ, ac in ſero præcipitatæ, vario modo tinctas urinas effingunt, quæ nunquam coctionis ſigna exhibent, etſi præcipitatæ graviores partes, quandam ſedimenti larvam oſtentant, quod Imperitos deludit, cum contentum illud in fundo matulæ reſidens non coctionis ope, ſed gravitatis lege contingat. Falſo quidem a nonnullis Naturæ improbe ſeparanti, hoc ſedimentum imponitur; cum in his febribus, ſæpius devicta, non victrix, propria jura deperdat. Ideo contentum iſtud certum colliquati ſanguinis indicium prodit; cum attritæ partes ſeſe præcipitando, gravitatis legibus obediant. Hoc vero licet extra lineam, non tamen extra rationem dictum ſit. Vitales item Animaleſque functiones pene omnes depravatæ, colliquatum ſanguinem, ſpirituſque vel concitatos, vel languentes oſtendunt. Vires primo quo plus dejectæ ſunt, eo deterius hoc virus eſſe portendunt; quod ſi in morbi principio langueſcentes, cum ſyncope, vel lypothimia conjungantur, peſtilentem febrem oſtentant, quæ ſine ingraveſcentia periodicas acceſſiones obſcurat, mutoque ſemper greſſu ad lethum ducit. In maligna vero nec tanta virium proſtratio in febris limine apparet, nec periodos occultat, cum ſub initio lenem æſtum foveat, qui demum in illius vigore vehementer excandeſcit; interdum in iſtarum initio vomitus emergunt, qui bilioſa, & amara recrementa expurgant, at cum bile ſæpius acerrimum ſuccum eliminant, & tunc veneni ſcatebra ventriculum eſſe dignoſcitur; cum vomitus nullus appareat, lumborum, & capitis dolores atroces invadunt; hinc ſitis magna, æſtus impenſi, deliria, ſæpeque phrenitis harum febrium comitia eſſe ſolent. In peſtilentibus vero ut plurimum nec capitis dolor tantus, nec æſtus excedens, nec deliria ferocia premunt, cum depreſſum Enormon languidos impetus exerat; petechiæ vero morbillique peſtiferi propriæ iſtarum ſoboles eſſe ſolent, ac demum gangrenæ, anthraceſque ultimam ſcenam funeſtant.

3. Morbi ſignis inſpectis, proximam nunc occaſionalem illius cauſam inquirere convenit, hanc inquam ſub acri alkali volatili veriſimiliter concipimus; corpuſcula enim, quæ ſenſum effugiunt, adamuſſim deſcribere, arduum eſt. Effectus vero inſenſilia hæc corpora nobis denuntiant; non enim ſanguinem colliquatum deprehendimus, niſi illius cladis auctorem acerrimum corrodentem eſſe noſcamus. Percipere tuto poſſumus, quod volatilia hæc ocyter agitata corpuſcula, perpetuo, quo ducuntur, motu ſanguinem exagitent, ſicque inteſtinam particularum colliſionem, & diſciſſionem inducant; ſalium enim ſpicula, ramoſa ſulphura, terreaque corpuſcula (quæ ſanguinem in latice mixta componunt) ab hoc violento motu diſſoluta, ocyterque circumacta, ſuperficierum, ſpiculorum, *Cauſæ expenduntur.*

ac

ac remorum attritionem ſimul patiuntur; adeo ut fluidum illud, quod antea ſanguis erat, ſoluta textura, contritiſque partibus, ex minimis fragmentis ſaturatus fluor, ſeu vappa dici poſſit. In hanc item ſtragem ſanguinis ſpiritus conſpirare videntur; illorum enim expanſiones per partium connexarum interſtitia, poroſve coarctatæ, cum ſolita repagula, & reſiſtentias in colliquata maſſa, non inveniant, libera, & effræni exploſione, innato impetu ducti, velocius, & ipſæ ſanguinis maſſam impellunt; ſicque ad propriam, & ſanguinis perniciem una ſimul cum infenſo viru Enormon rapitur. Hinc febres ardentiſſimas, cum ſpiritus conſumpti non ſint, excandeſcere, & continuare obſervamus, donec in colliquato ſanguine vitalis aura depereat; has ergo febris hujus cauſas eſſe arbitramur. Prophaſes vero, quæ acre virus in vitale fluidum ingerere poſſunt, eædem ſunt, quas antec. cap. 6. num. 4. expoſuimus; hæc enim ſub variis circumſtantiis tam Acidum, quam Acre venenum gignere aptæ ſunt; ideo hic de illis cantilenam repetere dimittimus.

Prognoſis. 4. Prognoſis vero, ſæpe in veneficis ambigua, in iſtis tamen minus dubia judicia, & prognoſtica revelat; cum colliquativæ febres, morboſam tragædiam aperte oſtendant. Præcipua ergo indicia, quæ fauſtum, vel funeſtum terminum denunciare ſolent, a Viribus primo ſumuntur; has ergo quo minus dejectas inſpeximus, minus etiam funeſta nunciaſſe obſervavimus; ex pulſibus primo dimetitæ vires, raro decipiunt, pulſus ergo magni, uſque ad morbi vigorem perſeverantes, vitale robur adhuc vegetum eſſe, ac morbo reſiſtere poſſe, firmiter promittunt; parvi vero pulſus, & inæquales Naturæ languores; morbique prædominium exponunt. Reſpiratio item debilis, vox languida, ſegnis, ac tremulus membrorum motus, maxime in morbi principio funeſta ſunt, in ſtatu tamen non tam lugubres caſus deſignant. Lipothymiæ, ac ſyncopes, cum in acmi morbi recurrant, poſt tertium languorem, paucos vivere obſervavimus. Poſt vitalem, animales etiam functiones, ſi nimium delabuntur, malum omen portendunt; delirium primo, cum diu perſeveret, ſæpe in phrenitim devolvitur, ſi vero a ſomno, vel ſudore compeſcantur, ſpirituum acoſmiam brevi ſedari poſſe denunciat; at ſi convulſivis motibus, vel ſingultu fæderatur, proximum funus prænunciare ſolet. Aliquando etiam Dyſſenteriæ colliquativæ has febres comitantur, quæ cum cito appropriata remedia non audiant, ſpes nulla ſupereſſe poteſt. Cætera demum ad cutim expulſa recrementa, ut Variolæ, Morbilli, Petechiæ, Parotides, Bubones, & ſimilia, ſi cum Ægri levamine abſolvantur, proficua ſunt, ſin autem funeſtam lineam ducunt; verum de his omnibus in *ſequent. lib.* 3. propriis capitibus, ac ſuis prognoſticis, ſingulatim ſermo erit; nunc ad Curationem progredi convenit.

Curationis methodus. 5. Harum ergo febrium medela ſequentibus indicationibus curativis aſſequi poterit; primo volatile, ac acerrimum virus appropriatis remediis abſorbere, ac figere, & cum opportunitas adſit, cito eliminare fas eſt. Secundo ſanguinis texturam, ne ocyter diſſolvatur, in quolibet auxilio reſpicere intereſt, ut omnia remedia ad hunc ſcopum colliment; ideo & ſpirituum exploſiones in ardentibus compeſcere, & præcipitem ſanguinis motum pro viribus refrænare, ac ſymptomatis hanc febrem Comitantibus occurrere, ac ſedare, opus, & labor eſt. His ergo intentionibus ſequens methodus ſatisfacere ſæpe potuit; plura vero a circumſtantiis variantibus petita prudenti Medico relinquere oportet.

Emetici ratio & uſus. 6. Primo itaque cum in febris limine præcordiorum anxietates, ructus nidoroſos, vomitum, vel ad ipſum propenſiones, ſimiliaque inveniam, Emeticum, cæteris æque perpenſis, apprime præſcribo; duplici fine, & ut acre venenum, quod in ſtomacho nidulari, dictis ſignis oſtendit, per breviorem viam citius eliminentur; & ut ventriculus expietur, ne remedia ingerenda, propriis ſordibus inficiat, & pervertat; ſæpius enim, & multum in hiſce colliquativis tempeſtivam vomitionem, a ſignis

ſignis expetitam, profuiſſe obſervavimus; adeo ut a vomitu expiati, nec tantam febris acerbitatem, nec tam ſæva ſymptomata paſſi ſint; ſed omnia placatiora, quam in aliis, contigiſſe, ac ſalutis portum cæteris citius attigiſſe, millies inſpeximus. Emeticum vero non quodlibet, ſed unicum, quod acidiuſculum ſit, ſequenti modo præſcribo.

℞. *Oxyſacchar. emetic. Ludovic. unc. ſem. ad j.*
Aqua de ſucc. Acetoſ. unc. iij.
Vel Seri deſtillat. lib. ſem.
M. pro Doſ. & propin.

Exhibitionis hora ipſa Natura inſinuat, cum aliquod ex dictis ſignis oſtendat, quæ ſæpius in febris initio emergere ſolent; brevi poſt vomitum vel tepidum juſculum, vel ſeri, aut aquæ Noceræ ſufficientem hauſtum propinare jubeo, ut ſi aliquid veneni in ventriculo adhuc perſiſtat, hac dilutione deducatur. Poſt congruam vomitionem Paregoricum, ſimulque cardiacum exhibeo, maxime ſi tormina, viriumque lapſus inſequantur, hoc vel ſimili modo.

℞. *Aqu. Papav. errat. Acetoſ. aa. unc. j. ſem.*
Cordial Saxon. frigid. unc. j.
Diaſcord. Fracaſtor. drach. j. ſem.
Extract. Croc. Orient. gr. vj.
Syrup. Corallor. unc. j. m. & cochleat. exibe.

Catharti-ci ratio, & uſus. 7. Verum in quavis colliquativa febre haud ſemper vomitio conducit; cum enim vomitus indicia non inſtent, qui Emeticum exhibet, aperta pericula tentat; & maxime cum craſſa inteſtina laborent, ut ſi tormina circa umbilicum, diarrhea, vel dyſſenteria incipiens, aliud a vomitu remedium petant; hæc enim affectiones frequenter etiam has febres comitantur; his ergo ſtantibus, relicto Emetico, ad infimi ventris exigentias auxilia dirigere intereſt; primaſque favillas, inteſtinorum incendium minitantes, cito extinguere oportet; ideo ſequentibus utor.

℞. *Myrobalan. citrin. unc. ſem.*
Thamarindor. unc. j.
Rhabarb. elect. drach. ij.
Infund. omnia in Sero caprill. q. ſ.
Expreſſion. unc. iv. adde
Syrup. Roſar. ſolut. unc. ij.
Aqu. flor. citri q. ſ. & f. Pot. purg.

Ex hac leni purgatione, molitas inteſtinorum colliquationes, interceptas perſæpe vidimus, quod in cæteris, eodem modo affectis, leni catharſi fraudatis, minime contingit, cum hac ſub initiis occaſione deperdita, in colliquativos fluxus incidiſſe obſervavimus. Hæc enim cum Hippocrate materia turgens eſt, quæ niſi cito extinguatur, ocyter incendium excitat. Poſt purgationem cum regimine abſolutam, ſi alvi fluxus perſeveret, ac alia ſymptomata non prohibeant, ſequenti vel ſimili mixtura uti oportet.

℞. *Aqu. de bacc. Sambuc. unc. ij.*
Cordial. Saxon. frigid. unc. j.
Trochiſc. de Charab. drach. ſem.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xv.
M. & cochleat. de ſero ſumat.

Si vero Dyſenteriæ principium adſit, tunc ad Braſiliarum remedium, nempe ad Ipecacuanam radice confugere intereſt, cujus Drach. j. pro febris modo in vehiculo Vin. Granator. ſubacid. præſcribi poterit. Hæc vero *lib.* 4. *cap.* 17. *de alvi fluxib.* reſervantur.

8. At non quidem ſemper vel ſuperni, vel infimi ventris perturbationes in his febribus ſe produnt, cum primis viis inſontibus, ac illæſis, tota hoſtis hujus virulentia, ac violentia intra ſanguinis clauſtra, & in Palladis arce concitentur; & tunc ſpaſmodicæ laſſitudines, inquietudo, membrorum jactatio, ſitis, æſtuſque impenſi, cephalalgia, & delirium, ſimiliave ſymptomata, vehementem ſanguinis commotionem indicantia, febris initium moleſtiſſimum reddunt. Quamobrem Emeticis, & Catharticis omnino dimiſſis, ad exigitam Curationem accedere intereſt; primo itaque cum pulſus, æſtuſque magnus, capitis dolor, deliriumque reperiam, præcipuum, tot ſignis petitum Phlebotomiæ auxilium denegare, injuſtum eſt; & licet hæc febris, ob virium jacturam Venæ ſectionem tolerare nequeat, prementia tamen ſymptomata, præcipueque delirium, quod ocyter in phrenitim devolvitur, urgentiori voto ſanguinis miſſionem petunt; ideo inſtantibus *Phlebotomiæ uſus.*

bus

bus his, celebrandam eſſe præcipio, ut tanta ſpirituum concitatio minuatur. Quantitatem vero intra ſeptem ad ſummum uncias ex bracchio dextero emittere præcipio, poſtea ſequentem, vel ſimilem cardiacam mixturam ſumere jubeo.

℞. *Aqu. Acetoſ. Boragin. aa. unc. j. ſem.*
Cordial. Saxon. frigid. unc. j.
Magiſt. ſolubil. perlar. drach. ſem.
Confect. Hyacint. incompl. drach. j.
Syrup. Corallor. optim. unc. ſem.
M. pro Doſ. & tota ſumat.

Poſt horam juſculum ex vitulina, & pulli junior. Carne confectum, in quo ſequentes pulveres permixtæ ſint, exhiberi præcipio.

℞. *Magiſt. ſolubil. Corall. ſcrup. j.*
Nitri perlat. optim. ſcrup. ſem.
M. in juſcul. & propin.

Hæc mixtura pro exigentia mane & ſero in juſculis, pro cibo tenuiſſimo utendis, exhiberi debet. Hactenus pro maligna colliquativa febre in ſui exordio dicta ſunt, nunc ad eaſdem peſtiferas deſcendimus.

Peſtilentis curatio. 9. Interdum adhuc Febris initium abſque gravi ſymptomatum apparatu, ſed cum ſubita virium jactura; pulſu parvo, ac debili, corporiſque, & animi conſternatione obſervatur; quibus comitiis initiata hæc febris cum peſtiferis coagulativis equivocare videtur. Verum & a propriis indiciis, & a communi pro temporis epidemia conſtitutione, unam ab altera diſcernere, arduum non erit. Cognitam ergo colliquativam eſſe, & pro gradu intenſiori peſtiferam, ſequenti methodo illi proſpicere intereſt. Primo cum ſumma virium proſtratio promptam reparationem petat, & hanc non aſſequamur, niſi veneni vires deprimamus, ſpirituumque niſum excitemus; ideo ad ſequentem mixturam, pro utroque ſcopo mihi ſæpius lebrem, ſemper in hac urgentia recurro, videlicet.

℞. *Aqu. de ſucc. Card. ben. unc. ij.*
de florib. Citr. unc. ſem.
Sulphur. Antimon. fixi Ludovic. gr xij.
Extract. Gran. Chermes ſcrup. j.
Syrup. de Meliſſ. compoſ. noſtri unc. j.
M. pro una Doſ. & propin.

Hæc ergo in febris initio tota exhibeatur, pariterque in illius declinatione replicetur, & ſic quotidie donec in inſenſum virus Enormon reſurgere, febris machinam vegetiori niſu excitare, ac aliquam eliminationem auſpicari videatur; ſed pro nunc ſatis.

10. Has ergo diverſas Colliquativæ febris invaſiones eſſe, diuturna praxis nos docuit; nunc enim primas vias invaſas, nunc illæſis iſtis caput, membraque vexata, & nunc demum abſque ſymptomatum apparatu muta febris cum ſumma virium jactura invadere obſervavimus. Cum ergo ſingulis proſpicere, inſtitutus ordo petat omnibuſque unica methodus aptari nequeat, maxime quia ſymptomatum vehementiæ perſæpe totam ſibi curationem aſſumere poſtulant; ideo ut integram, non interruptam febris medelam expendamus, ſymptomatis pro nunc dimiſſis, (cum *ſeq. lib.* 3. omnia ſingulatim ponderata, curataque dederimus) eandem duntaxat inſequimur; & primo a Peſtilenti auſpicamur. Hujus ergo medelam, antecedenti numero initiatam proſequendo, colliquativum virus abſorbere, ſpirituſque a veneno depreſſos recreare, ſanguiniſque conſiſtentiæ, ne prorſus diſſolvatur proſpicere intereſt. Ideo mixturam ſupra datam eadem methodo, uſque ad quartam diem incluſive, continuare oportet; qua die ſæpius (niſi rigida temporis conſtitutio vetaſſet) ſudoris primordia emergere ſæpe vidimus; & tunc ſupradictæ mixturæ Corn. Cerv. phyloſ. calcinat. drac. j. adjiecimus, & ad ſeptimum uſque ſudoris proventum, ut infra dicendum eſt, quæ perpendimus, ac pro illius modo remediis utimur. Cum autem in quarto ſudor nullus, nec madoris ſignum appareat, ne inutiliter ſolam diaphoreſin tentare inſiſtam, nova methodo ſeq. n. 14. data, uti deliberamus. In præcipiti enim morbo, nec tempus ſine fructu deperdere, nec ſpem dimittere, ſed opportuna omnia tentare intereſt.

Febris proceſſus expenduntur.

Peſtilentis curatio.

11. Verum ad promotum ſudorem conſiderandum accedimus; & primo copioſus, & ſine virium lapſu, effluere, vel cum virium languore nimis profuſus redundare conſpicitur; vel demum paucus valde levamen nullum conferre obſervatur; Sudores iſti diffe-

Primo in Sudoris conferentia.

rentes

rentes propriaſ ponderationes, ac reſulutiones expetunt. Ad primum ergo, cum nempe ſufficienter copioſi, & ſine virium jactura profluant, plurimam conferentiam, & tolerantiam promittunt; ideo mixturam datam non immutare, nec minuere, ſed in ejuſdem uſu perſeverare oportet, donec integram virulenti hoſtis eliminationem Natura conſequatur; vires vero ut continuo reficiantur, abſoluto ſudore ſequentem potiunculam exhibere ſoleo.

℞. *Aqu. de ſucc. Boragin. unc. ij.*
de flor. Citri unc. ſem.
Magiſt. ſolub. perlar. ſcrup. j.
Syrup. Card. bened. unc. ſem.
vel ſi febris æxtus excedens ſit, tunc
Syrup. Corallor. optim. unc. ſem.
M. pro Doſ. & propin.

Victus item ratio non adeo tenuis ſit, maxime poſt ſeptimum; & cum a carnium juſculis Æger abhorreat, ex cremore hordei, in quo deſtillati Caponis cochleare unum miſceatur, potiunculam exhibere, ac pulli alam comedere permitto, inſuper & vini granatorum ſubdulcium cochleare aliquot concedere non dubito; ſicque in hoc caſu facilem morbi abſolutionem ſæpe vidimus.

Secundo in ſudoris profluvio. 12. Altera ſudoris perpendenda, & juvanda conditio eſt; cum nempe nimium redundans, virium languorem, ac lipothymias inducat; hic ergo diaphoreſeos exceſſus bezoardici moderationem, viriumque reſtaurationem expetunt. Ideo primum geminam mixturæ exhibitionem, ad unicam in die reſtringere, vel cum duplicatam quotidie ſudoris promotionem inſtituere urgeat, bezoardicum minuere oportet, ex gr.

℞. *Aqu. Card. ben Acetoſ. aa. un. j. ſem.*
de florib. Aurant. q. ſ. ad gratiam
Sulphur. Antimon. fixi Ludov. gr. viij.
Corn. Cerv. philoſ. calcin. Drach. ſem.
Syrup. de Meliſſ. compoſ. unc. ſem.
M. pro Doſi.

Inter ſudandum item ſequentem mixturam refocillantem cochleatim ſæpe ſumere concedo videlicet.

℞. *Manus Chriſti perlat. Drach. ij.*
Vin. Granator. ſubdulc. unc. ij.
Aqu. flor. Citr. unc. ſem.
M. & utere ut ſupra.

In ſudando pariter non plus quam horam impendere, poſt quam ſubuculam guttulis aliquot Aqu. Regin Unghar. aſperſam induere, ut ſpiritus fragranti odoratu reſtaurare queat; poſtea nunc dati cardiaci cochlearia duo ſumere, & inde cibum aſſumere præcipio; ſomnum denique poſt cibum exquirere convenit; ſicque refocillatis viribus, ac lipothymiis evitatis, ad alteram bezoardici doſin hora congrua de ſero Patientem diſponere decet. Tali ergo methodo hanc febrem ultra ſeptimum (qui ſæpe funeſtus terminus eſt) tuto conducere, ac deinde Acutarum curatione omnino abſolvere, frequenter mihi contigit.

Tertio in ſudoris deficiĕtia. 13. Tertia demum ſudoris conditio, nempe vel nimia parcitas, vel totalis deficientia ultimum intuitum, & remedium petit. Cum igitur ante ſeptimam diem ſufficiens diaphoreſis ad opus non appareat; tunc vel oppreſſæ Naturæ ſegnitiem, vel inertem ſudoriferi niſum culpandum, ac utriuſque defectum corrigendum eſſe conſidero. Ideo una ſimul & Naturam ſtimulare, & bezoardicam vim adaugere delibero, maxime cum pulſus adhuc firmi hoc tolerare promittant; ſicque vel eandem ſudoriferam, & cardiacam mixturam ter in die ſingulis octo horis repetere, jubeo; cum frequentius iterata, efficacior evadet vel cum incommoda, & cum febris circuitu incompatibilis videatur, ſequenti ſaltem modo illius vim adaugere decerno, videlicet.

℞. *Aqu. Card. bened. Scorzon. aa. unc. j. ſem.*
de flor. Aurantior. unc. ſem.
Oxytartar. diaphoret. noſtri drach. j.
Sulphur. Antimon. fixi Ludov. gr. xv.
Bezoard. Mineral. ſimpl. ſcrup. ſem.
Spirit. Corn. Cerv. optim rettif. gut. x.
Syrup. de Meliſſ. compoſ. noſtri unc. j.
M. f. Diaphoret. pro una Doſ.

Pluries in hoc caſu ab hoc valido ſudorifero copioſam diaphoreſin excitatam fuiſſe vidimus; at ſi cum expetito ſudore vires langueſcere, ſyncopeſque, vel lipothymias inſurgere contingat, ad auxilia *antec. num.* 12. data, confugere intereſt. Cum denique ultra ſeptimam, ſæpe funeſtam diem Ægrum duxiſſe videam, fauſtum omen au-

auſpicari, non ambigo; febriſque mutatam indolem appropriata methodo inſequi ſtudeo. Cum vero ſpretis omnibus in ſeptima ſudorem nullum apparere videam, tunc deſperata res eſt; *cum morbus imbecillum corpus vincens, curationi non obediat. ut de rat. victus acut. Hippocrates* loquitur.

Quado diureſin tentanda. 14. Quod ſi poſt quartum cum pauco, vel nullo ſudore, ad ureteres Naturam vergere, copioſiores urinæ oſtendant; ſolam diaphoreſin tentare (licet in hac febre tutior, ac expeditior via ſit) non decet, maxime cum conferentem ſibi viam elegiſſe, Natura oſtendat; ideo ad diuretica, cum ſudoriferis permixta, remedia deſcendere intereſt, tali, vel ſimili methodo.

℞. *Aqu. de flor. ſambuc. de bacc. Iuniper. aa. unc. ij.*
Extract. de bacc. Iuniper. ſcrup. ij.
Sulphur. Antim. fixi Ludov. ſcrup. ſem.
Spirit. Biform. noſtri Drac. j.
Syrup. de Meliſſ. compoſ. noſtri unc. j.
M. f. hauſt. pro una Doſ.

Hanc Mixturam bis in die repetere convenit, vel Bezoar occident. ad gr. xxv. ſemel tantum quotidie in extract. bacc. Iuniper. q. ſ. pro bolo ſumere, quod ad utramque viam Naturam ſtimulare ſolet; & ſic quo dato aditu, cum potiorem veneni partem eliminare aſſequamur, ultra ſeptimam ęgrum in tuto ducimus; febremque reſiduam pro mutata indole curare ſupereſt. Hæc demum peſtilentis hujus febris remedia periculoſum experimentum nos docuit; cum vero dyſſenteriæ colliquativæ aliud petant, *lib. ſequent. cap. de alvi fluxib.* quæ in hac linea proficua eſſe poſſunt, inveniuntur; ſic item de petecchiis, morbillis, ac variolis peſtilentibus, inibi propriis capitibus conferentia remedia data ſunt; nunc autem Malignas colliquativas expendere, propriaque curatione inſequi ſupereſt.

Malignæ colliquativæ curatio. 15. Præcipuus hujus febris apparatus eſt, cum æſtu magno, gravibuſque ſymptomatis primo invadere, ac vehementer excandeſcendo, ad ſuum acmin aſcendere; quo aperto impetu ab antea dicta peſtilenti ſubdola febri facile diſtinguitur, cum in illa ſpiritus concitati, in hac vero depreſſi ex languida febri dignoſcantur. Hujus ergo indicationes curativæ ſunt, malignum virus primo ſubigere, ac eliminare; ſecundo excedentem ſpirituum impetum ad moderatos impulſus reducere, ne illius concitatio ſanguinem magis, quam proprium hoſtem evertat; quibus obtentis demum, inductas ſanguinis læſiones reſtaurare convenit. Curativam ergo methodum, *in antec. num. 6. 7. & 8.* inſtitutam, proſequendo, febres illas, quæ primas vias infeſtant, emetico, vel cathartico exhibito, facili marte domabiles inſpeximus; cum major veneni portio in prima regione militaſſet; ideo iſtarum medela facilis a ſequenti methodo deduci poteſt. At illæ, quarum tota ferocia in ipſo ſanguine debacchatur, ac mentis clauſtrum evertit, iſtæ inquam atrociores noſtra nunc indigent attentione. Celebrata ergo, ut *num.* 8. jam diximus, venæ ſectione, cum adhuc æſtus magnus, corporis jactationes, ſitis accenſa, cephalalgia gravis, cæteraque ſanguinis ebullientis ſigna perſiſtant, declinante febre, mixturam ſequentem ſumere præcipio.

℞. *Aqu. Acetoſ. Plantag aa. unc. ij.*
Cordial. Saxon. frigid. unc. j.
Sulphur. Antim. fixi Ludov. gr. viij.
Criſtall. ex Nitr. & Corall. parat. dr. j.
Spirit. Vitriol. dulcif. gut. xij.
M. f. hauſt. pro una Doſ.

Poſt hanc replicatam mixturam, febris exacerbationes minus feroces invadere ac ſymptomata miteſcere, ſæpe obſervavimus; validum enim auxilium eſt, in vehementi ſanguinis ebullitione ſedanda, venenumque colliquativum abſorbendum, ac ſubjiciendum; & ideo ut facilius ad ſanguinem tranſeat in declinationis initio ſumere, & poſt horæ quadrantem cibum exhibere præcipio. In Æſtu vero febris dum ſitis accenditur, ſequentes, vel ſimiles potiones concedo.

℞. *Aq. Noceræ optim. lib. ij.*
vel Seri Caprill. deſtill. lib. j. ſem.
in his diſſolve
Cryſtall. ex Nitr. & Corall. parat. Drach. j. ſem.
& f. hauſtus pro Doſ.

Cum autem impenſa ſitis majorem adhuc quantitatem petat, tunc duplicatam

tam dictam doſin, ſed partitis vicibus ſumere permitto. Cæteris vero ſymptomatis proſpicere, *ſequ. lib.* 3. docetur. Hac ergo methodo uſque ad ſeptimam febris diem uti oportet; in qua hujus morbi vigor, ſeu ſtatus ſæpius emergere ſueſcit.

Febris conditiones perpenduntur

16. Interim hujus febris progreſſum, & conditiones conſiderare oportet; cum ab iſtis caute cognitis, omnes futuræ curationis methodos dirigantur; fauſtus enim, vel infelix progreſſus varios medelæ cardines invertunt. Primo itaque cum Naturæ vigorem minime proſtratum, ex pulſu magno, facili reſpiratione, ſonora voce, ſenſuum firmitate, febrique non excedenter valida, firmiter conſtare percipiam, ac in excretis nullum funeſtum vitium appareat; tunc ab incepta curationis methodo minime divertor; facile ſperans, quod hiſce juvantibus auxiliis, poſt ſeptimum vel abſolutam, vel in melius mutatam hanc febrem inſpicere poſſim. Contra vero cum poſt quartum vires nimium dejectæ, duplicem hujus malignæ progreſſum, utrumque infauſtum oſtendant, tunc duplici etiam methodo, illam inſequi ſtudeo. Primo igitur, cum vires languentes, febris parva, ſymptomata vehementia, excretaque funeſta, colliquativum virus adauctum, ſanguiniſque diſſolutio imminens, auxilia ſupra data minimè audiant; tunc poſt quartum, infauſtis hiſce ſignatum, ſupradatam peſtilentiarum methodum curativam hic quoque ad uſum revoco; ſerio cogitans, veneficum fomitem, a quavis cauſa, & ab aere potiſſimum (cum maxime epidemia conſtitutio vires exerat) adauctum fuiſſe; ſic remediis iiſdem, quibus peſtilentes hujus generis febres oppugnare ſoleo, hanc etiam expugnare pro viribus aggredior.

In maligna pertinaci febre

17. Alter febris hujus progreſſus eſſe poteſt, cum poſt quartum vires proſtratæ, ſed non prorſus dejectæ, febriſque, ac ſæva ſymptomata perſiſtendo, ſupra data remedia ſpernere videantur; tunc quinta die, ut indomitas ſpirituum excandeſcentias, (a qua magis, quam a venefica lue proximum vitæ periculum in hoc caſu pertimeſcendum eſt) ad moderationem reducere poſſim, duplicem curationis methodum, pro ægri, temporiſque circumſtantiis aptam, eligere curo. Prior ergo eſt, ſupra datam *num.* 15. curationem augere, nempe mixturam illam in febris declinatione præſcriptam, in febris incremento etiam addere, ut duplicatum in quolibet febris periodo auxilium ſpirituum excandeſcentias fortius compeſcat. Nec damnatas in incremento potiones, utpote periculoſas, in hoc caſu pertimeſcere decet, cum minus damnum, & majus auxilium in hac urgentia promittat. Item in febris æſtu potum inibi datum larga manu concedere juvabit. Victus denique cremor hordei in juſculo pulli, aut vituli eſſe debet, ſicque facilius, citiuſque hoc incendium ſenſim minorari, ſæpe vidimus. Altera demum curativa methodus eſt, febrifugum Peruvianum ad tantum opus vocare, quo auxilio præceps hæc ſpirituum concitatio ſenſim compeſcatur; ideo loco Mixturæ jam dictæ in febris incremento, & declinatione corticis hujus infuſum ſequente doſi aſſumere, præcipio, videlicet.

℞. *Chin. Chin. pulver. unc. j. ſem.*
Aqu. Centaur. minor. lib j. ſem.
de florib. Citr. unc. j.
Infund. & in MB. tepid. ſerv. ad uſum
Doſ. pro qualibet vice unc. iij.

Poſt juſculum cœnæ ſequentem bolum ſumat.

℞. *Confect. Hyacinth. drach. ſem.*
Sulphur. Antim. fixi Ludov. ſcrup. ſem.
M. & aſſum. pro Doſ.

His ergo remediis quinta, ſexta, & ſeptima die inſiſtere intereſt, & cum ultra ſeptimum fatalem diem febrientis vita ducatur, febriſque, ac ſymptomata, mitiori greſſu proprium ſtadium currant, vires item ad veneficam luem eliminandam, impares haud ſint, decimaquarta ut plurimum, ſupra datis auxiliis continuando, fauſte tandem hæc febris abſolvitur, vel abſque periculo ad vigeſimum prorogatur.

18. Cum autem in ſeptimo excreta funeſta, ut petechiæ, morbilli, bubones, ſimiliaque appareant, quid agendum ſit, *lib. ſequent. propr. capitib.* abunde expenditur; ideo furfures haſce malignas hic prætermimus, & ad dicta propria omnium ſymptomatum capita lectorem mittimus, ubi ſingulorum

cau-

cauſas, & curationes expenſas reperiet. Hæc ergo tandem in his veneficis febribus dignoſcendis, & curandis, quantum noſtræ vires ferunt, ſatis nobis eſſe videntur. Nunc ultimo ad Chronicas veneficas, ſeu contagioſas deſcendere, inſtitutus ordo petit.

CAP. VIII.

De Febre Hectica.

1. POſt veneficas febres, Acutas epidemicas vulgo nuncupatas, cæteras item, quæ quodam contagio inficiunt, eodem ordine nunc proſequimur; Hecticæ igitur, & Scorbuticæ febres hæ ſunt, quarum virulentia per contactum, ſeu per miaſmatum communicationem, ſæpe diſſeminatur; & licet non ocyter vitam extinguant, chronico tamen toxico ſenſim, ac diutine cruciant, demumque ſubdole interimunt. Iſtis ergo poſtremas inquiſitiones, curationeſque tribuere, Inſtituti debitum eſt. Ab Hectica ergo auſpicando, febris hujus virulentia, non tota ſimul, & ſemel aucta, veneni ferociam exerit, ſed ſenſim in dies quaſi de ſemine ſurgit; ideo quoſdam gradus aſcendere videtur, per quos progrediens, proprii veneni apice demum attingit. In primo igitur gradu nec indolem, nec ſenſum febris oſtendit, cum & patientes febricitare neſciant, & Medentes, niſi pulſum petant, etiam illudunt; tam abditum in ſui veſtibulo Sphinx iſta venenum occultat. In ſecundo gradu febris aperta explicatur, calor enim, ſitis aliqua, genarum rubedo, pulſus, urinæque a naturali ſtatu recedentes, manifeſtam febrem oſtendunt. In tertio tandem ſanguinis, & corporis inductæ ſtrages ultimam illius virulentiam produnt, cum ad maraſmum evecta, nil ultra quam oſſa, & cutim, ſemivivum ſceletum relinquat. Hæc ergo febris hujus indoles eſt, quæ infra clarius explicabitur. Differentiæ vero accidentales ſunt, & ab illius ortu deſumi poſſunt; non enim eodem ſemper modo gignitur hujus anguis venenum; cum ex paterno ſeminio ſæpe hęreditaria deſcendat; & aliquando ab externo miaſmate communicetur; interdum ex aliarum febrium decidentia conſurgat; ſæpeque a pulmonum ulceroſa labe oriri, ac nutriri ſueſcat; quæ varia illius cunabula unam ab altera plus minuſque veneficam diſcriminare poſſunt, natura vero eadem ſemper eſt.

Febris natura.

Differentiæ.

2. Signa diagnoſtica item ab hecticæ gradibus deſumuntur; primum ergo gradum (*quem difficilis cognitionis eſſe*, Practici dicunt) pro viribus apprime detegere, eſt opus; ideo antecedentia ſigna, quæ ſæpius tutam illius conjecturam firmant, prænoſcere intereſt; ſequentia ergo illius criterium inſtituunt. 1. hęreditaria Parentum infectio, cum vel Phthiſici, vel Hectici deceſſerint; 2. corporis habitus gracilis, vel mollis, & quaſi edematoſa muſculorum textura, cujus vigor facile labeſcat; 3. capitis tuberoſa conſtitutio, colli longa diſtentio, aureſque demiſſæ; 4. tuſſiculoſa a frigidis concitata propenſio; 5. vocis tonus, & reſpiratio exilis, & anheloſa; 6. morbi plurimi, ex quorum ſeminio hectica germinare ſueſcit; 7. denique motus vehementes, vigiliæ nimiæ, & diuturnæ ciborum abſtinentiæ; hæc inquam corporis ſunt, quæ ad hecticam diſponunt, ad quam inducendam mens quoque ſæpe contribuit; hujus fomites ſunt diuturnæ, ac nimis anxiæ curæ, impenſæ triſtitiæ, excandeſcentes, & prolixæ iracundiæ, cæterique Animi motus, diutine, ac vehementer concitati, hæc inquam ſicut ad promovendam hanc labem, facile conſpirant, ita ad hecticam in ſuis cunabulis dignoſcendam, plurimum contribuunt. His præcognitis ad propria cujuſque gradus ſigna deſcendimus. Primi ergo indicia præbent; 1. diuturnæ anorexiæ, ac a cibis optimis averſiones; 2. poſt horam a prandio moleſtæ laſſitudines, viriumque languores; 3. calor item inſolens, & faſtidiens, genas rubris maculis inficiens; 4. ſubitaneus in repentinis pavor, ac vana malorum ſuſpicio, animum concutientes; 5. facilis ad leves noxas iracundiæ commotio; 6. pulſus in hoc ſtadio parum celeres, ſed nimium debiles; 7. urinæ tandem ſanorum ſimiles, & interdum aquoſæ. Secundi gradus ſigna a ſupra dictis, ſed gravioribus indicantur; 1. ano-

Diagnoſis.

Signa cujuſque gradus.

anorexia major, ac edacitas vitioſa alterno inſultu moleſtant; 2. poſt horam circiter a paſtu febris aperta panditur; 3. facies palleſcit, genæ rubeſcunt, ſitis, & calor brevi greſſu accenduntur, ac ſurgente nocte ſenſim miteſcunt; 4. pulſus celeres, debiles vero, ac inæquales inveniuntur; 5. frequentes impatientiæ, merores, pavoreſque magis ſemper exacerbantur; 6. urinæ turbidæ, & cum ſuperficie oleacea minguntur; 7. corporis demum habitus manifeſta macie ſenſim conſumitur. Tertii tandem gradus funeſta ſigna extremum tragædiæ hujus actum abſolutum oſtendunt; 1. enim cibi nauſeæ, fameſve clamoſæ alternatim invadunt; 2. Febris, quæ a paſtu ingraveſcebat, ſenſim diminuitur, & quo languidior hæc machina fit, eo morti propinquior accedit; 3. pulſus inde parvi, & valde inæquales extremam ſpirituum deperditionem exponunt; 4. urinæ oleaginoſæ ſanguinem ultimo colliquatum demonſtrant; 5. ſudores, ac diarrheæ viciſſim invadentes, vitæ penum prorſus eliminant; 6. Maraſmus denique carneas fibras, ac vitæ nectar abſumens, morti ſceleton molitur. Hæc ſigna ſunt, nunc cauſarum inveſtigatio ſubſequitur.

Cauſa promovēs exponitur 3. Fomitem hecticas promoventem Acre venenum eſſe, corporis colliquatio denunciat; partes enim roridæ, quæ pro totius nutritione in ſanguine gliſcunt, ab hoc toxico eroduntur, & in ſerum acre liquantur, ſicque ſolida membra nutrimento fraudata, ſenſim emaciantur. Spiritibus pariter, impetum facientibus, acerrimus hic hoſtis parcere neſcit; cum & genitos extinguere, & generandis ſeminium demere, connitatur; ex colliquato enim ſanguine illorum geneſis promoveri nequit; cum paucæ in effeto cruore, ad enormonticam reſtaurationem aptæ, particulæ reperiantur, ex quibus reliquiis, ad vitæ integritatem ſufficientes ſpiritus gigni nequeunt. Has vero in fluidis primo, & inde in ſolidis partibus inductas cædes, non ocyter, ſed ſenſim corroſivum hoc virus edere ſolet; cum per gradus quaſi, tacito primum pede invadendo, vitæ caſtrum occupet; ac præpotenti violentia omnes corporis regiones inde ſubvertat. Hæc inquam omnia hecticæ gradus oſtendunt, in quorum Primo inſenſilis quaſi morbus minime proditur, febriſque non moleſta diutine tegitur; quia doloſum virus nondum Naturæ tolerantiam irrumpit, ideo febris machinam leni ſanguinis motu in ſubdolum hoſtem exercet; at exauctæ veneni vires, Natura ad bellum ſurgit, unde apertas febres ſero tamen, & inutiliter excitat; cum magna ſpirituum pars ab hoc viru conſumpta, depreſſum Enormon vehementes in ſanguine commotiones, ad hoſtem depellendum aptas, excitare nequeat; ideo in hoc morbo febris machina inofficioſa deperditur; cum indomabile virus ſanguinem in vappam ſpiritibus nudam, reſolvendo, ſolidis partibus nutrimentum adimat, ultimaſque Naturæ defenſiones peſſundet, ac in extremis Maraſmi prędam vitę dominium relinquat. Hinc patet, quam differenti more veneficum Acre ſanguinem inficiat; cum enim volatile ſit, (ut in peſtilentibus, maligniſque morbis debaccatur) proprias clades ocyter abſolvit, quia intra quartam, & ſeptimam diem interimere ſolet. At ſi non volatile, ſed viſcidum (ut in hectica eſſe arbitramur) hoc Acre virus ſit, tunc tardo greſſu, diuturnoque menſium tædio conficere ſueſcit. Similia experimenta in Chymicis artefactis venenis comperiuntur, quorum nonnulla ſumme volatilia ocyter interficiunt; alia vero fixa ſenſim, diuturnoque cruciatu vitam extinguunt. Hæc vero, ut Acre venenum in ſpecie propria diſcriminetur, obyter, & opportune dicta ſint.

4. Prophaſes cauſæ tandem, quibus hectica ſæpe inducitur, plurimæ ſunt; *Prophaſes.* 1. infectum ſeminium a Parentibus inſertum; 2. miaſma veneficum a Phthiſicis præcipue communicatum; 3. a diuturnis febribus, ſanguinem non depurantibus, acre virus relictum; 4 vitia demum, a ſex rebus non naturalibus abuſis, intime inſita; quæ omnia, cum in Practicorum libris paſſim inveniantur, tacito pede tranſcurrimus. Unicam tamen, non adhuc ſatis cognitam, hujus veneni prophaſin reticere, non decet, cum inter cæteras non infimam eſſe credendam, quæ occulta hecticæ

ctic𝑎e arma cudere, ſæpe ſoleat; hanc ergo ſequens caſus ante oculos poſuit. Juvenis annis vigintiduo, hectica indomabili conſumptus, aperire contigit, & cum thoracis viſcera ſine labe ſe proderent, ulterioris indaginis cupidus, abdomen aperire præcepi, detectiſque inteſtinis, circa duodenum, & jejunum vaſcula plurima craſſiuſcula, & ſubviridia emergere vidimus; illorum intuitus illico ſuggeſſit, quod in chyliferis illis vaſculis venenum latitare poſſet; ideo illorum aliquot incidere juſſi, & ex illis ſuccum viſcidum, viridem, guſtuque mordacem expreſſimus; in meſenterio item glandulas multas ad piſi magnitudinem concretas inſpeximus; unde tuto conjeci, chylum in dictis ductibus diu retentum, in acrem luem degeneraſſe, cujus ſubtilior pars, repagula ſuperando, venenum in ſanguinem duxiſſe. Caſus ergo iſte me docuit, Hecticos illos, quos a nulla manifeſta cauſa fædatos dignovi, chyliferorum infarctu laborare poſſe; ideo ad hoc abditum veneni latibulum remedia dirigere, cum fructu ſæpe didicimus.

Prognoſis. 5. Hecticæ Prognoſis brevibus abſolvitur; hujus curatio ſemper difficilis eſt, & aliquando impoſſibilis; cum enim mederi poteſt, tunc minime curatur, quia vel Patientis inſcitia, vel Aſſiſtentium incuria ut plurimum negligitur; cum vero moleſta fit, tunc arduo labore medetur; quia in ſecundo gradu penitius in ſanguine immerſum venenum, difficillime extirpatur; quo enim magis vappeſcit ſanguis, eo minus expiationem audit, & medelam tolerat. Ideo in tertio gradu impoſſibilis curationis dicitur, quia vappa jam, non ultra ſanguis eſt, nec hactenus tantæ cladis remedium inventum fuit; quare ſymptomata illa, quæ in ultimo gradu occurrunt, ut ſudores prolixi, diarrheæ profuſæ, urinæque oleoſæ, omnia hæc ultimam ſanguinis diſſolutionem, vitæque interitum portendunt. Symptomata vero, quæ in ſecundo gradu emergere ſolent, ut vigiliæ, anorexiæ, emaciatio incipiens, ſimiliaque cætera, arduo quidem, ſed tandem ſedantur; hæc ergo tanti morbi prognoſis eſt, nunc ejus curationem paucis etiam expendimus.

Syſt. Medic. Roſetti.

6. Præcipuæ in hoc affectu indicationes curativæ ſunt, Acre venenum ſubigere, ac eliminare, ſanguinis conſiſtentiam labefactatam in priſtinum reſtituere, ac ſymptomata emergentia compeſcere; quibus intentionibus diætetica & pharmaceutica auxilia conſulere poſſunt, utraque enim fæderata difficilem hunc morbum facilem, docilemque (cum tempeſtive advocentur) reddere ſolent, ſed ad opus deſcendamus. Cum ergo ad Hecticum vocatus accedam, præſentem illius ſtatum, paſſioneſque explorare, ac perpendere ſatago; & cum primum febris gradum, nondum elapſu, inveniam, ſequenti methodo frequenter utor. Apprime Patientis paſſiones exquiro, ut tuto noſcam, quo viſcerum defectu febris foveatur; ſæpe enim a ſtomachi vitio, ſæpe a viſcida pancreatis lympha, & ſæpe adhuc a chyliferis vaſculis infarctis, exoriri, ac favori poteſt; plurimum enim confert, primarios morbi fomites exhaurire, prius quam ipſum aggrediamur; cum dirutis fulcimentis, facilius morbum devincamus. Primo igitur, cum ſtomachi vitium hecticæ fomentum eſſe, ab indiciis dignoſcam, ut ex ventriculi anxietate, doloribuſve, præcordiorum moleſtia, vel anorexia gravi, aut vomituritione frequenti, ſimilibuſque conjectari licet; tunc a leni emetico curationem auſpicari debere, conſidero; ideo ſequenti frequenter ad hunc uſum revoco videlicet. *Curatio primi gradus.* *Emeticum opportunum.*

℞. *Tartar. Emetic. vulgar. gr. vi.*
Oxymell. ſcyllitic. q. ſ. ut f. bol. pro Doſ.
Cui ſuperbib. Ser. Caprill. lib. j. circiter.

Emeticum hoc repetere, pro exigentia ſueſco; & cum virium ajacturam inducat, ſequenti vel ſimili paregorico illas reſtaurare ſtudeo, ex. gr.

℞. *Aqu. de ſucc. menth. unc. ij.*
Vin. Granator. ſubacid. unc. j.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. vi.
Magiſt. ſolub. perlar. gr. xij.
Syrup. Corallor. optim. unc. ſem.
M. f. Paregor. Cardiac. pro Doſ.

vel pro ægris minoris fortunæ ſequenti utor.

℞. *Aqu. de ſucc. Menth. unc. ij.*
Vin. Granat. ſubacid. unc. j.

Diaſcord. fraceſtor. Drach. j.
M. pro Paregor. unius Doſ.

7. Cum autem ventriculi vitia non appareant, ſed ex ſignis aliis vel pancreatis lympham, vel chylifera vaſcula culpanda eſſe conjiciam, ut ſi quo tempore chylus in duodeno digeritur, & diſtribuitur, hypochondiorum pondus, tentioneſque moleſtæ, mutaque tormina, vel pungentes aculei partes illas efficiant, tunc de viſcido-acri lympha, vel de chyliferorum infarctu, æque ſuſpicor; ideo quodlibet ex his culpandum ſit, utrique appropriatis remediis expugnare determino.

℞. *Magiſt. ſolubil. ocul. cancr. ſcrup. ij.*
Tinctur. Mart. aperitiv. Ludovic. Drach. ſem.
M. f. bol. pro una Doſ.
quibus ſuperbib. ſequent. hauſtum
℞. *Aqu. Menth. Marrub. aa. unc. ij.*
Spirit. Nitr. dulcif. gut. viij.
M. f. hauſt. utend. ut ſupra.

Hæc mane horis quatuor ante prandium ſumat; veſperi vero ſeſquihora ſaltem ante cænunculam ſequenti mixtura utatur.

℞. *Aqu. Ment. Hyſop. aa. unc. ij.*
Tinct. Mart. aperit. Ludov. ſcrup. j.
Spirit. Nitr. dulc. gut. v.
M. & utere ut ſupra.

Dictis ergo auxiliis diebus octo ſaltem continuare oportet, poſtea ut ſordes leniter ſubducuntut, leve carthartico uti poterit, ſequentia ergo ſæpius prçſcribo.

℞. *Conſerv. Roſar. laxativ. unc. j. ſem.*
ſume pro una Doſ.
vel ℞. *Paſſular. minor. laxativ. unc. j.*
ſume pariter pro Doſ.
poſt horam ſeri caprill. lib. ſem. bibat.

Alterutrum ex hiſce poſt dies quatuor repetere jubeo, diebus vero intermediis ſequenti Mixtura utor.

℞. *Antihect. alb. Poteri ſcrup. ſem.*
Balſam. ſulphur. aniſat. ſcrup. j.
Magiſt. ſolubil. Margarit. gr. viij.
Syrup. Corallor. q. n. ſ. ut f. bol. pro Doſ.
pro minoris fortunæ patientibus.
℞. *Antichectic. albi Poter. ſcrup. ſem.*
Conſerv. Roſar. q. ſ. ut bol. pro Doſ.

Hçc demum per dies octo poſt ultimum lenientem prorogare jubeo, quæ methodus etiam poſt Emeticum *num* 6. exhibitum, inſervire debet, demumque alterutrum ex dictis catharticis præſcribere ſueſco, ut primarum viarum ſordes eliminatæ, viſcerumque infarctus expugnati, ſequentia remedia non impediant.

8. Hiſce tandem peractis, ad remedium, omnibus in hac urgentia compertis, magis proficuum, ad lactis nempe uſum deſcendere oportet. Hoc enim auxilio acrem ſanguinis diatheſin ſenſim correptam, & in priſtinam dulcedinem revocatam fuiſſe corporiſque partibus nutriendis, roridum ſuccum adauctum eſſe, compertum eſt. Verum ut inſons tantum remedium ſit, ac proficuum exitum habeat, ſequenti methodo utor; primum ante lactis uſum, ad præparandas vias, illius Serum propinare ſueſco, hoc enim præmiſſo, nunquam lac obfuiſſe, compertus ſum. Ideo apprime Seri aſinini, vel caprilli per dies xv. uncias aliquot, ad libram uſque in dies aſcendendo, exhibere ſoleo; quibus elapſis, ventriculo non renuente, ad lactis hauſtum accedo, videlicet. *Lactis uſus.*

℞. *Lact. Aſin. vel Caprill. unc. vj.*
Sacch. Roſar. in ejus Aqu. ſolut. unc. j.
M. & propin. pro doſ.

Hoc ergo per dies octo quotidie horis quatuor ante prandium illico emulctum propinet; diebus octo ſequentibus un. x. ſicque demum per hebdomadas aſcendendo, donec ad lib. j. accedamus, in quo uſu per menſem, & ultra continuare, eſt opus. Cum autem ventriculi languor digeſtionem non rite abſolvere dignoſcatur, ne remedium tantum prorſus dimittamus, ut in ſtomacho non aceſcat, faciliuſque digeratur, lac decoquere jubeo, ſequenti videlicet methodo.

℞. *Lact. Vaccin. ſtatim mulct. unc. vi.*
Aqu. hord. mund. & decort. unc. iij.
Sacchar. albi unc. j.
M. & coque ad aqu. conſumpt. pro Doſ.

Hoc demum tepidum ſumere, ac per hebdomadas augere, uſque ad libr. j. ut ſupra dictum eſt, & ſic quotidie per dies quadraginta pro exigentia, & circumſtantiis perſeverare intereſt.

9. Diætam pariter in lactis uſu ſervandam, ſequentem eſſe præcipio: primo a vinu prorſus abſtinere jubeo, & *Dieta in lactis uſus.*

cum

cum exigentiis petentibus aliquid permittere, coactus ſim, nunquam polyphorum, ſed oligophorum, & intra libram ſemis in prandio duntaxat, bibere ſino; ad ſitim vero extinguendam, cibumque diluendum, vel aquam cum pomis dulcibus decocta, vel alteram Noceræ dictam, quæ ob terræ lemniæ mineram in acri ſanguinis vitio proficua eſt. Item carnium jura ſequenti modo parare jubeo.

℞. *Carn. Vervec. vel Vitul. lib. j. ſem.*
Capon. Pulli aa. lib. ſem.
Cancror. fluviat. contuſ. unc. v.
Corn. Cerv. raſpat. unc. ij.
Aqu. font. optim. q. ſ.
M. & coqu. hor. ſaltem. quatuor

Jus probe colatum in prandio, & cena ad uſum inſerviat; carnes vero Vituli, Vervecis, Pullive junioris, ſimileſque analepticas, & eupepticas elixas potius, quam aſſatas concedo; prandium conveniens ſit, cœna vero brevis, poſt cibum paſſularum, ſimulque amygdalarum decortic. pugillum unum ſumere permitto; & hæc in primo hecticæ gradu diætæ regula eſſe debet; cum præcipuam hujus curationem in æqua victus lege apprime conſiſtere noſcam. Hæc ergo omnia pro primo hecticæ ſtadio ſatis ſunt, nunc ad alterum accedimus.

Secundi gradus curatio. 10. Cum ad Ægrum in ſecundo hujus febris gradu firmatum vocatus ſim, curationis ideam plurima cautione exponere; ne illudere videar, ſerio cogito. Primo igitur morbi labores, & ambiguam medelæ ſortem Aſſidentibus prænuncio, Patientiſque tolerantiam, exactam obedientiam, ſalutiſque fiduciam captare ſtudeo, demum tutiorem methodum inſtituere incumbo; ideo febris, & ſymptomatum conditiones, ac illorum fomites, ſi adſint, mature perpendo; ad quod opus indagines omnes, quas in primo hujus gradu notavimus, hic quoque inſequimur; & primo ſi ventriculi moleſtias detego, ab Emetico, eadem ſupra data methodo, curationem auſpicor. Cum vero ventriculi culpas non reperiam, ac a ſignorum ſyndrome, inibi data, lympham viſcidam acrem, vel chyliferorum infarctum febrem fovere, conjiciam; ut præſentibus indigentiis occurram, remediis iiſdem, (levioribus tamen, ne febrem magis accendant) aliiſque illam compeſcentibus commixtis, ſequenti modo uti delibero, videlicet.

℞. *Magiſt. ſolubil. Ocul. Can. Drach. ſem.*
Eſſent. Cortic. Chin. Chin. ſcrup. ij.
Sacchar. Roſar. in ſua aqu. ſolut. q. ſ.
ut f. bol. pro una Doſ.

quibus ſuperbibat ſequentem hauſtum

℞. *Aqu. Cichor. Marrub. aa. unc. ij.*
Conſerv. Roſar. veter. unc. j.
M. & propina pro Doſ.

Eſſentiam Corticis Peruviani nondum febrifugam, ſed inſignem aperitivam eſſe conſtat; ideo in hoc caſu dupliciter proficua; ad eundem ſcopum de ſero poſt brevem cenam hora una, vel altera ſequentem opiatam ſumat.

℞. *Conſerv. Roſar. veter. unc. j.*
Tinctur. Mart. cum ſucc. pomor. extract. Drach. ſem.
Sal Centaur. minor. ſcrup. j.
M. f. Opiat. pro una Doſ.

Dicta ergo auxilia per dies ſex ſumere præcipio; poſtea ut primas vias expediam, Diacydonium laxativum ad unc. ſem. præſcribo; & ne diarrhea, in hoc ſtadio ſæpe prompta, concitetur, unica vice, & paucum laxatiuum exhibeo.

Lactis uſus. 11. Poſt quodlibet ex dictis curativum initium, quid inde febris, vel ſymptomata expetant, perpendere, oportet. Et primo ſi febris præ ſymptomatis urgeat, ad lactis uſum confugere intereſt; cum nihil illo præſtantius febris hujus fomitem in ſanguine luxuriantem deprimere valeat. Acre enim virus ob ſupra data remedia minus viſcidum, magiſque liberum, a diuturna lactis invaſione facilius invertitur, ac enervatur. Et certo quidem aſſiduum hujus uſu, tardo licet, ſæpius tamen propriam dulcedinem ſanguini conciliaſſe, inſpeximus; cum corporis partes ſenſim reficiendo, funeſtam maciem, quæ hoc ſtadium celeriter currere ſolet, prorſus intercepiſſet, jucundoſque ſpiritus regenerando, enormonticum tumultum febremque tandem ſedaſſet; quæ inquam experimenta ſæpius inſpecta, manifeſtam de hoc infenſo victoriam certo demonſtrant. Aſſiduum ergo lactis remedium aptum certo eſt, molles particulas ſanguinis

guinis ſpumam delegere ut Naturæ niſu, qua data porta, demum eliminentur. Non tamen eodem modo quo ſupra, ſed moderatius in hoc ſtadio auxilium tantum uſurpare decet; nauſea enim major, ventriculi languor, viriumque defectus ſupra datam doſin tolerare nequeunt; ideo ut tutum in hac anguſtia remedium a lacte petamus, ſequenti methodo utimur.

℞. *Lact. Aſinin. unc. iij.*
Sacchar. Roſar. in ejus aqu. ſolut. Drach. iij.
M. & ex mamm. extract. illico ſumat.

Hanc doſin quotidie per dies octo horis quatuor ante prandium præſcribo, quam cum prodeſſe video, ſenſim per hebdomadas augeo uſque ad libram unam in die; ſicque per menſem, & ultra, cum proficiat continuare præcipio. De ſero autem ſeſquihora ante cenunculam ſequentem mixturam exhibeo.

℞. *Oleum Margarit. Cnoffel. ſcrup. ſem.*
& in ejus defectu
Magiſter. ſolubil. perlar. noſtri. gr. xij.
Julap Perlat. ſin. odor. Drach. ij.
M. pro Doſ. & utere ut ſupra.

pro Ægris minoris fortunæ ſequent. præſcribo

℞. *Magiſt. ſolubil. Ocul. Cancr. ſcrup j.*
Succ. Cancror. expreſſ. & depur. unc. ſem.
M. pro Doſ. & ut ſupra utito.

Cum autem lac crudum ſtomachum turbare, ex indiciis noſcatur, ad lactem coctum ut ſupra confugere intereſt, ne tantum remedium deperdamus, doſis vero eadem eſſe debet, ut nunc ſupra dictum eſt. Quod ſi nec coctum lac toleretur; tunc ad nutritionem aliquo modo reparandam, ſequentibus confugio.

Diæta reficiens. 12. Primo igitur ne macies in maraſmum tranſeat, quod celeriter ſecundum, in tertium gradum commutat, ad reficientes opportunos accedere convenit; ideo primum deſtillati analeptici ſequentem uſum præſcribo.

℞. *Carn. Capon. a pell. & pingu. lib. j.*
Vervec. ſin. pingued. lib. ij.
Medull. panis tritic. lib. j.
Succ. Cancr. fluviat. unc. x.
Pomor. redolent. lib. ſem.
Seri Caprill. recent. lib. xij.
Cinamon. Drach. iij.
M. deſtill. donec tres liquor. part. aſcendant.

Deſtillati hujus uſum ſequenti, vel ſimili modo, pro circumſtantiarum petitione præſcribere ſoleo.

℞. *Balſam. Margarit. Cnoffel. ſcrup. ſem.*
vel in ejus defectu
Magiſt. noſtri Solubil perlar. drac ſem.
vel pro minor. fortun. Ægris
Magiſt. ſolubil. Ocul. Cancr. ſcrup. ij.
Deſtillat. ſupra dicti unc. j.
M. pro Doſ. trib. hor. ante prand. ſumend.

In Prandio item cum cremore hordei, vel ſimili ferculo, alteram deſtillat. hujus unc. miſcere præcipio; hinc panis martii fruſtulum, cum exiguam pulpam Vituli, Vervecis, Caponis, Perdicis, aut Columbini pro Ægri conditione unam vel alteram, Vinumque Granatorum acido-dulce, cum aqua hordei, ac paſſular. dilutum, exhibere præcipio, tandem poſt paſtum paſſularum, & amygdalarum decorticat. pugillum concedere ſoleo. Ante cenam pariter ſeſquihora ſaltem eandem mixturam ſerotinam, *antec. num.* 11. datam, ſumere jubeo; ac in cena ſuccum hordei cum ſupra dati Deſtillati unciam unam, paſſulaſque, & amygdalas, potumque ſupra datum, & nil aliud ſumere præcipio; gratificationes vero pro Patientis conditione provido, peritoque Medenti relinquere decet. Hanc methodum, cum prodeſſe noſcam, per menſem, & ultra protrahere ſueſco; pluribus enim, quorum ſtomachus lac renuebat; hæc auxilia ſatis profuiſſe obſervavimus. Hoc item tempore Emplaſtrum ſtomachicum, ut ſequitur, mane, & ſero applicare jubeo, videlicet.

℞. *Biſcott tritic. pulver. unc. ij.*
Balſam. Peruvian. Drach. ij.
Ol. Nuc. moſchat. expreſſ. ſcrup. j.
Succ. Menth. odorat. q. ſ. ut f. Paſta

quæ leni furni calore tepefacta ventriculo applicetur. Cæteræ demum res pro Diętæ complemento cum hac regula componantur, & præcipue Animi motus tranquillitate foveri plurimum intereſt.

13. Balneum denique cum cæteris *Balnei uſus.*
ſimul

ſimul pro temporum febris, Patientiſque conditionibus ad uſum vocare, proficuum erit; hujus enim ope fervida ſanguinis, ac membrorum diatheſis non parum contemperatur, & ad naturalem tonum diuturno uſu revocatur ita, ut febris ingraveſcentiam, repetito balneo, ſenſim in dies minoratam vidiſſe, non ſemel obſervaverim. Uſus vero ſequentes regulas ſervare debet. Primo valde mane lactis, aut deſtillati mixturam ſumat; tribus horis poſtea balneum introeat; hoc vero cum herbis, & floribus humectantibus dictis, ſufficienter decoctum ſit, & calidiuſculum cum ingrediatur, ac in ipſo commode ſedeat Æger, donec primo frigeſcere ſentiat; demum e balneo exiens, aeris cruditate non afficiatur, ſed cito deterſus in lecto tepido requieſcat, lintea vero guttulis aliquot Aqu. Regin. aſpergere jubeo, ut grata fragrantia ſpiritus reſtaurentur; denique poſt mediam quietis horam præſcriptum cibum aſſumat. Hoc ergo ad ſanguinis æſtus, febriſque moderationem inſtitutum, auxilium meis, & aliorum experimentis proficuum ſæpe fuit; ideo in hac urgentia, quæ omnia profutura exoptat, haud ſpernendum erit. Hæc vero pro ſecundo hecticæ gradu ſatis ſint, nunc ad ultimum accedimus.

Tertius hecticæ gradus.

14. Acerrimum tandem morbi ſtadium currere aggredimur, ultimam hujus tragædiæ ſcenam, extremum, ac inſuperabile malum, ad quod deſcenſus facilis, ac revocare pedes, pene impoſſibile eſt. Maraſmus hic dominat, triplici capite monſtrum, a quo nullum evaſiſſe, obſervationes teſtantur; tribus enim funeſtis ſymptomatis, alvi nempe fluxu, colliquativo ſudore, ac macie tabifica, Cerberus iſte conterit, quæ mala methodice curari nunquam, palliari vero aliquando poſſunt; ſicque vitam non quidem a morbo redimere, ſed inter anguſtias prorogare, Artis faſtigium eſt. In hoc ergo hecticæ gradu cum ad Ægrum vocatus ſim, cognito mortis jure, ne artis dedecus, ac patientis illuſionem mercari videar, apertis verbis inevitabile vitæ periculum denuncio; cum hactenus Ars noſtra (quidquid jactitent aliqui) ad morbum tantum expugnandum opportunum remedium non invenerit; *morbus enim imbecillum jam corpus vincens, curationi non obedit*, ut *Hippocrates* teſtatur. Verum ne impio contemptu languentem dimittere videar, quid ſaltem ex palliativa medella expeti poſſit, omni ſtudio impendere paciſcor; ſpem vero integræ ſalutis nullam, nec poſt manifeſtam ſymptomatum, febriſque compeſcentiam nunciare audeo; cum venenum hoc in fluidis, ſolidiſque partibus penitus radicatum, omnino extirpari nequeat, niſi novum corpus regeneretur. Ideo hic artis omnia tentare decet, ſalutem vero promittere non licet.

15. Sed antequam compeſcentia remedia enunciemus, febris hujus duplicatas perſæpe circuitus perpendere expedit; cum illius invaſiones complicatas febres oſtendere videantur, ut Veteres olim futiliter credidere; ſatis enim hecticæ, & putridæ febris combinatio illorum mentes illuſit, deluſitque commentum illud, quod iſtæ ab humoribus, varia nomenclatura noxiis, hecticæ vero a vitioſo habituali calore in ſolidis partibus accenſo emanarent; ſicque a diſpari progenie ortas febres, aliquando complicari poſſe dixerunt; quia unicam ſemper, intimamque omnium originem eſſe, non dignoverunt. Naturæ enim machina, Enormontico niſu ducta, febris quælibet eſt, qua utitur ſemper, licet non ſemper recte, ut inſenſa quælibet a vitæ clauſtris eliminet. Paſſim jam, & ſatis oſtendimus, quod ipſi ſolum impetum facientes ſpiritus vario ſtimulo concitati, febres omnes promovent, & abſolvunt; ideo tot varias illarum origines, differenteſque febrium complicatas ſpecies, vanum effugium, ac ignaviæ aſylum fuiſſe arbitramur. Diſpares ergo a variis occaſionibus concitatæ ſpirituum impulſiones erraticas febrium invaſiones multiplicat; ſic in caſu, quo vapeſcentem ſanguinem conſiderare deceat, adeoque paucos ſpiritus, & hos agitatos habere dignoſcamus, iſti inquam in diſſoluta maſſa effrænes ducti febrem promovent, magis vel minus vehementem, prout illorum acoſmia, vel

inſenſi moleſtia illos impellit; quæ varia febris, & ſpirituum diſcrimina tandiu prorogantur, donec ſanguis in vappam ultimo reſolutus, vitalem auram in momento deperdat.

Febrem compeſcere.

16. Hæc ergo erratica febris compeſcentiam aliquam interdum audire, non renuit, licet nunquam in hoc gradu omnino ſedari poſſit; cum febris machinam Enormon dimittere neſciat, donec intolerabilem hoſtem a proprio ſanguine non eliminet, quod in hoc ſtadio nunquam aſſequi poteſt; cum ſpiritus langueſcant, inſenſum acre indomabile fit, ſanguiniſque maſſa vappeſcere incipiat; ideo ne deſperato niſu fruſtra vires deperdat, febrem hanc inutilem, ac pernicioſam, ad aliquam moderationem ſaltem ſeducere intereſt, quod ſequentibus auxiliis non ſemel conſequuti ſumus. Primo itaque ut acre virus (quod ſanguinis rorem, & corporis carnes devorat) pro viribus comprimatur, ſimulque febris minuatur, mixturam matutinam *num.* 12. *ſupr.* datam tali modo componere ſueſco.

℞. *Deſtillat. noſtri ſupr. dat. unc. j.*
Eſſent Cortic. Peruv. optim. Drac. j.
Balſam. Margar. Cnoffel. ſcrup. ſem.
vel Magiſt. ſolubil. perlar. gr. xv.
M. pro una Doſ. matutin.

Hęc mixtura quatuor horis ante prandium ſumi debet; prandium item, cæteraque *num.* 12. ſupra expoſita, eandem methodum ſervare debent, ac diu continuare; eſſent vero Cort. Peruv. non ultra dies octo prorogare ſueſco, cum intra hunc ſpatium ſatis profuiſſe, pluries comperti ſimus. At ubi febrem hanc nimis accenſam inſpeximus, Peruviani febrifici loco, alterum noſtrum exhibuimus, tali modo.

℞. *Deſtillat. ſupr. dat. unc. j.*
Nitri febrifug. noſtri Drach. j.
Magiſt. ſolubil. Perlar. gr. xv.
M. pro Doſ. mane ſumend.

Nitrum febrifugum, pro ardentibus febribus pluries probatum remedium, ſic conficimus.

℞. *Nitri puriſſim. libr. j.*
Succ. Centaur. minor. lib. j. ſem.
Diger. ſimul. hor. 24. poſtea
Bulliant in MB. ad ſucc. conſumpt.
Exiccat len. calor. Nitr. ſerv. uſui.

Hæc denique pro erraticæ febris hujus compeſcentia ſatis eſſe poſſunt, nunc etiam ad ſymptomatum acerbitatem pro viribus mitigandam deſcendimus.

Tabem refrænant.

17. Tabifica primo Macies, corporis carnes devorans, vitamque ſenſim conſumens, primos intuitus meretur; hanc ergo analepticis opportunis hactenus expoſitis refrænare intereſt, quibus ſupradatis, ſequentia pariter addimus; & primo Aquam lactis, quam in prandio loco vini Granatorum exhibere ſoleo, videlicet.

℞. *Pulp. Dactylor. Caricar. pingu. aa. lib. ſem.*
Paſſular. minor exacinat. lib. j.
Succ. Pomor. odorat. lib. ij.
Lactis Vaccin. recent. lib. xv.
Conciſ M. omnia & diger. hor vj.
poſtea deſtill. ad medietat.

Hujus aquæ deſtillatæ quotidianus uſus in menſa, & interdiu pro exigentia eſſe debet, probe namque reficit, & tabem repellit; ideo illius doſes nec reſtrictas, nec immoderatas eſſe, præſcribo. Balnea item, ſi vires ferunt, in his anguſtiis experiri non ambigo; maraſmum enim valide retardare apta ſunt; utantur ergo, cum prohibentia non vetent, eodem modo, quem ſupra expoſuimus. Poſt balneum inunctionibus ſæpe utimur, ex unguento reſumptivo Fernelii recenti, cum Aqu. flor. Aurantior. q. ſ. diluto. In ingreſſu lecti poſt balneum, & poſt cenam, unam ex rotulis ſequentibus ore teneat, & ſuccum deglutiat.

℞. *Pulpæ ſemin. Melon. unc. j. ſem.*
Magiſt. ſolubil. Corall. noſtri Drach. ij.
Ambr. gryſe. ſcrup. ſem.
Ol deſtillat. Cinamom. gut. ij.
Sachar. candid. in aqu. Roſar. ſolut. unc. iij.
M. f. l. a. Rotul. ponder. Drach. j. pro Doſ.

Hæc demum pro Maraſmo evitando, ſufficere poſſunt, nunc alterum ſymptoma expeditionem repoſcit.

Diarrhea cohibent.

18. Tabem vel inſequitur, vel conficit Diarreha colliquativa, cujus ſævities eſt, nondum inteſtinorum, ſed totius pinguedinem, carneſque colliquare, ac per alvum eliminare, & ita pertinaciter in hoc febris ſtadio violentiam exerit, ut nunquam, vel arduo

nimis

nimis præpediri aſſequatur; tanta eſt in his extremis acerrimi hoſtis virulentia, tantaque ſpirituum languentium acoſmia, ut deſperati amborum conatus viventem machinam ultimò deſtruere, colliment. Compertum itaque eſt, nullis opportunius, præter opiatis remediis utrorumque violentiam comprimi poſſe; ideo auxiliorum omnium baſis Opium eſſe debet, quo & frequenter, & impavide uti, extrema pericula ſuadent, cum majus malum a colliquativo fluxu, quam ab opii damnis timendum ſit. Ad remedia ergo deſcendimus, & primò.

℞. *Conſerv. Roſ. rubr. veter. unc. ſem.*
Trochiſc. de Carab.
Bol. Armen. aa. Drach. ſem.
Laudan. Cydoniat nri gut. xv.
M. f. Opiat. pro una Doſ.

Hæc mane & ſerò hora una ante cibum exhiberi debet, quandiu vero continuari deceat, effectus docebit; ſic pariter ſi ſupra data remedia ſimul cum hoc uſurpari, vel aliquid in ipſis dimitti, & commutari debeat, Febris ac DiarrhϾ conditiones peritum Medentem docebunt; quod vero, donec fluxus vigeat, permutari poteſt Aqua lactis eſt, quæ, niſi febris excandeſcat, in vinum Granat. ſubacid. commutanda eſt. Laudanum Cydoniatum pro hac urgentia ſequenti modo conficere intereſt.

℞. *Succ. Cydon. recent. lib. iij.*
Limon. recent. lib. j. ſem.
Opii thebaic. optim. lib. ſem.
M. diger. loc. calid. per dies aliquot.
Demum decantat. liquori claro adde
Nuc. moſchat. pulv. unc. ſem.
Diger. iterum dieb. octo poſt. filtrat.
uſui ſervetur.

Hoc ſedativum, & hypnoticum auxilium in caſu noſtro ſine reliquis ingredientibus ſatis proficuum fuiſſe, pluries comperti ſumus, cum Diarrhæam hanc ferocem poſt triduum ſæpe detinuiſſet. Item ad hunc finem, ut inteſtinorum irritatio ſaltem compeſcatur clyſtere ſequenti, vel ſimili uti ſueſco.

℞. *Caput & pedes Vervec. non depilat.*
Inteſtin. craſſ. Vaccin. lib. j.
Roſar. rubr. ſiccar. pug. iij.
Aqu. Fabror. q. ſ. ut Decou. ad med.
conſumpt.
S. Medic. Roſetti.

℞. *Decoct. hujus unc. iv.*
Lact. Vaccin. chalibeat. unc. iij.
Unguent. Populei unc ſem.
M. f. Clyſt. ſemel in die utend.

Nec inunctiones inutiles ſunt; ideo ſequenti mixtura totum abdomen mane & ſero illinire præcipio.

℞. *Ol. Maſtic. Cydon Myrtill. aa. unc. j.*
Ungu. Popul. Roſ. omphacin aa. unc. j.
M. f. linim. utend. ut ſupra.

19. Ultimum denique ſymptoma, quod ſæpius poſt ſedatam diarrhœam caput attollere ſueſcit, diaphoreticus ſudor eſt; viciſſim verò in hoc extremo gradu unum alterum inſequitur; cum deſperati ſpiritus, venenatum ab acri viru, & vappeſcentem ſanguinem qua data porta profundere, ipſique effugere nitantur. Tanta igitur copia ab intimo conatu ſæpe ſudor hic eliminatur, ut lectus etiam madeſcat, & Æger lypothymiis corripiatur; ſicque ſemper ſanguinis quantitas, & probitas ſimul minuuntur, unde corpus areſcere, vitamque perire cogunt. Tantum igitur ſymptoma pro viribus compeſcere extrema diſcrimina expetunt, ideo, cum emergat, illicò omnia tentare intereſt, ne irreparabile fiat, ad quod opus ſequentia ſæpè proficua comperti ſumus. *Sudorem ſedant*

℞. *Aqu. folior Querc. deſtill. unc. iij.*
Terr. Catechu ſeu Japponic. Drach. j.
Tinct. Lapid. Hæmatit. Drach. ſem.
Laudan. Cydoniat. nri gut. xij.
Syrup. de Berber. unc. j ſem.
M. & cochleat: in ſudor. die ſumat.

vel ℞. *Aqu. de ſucc. Plantag. Portulac.*
aa. unc. ij.
Tinctur. Roſar. rubr. Drach. ij.
Magiſt. Alumin. nri gr. xv.
Laudan. Cydon noſtri gut. xij.
M & utere ut ſupra.

Non parvam pariter opem externa ferunt auxilia, & primò cubiculi aerem frigidiuſculum arte ſervare intereſt; ſecundo lecti culcitras minuere, linteaque cum aqua roſacea, in qua Terra Catechu & Alumen ſoluta ſint, aſperſa, & exiccata Ægri cubitu apponere Eidemque ante ſolitam ſudoris invaſionem, pectus, & dorſum ſequenti mixtura illinire intereſt.

℞. *Terra Vitriol. dulc. unc. ſem.*
Catechu Drach. j.

Mm *Alu-*

Alumin rupei pulver. Drach. ij.
Thuris ab. pulver. Drach. j.
Ungu. Populei q. s. ut f. linim.

Hæc demum Symptomatis hujus repagula ſunt, quæ fruſtranea non fuiſſe aliquando inſpeximus. Verum etſi moderationem ſymptomata iſta in his extremis interdum audiant, dum intimus ignis viget, hic ſemel ſopitum alibi ſerpit incendium; cum ſedata diarrhœa; exinde ſudor emergat, ſopitoque ſudore, iterum diarrhea reſurgat; & donec intimum virus non expurgetur, ac agitati ſpiritus non compeſcantur, uſque ad vitæ exitum alternare inviſuntur. Sed ſatis pro nunc, in ſequenti enim *libro cap. de Phthiſi* hunc ſpectrum adhuc inſpicere, nova occaſio recurret. Ibi etiam antihectica remedia multa, quæ pro circumſtantiarum petitione ad uſum revocari poſſunt, expoſita inveniuntur.

CAP. IX.

De Scorbuti Febre.

Scorbuti deſcriptio. 1. AB hectica febre ad Scorbuticam accedimus; morbus iſte contagioſus etiam eſt, cum peſtifero halitu, vel ſimplici poculorum commercio ſana etiam corpora veneficis miaſmatibus ſæpe inficiat. Horribilis affectus numeroſa morborum, ac ſymptomatum caterva comitatus, nunquam idem, ſed Proteiformis ſemper facies variare aſſueſcit; cum modo capitis, modo thoracis labes, nunc abdominis vitia, & nunc corporis totius morbos oſtentare nitatur; partem vero quamlibet afficiat, abditum venenum ita occultat, ut ex paucis ſignis hunc ab alio morbo dignoſcere, Periti etiam laborent. Potiſſima hujus ſedes in ſanguine reconditur, quem vitæ fontem, non unico ſemper, ſed vario veneno defædat, unde differentes, ac ſæpe contrariæ illius infectiones, effectibus proditæ, conſpiciuntur; pollutum vero ab hac lue ſanguinem prædiſpoſita pars magis, quam altera non diſpoſita, patitur; quia ibi hoc venenum plus agit, ubi minores reſiſtentias invenit. Sanguinem vero infectum cum Natura expiare conſtituat, febris machina utitur, quo medio vitale fluidum depurare ſolet; at inconſtanti niſu ad hoc opus febrem ducit, cum ſæpe nec continuo, nec regulato, ſed erratico impulſu ſanguinem ad commotiones inducat; cum autem ſcorbuti virus, nondum illum inficit, ſed illius craſin prorſus evertere tentat, tunc ſupra tolerantiam irritatum Enormon continuas varii generis febres excitare ſueſcit. Diſpares ergo iſtarum apparatus, ne Juniores illudant, propriis morbi hujus ſignis diſtinguere, ac ab aliis febribus dignoſcere intereſt.

2. Scorbuti ergo Diagnoſis magis propria ſequentibus indiciis firmatur. *Diagnoſis* Primo ſpontanea corporis laſſitudo, membrorum gravitas, & relaxatio diuturna ſæpe moleſtant; ſecundo genuum tremor, & languor, quibus corporis moles ſuſtinenda faſtidium fit; tertio maculæ in cruribus præcipue ſæpius lividæ, ac diutine perſiſtentes; quarto gingivarum corroſiones, & ulcerationes, putrem cruorem, fœtoremque manantes; quinto ptyaliſmus frequens, & copioſus nunc aqueum, nunc fixum ſputum eliminans; ſexto ſub oculis livor ater ut in contuſionibus adeſt, perennatque per annos; ſeptimo facies, & corporis habitus liveſcens, puſtulis item, inſtar Elephantiaſis fædatus; octavo dolores per artus infeſti, Arthritim vagam ſimulantes; nono demum aperta, & in dies aucta contabeſcentia, quæ ſenſim ad extremam maciem perducit. Hæc ergo ſenſibus manifeſta ſigna, ſi non omnia ſimul, plura ſaltem, unum poſt aliud emergens, occultum Scorbuti venenum facile oſtendunt; quibus indicantibus ſignis comitatam febrem, cujuſque generis ſit, hujus toxici ſtimulo concitatam eſſe, tuto conjicimus; verum ad ipſas intuendas, deſcendamus oportet.

3. Diſpares in hac linea febres emergere ſæpe ſolent; *Febrium iſtarum indoles.* aliæ namque inconſtantem, & erraticam indolem oſtendunt, cum & ſilere, & ſe pandere, nulloque typo conſtringantur; aliæ vero typum ſervant, & vel tertianæ, vel quartanæ periodos ſimulant; ac demum aliæ continuarum, imo & mali-

gna-

gnarum ſtadia currunt. Varietas autem iſta a diſpari veneni hujus gradu dimanare certo credimus; quo enim modo ſcorbuti virus Naturæ tolerantiam frangit, eodem etiam modo febris machina contra ipſum dirigitur, ut concitata ſanguinis ebullitione, venenum deſpumet, ac eliminet. Si ergo virus hoc mitiori gradu infeſtum, non nimis moleſtat; tunc febres erraticæ, inſenſibiles quaſi, & ſine ardore invadunt, quales vidit *Eugalenus*, & *tract. de Scorbut.* deſcripſit. Atrocius vero toxicum apertas febres quotidianæ, tertianæ, quartanæ, aut quintanæ typum ſervantes inducit, quales deſcribit inter alios *Sennertus lib.* 3. *pract. de Scorbut. cap.* 4. *&c.* Cum denique acutiſſimum gradum hoc virus aſcenderit continuas etiam, ac epidemicas febres excitaſſe, plurimi teſtantur, inter quos *Dodoneus lib. obſerv. cap.* 33. *anno* 1556. & *Foreſtus lib.* 20. *obſerv.* 12. *anno* 1566. Varias ergo hujus febris invaſiones, & indoles, a differenti Scorbuto, natura, & gradu diſpari emerſiſſe, tuto ſatis ex dictis conjicimus; verum ne decipi videamur, morbum hunc intimius indagare aggredimur.

Morbi multi a ſcorbuto inducti. 4. Scorbutus, ni fallor, illud Pandoræ vas eſt, *ex quo mala omnia, intus abſcondita, inter homines evolarunt* ut *Heſiodus* ſcribit. Et certo quidem inexhauſtum hujuſce ſeminium indefinitas clades ducere, ac producere ſemper ſueſcit; cum indefinitum morborum numerum a ſcorbuti veneno manare Periti plurimi obſervaſſent, quorum aliquos hic audiri decet, ut indago noſtra clariori lumine incedat. Primus ergo ſit accuratiſſimus *Sennertus*, qui *pract. lib.* 3. *de ſcorbut. cap.* 1. multas affectiones morboſas a ſcorbuto productas, his verbis recenſet. *Neque gingivarum ulcera, & oris fœtor, dentium vacillatio, & crurum maculæ, atque ulcera ſolum conſpiciuntur, ſed & dolores incruribus, nauſeæ, vomitus, ac anorexia, alvi nunc conſtipatio, nunc fluor, & dyſenteria, ſputum copioſum, & perpetuum, dolores vagi, cardialgia, & anxietas, lipothymia, febrium varia genera, deliria, convulſiones, paralyſis, hydrops, arthritis, pleuritis, eryſipelata, varia ulcera, & alia &c.* hæc Sennertus; at plures adhuc morbos hujus veneni proles, Doctores alii deſcripſerunt, ut *Eugalenus*, *Dodoneus*, *Foreſtus*, *Horſtius*, *Vuierus*, *Timeus*, *Barbette*, ac alii plures, inter quos ſingulari tractatu celebris *Vvilliſius*, qui alios item hujus veneni effectus deſcribit, ut *reſpiratio difficilis, pectoris anguſtia, pulſus intermittens, & frequens;* & paulo infra, *ſudores, urinæ lixiviales, viſcerum tumores, & obſtructiones, melancholia, & metus, ſpirituum fatiſcentia, vertigo, affectus ſoporoſi, aut vigiliæ pertinaces, ſtultitia demum, aut inſania oriuntur: tract de ſcorb. cap.* 3. Sed quid ultra quærimus. Satis enim indagini noſtræ hæc ſunt; cum abunde ſuadeant, quod nunquam tot varii morbi ab unica ſemper, ac invariabili cauſa promanare poſſint, cum diſpares nimis, ac oppoſiti effectus differentes origines certo denuncient, ut nunc videbimus.

5. Et primo idem, & unicum venenum coagulare; & colliquare ſanguinem non poteſt; cum effectus iſti differentes cauſas expetant, ut ad actum deducantur; alia enim vis eſt, quæ fluidorum particulas in molem congerit, & coagulat; alia item, quæ oppoſito niſu, ad minimorum trituram illas comminuit, ac illarum conſiſtentiam colliquat; illos impenſi frigoris, iſtos intenſi ardoris effectus eſſe, Veteres, ſenſibus innixi, crediderunt; nos verò, chymico-mechanicis experimentis edocti, illos Acidi coagulantis, hos autem Acris veneni colliquantis, productos eſſe, arbitramur; cum in ſanguine viventis corporis, nec impenſum frigus, nec intenſus ardor inveniantur. Hoc ergo aperto lumine utentes, ad indaginem noſtram deſcendendo, ſi morbos plurimos, a ſcorbuta labe inductos, intime penetramus, alios a congrumeſcente, & alios a colliqueſcente ſanguine ortum ducere, certo ſuademur; ideo priores ab Acido, & poſteriores ab Acri toxico produci, non denegabimus; quod autem hoc certum ſit, ſcorbuti morbos magis proprios ad ſcrutinium vocare, petita veritas urget. Primo itaque hujus veneni, quaſi pathognomonici affectus ſunt morbi plures, qui ab acri corroſiva vi manare ſolent, nempe *gingivarum ulcera*, *Scorbiti cauſæ diſpares.*

dentium vacillatio , *ſputum copioſum* , *& perpetuum* , *ſudores frequentes* , *urinæ lixiviales* , *alvi fluores* , *& diſſenteriæ dolores vagantes*, cæteraque ſimilia Scorbuti comitia, quæ acre virus culpare certo poſſunt ; contra vero ſcorbuti effectus, qui ab acida lue induci ſolent ſequentes ſunt , videlicet *alvi conſtipatio frequens*, *reſpiratio difficilis*; *præcordiorum anxietates* , *pulſus intermittentes viſcerum tumores* , *& obſtructiones* , *mæſtitiæ* , *triſtitiæ* , *melancholiæ* , *ſoporoſi* , *affectus* , ſimileſque ſcorbuti affectiones, quorum ſeminium , & radix acidum virus eſſe , non ambigimus . His ergo notis , tuto deducitur , quod non unico ſemper; ſed vario ſæpe veneno , nunc acri , & nunc acido , ſcorbutus morbus ſanguinem inficiat.

A juvantibus & lædentibus confirmatur. 6. Veriſimilis hæc conjectura a Juvantibus , & Lædentibus magis confirmatur. Veteres enim in ſcorbuti curatione pro dogmate diu probato ſtatuerunt ; quod *antiſcorbuticis calidis* , *ſeu acribus caute uti oporteat* , *cum temperamentis calidis noxia ſæpe fuiſſent* . Hanc ſententiam poſuere periti plures, inter quos *Eugalenus* , *Timeus* , *Foreſtus*, *Sennertus*, *Williſius*, concordi ſenſu cenſuere . Et certo nobis pariter (antequam de diſpari Scorbuto notionem hanc aſſequuti fuerimus) eadem experimenta contigiſſe confiteor ; cum antiſcorbutica remedia , plurimo acri ſale prædita , ſine diſcrimine præſcribendo , Scorbuticos aliquos gravatos potius , quam curatos vidiſſem ; quia morbi radix , acri veneno prædita , ab acri remedio augeri , non corrigi poterat ; cum acres , ab acribus particulis magis adaugerentur . Plures vero , quibus antiſcorbutica eadem acria profuere, illos certo acida lue infectos fuiſſe, poſtea judicavimus. Et re vera fateor, quod poſtmodum hac diſtincta cauſarum notione in praxi utens, quot Scorbutos curare contigit, omnes , favente Deo vel redemptos, vel ad meliorem ſtatum directos fuiſſe vidimus; morbus enim iſte cum altas radices egerit, pene nunquam eradicatur . Concludamus ergo , quod reduplici veneno peſtifera lues iſta militare ſueſcat, ſeu vel Acri vel Acida labe diverſa corpora inficere,& hoc pro varia ſingulorum prediſpoſita natura, ni fallor.

Cauſarum ſigna. 7. Hæc demum Scorbuti cauſæ , acidum nempe, & acre , quomodo in affectis corporibus dignoſci poſſint, breviter tangere adhuc ſupereſt . Primo itaque Morbi hujus ſigna *num.* 2. ſupra data expendere , ac in Ægro detegere convenit ; cum vel plura ſimul , vel omnia magis ſcorbutum certo adeſſe , denuncient ; hoc primum cognito , an acris , vel acida lues morbum ducat , propria iſtorum ſigna , alibi etiam expoſita, nunc quoque cum morbi hujus conditionibus conferre, eſt opus. Signa *Acris veneni ſigna* ergo, quæ acre virus in Scorbuto revelant, ſequentia eſſe poſſunt . 1. Si Æger cum hujus ſignis febricitans, in ipſius invaſione non frigus proprie , ſed membrorum lancinationes , aut punctūras pati videatur , quod conſuetus acris veneni effectus eſt . 2 Si calor febris ſenſim accendatur, nunquam vero ad ſummum æſtum aſcendit , niſi cum continua ſit, & tunc calor impenſus, ſitis ardens, capitiſque dolores invadunt. 3. Si acre virus proprias radices in ſtomacho nutriat, in febris æſtu vomituritiones, & vomitus etiam, auſtero , vel amaro ſapore infectus , emergere ſolet ; ſin vero lumborum , & artuum dolores excruciant; cum accenſum in ſanguine virus , partes quas cum ipſo diluit, inficiat , & divexet . 4. Hinc etiam caput ſuas clades patitur ; fædatus enim ab hac lue ſanguis intra meninges ab arteriis ductus, inibi ad acoſmiam ſpiritus concitat , ſicque ſæpius delirium inducit, atroceſque cephalalgias accendit . 5. Pulſus in hac febre parvi & frequentes in principio, in ſtatu vero magni , & aliquando vehementes , ſed nunquam intermittentes inveniuntur ; cum hoc virus non congerat ſanguinem , ſed colliquet . 6. Urinæ contentis plurimum ſaturatæ , ſæpeque lixiviales ſunt; plures enim , ab hoc viru colliquatæ, ſanguinis particulæ , in illius ebullitione præcipitantur , & per renes cum ſero eliminantur. 7 Sudores item declinante febre, pene ſemper adſunt , & copioſi , ac cum ſpaſmodica inquietudine ſæpius erumpunt. 8. Corpora demum , quæ ut plurimum ab hoc toxico inficiuntur aduſtæ potius , quam humidæ conſtitutionis eſſe ſolent : ſic virili magis , mi-

minus immatura, vel decrepita ætate fruentes, acri ſcorbuto vexantur; cum horum ſpiritus ad acrem potius indolem propendeat, ideo conſimilem quaſi lædentem diutius tolerant, donec ad integrum veneni gradum doloſus hoſtis aſcendat, & tunc inaniter ſæpe, ut inſenſum eliminent, febris machina utuntur: hæc tandem hujus veneni ſigna fuere.

Acidi ſigna. 8. Acidi vero indicia ſequentia eſſe poſſunt. 1. Febres iſtæ cum frigore diuturno, ac ſæpe moleſto primo invadunt; ſpiritus enim, a figenti viru non ocyter, ſed tardo niſu redempti, fortiter expandi poſſunt, ideo diutine frigus protrahitur. 2. Cum in ſtomacho lues iſta radices figat, nunquam vomitus, ſed tormina potius, & cardialgiæ inſurgunt; inibi enim vitioſum hoc acidum fermenta depravant, unde vel ſordida fames, vel anorexia emergit. 3. Hinc item ſcorbuti colicæ moleſtant cum pancreatis lympha, hoc acido viru infecta, inteſtinorum fibras convellat, ſicque ſæva tormina pariat. 4. Febris æſtus parum accenditur, & interdum nec auditur, niſi continua hæc febris ſit, cum prædominante acido, Enormon raro excandeſcat; ſanguis enim grumeſcens, ſpirituum exploſiones præpedit. 5. In continuis vero pro æſtus gradu ſitis aliquando moleſtat, aliquando econtra ſolutæ in febris ardore lymphæ, frequentem expuitionem ſollicitant; in intermittentibus vero nulla ſitis apparet, ſed perpetuus ptyaliſmus ſcorbuti proles frequentius infeſtat. 6. In febris vigore viſcerum obſtructiones ab acido viru ingeſtæ, ſenſum, & moleſtiam inferunt; ſpiritus enim, in fluidis gliſcentes, cum illas expugnare nitantur, ſenſibiles magis reddunt, & inextricabiles deferunt, & hinc dolores vagantes per infarctas partes audiuntur. 7. Ideo ſi nimis grumeſcat ſanguis, in cordis ingreſſu lipothymiæ inſurgunt; ſi pulmones obſtructi ſint, difficilis reſpiratio emergit; & ſi ſuccum nerveum hoc acidum inficiat, arthritis vaga ſæpius invadit; ſicque partes aliæ ab hoc viru infarctæ, proprias clades in febris acmi revelant. 8. Pulſus ob grumeſcentem ſanguinem, ſæpius intermittentes inveniuntur. Urinæ vero ut plurimum ob eandem cauſam aquoſæ inſpiciuntur. Sudores demum vel nulli, vel madores tantum acido halitu redolentes obſervantur. 9. Corporis conſtitutio tandem, quæ ab acido ſcorbuti facile ſubjicitur, illa eſt, quam Veteres melancholicam nuncuparunt, Recentiores vero titulo acidæ craſis deſcribunt; ætas demum ſenilis potius, quam aliæ huic veneno ſubjacet; hæc morbi ſigna fuere; nunc vero Prognoſis nos vocat.

9. Morbus iſte doloſus in ſui principio raro noſcitur, cum tacito molimine dominium in ſanguine ſtatuat; ideo ſi quandiu in corpore radices ponat, abditus ſilet, cum tandem prædominium firmatum habeat, tunc caput elevat, & intolerabilis redditus, Naturam ad bellum provocat; & tunc præpotentem hoſtem, diu toleratum, proprio tantum niſu ipſa expugnare nequit, & cum Arte ſimul fœderata, difficilem victoriam tentat. Difficilius adhuc devincitur, cum in aliquo viſcere intime firmatus, atrocem morbum, ut ſui propugnaculum, anteponit; ut ex. gr. *deliria*, *paralyſim*, *hydropem*, *arthritim*, *affectus ſoporoſos*, *vigilias pertinaces*, *ſtultitiam*, *aut inſaniam*, ſimiliaque hujus familiæ mala; tunc enim & periculoſum morbum, & ſcorbuti radicem, quæ illum firmat, ſimul eradicare, arduum nimis eſt. Sic pariter inveteratus hic morbus, vel ex patris ſemine ductus, aut in climate, ubi endemius eſt, cum ab aere infecto continuo nutriatur; ſic item in ætate vetuſta, nec minus in juvenili parum vegeta, difficillime curationem audit. Verum non ſemper, & maxime cum ferocire morbus oſtendat, imminentia funera præcinit; quia chronicus eſt, non acutus affectus, & per ſe tantum lentam tragediam ducere, diuturnaque pœna conficere ſolet. Ideo dum effera ſymptomata in hac Naturæ cum morbo lucta emergunt, non inde proximum exitium nunciandum erit; cum omnia iſta, ut *nauſea*, *vomitus*, *alvi fluxus*, *ſputum copioſum*, *cardialgia*, *dolores vagi*, *ac febrium varia genera*, omnia hæc, inquam, ſimiliaque plura enormontici niſus, certo ſunt, & ut cum *perito Sydenhamo* loquar; *Natura* *Prognoſis.*

ipſa

ipſa de hujuſmodi methodo, ac ſymptomatum concatenatione ſibi proſpicit, quibus materiam peccantem è ſuis finibus poſſit excludere. Febres ergo præcipue, licet parvis, obſcuriſque pulſibus, atrocibus etiam ſymptomatis comitatæ ſint non ſemper proximum lethum, ut aliæ acutiſſimæ ſolent, æque portendunt; niſi tamen continuæ ſint, ultimumque veneni gradum attingant, vel cum aliquo periculoſo morbo ſimul congrediantur; in his enim caſibus, vel determinata febris vehementia, vel currentis epidemiæ ferocia (quæ Balthici maris populos frequenter cruciat) aut morbi ſimultanei pericula, tutas prognoſeos regulas ſuggerere poterunt. Leves autem, & apyroxiam ſervantes febres non timendas quidem, ſed coadjuvandas eſſe, æque cenſemus, ut promptam, licet in hoc morbo difficilem ſanguinis depurationem abſolvant, quod opus a nullo melius, quam a febris machina perficitur, ut in ſequentibus inſcribere, nunc aggredimur.

Curatio prima.

10. Tutam itaque hujus morbi Curationem a febris modo expeti poſſe, non ſine valido rationis, ac experientiæ fundamento arbitramur; non ſemel enim praxeos experimentis didicimus, tanti affectus pertinaciam a concitato ſpirituum impetu, ſeu a lentæ febris æque adaucto vigore, radicitus extirpatam fuiſſe. Nec ſine ratione praxis iſta dirigitur; cum nullus efficacior niſus ſanguinem a ſordibus expiare melius poteſt, quam ille, qui per febris machinam a Natura excitatur; cujus proprium jus, & mos eſt, fluidorum lædentia per conſuetas criſes, qua data porta, depellere; ſic plures chronici morbi per concitatum ſpiritum, ut Obſervationes plurimæ docent, extemplo ſoluti fuere; & ita etiam medicinæ Pater nos inſtruit, quod contumaces, deſperatoſque morbos, ſola febris ſuperveniens expugnare ſueſcat, ut 2. *aph* 26., & 4. *aph.* 17., & 5. *aph.* 5., ac alibi. Febris vero, quæ contumaces affectus debellare debet, non lentam quidem, quam ad hoc opus ut inutilem, imo & perniciofam, *in Coac. prænot. Hippocrates* damnavit, ſed validam, & ad ſanguinem depurandum aptam eſſe convenit. Ideo cum levis, quæ ſæpius hic adeſt, febricula, ad ſcorbuti virus eliminandum, ac fluidorum dyſcraſiam corrigendam, impar certo ſit, ineptam hanc machinam ad validiorem niſum perito ductu adaugere primo intereſt; ut ſenſim acidum venenum (quod ut plurimum lentas haſce febres concitat) ſubigat, & a maſſa ſeparet, ſicque ſanguinis deſpumationem, & depurationem perficiat. Hæc ergo tuta ratio Indicationes curativas ſuggerit; nempe 1. Quod ſpirituum impetum excitare, ſit opus, ut ad liberiorem expanſionem inducantur, ſicque lentæ febris machina ad validiorem niſum compellatur. 2. Sanguinis dyſcraſia cum ſatis deſpumata, craſiſque depurata demum ſit, febris vehementiam, ſeu ſpirituum impetus compeſcere intereſt, & ad debitam tranquillitatem totam maſſam reſtituere. 3. Partem demum quamlibet ſcorbuti veneno infectam, ultimo redimere, convenit; ut nullum in corpore hujus morbi ſeminium relinquatur. Hæc ergo rectæ intentionis vota ſequenti methodo adimpleri poſſe arbitramur.

Indicationes curativæ.

In lenta febre Curatio

11. Primo itaque univerſalia vulgo dicta, quæ primas vias repurgent, præmittere oportet. Sæpe enim, & maxime in caſu præſenti, ſcorbuti radices in primis regionibus nutriri, compertum eſt; ideo non expiatis hiſce, inutiliter ſæpe antiſcorbutica remedia uſurpata fuere; cum ineradicatus morbus pertinaciter obſtitiſſet, vel brevi diſcedens, cito repullulaſſet. Præmiſſis ergo Emeticis, cum a propriis indiciis expetantur, catharcticiſque ad opus aptis uſurpatis, ac a primis viis morbi radicibus extirpatis, ad appropriata remedia deſcendere intereſt; at in eorundem uſu (cum pene ſemper Acidum, non Acre virus hujus lentæ febris occaſio ſit) antiſcorbutica remedia cum antacidis ſimul componere opus erit, quod in hac curatione pro primo cognito ſervandum eſt. Alterum pariter non minoris ponderis eſſe dijudico, Artis nempe, & Naturæ motiones perpetuo nexu ita componere, ut quo Natura vergit, Ars ducere nitatur. Quamobrem cum potiora Scorbuti ſymptomata corporis peripheriam potius, quam intimas partes vexa-

vexare noſcatur, ut ex.gr. cum vel cutis maculas, aut ulcera, vel artuum dolores, tumoreſve, aut icterus, vel ſudor copioſus, ſimileſque cutim petentes impulſiones, tunc fundentia bezoardica, quæ ſimul antacida ſunt, cum antiſcorbuticis fœderare fas eſt; ſicque Naturæ molimina ſecundamus; acidi fixationes deſtruimus, ſimulque Spirituum impetus validiores excitamus; ad quas intentiones omnes mixtura ſequens ſatis eſſe poteſt, videlicet.

Sudorifera ℞. *Aqu. Naſturt. Meliſſ. aa. unc. ij.*
de florib. Citr. unc. j.
Sal. volatil. Oleoſ. nri Drach. ſem.
Spirit. Cochlear. gut. xxx.
Syrup. de Meliſſ. compoſit. nri unc. j.
Eſent. Ambr. gryſ. gr. ij.
M. pro duab. Dos. mane, & ſero ſumend.

Ab hujus mixturæ uſu diſcedere non decet, niſi prius ad validiores niſus concitati ſpiritus, febreſque ſatis accenſæ oſtendantur; in quo caſu quid inde agendum ſit, infra exponere, non dimiſimus.

Diuretica. 12. Cum autem per cutim parum, nihilve Natura depellere videatur; & econtra urinæ copioſiores, ac lixiviales vel plus æquo ſaturatæ appareant; tunc ureterum viam, ut magis conferentem ipſam elegiſſe, conſidero, & ideo ne illius commoda negligam, intentiones ſupra datas, per diuretica validiora, cum antiſcorbuticis, permixta conſequi delibero, ſicque ſequentem, vel ſimilem mixturam præſcribo.

℞. *Aqu. Geniſt. Petroſell. aa. unc. iij.*
Naſturt. aquatic. unc. ij.
Sal. Geniſt. Fabar. aa. Drach. j. ſem.
Volatil. ſuccin. Scrup. ſem.
Spirit. Cochlear. gut. xxx.
Syrup. Heder. terreſtr. unc. j.
M. pro duab. Dos. ut ſupra ſumend.

His demum, vel ſimilibus diureticis eadem methodo uti oportet, nempe donec lenta febris ad vehementiam aſcenderit; quod ut plurimum alterutriſque auxiliis tentata, poſt ſeptimam diem incaleſcere vidimus.

Auctæ febris auxilia. 13. Denique cum ex pulſu magno, æſtu accenſo, ſiti, jactationibus, cæteriſque ſimilibus levem febrem ad gravem excreviſſe, dignoſcatur, in hoc ſtatu perſeverantem caute ſemper manuducere intereſt, ut integram ſanguinis depurationem conſequatur, quam ſæpius cum iiſdem auxiliis poſt alterum ſeptenarium, ſudoribus, vel urinis plurimis deturbatis, Ars, & Natura ſimul obtinuere, ut pluries comprobatum habeo; methodus tamen, quæ febrem hanc dirigere debet, Medentis peritiam petit, cum pro vario circumſtantiarum diſcrimine nulla determinata regula firmari poſſit. Si enim intra moderationis limites febris accenſa ſit, ſupradatis auxiliis inſiſtere decet, donec intentam depurationem perfeciſſe videatur; ſi vero dictis remediis concitata plus æquo febris, & ſymptomata excandeſcant; ut Enormonticus niſus moderetur, & ut ſanguinis deſpumationem, non deſtructionem moliatur, auxiliorum vehementiam vel minuere, vel omnino ſuſpendere intereſt; ſi demum tolerantiæ limites febris excedat, quod in hac linea raro contingit; tunc ad compeſcentia confugere eſt opus, & in hoc caſu ſequens, vel ſimilis mixtura proficua erit.

℞. *Aqu. Endiv. Portulac. aa. unc. ij.*
Nitri corallat. optim. Drach. j.
Tinctur. Anodyn Ludov. gut. viij.
Syrup. Corall. optim. unc. j.
M. pro una Dos. de ſero repetend.

In hoc autem diſcrimine ſumma peritia expetitur; ut æque, recteque noſcat, an exaucta febris, fauſtam morbi abſolutionem, vel infauſtum terminum promittere queat, quæ notio auxiliorum regimen æque docebit; ad hæc enim pericula pertinax morbus iſte cum expugnari debeat Peritos inducit; Imperitos vero methodus iſta recuſat. Hæc demum pro acido Scorbuti fomite pro nunc ſatis.

14. Cum autem acre virus morbi hujus occaſionem eſſe, ex ſupra datis ſignis dignoſcatur, tunc differenti methodo uti oportet; febres enim ab hoc fomite accenſæ nunquam lentæ, ſed vehementes ut plurimum eſſe ſolent; ideo in iſtarum curatione ab antiſcorbuticis valde calidis, ut dicunt, abſtinere intereſt; cujus cenſus præcipue ſunt, Cochlearia, Naſturtium aquaticum, & hortenſe, Raphanus ſylve- *Curationis cautela.*

ſtris,

ſtris, & cætera hujus familiæ, quæ plurimo ſale acri volatili, & fixo prædita ſunt; cum morbi hujus fomitem adaugeant, non extinguant, utilia vero in hoc caſu ſequentia eſſe poſſunt, nempe fol. Fumariæ, Portulacæ, flor. Centaur. radic. Polypod ſemin Aquilegiæ, & ex artefactis, Sulphur Antimonii fixum, Tinctur. ex florib. ejuſdem, Nitr. vitriolat. perlat. & corallat., ſpirit. Tartar., ac ejus Tinctur., plurimaque ſimilia, quæ acrem ſcorbuti luem abſorbere, & præcipitare poſſunt, febriſque fomitem depellere. Curativa vero hujuſce methodus parum, nihilve ab illa diſtat, quam *antec. cap.* 7. *de febr. colliquat. a num.* 15. *uſque ad fin.* ſatis expoſuimus; nunc autem integram palinodiam canere non decet plurima vero ad hoc opus utilia innuere ſaltem, Juniorum commodum petit, ad quæ itaque nunc deſcendimus.

Methodus medendi. 15. Et primo reflexiones eodem *capit.* 7. *num.* 6., & 7., *ac* 8. indicatas, in hoc affectu etiam militare poſſunt; cum nempe hujus febris conditiones, & circumſtantiæ, vel Emeticum, vel Catharticum, aut Venæ ſectionem in curationis limine expetant, quorum indicia ibi data, hic repetere inutile eſt; quodlibet vero ex hiſce rite, ac recte ad uſum vocato auxilio, quid, inde agendum ſit, *eodem capit. num.* 15. denunciatum eſt. Mixtura vero ad febris vehementiam compeſcendam ibi expoſita, ſequenti modo hic uti convenit.

℞. *Aqu. Fumar. Plantag. aa. unc. ij.*
de Succ. Citr. unc. ſem.
Sulphur. Antimon. fixi Ludov. Scrup. ſem.
Nitri Corallat. optim. Drach. ſem.
Spirit. Tartari gut. x.
M. f. hauſt. pro una Doſi.

In Siti vero potiones inibi datæ hic quoque, cum expetantur, utiles erunt dummodo ſucco Citri aromatizentur. Hanc ergo methodum ad ſeptimam uſque diem prorogare intereſt; niſi aliquod Symptoma vehementer excitatum curationis hujus lineam continuari præpediat; in quo caſu *ad ſequent. libr.* in quo Symptomata omnia diſcutiuntur, confugere, eſt opus, & pro indicatis, remedia inibi expoſita, cum hac febre conferre, ac perita dignotione huic magis appropriata ſeligere oportet, mixtura vero ſupradicta nunquam negligatur, niſi ultra expetitum ſcopum febrem omnino ſedaret, ſanguiſque depurationem imperfectam relinqueret, cum nil aptius, quam febris machina ſcorbuti luem eliminare poſſit; quod pro dogmate Juniores habeant. In ſeptimo demum, in quo morbi vigor emergere, in vehementibus febribus hiſce perſæpe ſueſcit, ab inſtituto Naturæ molimine, medendi regulas deſumere eſt opus; in qua linea primum, quæ *inibi num.* 16., & 17. dictata ſunt, non quidem exiguum lumen deferre poſſunt. Sic pariter cum epidemica conſtitutio has febres induxerit, ut *Dodoneus*, *Foreſtus ſupr. dat.* ac alii plures obſervaſſe teſtantur, eadem methodo, parum aliquando variata (quam *eod. cap.* 7 *a num.* 9. *ad* 15. *uſque* dictavimus) uti expedit; & hoc ſatis in hac curatione eſſe poſſe, cum Peritus æque audiat, non ambigimus.

16. Febrium notiones, & curationes, benedicente Deo, tandem abſolvimus; morbi vero, & ſymptomata, quæ illarum fomites, vel comitia eſſe ſolent, ſequenti libro dignoſcenda, & curanda reſervantur. Arduum hunc, ſed utilem conatum aſſumere, diuturna praxeos pericula docuere; experimentis enim, tuta ſemper ratione firmatis, cum Hippocrate mentem fidimus, unde alienam dubio fulgore nitentem opinionem vitare, nudamque, clariori luce fulgentem, Veritatem excolere didicimus; *hæc quidem ſcire facit, altera vero ignorare* ut *Hippocrates*, *de leg. num.* 3. docebat. Febrium ergo doctrinam ita pro viribus diſcuſſam expoſuimus, ut non ultra meris contingentibus cauſis innixam, ſed proprio naturali principio firmatam eſſe credamus. At brevi quidem folio vaſtam hanc molem perſtringere auſus, futuras adhuc Peritorum ampliationes expetere noſcimus; cum non ad ultimum apicem a nobis expenſa ſit; *multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit, nec ulli nato poſt ſecula, præcludetur occaſio, aliquid adhuc adjiciendi.* *Senecæ epiſt.* 64. verbis utor. Enormontica enim impulſio, & niſus (a *Operis concluſio.*

qui-

quibus omnis vitæ ſcena mutari, animi motus præcipuè apertè oſtendunt) minimum adhuc cogniti, plurimumque neglecti, licet effectibus clari, ut integrè pateant, Peritiorum explorationes requirunt; defatigatas nunc prævideo poſterorum lucubrationes cum eodem *Seneca eadem Epiſtol.* denunciante; *multum egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt; ſuſpiciendi tamen ſunt, & ritè colendi*. Hiſce igitur Cordatioribus provinciam hanc maximam accuratius luſtrandam relinquimus; interim ſi quid boni, utiliſque in his paginis extat, illius donum eſt, a quo omne bonum deſcendit; ipſi ergo laus, & gloria ſit, illique Largitori Optimo Maximo debitas grates aſſiduè perſolvimus.

LIBER TERTIUS.

DE MORBIS SOLIDORUM, ET FLUIDORUM CUM FEBRE, ET SINE IPSA INVADENTIBUS.

PRÆFATIO.

1. FLuida jam Enormontico niſu in febribus commota expendimus, nunc verò ſymptomata, morboſve, ſolidas partes cum turbatis fluidis exagitantes, perpendere, & curare aggredimur. Morbidos ergo affectus, cum febribus emergentes, Symptomatum nomine Vetuſtas nuncupavit, quo titulo pediſſequam febrium turmam indigitare credidit; quid verò apud illos hæc producta eſſent, adhuc percipi nequit; horum enim ſententias per opiniones erraſſe, variæ illorum in hac linea hypotheſes oſtendunt. Clarus olim Humoriſtarum præceptor *Galenus* hos, inquam, affectus modo primarios morbos, modo ſymptomaticos deſcripſiſſe legitur; cujus doctrinæ inconſtantiam æque improperabat fidelis alias diſcipulus *Avicenna*, qui adhuc aliter morborum, ac ſymptomatum claſſes diſcriminare laboravit; ſicque diſſidia plurima inter illorum Sectatores induxerunt. Nos autem, ut vana Veterum præjudicia vitemus, nec tot Symptomatum claſſes dividere, nec tot illorum cauſas, niſi occaſionales, exquirere, inaniter Lectores fatigabimus. Sub unica enim turma, nempe ſub læſis ſolidis partibus, a fluidorum concitatione vexatis, ſymptomata omnia comprehendi poſſe cenſemus; pariterque unicam inſeparabilem omnium penè cauſam, Enormonticum nempe, quovis modo a recto deviatum, niſum eſſe, ſupra poſitis jam fundamentis innixi, tuto arbitramur.

Nec novum inventum illis erit, qui rectè *Hippocratem* audiunt, ac in viventi machina Impetum facientis vires non obſcuras dignoſcunt; nullos enim hujus animati ædificii motus, vel augeri, vel minui, aut aboleri tandem obſervamus, niſi vitalem impetum, cui tantùm recto, vel indirecto niſu corpus ciere ſpectat, intimam illius affectus, vel defectus cauſam eſſe noſcamus. Patet quidem, quod propria thymoſi aliquando excandeſcens, omnes in ſanguine motus adaugendo, vitalia munia depravare ducitur; vel nimium ſæpè deficiendo, eadem imminuere, vel etiam abolere compellitur. Interdum adhuc quævis occaſio lædens ad varias motuum anomalias illum determinat, ut ad concitationes provocatus, propriæ acoſmiæ veſtigia hinc inde relinquat.

Hanc doctrinam exemplificare, par erit; & primò cum in fluidis excandeſcat Enormon, ut in ardentibus cujuſvis generis febribus apparet, tunc ſi

illius

illius ataxia Capitis regionem invadat, dolores atroces, vigilias, deliria, phrenitim, ſimiliaque ſymptomata inducere ſueſcit. At ſi per thoracem concitetur, Cordis palpitationes, cardialgias, ſpirandi anxietates, ventriculi everſiones, vomitus, & anorexias, ſimileſque ſtrages inducit. Sic pariter cum per abdomen irrumpit, tormina, fluxus varios, choleræ morbum, colicam, cæteraſque hujus regionis paſſiones excitat, & producit. Tandem ſi ad corporis peripheriam proprios niſus impellat, petechias, variolas, morbillos, parotides, bubones, anthraces, ſimiliaque funeſta explodere ſueſcit. At ſi paucis, infirmiſve munitus viribus, concitationes ſuas ingraveſcat Enormon; tunc caput petens hemicranias gravativas, deliria obſcura, comatem, lethargum, cæteroſque ſoporoſos affectus inducit; ſic in medio ventre languidam reſpirationem, lypothymias, & ſyncopes, ſimileſque languentium ſpirituum defectus excitat; ac demum in infimo ventre abdominis tumeſcentiam, vel duritiem, alvi ſtypticitatem, tormina gravativa, cæteraque vitalis impetus deliquia inducere ſueſcit. Claudamus itaque, quod ſicut deperdito in animali machina ſpiritu, nec ſanitas, nec morbus ullus propriam ſcenam agere poſſunt, ita idem vitalis impetus, quovis modo a naturali ſtatu declinando, & febres, ut jam oſtendimus, & illarum ſymptomata, morboſque comites manuducere ſoleat.

Hiſce demum notis practicam reflexionem adhuc inſerere decet. Noſcitur ergo in praxi, quod febrium curationes non ſemper integra methodo ad limitem uſque perduci poſſint, quin aliquid ex adverſo emergens, votis obſiſtat; ſæpius enim in febrium ſtadio dicta ſymptomata, morboſve comites inſurgere obſervamus, quæ non raro excandeſcunt ita, ut cum majus periculum ab ipſis minitatum evitandum ſit, medelam a febri diſſimilem inſtituere compellant; ſicque vel febris curativam lineam interrumpere, vel utriuſque indicationes, difficili ſæpè nexu, inſequi cogimur. In hoc igitur arduo negotio quid tuto decernendum, quidque vitandum ſit, ne inter vitæ pericula ſuſpenſa curatio fluctuet, breviter, ſed ſatis tamen ſequentes inquiſitiones oſtendunt; in quarum ordine ſymptomaticas, vel morboſas affectiones Capitis primo, poſtea Thoracis, deinde Abdominis, demumque univerſi corporis, quæ cum febre invadere ſolent, in hac prima parte omnes expendere ſtuduimus; ut integram febrium tragœdiam pro viribus abſolvamus.

CAPUT PRIMUM.

De Cephalalgia.

1. CAput primo mentis, ac ſenſuum tribunal, Enormontico miniſterio commiſſum, omnes Microcoſmi regiones animalium ſpirituum famulatu gubernat; ad hanc, inquam, cæteris ſublimiorem corporis partem febrilia Symptomata plurima ſæpius accedere, illamque vexare ſolent, ac eo fortius, quo Enormontici niſus concitationi acoſmia ducuntur; horum ergo pediſſequam febrium turmam ſingulatim noſcere, ac pro exigentia compeſcere aggredimur. Primo igitur Cephalalgiam, deinde vigilias, deliria, affectuſque ſoporoſos expendimus; apprimè itaque familiaris febrium comes capitis dolor eſt, qui tanta ſæpe acerbitate ingraveſcit, ut omnem ægri tolerantiam excedere, totamque Medentis attentionem petere videatur; ideo ut hunc affectum intimè dignoſcamus, proximam, a qua oritur, cauſam exponere intereſt. Supponimus ergo, quod in ardentibus febribus ſanguis æſtuet, ſicque ferveſcens arterias omnes, & præcipue, quæ caput petunt, plus æquo extendat; unde in meningum ingreſſu ardoris moleſtia, & foraminum, per quæ in cerebrum tranſeunt, violenta dilatatione, a ſanguinis impetu inducta, membranas illas, exquiſito ſenſu præditas, acriter excrucient, & ſic dolorificam ſenſationem producant; hæc vero infra clariora fient. His ergo præcognitis, febrilem Cephalalgiam deſcribimus, *quod ſit moleſta mentis ſenſatio ab æſtuante ſanguine, vaſorum diametra extendente, ac meningum foramina divellente, inducta*. Hæc affectus hujus natura eſt; differentiæ vero plures a parte, quam dolor iſte occupat, diſcriminantur; prima ergo *Cephalalgia* dicitur, quæ totum caput afficit; altera *Hemicrania*, quæ mediam partem invadit; tertia *Clavus* a Recentioribus dicitur, quia vel frontem, vel tempora, aut occiput, vel nucham perforare videtur; hæc in febribus frequentius emergunt; cæteris verò, quæ alienas a febre cauſas culpant, in capitis appendice propria remedia reſervantur, nunc priores dignoſcendas proſequimur.

Deſcribitur, & dividitur.

2. Licet affectum hunc patientes ipſi denuncient, nonnulla tamen indicia, ſcitu neceſſaria, integram illius diagnoſin Medentibus exponunt; cum & imminentem Cephalalgiam, & partem affectam tuto noſcere doceant. Primo itaque illam imminere deſignant Urinæ jumentorum ſimiles, *ut* 4. *aph.* 70. docetur; ſic illæ, quæ bullulas multas diu perſiſtentes in ſuperficie demonſtrant, gravem dolorem minitantur; ſitis pariter in febris initio accenſa eundem proximum denunciat; hæc imminentis ſigna raro fallibilia fuiſſe, diu comperti ſumus. Præſentem verò an intima cerebri clauſtra, vel extimam cranii partem afficere noſcamus, ſequentia indicia ſuadent; 1. externus dolor digito preſſus ingraveſcit, intimus vero nulla compreſſione alteratur; 2. externus item, niſi pericranium afficiat, gravativus, & pulſans dolor eſt, ob diſtentas a ferventi ſanguine carotides, cranium circumgyrantes; internus vero punctorius, ac ſcindens dolor videtur, ob diſtenta meningum foramina, divulſamque illarum duplicaturam a ſanguinis impetu, inibi tranſeuntis; 3. externus denique dolor raro in continuis auditur, niſi aliqua circa caput infarcta arteria, vel in cute noxium aliquid Clavum efficiat; intimus vero cum febre acuta continuus perſiſtit, ac declinante illa ſenſim miteſcit, in non continuis tamen remittente febre, omnino compeſcitur.

Diagnoſis.

3. Poſitis Cephalalgiæ ſignis, ejuſdem cauſas proximas, ac remotas inveſtigare, nunc expedit; hanc ergo, ut febris productum conſideratam, eandem cum febri cauſam habere, arbitramur; cum ipſa ſpirituum concitatio, quæ ſanguinis commotionem, æſtum, & impetum inducit, eadem cerebri arcem incendat, arteriaſque tumeſce-

Cauſa exponitur.

meſcere cogat, unde meningum diſtentiones, doloreſque acerbi inducuntur. Profecto cum per tot ductus vitale fluidum ad cerebrum deferatur, nec ad illius meditullium penetrare queat, niſi per meningum foraminula arteriæ tranſeant; ideo ab æſtuante, ac rarefacto ſanguine arteriarum diametra plus ſolito extenſa, duræ piæque meningis forulos, per quos tranſeunt, violento niſu dilatare, & quaſi divellere ſolent, ſicque illis exquiſiti ſenſus membranis vim dolorificam inferunt. Adde inſuper, quod in acuta febre impetuoſiori motu impulſus ſanguis, per anguſtas meningum vias, pleno quo ducitur gurgite tranſire totus nequeat, unde in ingreſſu, licet vim faciat, dimidiatus tamen pertranſire cogitur, cum meningum reſiſtentiæ illius niſum reprimant, ideo in dilatatis arteriis detentus, impetum, & æſtum ſimul adauget; unde calor impenſus, dolor acutus, vigiliæ, delirium, ſæpeque phrenitis emergunt.

Experimentis ſuadetur. 4. Mechanicam hanc notionem anatomica experimenta me docuere, quorum plurima hinc inde perlecta, ſequentia ſaltem innuere congruum eſt. Videtur ergo primum *Rhodii Cent.* 1. *obſerv.* 39. qui in phrenetici capite reſecto arteriarum ramulos ita tumidos reperiiſſe ſcribit, ut facile a cerebri ſubſtantia (in qua pene inviſibiles eſſe ſolent) ſeparari potuerint. Item *Nicolai Fontani Analect. cap.* 2. qui in phrenetici cranio aperto, meninges nigro ſanguine infectas detexit, ac arteriarum ramulos, per ipſas tranſeuntes, congrumato ſanguine tumidos invenit; quos caſus ſimiles *Valeriola*, *&* *Borellus* deſcribunt. Neque ab hac linea ſequentes reflexiones diſcedunt. 1. Quod Cephalalgia in ardentibus creſcere ſimul, & decreſcere cum febribus, ſicuti ſanguinis commotionem periodice augeri, ac minui obſervamus. 2. In intermittentibus item ceſſante febre, capitis dolorem ſimul evaneſcere inſpicimus, quia illius cauſa, concitatus nempe ſanguinis impetus, miteſcendo, cerebri clauſtro ac membranis ſuis non ultra vim facit. 3. Criticæ narium hæmorrhagiæ, poſt coctionem erumpentes, quæ capitis dolorem, & delirium ſimul ſolvunt, nonne hoc certo ſuadent? Quod idem econtra oſtendunt acerbæ cephalalgiæ, ac phrenitides illæ, quas notavit *Horſtius lib.* 3. *obſerv.* 25. *&* 26. ex menſtruorum, ac hæmorrhoidum ſuppreſſione inductas. 4. Demum remedia eadem, quæ ſanguinis commotionem, æſtum, ac impetum compeſcunt, eadem prorſus febrium cephalalgiam ſimul ſedant; quod non quidem contingeret, cum ab alia cauſa Capitis dolor ortum duceret; ſicuti de facto comperitur, cum ab alieno concomitante fomite dolor iſte foveatur; aliquando enim non ſemper unica hæc febris cauſa eſſe ſolet; cum & propria capitis vitia, & viſcerum infimarum læſiones, & aeris effluvia malefica, pluraque ſimilia cephalalgiam a febre inductam fovere, & ingraveſcere ita poſſint, ut non ſemper, ceſſante adhuc febris cauſa, dolor iſte compeſcatur; & tunc accurati Medentis erit, fomitem extraneum indagare, ne decipiatur.

5. Affectus hujuſce Prognoſis ita variat, ſicut Cephalalgia vel acerba, & diuturna, vel mitis, & brevis eſt; acerba nimis vigilias, & deliria ſecum advocat, diuturnior item, quæ maximè declinante febre non miteſcit, altera ſimul cauſam, quæ dolorem foveat, certo denunciat; item diuturna nimis, impenſoque ardore deflagrans, meninges, & cerebrum inflammare minitatur; & ſi vigiliis, delirioque ſocietur, phrenitim certo moliri ſolet. Dolor vero etiam acerbus, ſi cum febri ſenſim declinet, periculoſus non eſt, & maxime cum compeſcentia remedia facile audiat. Cephalalgia gravis, quæ ſæpe ante criticos dies emergit, imminentem criſin, per narium hemorrhagiam abſolvendam, tuto prædicit. Extra febrem vero capitis dolores alteram lineam currunt, cum a differentibus occaſionibus ortum ducant; qui ergo a lapillis, aut vermibus intra cranium genitis foventur, nunquam ſedantur, niſi vermes, vel calculi prius eliminentur, quod quam arduum ſit, omnes noſcunt; cum vero ab extravaſata in cerebro lympha, vel ſanguine producantur, nondum arduam curationem, ſed morbos atroces minitari *Prognoſis.*

tari

tari ſolent, ut phrenitim, apoplexiam, paralyſin &c. Qui vero ab externa prophaſi oriuntur, ut ab ira vehementi, vel crapulis nimiis, aut ab inſolatione, vel ignitione &c. niſi propria capitis vitia dolores nutriant, facili marte vincuntur; non vero ſic illi, qui a contumaci morbo producuntur, ut a Lue venerea, ſcorbuto, ſimilibuſque; iſti enim niſi morbus fovens omnino eradicetur, nunquam curari poſſunt; hæc demum prognoſis fuit, nunc ad curationem deſcendimus.

Curatio. 6. Cum itaque proximam febrilis cephalalgiæ mineram nimiam ſanguinis commotionem, ac æſtum eſſe diximus, non diverſam a febre curativam indicationem inſtituere cogimur; adeoque cum febrilem ſanguinis æſtum, & concitationem compeſcere ſtudeamus, in utriuſque cauſam repellendam, directè incumbimus. Sic ergo venæ ſectio in ardentibus febribus celebrata, amborum fomitem æque imminuit; quod pariter præſtat vomitio, cum in ſtomacho Cephalalgiæ radices hæreant; ſicque cætera febris remedia methodice jam *lib. 2. propr. capit.* expoſita, pari greſſu utrumque affectum ad ſalutis metam conducere poſſunt. Verum non raro Capitis dolor in ardentibus febribus ita exacerbatur, ut hiſce ſpretis remediis meningum inflammationem apertis ſignis minitetur, & tunc ad ſequentia confugere etiam intereſt, videlicet:

Acerbioris auxilia. 7. Primo cum ante quartum hæc diſcrimina emergant, phlebotomiam repetere, niſi validiora prohibentia reclament, utile erit; cum hæc ſola minitatæ inflammationi primum fomitem ſubripiat, celebranda vero eſt, ſub ea quantitate, quæ conferat, & non officiat. Si autem quinta, vel ſexta die doloris acerbitas exaſperari contingat, nullumque coctionis ſignum appareat (his enim ſtantibus, ſymptomatum ingraveſcentia imminentem criſin, in proximo ſeptenario perficiendam, denunciat) tunc perpendendum eſt, an in illa adhuc immatura febri potior ratio alteram phlebotomiam prohibeat; in qua lance Patientis vita penditur; ideo æque perpenſis omnibus, tantæ urgentiæ remedium vel non dimittere, vel ejuſdem vicarias cucurbitulas ad opus vocare, opus erit. Item quia ſæpius cum vehementi Cephalalgia ſitis clamoſa, ac diuturnæ vigiliæ fæderantur, ita ut unum ſymptoma alterum ingraveſcat, tunc potum alibi præſcriptum in hac urgentia ſequenti modo commutare intereſt.

℞. *Seri caprill. deſtill. lib. iij.*
ExtraƐt. Verben. drach. iij.
Nitri ſin. ſulphur. purific. drac. ij.
Sacchar. Roſar. tabulat. unc. j.
M. & bis, ter, vel quater propin.

vel ℞. *Semin. 4. frigid. decort. aa. dr. ij.*
Papaver. alb. drach. j. ſem.
Aqu. Lactuc. Portulac. aa. lib. ij.
M. f. Emulſ. ſimiliter utend.

Poſt bibitionem vero, quæ ſanguinis ſerum, in ardentibus conſumptum, reparare poſſunt, ad faucium, & linguæ humectationem ſervandam, ſequenti utatur.

℞. *Aqu. Plantag. Verben. aa. unc. ij.*
Nitri Corallat. optim. drach. ij.
Vini Granator. ſubacidor. unc. ſem.
M. & pro lambitivo ſæpe utatur.

Topicum item, cum opus ſit, ſequenti, vel ſimili uti poterit.

℞. *Succ. Plantag. Verben. aa. lib. ſem.*
Cancror. fluviat. recent. expreſ. unc. iij.
Aqu. Roſar. deſtill. unc. j.
M. & cum linteis hoc madefact. utatur.

Temporibus, & nuchæ tepidum ſæpe applicandum; quod ſi nec hiſce juvantibus, exaſperatus dolor, vigiliæque perennes inflammationis imminentis ſigna prodere videantur, tunc primo pedum plantis ſequentem decoctionem applicare eſt opus.

℞. *Capit. Papav. cum ſemin. n. viij.*
Fol. Semperviv. lactuc. aa. man. iij.
M. bull. in aqu. ad conſumpt. tert.

Hoc decocto tepido linteis excepto, pedum plantæ foveantur, ac frigeſcente rejecto, ſtatim iiſdem plantis gallinam nigram per medium ſectam calentem applicare convenit; & cum phrenitis indicia ſe prodant, detonſo capiti pulmonem vervecis illico extractum, vel in ejus defectu gallinam nigram illico diſſectam applicare eſt opus; plurimum enim auxilii ab his exhalantibus animalium ſpiritibus; experientia teſte,

pro-

promittimus, verum de his *cap.* 3. *de delir.* plura innoteſcunt.

Cautiones in opiatis remediis. 8. In dictis vero, ſimilibuſque remediis uſurpandis, cautiones aliquas obſervare decet; primo cum a cephalalgia pertinaci ſæpe delirium oriatur, & hoc in lethargum aliquando tranſmigraſſe compertum ſit; ideo figentia remedia & maxime narcotica ponderatum uſum repoſcunt, ne a charybdi liberatos, in ſcyllam impellamus; facile enim defatigati ſpiritus in lethargum ruere poſſunt. Item ab opiatis auxiliis Spiritus enervantur, ſæpeque ita ligantur, ut intimum coctionis opus vel dimittere vel ſaltem prorogare cogantur, unde morbi victoriam vel diu protrahere, vel prorſus deſperare facillimum eſt. Inſuper cum cephalalgiæ, vigiliæ, ac deliria conſtante coctione ingraveſcant, non ideo ad opiata, & narcotica confugere decet; cum ſæpius in hoc ſtadio exaſperata ſymptomata, enormonticum niſum, ad promovendam criſim denuncient, quam certo Spiritus figentia perverterent; cavere ergo & non pavitare in hac emergentia divinus Senex, & experientia nos docent. Nimis enim periculoſum remedium illud eſt, quod Naturæ conatum non adjuvat, ſed impedit, nimiſque adhuc obſcura Enormontica molimina ſunt, quæ ſæpe magis ingraveſcunt, cum propius ad morbi victoriam accedunt; hinc 2. *aph.* 13. *Quibuſcunque criſis fit, his nox gravis ante acceſſionem exiſtit*. Quibus diuturna experientia firmatis verbis, tuto docemur, quod poſt veram coctionem ingraveſcentia ſymptomata nec formidare, nec opiatis compeſcere imperite nitamur, cum tuta victoriæ vexilla certo ſint. Hæc demum pro Cephalalgia cum febre invadenti ſatis eſſe poſſunt.

Pro Cephalalgia ſine febre. 9. Capitis vero dolores ſine febre vagantes, pro differenti occaſione diſparem curationem expetunt; aliud enim cephalalgia petit, quæ a ſanguinis labe, vel a ſtomachi, aut uteri vitio fovetur; aliud item quæ a morbis variis, ut ſcorbuto, lue venerea, morbo ungarico, ſimilibuſque nutritur, & aliud demum quæ a propria capitis inquinatione, ut a lymphæ, aut ſanguinis redundantia, vel a vermibus, aut calculis in ipſo genitis, cæteriſque lædentibus inducitur, quæ vaſta occaſionum ſylva intime luſtranda, longe nimis a pomæriis noſtris nos duceret; ideo ut inſtitutam ſemitam proſequamur, ſimulque adhuc ſingulis hiſce doloribus conſulamus, unicam, ſed amplam, remediorum appendicem hic deſcribimus, in qua Peritus quiſque opportuna auxilia rememorare, ac pro cauſarum petitione ad uſum vocare poterit, ſequens ergo eſt

APPENDIX.

Primo *Caput Purgantia* ſunt Pilul. Aggregativæ major. Pil. Alephangin. Pil. de Aloe roſat. Pil. Aureæ. Pil. Cochiæ, &c. item & noſtræ, quæ fiunt

℞. *Aloes opt. ſucc. Roſar. ter inſuccat. lib. ſem.*
Diagryd. ſulphurat. optim. drach. ij.
Myrrh. Maſtich. aa. drach. j. ſem.
Cum Syrup. de Stæchad. q. s. f. maſſ. pilul.
Quarum Doſ drach. ſem. ad drach. j.

Item purgantia tam interna, quam externa, quæ *in libr.* 1. *part.* 2. *cap. de Apoplex. num* 17. *&* 18. *ac inib. num.* 25. *&* 26. in quibus locis varia externa per os, nares, & aures purgantia expoſita ſunt, quæ capitis luem per proximiores vias facile educunt.

Sic pariter *Corroborantia*, quæ ſimul cum *Anodinis* Enormonticam turbationem compeſcere, & capitis tonum everſum ad priſtinam ſalubritatem reducere æque poſſunt; auxilia enim iſta in Cephalalgiis etiam inveteratis poſt appropriata purgantia, potiſſimam lineam complere ſolent. Horum ergo catalogus, Selectiora continens, ſequens eſſe poteſt, videlicet:

Primo Balſam. Apopletic. balſam. magnanimit. Libavii, balſam. propriетat. Donzel. balſam. nervin. Schefelrii, &c.

Conſervæ nonnullæ, ut Conſerv. roſar. conſ. majoran. conſer. ſalviæ. conſ. Flor. Anthos, quæ in opiatis multas implent paginas.

Cinnabar. præparation. noſtræ lib. 1. par. 2. cap. 4. expoſitæ.

Eli-

Elixir cephalic. Wedelii. elix. Propriet. Paracelſ. & Helmont.
Eſſentia Cephalic. Cnoffel. eſſent. Verben. ac Betonic. recto modo parat.
Elæoſacchar. cephalic. Caliſſi elæol. Fænicul. & Majoran.
Laudan. opiat. Quercet. laudan. Cydoniat. laudan. liquid. Sydenham.
Ol. deſtill. Succin. Fænicul. Salviæ. Majoran. &c. Oleum ex terra Vitriol.
Sal volatil. Succin. Fixum Verben. Specificum cephalic. Michael.
Spirit. C.C. ſuccinat. Spir. Camphor. Spirit. Ceraſor. nigror. Spir. Sal. dulc. Spir. Vitriol. philoſ.
Tinctur. Antimon. Dolei. Tinct. Lunæ, ſeu Luna potabil., ut & aliæ lunæ præparation.
Tinct. Salviæ. Tinct. Serpyll. Tinct. Succin. &c.

Hæc omnia interno uſui apta ſunt, ex quibus pro varia indicatione adhuc differentes mixturæ componi poſſunt. Nunc item *Externa* remedia recenſere decet, quæ ſæpè non minus conferunt, maximè ſi cum internis dictis rectè fæderata ſint; ſequentia ergo eſſe poſſunt.
Ceratum de Betonic. commun. & Cerat. de Verben. Scheffer.
Emplaſtr. de ranis cum mercur. Vigonis; quod ab ipſo, & ab aliis in cephalalgiis, nondum Venereis, ſed & in aliis feliciter uſum fuit.
Embrocationes Donzelli, ad varia capitis vitia utiles.
Lixivium cephalic. Iungken. Folia Nicotianæ virid. cum fructu ſæpius appoſita.
Oleum Anethi Meſuè. ol. Nardinum Meſuè. & ol. de Ranis Meſuè.
Species pro Cucuphis plurimorum, vid. Schrod., & Cnoffel.
Succus Verbenæ cum ſucc. Cancr. fluviat. vel cum hypnoticis mixtus.
Unguent. Alabaſtrin. Unguent. narcotic. in Schroder.

Denique de Arteriotomia, & Cauſticis in contumaci morbo utendis, Practici videantur, in ſpecie Foreſtus, Riverius, Rhodius, qui in obſervat. ſuis, horum urgentiam, & uſum deſcribunt.

CAP. II.

De Vigiliis.

1. SÆvius adhuc Symptoma in acutis, veneficiſque Febribus diuturnum Pervigilium eſt, cum nimiam ſpirituum, viriumque conſumptionem inducat, & proximum Delirii fomitem accendat; non enim pertinaces agrypniæ abſque utriuſque periculo diu perſiſtere poſſunt. Profectò inrequieti ſpiritus organa omnia indefeſſo motu exercendo, nullaque ſolita interquiete ſopiti, ſemperque exploſi, propriam elaſticitatem ſenſim amittunt, & ſic evanidi tandem pereunt; nec a ſanguine, qui in febribus fervet, nec a chylo, qui in ipſis tenuis eſt, ſatis reſtaurantur, unde ſpirituum geneſis minus debito illorum copiam ſuggerit; hinc vires langueſcere, ac organorum enervato impulſu, motus ſenſuſque fatiſcere, neceſſum eſt. Ideo non minus ab irrequietis hiſce delirium oriri, quam & poſt ipſum comatoſi affectus adhuc induci ſolent, verum de his infra ſermo erit. Hæc ergo febrium vigiliæ ſunt, quarum indoles unica eſt, enormonticum niſum ſine ulla quiete continuo agitare; differentiæ vero plus minuſve tantum variare ſolent; cum nempe vel intermedia requie, ut in Intermittentibus; vel non interrupto curſu; ut in Continuis; vel medio, ſed deteriori motu, ut in comate vigili, hæc ſpirituum concitatio percurrat. Diagnoſis demum præteriri poteſt, cum in aperta ſpiritus irrequieti palæſtra, hoc ſymptoma per ſe, & ad integrum innoteſcat, ideo ad ulteriora deſcendimus. *Affectus deſcribitur.* *differentiæ*

2. Cauſam ergo proximam inrequietos ſpiritus eſſe, nunc ſupra enunciavimus; iſti quidem in humana machina legitimi vigiliarii ſunt, qui ſicuti quieſcendo, ſenſibus requiem indulgent, ita concitati nec intima, nec externa organa quieſcere, ac feriari ſinunt, ſed agitato impetu, quo ducuntur, ſenſus omnes ad propria munia peragenda compellunt, in quorum aſſiduo, plus minuſve protracto, exer- *Cauſæ.*

ci-

citio, vigiliæ conſiſtunt. Cauſam vero mediatam nimiam ſanguinis, ac membranarum cerebri excaleſcentiam eſſe arbitramur; febrilis enim ardor, ab Enormontico niſu in ſanguine accenſus, cum caput aſcendat, cerebri mœnia ita æſtuare cogit, ut animales ſpiritus, donec domus ardet perpetuo excubare compellat; temperata enim humectatione, in qua defatigati ſpiritus requieſcunt, ab infenſo ſanguinis ardore conſumpta, ubi defeſſi reclinent, non inveniunt; ideo perpetuo impetu ducti, organa infeſtant potius quam recte dirigant; ſicque ſoporis quietem a ſenſuum metropoli proſcribunt. Prophaſes demum quæ ſanguinis incendio fomitem tribuunt, plures eſſe ſolent, præ cæteris vero Acre virus aptum eſt, ut alibi ſatis expoſuimus; hoc enim lædens ad vehementes exploſiones Enormon concitare ſolet, unde ſanguinis commotio magna, & æſtus maximus oriuntur, a quibus cerebri meninges nondum incaleſcunt, ſed ſæpius inflammantur, & areſcunt; ſicque non tantum Vigiliæ, ſed adhuc Deliria, ſæpeque Phrenitis emergunt. Vigiliæ demum, quæ ſine febre invadunt, eandem cauſam culpare, nempe nimium ſanguinis calorem, certo credimus, de hiſce vero, cum *lib. 1. part. 2. cap. de Mania* ſatis dictum ſit, hic præterimus, & ad noſtra reducimur.

Prognoſis. 3. Prognoſis item ex enunciatis deducitur; Vigiliæ igitur primo *cum modum exceſſerint malum* omen in quavis febre portendunt; hæc *Hippocratis* 2. *aph.* 3. dictata regula, etſi aliquando variare poſſit, ſemper tamen plus vel minus denunciatum malum veraciter exponit. Cum enim breves ſint, ut in Intermittentibus, vires debilitant, ſed non proſternunt; cum vero diutine protrahantur, ut in Continuis contingit; tunc & vires peſſundant, & delirium, ac ſæpe phrenitis, vel lethargum accelerant. Item iſtarum pediſſequæ ſæpe ſunt *convulſio, & diſſipientia, ut* 7. *aph.* 18. notatur, cum hoc diſcrimine tamen, quod ſi convulſio ſequatur, delirium jam præſens in phrenitim devolvi poſſe minitatur; ſi vero diſſipientia vigiliis ſuccedit, tunc lethargus præ foribus extat; affectus enim iſti in febrium tragædia dictas metamorphoſes ducunt. Vigiliæ demum, quæ a tuſſi diuturna perpetuæ fiunt, facilè ad phthiſim declinant, maxime ſi acris lues pulmones inficiat, tuſſiſque cauſa ſit, hæc vero proprio capite infra expenditur, nunc ad curationem deſcendimus.

4. Promptum ergo, ſed non differentem a febris curativa methodo auxilium hæc affectio petit; cum enim ſanguinem æſtuantem compeſcere ſatagimus, & contra febris ardores, & contra vigiliæ fomitem directè militamus. Equidem irrequietum animalium ſpirituum impetum, & furorem temperare non aſſequimur, niſi illorum acoſmiæ cauſam auferamus. Itaque ultra ea remedia, quæ ad febres curandas *antec. libr.* jam dedimus, & quæ in Cephalalgia mitiganda ſupra innuimus, niſi diuturnæ, ac atroces vigiliæ ſint, alia remedia congérere abſtineo. Sæpe quidem (experto crede) in ſymptomatis, plus æquo pavitatis, oppugnandis, remediorum copia potius obfuit, quam profuit. Cum vero a vigiliæ pertinacia, funeſta pericula minitante, aliud adhuc auxilium expeti videatur, tunc (ſervatis tamen cautionibus *cap.* 1. *num.* 8. expoſitis) ſequentibus pariter uti, opportunum erit; & primo in ſimpliciter acutis, & ardentibus febribus. Curatio.

Auxilia interna.

℞. *Aqu. Lactuc. Nymphe æ aa. unc. ij.*
Nitri Corallat. optim. drach. j.
Syrup. Papaver. alb. unc. ſem.
Et ſi opus eſt, Laudan. opiat. gr. ij.
M. & hora ſomni tota ſumatur.

In ardentibus autem & veneficis febribus, ſequens opportuna erit.

℞. *Aqu. Lactuc. Violar. aa. unc. ij.*
Cordial. Saxon. frigid. unc. j.
Nitri puriſſim. drach. j.
Magiſter. ſolubil. Corallor. ſcrup. ij.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xij.
M. & ſimiliter utitor.

5. Secundo cum in pertinaci vigilia decoctum Papaveris manuum palmis, ac pedum plantis applicatum præſentaneum remedium compertum ſit, ideo ſequens cæteris efficacius in uſu mihi eſt, videlicet: Auxilia externa.

℞. *Fol. Lactuc. Nymph. Sedi major. aa. manip. iij.*
Sumit. Aneth. Cherefol. Serpill. aa. manip. ij.
Semin. Hyoſciam. Aneth. Lactuc. aa. Drach. ij.
Capit. Papav. cum ſemin. num. xij.
Contuſ. omnibus M. in aqu. q. s. & coqu. ad med.

Hoc decocto, poſt ſupra datam Mixturam, laventur manus, & cum linteis eodem madefactis, pedum plantæ foveantur. Cum autem linimentum hypnoticum pertinax agrypnia etiam petat, quod in minitata phrenitide indicari poteſt, tunc unum, vel alterum ex ſequentibus in uſum mihi eſt, videlicet.

℞. *Aqu. Lactuc. Aneth. aa. unc. ij.*
Aceti Roſat. optim. unc. j.
Nucleor. Perſic. contuſ. drach. v.
Semin. Papav. alb. contuſ. drach. iij.
M. f. Emulſ. tempor. & front. applicand.

vel ℞. *Unguent. de Alabaſtr. unc. j.*
Ol. Nuc. moſchat. expreſ. drach. ij.
Papav. alb. expreſ. drach. j.
Croc. oriental. triturat. gr. viij.
M. f. Unguen. quo tempora & nares inung.

Hæc vel ſimilia in pertinaci agrypnia præſcribi poſſunt; in qua re notandum eſt, quod cum vigiliæ alienam adhuc a ſupradata cauſam oſtendant, ut magnum alicujus partis dolorem, &c., in illam pariter incumbere intereſt, ut omnes affectus fomites eripiantur.

CAP. III.

De Delirio.

Deſcribitur. 1. PEſſima dictorum affectuum ſoboles Delirii ſymptoma eſt, ferox ſpirituum acoſmia, quæ objectorum ſpecies avertere, ſenſuum tribunal decipere, nec menti parcere ſueſcit; non enim a ſola irrequieta expanſione, ut in vigiliis, ſed ab effera ſimul acoſmia Spiritus agitari, Delirantium ratiocinia falſa, ſenſuumque perverſiones oſtendunt. Hic ergo ſpirituum tumultus effræni quodam impetu undique cerebri fibras pervadit, ac objectorum impreſſiones varie permiſcet, unde attonita mens illas haud æque percipit, ſed in judicando confundit, hinc vana ratiocinia, ex decepto judicio deducta, edere cogitur; hoc ergo Delirium eſt. Differentiæ vero ex diverſa ſpirituum ataxia plus vel minus variare ſolent; alia vero deliria ſine febre invadunt, & de his *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. & 2. ſatis dictum fuit; alia item cum febre ſociantur, ac illius productum proprie ſunt; & iſta pro febris indole variare ſolent; aliud enim minus grave eſt, ut in Intermittentibus, quod cum febre ſimul evaneſcit; aliud gravius, ut in Continuis acutis, quod non abſolvitur, niſi cum febris termino; ac tandem aliud graviſſimum, ut in veneficis febribus, quod non raro in phrenitim devolvitur. In his vero diſparitatibus ſemper infauſtæ notæ, ac ejuſdem indolis eſt, cum ſemper uſque ad mentem pervertendam aſcendat; de his ergo ſermo eſt. *Differentiæ.*

2. Delirium cum immineat prænoſcere, ac illius gradus, & conditiones diſtinguere plurimum intereſt, ideo ſignorum ſyndromen nunc exponimus. Imminentis ergo delirii primordia ſunt; 1. faciei, & oculorum inſolita rubedo; 2. ferox intuitus, vel nimium languidus; 3. riſus inconcinnus, vel abſque cauſa fletus; 4. inſueta, & incondita multiloquia; 5. facilis rerum oblivio; vel nimia quarundam anxietas; 6. pertinaces tandem, nulloque auxilio expugnatæ vigiliæ; hæc, inquam, plus minuſve invadentia, delirii limina frequentare ſolent. Præſentis vero ſigna ex aperta Delirantis inſania omnibus innoteſcunt; at delirii gradus, & conditiones, non omnibus notas, adhuc exponere intereſt; & primo proprio gradu differunt Intermittentis, & Continuæ febris deliria; prioris enim brevis deſipientia eſt, quæ modicam cerebri caleſcentiam arguit, cum ſanguinis ardorem, quæ febris adauxit, ſubſequens apyrexia ſemper extinguat; ideo Intermittentis delirium levem inſaniam recitare ſolet. In Continuis vero ardentibus, cum ſine intermiſſione ſanguis ferveat, a diuturno, & nunquam extincto ardore, cerebri clauſtrum continuo accenditur, unde perpetuatur *Gnoſis*

deli-

delirium, ſæpeque illius pediſſequa phrenitis inſurgit. Continuæ vero febres, quæ non nimium ferveſcunt, ſi ab initio cum delirio invadant, veneficæ ſemper ſunt; ſi quidem non a meningum incaleſcentia, cum febris ardor mitis ſit, ſed a veneno inductam ſpirituum conſumptionem hujus delirii cauſam culpare ſuademur; unde ſæpe vel coma vigil, aut lethargus ipſum inſequitur. Delirium autem, quod ſpretis omnibus ſemper ingraveſcit, perſæpe phrenitim accendit; hanc vero ſenſim invadentem, hæc ſigna oſtendunt. 1. Arteriarum in temporibus conſpicua pulſatio. 2. Turbidi, ac feroces oculorum intuitus. 3. Inrequietæ corporis jactationes. 4. Vocis, & loquelæ furores, & exorbitantiæ. 5. Convulſivi motus univerſales; horum ergo plura, vel omnia ſimul phrenitim jam adoleſcere, tuto denunciant.

Cauſæ exponuntur. 3. Cauſarum notionem hactenus enunciata planam faciunt; cum animalium ſpirituum in cerebro acoſmiam, ſeu irregularem, ac ferocem illorum impetum oſtendant. Hanc vero cauſam ex duplici ſpirituum damno, ſingulatim tamen oriri poſſe, certo credimus; nempe vel a nimio ſanguinis ardore, vel a venefica febris indole, quibus vario modo ſpiritus affici, ac perverti poſſunt. Primo igitur in ardenti febre a nimio ſanguinis incendio cerebri meninges incaleſcunt ita, ut inſitum rorem plurimum deperdant; hinc irrequieti primo, & inde ob reſtaurantis humidi defectum, feroces adhuc Spiritus evaſi, ac tumultuario impetu ducti, nerveas fibras, per quas objectorum ſpecies ad ſenſuum tribunal vehuntur, multivagis motibus commovendo, confuſam mentis perceptionem, erroneum judicium, & falſam ratiocinationem inducunt. Quo plus ergo cerebrum incaleſcit, eo major ſpirituum acoſmia, & furor augetur, ac eo majus delirium excreſcit, & cum diutius hoc incendium perduret, phrenitis ardens cerebri caſtrum abſumit. In venefica vero febre, maxime coagulativa, differenti modo ſpiritus vexantur; cum non a ſanguinis ardore, qui ſæpe mitis eſt, ut pulſus in hiſce febribus parum a naturali metro diſcedentes oſtendunt; ſed ab invaſo veneno, quod in ipſo febris limine vires proſtrando, ſpirituum ſtragem jam inductam oſtentat; quorum jactura delirium altero pejus efficere ſolet; cum depauperata ſpirituum copia, debita illorum contiguitas, quæ vires fovet, hinc inde interrumpi certo debeat; unde continua illorum diſſoluta ſerie, rectum in eorundem motibus ordinem perire, ac tumultuario impetu duci, neceſſum eſt; tumultus ergo iſte, a ſpirituum inanitate ortus, non dum delirii prodromus, ſed propria illius cauſa eſſe debet. Nil enim aptius, quam ſpirituum animalium tumultus delirii naturam deſcribit, qui certo ab illorum inanitate non minus, quam ab eorundem exuberantia promoveri poteſt; & hoc quidem manifeſto ſuadent Hæmorrhagiæ profuſæ, ſuperpurgationes excedentes, acutique dolores, cæteraque nimiam ſpirituum jacturam inducentia ſymptomata, quorum ſubſequens delirium (quod paſſim contingit) ſpiritalis deperditionis cauſam demonſtrat; ſed hæc demum in hac linea ſatis ſint.

Prognoſis 4. Ad prognoſin quod attinet, infauſtum ſæpius omen delirium prænunciat; in veneficis enim febribus funeſtum; in acutis continuis periculoſum; in intermittentibus item ambiguum judicium portendit. Si leviter autem, & vel cum riſu, vel in rebus lætis aberret, in quavis febre contingat, tam perniciosum non eſſe 6. *aph.* 53. docemur. Item ſi poſt ſoporoſos affectus lenis deſipientia invadat etiam in veneficis febribus malum non præcinit; ſic pariter ſi cum ſignis coctionis ante Criſin emergat; primum enim ſpirituum a lethali ſopore ſolutionem, alterum item criticam febris abſolutionem denunciant. Sic etiam quodvis delirium cum a placido ſomno compeſcatur, bonum eſſe 2. *aph.* 2. ſuadet. Contra verò infauſtos eventus portendit, ſi circa febris initium appareat, cum veneficæ luis præpotentiam denunciet, ac facile in lethargum præcipitare ſoleat. Item ſi poſt inſignes evacuationes, & maxime poſt graves hæmorrhagias, ut 7. *aph.* 9. indicat, delirium invadat, Naturam periclitantem oſtendit. Similiter ſi cum pleuritide fæ-

deratum appareat, ut 7. *aph.* 11. habetur, peſſimum eſt, cum cerebri, & pulmonis inflammationes Naturæ tolerantiam excedant. Nec minus infauſtum eſt, ſi cum difficili reſpiratione in acuta febre acciderit, ut 4. *aph.* 50. nos inſtruit, cum dejecta ſpirandi facultate, qua primo vita nutritur, cerebrum etiam ſubverti, in quo vita dominatur, grave damnum portendat. Demum ſi delirium cum omni rerum oblivione jungatur, ita ut nec parentes, nec filios dignoſcat, peſſimum ſignum eſt, quod integram mentis everſionem oſtendit, ac a tanto lapſu reſurgere raro quidem contingit.

Curatio 5. Delirii demum medela minime quidem a curativa propriæ febris methodo diſcedere cogit. Cum enim in ardenti febre ſanguinis ebullitionem reſtinguere; in venefica item ſpiritus ab invaſa virulentia redimere, propriis capitibus expoſitum ſit, utrumque delirii fomitem a dictis inibi remediis æque deduci poſſe, non ambigimus. Ad eundem ſcopum etiam auxilia collimant, quæ *antec. cap.* 1. & 2. enunciata ſunt; quid vero ſingulis addere ſymptomatis ferocia petat, nunc videre adhuc ſupereſt. Primo itaque cum in ardenti febre urgens affectus validioribus uti ſuadeat, adhuc ſequentia ſimul cum cœteris conjungere intereſt; & primum detonſo capiti pulmonem Vervecis calentem, vel Columbum, aut Gallinam nigram per medium ſectam applicare convenit; pro mulierculis vero, quibus capillitium magis fortaſſe quam vitam ſervare placet, ſequenti ſaltem mixtura utatur.

℞. *Succ. recent. Cancr. fluviat. unc. iij.*
Pulp. Cucurbit. contuſ. unc. ij.
Aqu. Roſar. odorat. unc. j.

Malaxentur ſimul, & ex tepefacta mixtura calvariæ cutis ſæpius in die inungatur. Item in pertinaci delirio, quod phrenitin minitetur, cum Veterum præceptore *Galeno*, ac Recentiorum anteſignano *Williſio*, capitis futuræ coronali detonſæ cucurbitulam magnam applicare, & ſcarificare oportet quo remedio deſperatis Delirantibus ſalutem eluxiſſe, non ſemel obſervavimus. Cum vero ſomnum conciliare opus ſit, remedia *ant. cap.* 2. dictata, ad uſum vocentur; plurimum enim in delirio ſedando ſomnum conferre, 2. *aph.* 2. etiam nos docet. Cautiones vero *ant. cap.* 1. *num.* 8. expoſitas nunquam negligere intereſt.

6. In alterum vero delirium a venefico fomite inductum, propria illius febris methodo militare, ac bezoardicis inibi datis inſiſtere, eſt opus; cum ſopitos ſpiritus a coagulante veneno ſolvere, & ne cœteros figat, proſpicere interſit. Virus enim impenſe acidum alchalinos ſpiritus devincit, ſicque illorum contiguitatem, ac ordinem deſtruit; unde tumultus primo, & inde delirium emergunt. Hunc ergo hoſtem bezoardicis expugnare intereſt, ut delirii fomes dirimatur; hæc vero auxilia *propr. cap. de febr.* data ſunt, nunc demum ſpiritus reſtaurare ſaltem innuimus; pro qua intentione ſequens externum non parum profuiſſe comperti ſumus.

℞. *Aqu. Roſar. fragrant. unc. j.*
de flor. Citr. unc. ſem.
Theriac. junior. drach. j. ſem.
Balſam. Apoplect. drach. ſem.
M. f. Epithem. tempor. & nucæ appon.

De internis auxiliis nihil hic addere eſt opus, cum a curativa febris methodo diſcedere, per me delirium Medentis eſſe puto; ideo hic ſatis, nunc altera non minus infauſta ſpirituum affectio nos vocat.

CAP. IV.

De Soporoſis Affectibus.

1. HOrridam delirii ſcenam in ſopores varios permutatam, frequenter inſpicit Praxis, nil vero inter Symptomatum viciſſitudines hac metamorphoſi atrocius eſſe videtur; blandus licet ſopor, poſt delirium invadens, boni ominis nuncius ſit, ut 2. *aph.* 2. docetur; ſomnus vero, qui modum excedit, malum, 2. *aph.* 3., & qui Naturæ vim infert, peſſimum eſſe, 2. *aph.* 1. nos inſtruimur. Hujus ergo generis comatoſi affectus ſunt, qui omnes plus minuſve animalium ſpirituum expanſiones ita cohibent, ut *Horum deſcriptio.*

ſen-

ſenſuum organa, debito illorum niſu deſtituta, ſilere cogantur; ex duplici tamen origine ſenſuum feriatio dimanat, ſpirituum nempe defectu, vel organorum infarctu; ab ipſis primo ſpiritibus oritur, cum in decenti munere, debitoque impulſu deficiant; ab organis vero, cum quovis infarctu clauſa, ſpirituum niſus non excipiant, hæc vero in cauſarum ſcrutinio clara fiunt.

Diviſio. Affectus ergo iſti vario gradu, & conditione differunt; levius cœteris Coma ſomnolentum eſt, pejus vero Coma vigil, peſſimus tandem Lethargus eſt; ab hoc autem Carus diſtinguere, niſi cum in Apoplexiam tranſeat, per me futilis quidem controverſia eſt; varias demum eorundem diſparitates a diagnoſi deſumptas, nunc inſpicere adhuc ſupereſt.

Diagnoſis. 2. Et primo Coma ſomnolentum invadere tunc dignoſcimus, cum alta dormiendi propenſio ægros teneat, nec excitati diu vigilare valeant, ſed poſt mutilas reſponſiones, gravi ſopore afficiantur; quieto tamen corpore, oculis conniventibus, ac ore hiante ſine inquietudine dormiunt, abſque ratiocinii, vel memoriæ conſpicua læſione; hoc ſymptoma indifferenter intermittentes, continuas, ac veneficas febres inſequi ſæpe ſolet. Coma vero pervigil ferocior affectio eſt, hoc enim ſymptomate vexati, ſoporem appetunt, ſed duro torpore, non quieto ſomno fruuntur, dormientes enim irrequieti jactantur, & a phantaſmatibus agitati, in inſomnio delirant, ac excitati cum vaniloquio reſpondent; ſicque non paucam mentis læſionem oſtendunt; hæc ergo affectio raro intermittentium, ſed continuarum febrium frequentiſſima eſt. Lethargus tandem peſſimum ſymptoma internos, externoſque ſenſus profundo torpore comprimit, veramque mortis imaginem effingit, niſi reſpiratio pulſuſque lethargo oppreſſum a cadavere diſtinguerent; inexpugnabilis enim dormiendi vis nec ſtridores, nec concuſſiones audire ſinit, compunctos vero, vel depilatos ægros, vix palpebras aperire, ſtupidos tamen nec voces percipere, nec verba facere, ſed poſt ſuſpirium, vel gemitum, ſtatim a ſomno obrutos, ad lethum redire inſpiciuntur; & hinc internos, externoſque ſenſus læſos eſſe, dignoſcitur. Funeſta hæc paſſio ſæpe ſine febre, ſæpeque veneficarum febrium comitium eſt; hæc tandem vitiati ſoporis Diagnoſis fuit; nunc vero ad abditas illius cauſas explorandas deſcendimus.

Cauſarum indago. 3. Cum tandiu moveatur, ac vigilet Animal, quandiu recta ſpirituum impulſio ſenſus motuſque inſtrumenta propriis functionibus exerceat; ex hac ergo notione primarium ſenſus, motuſque Auctorem ſpiritum animalem eſſe ut inſtrumentum vero organa famulari, tuto concluditur. Hoc ergo æque notum, duplicem vitiati ſomni cauſam exponit; primam nempe Spirituum impulſum plus minuſve feriantem; alteram vero indiſpoſita organa eſſe, quæ vel parum, vel nihil ſpirituum niſus audiunt; utramque igitur cauſam nunc inſpicere convenit. Primariam originem ſpirituum defectum eſſe, communis ſententia decernit; *Spirituum defectus.* hæc vero deficientia oritur, vel cum illorum decentem copiam vigiliæ pertinaces, diuturnaque deliria conſumpſerint; vel malignæ febris venenum, aut narcoticorum abuſus ſpirituum vigorem enervaſſet. Implacabiles enim vigiliæ, deliriaque prolixa quantum de Spirituum penu conſumant, nemo ſatis perpendere potis eſt. Similiter venefici miaſmatis, & narcotici virulentia vividam nervoſi generis auram figere, vel opprimere plurimum poſſunt. Quævis ergo violentia ſpirituum copiam, vel energiam deperdat, ſenſus motuſque organis proprium uſum adimit, unde illorum motore deſtituta, ſilere omnino coguntur, ſicque ex hac cauſa, plus minuſve deficiente ſpiritu ſoporoſi affectus invadunt; quia ſicuti quo magis vegetus illius impetus ſenſuum organa implet, eo perfectiores functiones exercentur; ita quo major ſpirituum conſumptio eſt, eo pejor comatoſus affectus ingruit, ideo pro defectus gradu vel coma ſomnolentum, vel pervigil, aut lethargus emergit, hæc vero quo ad primariam cauſam ſatis ſint.

Organorum culpa. 4. Alteram vitiati ſoporis originem organorum emphraxin eſſe diximus, quæ non ita frequenter invadit, & cum vere adſit, funeſtum ſomnum inducere,

ducere, ſæpe ſolet; quidnam vero infarctus iſte eſſe poſſit, variæ hinc inde opiniones adhuc decertant, plurimi enim plurimas objicis hujus occaſiones deteхiſſe gloriantur. Veruntamen cum & ob difficilem male affecti capitis intuitum, & ob varias in cadaveribus inventas lues, (quæ ad hoc negotium æque explicandum, ambiguæ ſæpe, ſæpeque infidæ ſunt) Cordatorum inſpectiones non raro decipi poſſint; ideo quid certi de hac obſtructione determinandum ſit, cum in brevi pagina perſtringi nequeat, proprio tractatu examinanda reſervamus. Nunc vero pro noſtro ſcopo arbitrari ſufficit; quod ſicut ſomnus naturalis tunc inducitur, cum a ſeroſo arteriarum rore ad cerebrum evecto, & per illius meatus ſenſim effuſo, medullarem ejuſdem ſubſtantiam ſatis repleat, ita ut illius poros leniter obſtruat, ſpiritusque animales ſic obruat, ut ſenſim illorum excubiæ ſopiantur, ſomnuſque Naturæ opportunus concilietur. Ita pariter morboſum ex hac vitiata cauſa ſoporem contingere arbitramur; cum nempe arteriarum latex, plus æquo redundans, debito plus per cerebrum profundatur; tunc enim non leniter, ſed violenter a ſuperflua ſeri copia illius meatus obſtruuntur, ac ſpiritus animales in ſuis porulis ita opprimuntur, ut ad ſenſuum munia exercenda, reſurgere nequeant; ideo quo copioſior ſeroſus latex cerebrum inundet, eo durior, ac pertinacior ſomnus dominatur. Hoc, inquam, oſtendunt illi, quorum caput humiditate redundat, ut bibaces ſunt, qui nimium vinum ingurgitant, quorum arteriæ ſuperfluo ſero turgentes, in cerebrum exoneratæ, profundiori, ac diuturniori, ſomno fomitem tribuunt. Sic item morbidæ affectiones plurimæ, quorum vis eſt, arterioſum ſerum ſupra debitum in cerebro deponere, ut præ cæteris Hydrocephalon ſuadet. Sic demum oſtendunt anatomicæ inſpectiones, in comatoſis demortuis a Peritis inviſæ, qui redundantem in cerebro, ac in ipſius ventriculis illuviem inveniſſe teſtantur. Vide præ cæteris *Williſium tract. de anat. cerebr. cap.* 12. *ac alibi*.

Prognoſis

5. Cauſis breviter expenſis, Prognoſin inſequimur; hæc ergo ſępius infauſta præcinit, malum enim ſi a ſpirituum defectu, pejus vero ſi a plurima lymphæ illuvie cerebrum infarciente, morbidus ſomnus inducatur; difficile namque in primo caſu ſpiritus deperditi in priſtinum reſtaurantur; difficilius in altero exundatum cerebrum ab illuvie expiatur. Non ſemper verò ad funeſtam metam ſomnus ducit, qui *in quovis morbo laborem facit, ut* 2. *aph.* 1. docetur; profecto Coma ſomnolentum Intermittentium comitem cum febris periodo receſſiſſe, nullamque apertam noxam reliquiſſe, obſervatum eſt. In continuis vero, & maxime in veneficis febribus pertinacius ingraveſcere, ſæpeque ſpretis omnibus, ad lethum ducere ſueſcit: Coma item pervigil periculoſum eſt, maxime ſi malignas febres comitatur, vel ſi poſt diuturnas vigilias, atrociaque deliria invadat, quia ſpirituum ſtragem, extremamque jacturam portendit; pejus demum eſt, ſi a convulſione, & ſingultu frequentatur, tunc enim totum nervoſum genus a venefica lue devaſtatum eſſe denunciat, nec ullum unquam ab hoc exitio ſurrexiſſe vidimus. Lethargus demum quovis modo febres inſequatur; ſemper funeſtus eſt, niſi intra ſeptimum *ut* 2. *de morb. vulgar.* docetur, ſpiritus a veterno liberi non excitentur; & licet abſque febris impulſu ſolitarius invadens, non ante ſeptimum perimere ſoleat, ut febrium ſymptoma tamen quarta ſæpe die jugulaſſe, non ſemel inſpeximus, validis etiam omnibus inauditis remediis; hæc ergo prognoſis fuit, nunc ad curationem accedimus.

6. Variæ iſtorum affectuum conditiones differentem medendi methodum poſtulant, diſparitates vero ad duo capita reduci poſſunt: primum nempe ad Spirituum jacturam, vel ab illorum conſumptione, vel ab ipſorum fixatione inductam; alterum ad cerebri meatus quavis illuvie infarctos; ad utrumque igitur propria remedia dirigere accedimus. Et primo quemlibet Somnum vitiatum, qui vel poſt atrocia deliria, vel in febris initio invadat, plurimam ſpirituum jacturam denunciare conjicimus. In primo caſu, nempe poſt deliria, quantum de ſpiritali penu abſumatur *Curatio*

nemo

nemo peritus neſcit; ideo in ipſius reparationem cito incumbendum eſt, ne omnino exhauriatur; at quia ſæpius ineunte ſopore, ſanguinis incendium, febriſve ardores non parum compeſci obſervantur, ideo ab his indiciis enormontica jactura æque cognita, ſpirituoſis auxiliis, temperatis tamen, ad ſpirituum reſtaurationem uti convenit, ex. gr. *Pro ſpirituali jactura.*

℞. *Aqu. Borag. Meliſſæ aa. unc. iij.*
Cord. Saxon. frigid. unc. j. ſem.
Confect. Hyacinth. complet. drach. ij.
Syrup. Corallor. optim. unc. j. ſem.
Manus Chriſti perlat. & ambrat. unc. j.
M. pro tribus Doſ. intra diem ſumend.

Vel altera efficacior, cum poſt vigilias ac deliria diuturna febris ardorem omnino deceſſiſſe comperiatur, videlicet.

℞. *Aqu. Card. ben. Meliſſ. aa. unc. ij.*
De Cinamom. deſtillat. unc. ſem.
Sal. volatil. fuligin. ſcrup. j.
Spirit. lilior. convall. gr. xv.
Syr. de Meliſſ. compoſ. noſtri unc. j. ſem.
Manus Chriſti perlat. & ambrat. unc. j.
M. & cochleatim tota ſumat. in die.

Item pectori, ſeu præcordiis Epithematis vice ſequens linimentum tepidum ter ſaltem quotidie applicare convenit, videlicet.

℞. *Confect. Alcherm. complet. unc. ſem.*
Spirit. lilior. convall. ſcrup. ij.
Aqua de flor. Aurant. unc. iij.
M. pro Liniment. apponend. ut ſupra.

At pro Hyſtericis, ac Hypochondriacis nonnullis, quibus odorata nocent, ſequens utile eſt.

℞. *Confect. Alcherm. incomplet. un. ſem.*
Elixir. proprietat. Paracelſ. drach. ij.
Aqu. Meliſſæ optim. unc. iij.
M. f. liniment. utend. ut ſupra.

Inſuper tempora, & nares, ut ſopitos ſpiritus excitent, ſequentia proficua eſſe ſolent, videlicet.

℞. *Acet. Rutac. & Roſac. aa. unc. j.*
Spirit. lilior. convall. drach. ſem.
Caſtor. optim. pulveriſ. ſcrup. ſem.
f. Mixtur. pro dicto uſu.

Hiſce demum victus rationem componere intereſt, quæ probe reſtaurans eſſe debet; verum juſculis tantum ex pullo, & vervecina carne paratis, cum deſtillati caponis parum, & in divitibus magiſter. Solubil. corallor., vel perlar. ſcrup. ſem. bis in die propinatis, uti oportet; uberius enim reficitur potu, quam cibo. His ergo pro circumſtantiis, febriſque more plus minuſque variatis, huic indicationi ſatisfacere tuto poſſumus.

7. Comatoſum vero affectum, quem a ſpirituum fixatione oriri conjiciamus differentibus armis aggredimur; cum affectio iſta, ob diſparem ſpirituum jacturam, methodum etiam, a ſupradata, diverſam certo petat; impares enim cauſæ diſſimilem indicant curationem. Itaque hujus fixationis origines diſcernere primo refert; cum aliud expetat, a figenti acido viru, & aliud a narcoticis inducta, hæc ſpirituum jactura, primum una cum ſanguine ſpiritus grumeſcere, alterum eoſdem torpeſcere cogunt; de utroque igitur nunc ſermo erit. Et primo figens acidum propriam virulentiam detegit, cum in morbi principio, abſque vehementi febre, & cum miti ſanguinis ardore, comatoſus affectus ingruat; tunc enim rectum de venefico figente indicium ſumere decet; in quo caſu, & cauſa, ultra propriam curationem *cap. de febr. coagulat.* Satis expoſitam, in qua ſpirituum ſolventia, ſanguiniſque grumeſcentis diſſolventia remedia præſcribuntur, nil aliud addere eſt opus; aliquando tamen cum fructu ſequenti etiam mixtura uſus ſum, videlicet. *Pro ſpirituum fixatione.*

℞. *Aqu. Meliſſ. Lavendul. aa. unc. ij. ſem.*
De florib. Aurant. unc. j.
Corn. Cervi philoſ. calcin. drach. ij.
Tinct. Caſtor. cum ſpirit. Armon. extract. drach. j.
Sal volatil. fuligin. ſcrup. j.
M. & cochleat. ſæpius in die ſumat.

8. Cum autem non a venefica febre acido viru tincta, ſed ab opiatis abuſis comatoſum affectum ortum duxiſſe noſcamus, tunc ſequentia remedia præſentanea eſſe ſolent, & primo. *Pro ſpirituum torpore.*

℞. *Aqu. Betonic. flor. Thiliæ aa. un. ij.*
Theriacal. camphorat. unc. ſem.
Tinct. Caſtor. cum ſpirit. Armoniac. extract. drach. j.
Sal. volatil. ſuccin. drach. ſem.
Syrup. de Stæchad. unc. ſem.
M. & cochleat. tota in die ſumat.

vel ℞. *Aqu. Meliſſ. Salviæ aa. unc. ij.*

Apo-

Aqu. Apoplect. Ludovic. unc. j.
Liquor. C. Cerv. ſuccinat. gut. xx.
Sal volatil. Salviæ gr. xij.
M. & ſimiliter cochleat. exhib.

In utroque pariter caſu Veſſicantium uſum præterire non decet; validum enim auxilium ſpiritibus tam fixatis, quam torpidis conferre ſolet; cum & ad veneficum acidum abſorbendum, & ad narcotica ſulphura invertenda, penetrantes veſſicantium alkalinæ particulæ præpollere æque poſſint; ideo nuchæ primo, poſtea brachiis, & femoribus demum apponere opus erit. Item in pertinaci ſopore Clyſmata etiam acria uſurpare convenit, plurimum enim hoc item auxilium ad ſpiritus excitandos non raro conferre ſuevit; at præ cæteris in hoc caſu hoc ſæpius præſcribo, videlicet:

℞. *Fol. Rutæ, Centaur. minor. aa manip. ij.*
Aſſari recent manip j.
Radic. Pyretr. Ariſtol. rotund. aa. unc. ſem.
Coqu. in aqu. q. ſ. ad conſumpt. med.
In Colatur. unc. x. diſſolve
Elect. Hier. picr. cum Agaric. dr. vj.
Succ. Rutæ recent. unc. ſem.
Caſtor optim. pulveriſ. ſcrup. ſem.
M. f. Clyſter. in febr. declinat. applicand.

In pertinaci autem Lethargo bis adhuc in die repetere eſt opus, ut replicato ſtimulo ſpiritus excitentur. Cum vero his omnibus deſpectis, ſoporis contumacia perſiſtat; tunc detonſo capitis vertici veſſicatorium magnum imponere præcipio, quod non ſemel in his anguſtiis præſentaneum fuiſſe, celebris *Williſius*, & nos poſt ipſum compertum habemus. Hæc tamen omnia pro virium ſtatu, febris gradu, cæteriſque circumſtantiis, provido conſilio moderari debent.

Pro cerebri infarctu. 9. Hactenus ex ſpirituum culpa, nunc vero ex organorum defectu vitiatum ſoporem expendere, illique opem afferre ſupereſt. Materiam ergo cerebri meatus infarcientem, citò deducere, præcipua indicatio eſt, nec a quovis reluctante præpediri debet; cum ab hoc infarctu ſenſus, motuſque cum vita commercium prorſus dirimatur; febris ergo juribus non omiſſis, omni ſtudio in hanc opem incumbere, vitæ periculum urget. Primo cum a ſanguine in cerebro ſtagnante nervulorum depreſſionem oriri poſſe conjiciatur, quod ex ardenti prægreſſa febre, non ſine ratione deducitur; cum a vehementi ſanguinis commotione, plus arteriæ in cerebro effundant, quam per venas revehi poſſit; unde ipſius affluentia, cum inter vehentes, & revehentes ductus æquilibrii legem non ſervet, partem aliquam in cerebro ſtagnare, tuto ſuademur; quæ inibi detenta ſanguinis portio, & cerebri meatus infarcire, & comatoſos affectus inducere, certo debet. Hoc æque cognito, ut promptum affectæ partis auxilium deferatur, phlebotomiam primo celebratam, in hoc caſu, & cauſa etiam repetere juvabit, ac tolerantibus viribus, adhuc in fronte arteriotomiam præcipere intereſt, ut ſanguinis ad cerebrum ſcandentis moles pro viribus minuatur. Item in extremo periculo, remedia omnia, quæ *cap. 5. de Apoplex. num. 24. 25. &c.* expoſita ſunt, pro affectus petitione, ad uſum vocare, vitæ diſcrimen (quod ob cerebri oppreſſionem proximum interitum minitatur) has extremas anchoras ponere, nos compellit. Inter Cathartica vero ſequenti frequenti in hac urgentia uti ſueſco: *A ſanguine ſtagnante.*

℞. *Reſinæ Turbit. optim. gr. viij.*
Extract. Hellebor. nigr. ſcrup. ſem.
Diagryd. ſulphurat. gr. viij.
Syrup. de Stbecad. q. ſ. ut f. bol. par-vul. pro Doſ.
Quibus ſuperbibat ſequent. aquas.

℞. *Aqu. Salviæ, Betonic. aa. unc. ij.*

10. Item detonſo capitis vertici veſſicantem amplum apponere, vel frequentem inunctionem applicare par erit, videlicet: *Auxilia externa.*

℞. *Aqu. Apoplect. Ludov. unc. ſem.*
Tinct. Caſtor. cum ſpirit. Armon. extract.
Traumatic. noſtræ aa. drac. j.
Extract Viſc. Quercin. drach. ſem.
M. f. linim. pro capit. inungendo.

Cautè tamen ſemper his omnibus uti fas eſt, ne minitatum ex una parte exitium per alteram inducamus; cætera demum externa remedia huic urgentiæ propria in ſupradato *c. de Apoplex.*

plex. inveniri poſſunt. Tinctur. vero Traumaticam ſic conficere jubeo.

℞. *Fol. Beton. Hyperic. Cerefol. aa. manip. iij.*
Flor. Hyperic. Prunell. Stœchad. citrin. aa. pug. iij.
Radic. Rubiæ, Rhapont. Succiſ. aa. unc. iij.

Folia, Floreſque virentes cum radicibus ſucculentis in mortario lapideo probe contuſa, una cum proprio ſucco cucurbitæ indantur, affundantur ſpir. Vin. ad eminentiam trium digitorum, & in M. B. tepido reponantur, ad Tincturam vulnerariam extrahendam. Hujus vires, ad congrumatum ſanguinem ſolvendum, efficaces experimenta plurima ſatis oſtendunt. Ex hac ergo drach. j. Sperm. Ceti non rancid. ſcrup. j. in vehiculo proprio mixta, exhiberi etiam poteſt; & hæc demum pro ſanguine congeſto ſatis ſint.

11. Frequentius vero lymphatica lues, in cerebro ſtagnans, comatoſi affectus occaſio eſt; ut morbi plurimi, ex hoc fonte manantes, paſſim oſtendunt; cum ergo hanc vitiati ſoporis fomitem eſſe conjiciatur; tunc de infarcientis eliminatione ſolliciti eſſe tenemur; quamobrem ad hoſtilem lympham evertendam debita purgatio apprimè indicetur; cum nec citius, nec tutius quam per valida interna, externaque Cathartica cerebrum ab hac lue redimi poſſit. Neque coctionem, quam febris petit, hic expectare, *ſed purgationem, non retardare*, medicinæ Pater nos inſtruit; nam ſi turgens materia ocyter deturbari debet, ut ipſe docet, ne orgaſmo ducta principem partem invadat; hanc ergo quæ mentis arcem jam occupat, citoque vitam extinguere minitatur, præ cæteris ocyus eliminare tenemur; in hunc finem igitur celerem ſic purgationem inſtituere ſueſco. *A lympha ſtagnante.*

℞. *Extract. Hellebor. nigr. ſcrup. j.*
Agaric. ſcrup. ſem.
Mercur. dulcific. optim.
Caſtor. pulveriſ. aa. gr. viij.
Syrup. de Sthœcad. q. ſ. boli parv.
Quos cap. pro Doſ. ac ſuper bibat ſequ. aqu.

℞. *Aqu. Lilior. Conval. Salviæ aa. unc. ij.*

Aqu. Apoplect. Ludovic. unc. j.
M. & propin. ut ſupra.

Hanc purgationem per tres vices alternis diebus repetere intereſt, ut citius quo poſſit, cerebrum expietur; de ſero item, hora ſaltem ante juſculum cœnæ, ſorbitionem ſequentem exhibere convenit.

℞. *Aqu. Apoplectic. Ludovic. unc. j.*
Tinct. Caſtor. cum Spir. Armon. extract. ſcrup. j.
Syrup. flor. Tunic. unc. ſem.
M. pro una Doſ.

Hæc eadem pariter altera die a medicamento purgante vacua, mane, & veſperi hora ſaltem ante cibum repetere intereſt.

12. Interim ſequentibus externis uti adhuc eſt opus; primo nempe Errhinum pulverem ex Nicotian. Majoran. Hellebor. alb. & Ambr. gryſ. confectum quater ſaltem quotidie in nares intrudi; ac apophlegmatiſmum ſequenti, vel ſimili modo paratum, præſcribi debet: *Externa auxilia.*

℞. *Radic. Pyrethr. Zingiber. aa. drac. j.*
Semin. Sinap. Cardamom. aa. ſcrup. j.
Pulveriſat. adde Mell. Anthos q. ſ.
M. f. Electuar. cujus drach. ſem. in ore immitt.

Hujus uſus bis in die ſeſquihoram ante cibum, dicta cum iſtis alternando, eſſe poteſt; hæc enim per os, & nares purgantia, cerebri luem per commodiorem viam educere, ſæpe ſolent. Externa pariter alia, quæ *lib. 1. cap. 5. de apoplex. num. 18.* expoſita ſunt, ad hoc opus vocare etiam decet. Item linimentum ſequens utile erit,

℞. *Aqu. Apoplect. Ludovic. unc. j. ſem.*
Tinctur. Caſtor. cum Spirit. Armon. extr. drach. ſem.
Succin. pulveriſ. Extract. Majoran. aa. drach. j.
M. f. linim. quo calvar. detonſ. illinatur.

Et cucupha, ſpeciebus cephalicis conteſta, ſuper imponatur. Poſt hæc Patientis vires, febris ſtatum, ac ſymptomatis hujus conditiones ſimul perpendere oportet; & cum ſymptomatis pertinacia validiorem adhuc purgationem expectat, Clyſterem acrem antec. num. 8. præſcriptum, applicare etiam intereſt; ac poſt repetitas illius deje-

ctiones, cum pervicaciter coma perſiſtat, nulliſque dictis auxiliis cedere videatur; tunc dorſi ſpinam, a nucha uſque ad nates pannis tepidis fricare, ac ſtatim cataplaſma hoc tepidum apponere ſueſco.

℞. *Cubebar. unc. j. ſem.*
Myrrhæ rubr. unc. ſem.
Caſtor. optim. drach. ij.
Mell. Anthoſ. q. ſ. M. f. Cataplaſm.
Quod tepid. per totam dorſi ſpinam apponatur.

Hæc itaque omnia, cum ſopitam a comate febrem, iterum vehementem ſurgere compellant, pro illius conditione a prædictis auxiliis manum detrahere convenit; caute tamen ſemper; cum hiſce omnino ſuſpenſis, irreparabile ſymptoma poſt dies reſurgere, ac ægrum enecare vidiſſem; maxime cum a venefico figente acido coagulata in cerebro lympha fuiſſet. Sic pariter exaucta febris, ne nimium excandeſcendo ægrum interimat, intra moderationis limites coerceri debet. Hinc inter Scyllam, & Charybdim Patientis vitam ad portum ducere intereſt, & cum duplici hoſte ſagaciter militandum eſt, ac æquo calculo præcipue febrem concitatam perpendere, quam ſicuti excitare neceſſum fuit, ut ſopitos ſpiritus ſolveret, ac hoſtilem luem facilius eliminet; ita non minoris momenti eſt, illius excandeſcentias recto fræno moderari. Methodus autem iſta, *antec. lib. 2. cap. de febr. coagulat.* ſatis expoſita, plurimam peritiam expetit; cum caute ſemper hujuſmodi pericula tentare periti Medentis ſit, ne facile contingat

Illinc diverſo nocitura peritia fructu.
Vict.

C A P. V.

De Convulſione.

1 CONvulſivus affectus, ſpaſmus a Græcis nuncupatus, cum in tota ſui latitudine differentes animalium ſpirituum ataxias, nervos, & muſculos ad irregularem motum agitantes, generice ambiat, hic & nunc ut febrium ſymptoma tantum deſcribitur, ac illius curatio indicatur. Alia enim Tonica, & alia item Clonica convulſio eſt; primam *lib. 1. cap. 3. de ſpaſm.* ſatis expendimus; de altera nunc ſermo eſt. Clonica ergo convulſio febres interdum acutas, ac ſæpius veneficas comitari ſueſcit; hæc, inquam, affectio violenta quædam, non dolorifica nervearum fibrarum, & inde muſculorum concuſſio, & vibratio eſt, a nimia ſpirituum animalium ataxia, vel inanitione producta. Deſcriptio hæc integra eſſe videtur; cum & cauſam moventem, & partem commotam, non vero contractam, ſed violenter concuſſam æque definiat. Clonica enim convulſio non ita muſculos contrahit, ut rigidos, ac immobiles reddat, quod proprium tonici ſpaſmi eſt, ſed illos concutit, ſeu contrahit, & relaxat; prout animales ſpiritus in nervis illis alternatim exploduntur, & contrahuntur; profecto ſicuti naturales humanæ machinæ motiones a dicto ſpiritu, nervos, & muſculos blando impetu movente fieri, Phyſica, & Medicina fatentur; ita violentos, ac irregulares hos motus ab eodem præter naturaliter affecto ſpiritu, ac per eadem inſtrumenta peragi debere, ſatis ſuademur. Hujus demum affectus differentiæ proprie dictæ nullæ ſunt, cum Clonica convulſio per magis, & minus tantum diverſificari poſſit; ideo a Tonico ſpaſmo diſtincta, hæc eadem ſemper eſt. *Deſcribitur.*

2. Hujus diagnoſis plurimum Practicis confert, non ut præſentem dignoſcant, ſed ut imminentem prævideant; præſentem enim vulgus etiam percipit, imminentem vero noſcere, Periti eſt opus; ut nervoſi generis noxas præponderet, ac adſtantibus, cum expediat, etiam prænunciet; ne inſcio Medenti affectum hunc non prævisum invaſiſſe, imponatur. Imminentis convulſionis indicia ſunt; 1. irrequietæ corporis jactationes, ſpirituum acoſmiam denunciantes, quæ ſæpius primum affectus hujus gradum ponunt; 2. continui aurium tinnitus, vel ſibili, qui in febre maxime venefica eorundem tumultum exponunt; 3. oculorum recurrentes favillæ, ſeu coruſcationes; 4. dolores capitis acerbi, aſſiduæ *Diagnoſis.*

duæ vigiliæ; ac pertinacia deliria, quæ ſingula ſpirituum excandeſcentiam oſtendunt; 5. periodicæ in febris vigore membrorum concuſſiones, vel relaxationes, quæ alterum convulſionis gradum aſcendere ſolent; ſic 6. nimia reſpirationis difficultas, quæ thoracis nervos incipientem convulſionem audire, denunciat, ut 4. *aph.* 68. docetur; 7. tandem cum pulſus in carpo tacti, quaſi vibrare, ac externi tendines ſubſaltare, ſentiantur, ſtrictaque Patientis manu, digitorum concuſſiones obſervantur; hæc ergo omnia, vel plura ſimul aperta convulſionis vexilla eſſe, diuturna praxis nos docuit.

Cauſarum indago. 3. Ad Cauſarum indaginem deſcendendo, vulgata litigia greſſus cohibent; Medicorum enim turba, relicto *Hippocrate*, poſt *Arabes* currere videtur, cum Convulſionis cauſam non ab intimo, ſed ab externo movente, ſeu irritante inquirat. Nos Magiſtrum proſequentes, legitimam hujus originem ſic exponimus; *convulſio fit vel ex repletione, vel inanitione*: 6. *aph.* 39. Duplicem hic ejuſdem cauſæ modum innuit, enormonticam nempe in nervis vel exuberantiam, vel defectionem, quibus duplicem etiam, Tonicum videlicet, & Clonicum ſpaſmum deſignat; de primo ſuo loco diximus, cum animalium ſpirituum acoſmia vehementem illorum exploſionem exercendo, quandam turgentiam in nervis concitare poſſit; unde ab expanſo vehementer ſpiritu, & nervos plus æquo repleri, & rigidos contractionem dolorificam pati facilè percipimus. Altero item modo Clonicam convulſionem per nervorum inanitionem exponit; & hanc noſcimus, cum plurimam ſpirituum jacturam æque perpendamus; enormontica enim depauperata energia, æquo minus nervorum fiſtulas implet, interruptoque impetu fibras haud recte dirigit, ſed inæqualiter agitat; unde febrilem hanc ſine dolore convulſionem, a quadam nervorum inanitione ortam, emergere inſpicimus; in hanc ergo Hippocraticam doctrinam tutius quidem, ac libentius animus fertur.

Irritantia refelluntur. 4. Nec mentis indaginem explet, ſed confundit potius, ab *Arabibus* olim orta, diuque culta ſententia, quæ ſine moleſta nervorum irritatione convulſionem quamlibet concipere, & definire neſciebat. Hæc enim infeſta occaſio, licet in Tonico ſpaſmo aliquando reperiatur, contingens tamen eſt, non eſſentiale principium, ut *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 3. *de ſpaſm.* affatim oſtendimus. In hac vero convulſione, quæ febrium pediſſequa, & omnino indolens eſt, explicanda, impropria quidem, & ſuperflua dignoſcitur. Equidem imperceptibile eſt, quod a pungenti ſtimulo, ſeu a corpuſculis acido-acribus, ut dicunt, fibras nerveas pungi, & moleſtari doceant; & in ipſis exquiſite ſentientibus, nullus doloris ſenſus audiatur; cum omnes in febribus emergentes convulſiones, ſine ullo dolore ſemper invadant, patienteſque per illas nullam moleſtiam percipiant. Puto hic certe, quod ideo *Arabes* primi contra *Hippocratem* (imo contra *Galenum*, qui magiſtri mentem inepte expoſuit) alteram nervos pungentem cauſam in tonico ſpaſmo addere cogitarunt; quia dolorificæ fibrarum moleſtiæ aculeum aliquod oſtendendum eſſe, non omnino inepte, crediderunt, neſcientes, quod a nimia ſpirituum exploſione plus æquo, diuque contracti nervi, dolorificum ſpaſmum audire debeant, quæ ſola cauſa ſufficit, ut Tonica convulſio æque, & recte percipiatur. At in iſta Clonica, quæ ſine dolore fibras nerveas contrahit, & relaxat, hoc pungens Acre merum commentum evadit, & hæc noſtra veriſimilior dignotio eſſe videtur.

5. Affectionis hujus Prognoſis ab Hippocrate ſæpius infauſtæ notæ ſignatur; & primo cum in acutis febribus emergat, perpetuo malum omen indicare, 2. *aph.* 26. docetur; infauſtum item, cum poſt hypercatharſin, aut poſt longam in acutis diarrheam contingat, ut 5. *aph.* 4. cenſetur; & adhuc pejus cum poſt profuſam hæmorrhagiam invadat; ut 5. *aph.* 3. nos docet. Nimia enim virium inanitio, a quovis excedenti fluxu inducta, extrema vitæ diſcrimina ſæpius minitatur, quorum indicium convulſio eſt, quæ ob plurimam ſpirituum jacturam, a profluviis dictis ortam, emergere ſolet; ſic pa- *Prognoſis.*

riter cum poſt diuturnas vigilias contingat, pernicioſa 7. *aph.* 18. cenſetur; funeſta inſuper ſi cum impenſo viſcerum dolore ſociata ſit, ut 4. *aph.* 66. innuitur; peſſimum adhuc ſi poſt longum delirium invadat, neminem enim a ſimili convulſione redemptum vidiſſe, teſtatur *Galenus lib.* 12. *method. medend. cap.* 8. *in fin.* Affectus ergo iſte ſemper infauſtus eſt, ac eo magis cum a vehementi alio ſymptomate concitetur; quia tunc ſpirituum jacturam, a qua oritur, maximam eſſe portendit.

Curatio. 6. Hujus demum curatio in reſtaurandos ſpirituum defectus, apprime conſiſtit; at cum hoc ſymptoma in veneficis coagulativis febribus frequenter, ſæpeque adhuc in ardentium vigore contingere ſoleat; ideo a curativa dictarum febrium methodo minime diſcedere, nec nova remedia pro illius ope addere cogimur; in utraque enim febre appropriata ſpiritibus dejectis auxilia præſcripta ſunt, quæ cum minime conferant, incurabilem febrem eſſe, dira convulſionis hujus cometa denunciat.

C A P. VI.

De Animi Deliquiis.

Deſcribitur & dividitur. 1. PAlladis arce inſpecta, ad medii ventris regionem deſcendere, illiuſque depravatas functiones conſiderare, inſtitutus ordo nos ducit. Omnium ergo primum animi deliquium, utpote infenſiſſimum vitæ, præponderari petit; affectus iſte funeſtus enormonticos niſus opprimere, vitæque munia deperdere ſæpe ſolet, ita ut nec ſenſus, nec motus, nec vitæ veſtigium ullum patientes oſtendant. Verum ſtrages iſtas ferocius, vel mitius animi deliquia perpetrare ſolent; gradu namque vario diſcriminantur. Aliud, inquam Eclyſis, pejus Lypothymia, peſſimum vero Syncope vitæ detrimentum inducunt. Eclyſis primo ſimplicem virium languorem, ſeu vitalium, & animalium functionum relaxationem quandam, non veram abolitionem inferre ſolet; ut *Picrocolis* accidit, (ſic *Hippocrates* vocat illos, qui ob bilem in ventriculo invaſam, abſque virium defectionem longam inediam non ferunt) ac febrientibus, convaleſcentibus, & Hypochondriacis, Scorbuticiſque plurimis ſæpe contingit. Lypothymia vero prædicta deterior eſt, hæc poſt virium languorem, univerſalem vitalis œconomiæ deperditionem adhuc inducit, ſalvis tamen reſpirationis, pulſuſque muniis, quæ licet obſcura, non prorſus abolita ſunt; hæc affectio raro Intermittentes, non raro Acutas, Veneficaſque febres comitari obſervatur, ſic pariter Hyſtericis, Pavidiſque familiaris eſſe ſolet. Syncope tandem cæteris peſſima eſt, in qua omnia vitæ munia omnino depereunt; nam a ſyncope affectus æger, a cadavere non diſcernitur; cum nec ſenſus, nec motus, nec reſpiratio, nec pulſus exerceri videantur; vivit vero licet ſopitum Enormon, ad vitæ munia reſurrecturum, niſi omnino extinguatur; funeſtum hoc ſymptoma veneficas febres interdum comitatur; Hyſtericas item, Scorbuticoſque nonnullos aliquando afficere ſolet.

2. Affectus hujus dignotio per ſe perſpicua, ac a ſupra datis ſignis facilius exponitur. Atrocem vero syncopen delineare ſequens illius graphis æque poteſt. Anno 1701. per autumnales menſes, auſtrina conſtitutione diutine prædominante, ſyncopales febres graſſari obſervavimus; harum ſigna erant, primo pulſus obſcurus, vultus palleſcens, & oculi caligantes, ita ut nihil videre patientes dicerent; deinde ſenſim univerſalis membrorum refrigeratio ingruebat; demumque abolita voce, frigidos ſudores erumpere, & quaſi glaciari conſpeximus; ſicque ſenſu, & motu, ac plures etiam pulſu, & reſpiratione privari, ac per horæ quadrantem circiter animata cadavera rigeſcere videbantur; hæc illius anni ſyncopantium febrium tragædia fuit, quæ nonnullos maxime ſenes in ipſo paroxyſmo, inauditis auxiliis, interimebat. Signa vero dicta Syncopis propria, etſi minus atrocia, eſſe ſolent. Quæ demum a conſimilibus morbis hanc diſtinguunt, ſequentia ſunt; primo pulſus, & reſpiratio Apoplexiam a Syncope diſcernunt, cum in illa *Diagnoſis.*

ſæpe

ſæpe ni ſemper appareant, in iſta vero frequentius nunquam; ſic pariter ab Epilepſia nondum pulſus, & reſpiratio, ſed & motus convulſivi ſyncopem diſcriminant, cum in illa perſpicui ſemper ſint, in iſta vero nulli; ſed hæc pro Junioribus ſatis eſſe poſſunt.

Cauſæ. 3. Efficiens, & proxima hujus Affectus cauſa unica ſemper eſt, licet occaſionales, & remotæ plurimæ eſſe poſſint; proximam ergo Enormonticam energiam, vario modo languentem, eſſe cenſemus. Cum enim univerſa vitalis machina impetum facientis viribus ſemper ducatur, & ad extremum uſque ſpiritum producatur, hujus ergo repentinus defectus omnia vitæ munia deficere cogit; quemlibet enim viventis automatis motum perire neceſſum eſt, cum prima Rota, quæ cœteris impetum facit, ab impulſione deſiſtat. Hic ergo ſpiritus, cum a proprio languore, vel ab infenſa occaſione innato impetu privetur, pro defectus modo vitæ negotia dimittere cogitur; ſicque deficiente motore, omnis, per quem vivitur, motus pro deperdito vigore, vel omnino perit, vel ſaltem langueſcit; ſicque animi deliquia, vario modo ſęva, invadere ſolent.

Occaſionales cauſæ. 4. Verum quia vitæ ductor, ac moderator Enormon abſque ſanguinis, & organorum miniſterio vitę munia perficere nequit; cum & liquoris undique permeantis affluxu, & organica ductuum diverſitate, ad differentes functiones exercendas, neceſſario uti debeat; hinc eſt, quod & a ſanguinis, & ab organorum culpis occaſionaliter ſaltem animi deliquia inducantur. Ut ergo ad ſingula deſcendamus; ſanguis primo ad hos vitę defectus duplici vitio concurrit; cum ſcilicet vel ob nimiam ipſius colliquationem, vel ob multas ipſius grumeſcentias, nova ſpirituum progenies, quæ in conſumptorum reſtaurationem perpetuo effici debet, ex depravato ſanguine propagari ſatis nequeat; unde ſpirituum defectio abſque debita reparatione magis langueſcens, acerbæ ſyncopis cauſam in actu ponit. Altera organorum depravatio eſt, maxime cordis, & pulmonum infarctus, qui vitalis fluidi circulum prępediendo, ſpiritum omnia moventem, a propria impulſione deſiſtere, vitamque ſine motu relinquere cogit. Enormon enim niſi per ſanguinis circuitum undique ducatur, vitalia munia promovere non valet; ad hoc ideo perennem fluidorum circulationem in hac machina Creatoris Sapientia per innumeras arteriarum, ac venarum ramificationes diſpoſuit; ad hoc item in cerebri meditullio nervorum radices propagavit, ut vitalem inibi fluentem ſuccum bibendo, ſenſus, motuſque energiam per nervoſum genus traducerent. Hinc ergo vitales, animaleſque functiones ceſſare coguntur, cum vel ſanguinis, vel organorum culpa ſpiritalis impetus viventem machinam, & maxime principes partes, luſtrare præpediatur.

5. Prognoſis demum a deliquii cauſis plus minuſve infauſta vaticinia deſumit; funeſtæ primo denunciantur Syncopes in veneficis febribus emergentes, cum iſtæ ſępius, vel ex parca nimis ſpirituum geneſi, & reſtauratione, ob liquatam in Colliquativa febre ſanguinis craſin; vel ex congrumata illius maſſa in Coagulativa, cujus congeſtiones circulum in corde præcipue ſiſtunt, unde motus, vitaque pereunt, ad lethum ducere poſſint. In Intermittentibus vero Lypothymiæ, ac Syncopes invadentes, non tam infauſtæ comperiuntur; niſi frequentes, & diuturnæ ſint; ut in Juvene olim vidimus, in quo *Hippocratis aph.* 41. *ſect.* 2. verificatum inſpeximus, cum in quarto febris paroxyſmo, ac ſub nona ſyncope mortuus ſit; hujus enim ſanguis, ut ex anatome inſpeximus, undique congrumatus, cordis auriculam dexteram ita implevit, ut motum, & vitam illico deleret. Hanc certo cauſam ut plurimum eſſe ſuſpicor, quæ veneficas Intermittentes in tertio paroxyſmo, ſub frigoris invaſione interimere, inducat, ut non raro experientia ipſa demonſtrat. In hectica item febre omne animi deliquium funeſta carmina præcinit; non ſic tamen in Scorbutica, niſi acidum virus ſanguinis coagulationes ad extremum gradum jam duxerit, tunc enim vitæ metam ponere ſolent. Cœtera tandem animi deliquia ſine febre vagantes, ut illa quæ ex vehementi *Prognoſis.*

terro-

terrore, vel ex noxiis odoribus, aut ex hyſterico affectu producuntur, ut plurimum non nimis arduo negotio ſolvuntur; at ſi frequentius invadant, diuque perſiſtant, patientes talia *de repente moriuntur*, ut *ſupr. dat. aph.* nos docet.

Curatio. 6. Funeſti hujus affectus curationem aggredimur, cum dejectum Enormon ad ſurgendum provocamus; & hunc ſcopum attingimus, cum ſpirituoſis cardiacis, & cephalicis recte utamur. Non ideo convenit a curativa febris methodo nimium diſcedere, licet præ illa inſtantius hoc ſymptoma urgeat; cum ut plurimum febris, & ſymptomatis conditiones eandem cauſam exponant, quæ utrique conferentem medelam æque repoſcit. Quamobrem cum febrem coagulativam hoc ſymptoma inſequatur, eadem attenuantia remedia, quæ ſanguinis grumeſcentiam diſſolvunt, ſymptomati, & febri æque ſatisfaciunt; quia grumeſcens ſanguis ſyncopi anſam præbuit. Similiter cum in colliquativa febre animi deliquium invadat, eadem adhuc auxilia, quæ ſanguinis craſin firmant, febris, & ſymptomatis occaſionem removent; cum hujus febris ſyncopes ſanguinis colliquationem inſequantur; hiſce ſic poſitis, ad curationem accedimus.

In febre coagulativa. 7. Cum ergo febre coagulativa hoc ſymptoma infeſtet, auxilia externa, quæ a ferali deliquio ſpiritus revocare poſſunt, non omittere primo intereſt; quamobrem naribus *Spirit. volatil. Armoniac.* vel *Corn. Cerv. aut Fuligin. &c.* applicare, vel *herrinum aliquod forte* in ipſis intrudere; temporibus, & pulſibus *Balſam. Apoplect. cum Elix. propriet.* dilutum apponere; cordis regioni *Epitem. & Confect. Alcherm. cum aqu. Theriacal. vel Apoplect.* dilutum apponere; labia, & manuum volas, pedumque plantas *Aceto rutac. & Sale Indo* mixtis fricare; & cum opus exigat, etiam pannis aſperis, vel cucurbitis ſiccis coxas, & brachia vexare, ſicque ſenſum, & motum provocare fas erit. Cum ergo ab hiſce excuſſum reſurgat Enormon, aliquam ex ſequentibus mixturis, pro deliquii gradu, & circumſtantiis cochleatim ſumat Patiens, videlicet:

℞. *Aqu. Apoplect. Ludov. unc. j.*
Elixir. vitæ Matthiol. unc. ſem.
Syr. Meliſſæ compoſit. noſtri unc. ſem.
Eſſent. Ambr. gryſ. gr. j.
M. & cochleatim exhib.

vel ℞. *Aqu. Meliſſ. Scabioſ. aa. unc. j.*
de florib. aurant. unc. ſem.
Elixir. Cortic. Citr. unc. ſem.
Extract. Gran. Cherm. ſcrup. j.
Spirit. volat. Armoniac. ſcrup. ſem.
M. & ſimiliter utatur.

Vel adhuc efficacior.

℞. *Aqu. Apoplect. Ludov. unc. ij.*
Sal volatil. oleoſ. drach. ſem.
Eſſent. Camphor. compoſit. gr. x.
Confect. Alcherm. complet. drach. ij.
Spirit. volatil. Armoniac. ſcrup. ſem.
Ol. Cinamom. deſtill. gut. iij.
M. & cochleatim exhib.

Hæcce, vel ſimiles ſpirituoſæ mixturæ ad ſyncopes, ob ſanguinis grumeſcentias, vaſorumque infarctus exortas, cito ſolvendas, in uſum mihi ſunt.

8. In Colliquativis vero febribus, quæ ob vehementem ſanguinis commotionem imminentem illius diſſolutionem, & inde ultimam ſpirituum jacturam minitantur, alteram ab antecedenti diverſam methodum inſtituere, ſicque febri, ac ſymptomati ſimul proſpicere convenit. Primo igitur inter externa remedia, in hoc deliquio proficua, ſequentia præcipue opportuna ſunt; nempe naribus, temporibus, & pulſibus *Balſam. Apoplect. cum Acet. roſac.* dilutum applicare; cordis regioni Epithem. ex *Confect. Hyacinthin. cum Aqu. roſar. fragant.* imponere; faciem *aqu. frig. ſpirit. Roſar. guttul.* aliquot permixta ſæpius inſpergere; ſic pudenda, dorſum, & pectus linteis *eadem aqu. & acet. roſac.* madidis humectare convenit. At quia difficilius in colliquativis febribus Enormon excutitur, ac fauces diu clauſæ intima remedia prohibent; ideo externis auxiliis, licet in hac urgentia debilibus, inſiſtere eſt opus; præ cæteris vero micam panis recenter e furno extracti, *aceto roſac. ambrat.* irroratam, ſic calentem ſuper os, & nares imponere convenit, quod facile remedium plurimis præſentaneum fuit. Cum autem reſpirationis uſus redierit, dentes vero arcte clauſi, inter- *In febre colliquativa.*

nis

nis obſtet auxiliis, tunc nares fortiter ſtringere intereſt, ut ad reſpirandum os aperiri cogatur, ac ex ſequentibus mixturis aliquam cochleatim ſumat.

℞. *Aqu. Acetoſ. Borag. aa. unc. j. ſem.*
Cord. Saxon. frigid. unc. j.
Magiſt. ſolub. Margarit. drach. j.
Syrup. Corallor. optim. unc. ſem.
Spirit. Vitriol. coagulat. gr. xij.
M. & tota cochleatim utatur.

vel ℞. *Aqu. Portulac. Acetoſ. aa. unc. ij.*
Vin. Granator. ſubacid. unc. j.
Confect. Hyacinth. drach. j. ſem.
Nitri perlat. optim. drach. j.
Spirit. Salis coagulat. gr. xv.
M. & utere ut ſupra.

Pauperibus vero, quos remediorum pretium nimis incommodat, Vini Granator. ſubacid. cochlear. unum vel alterum in brodio, vel aqu. font. exhiberi poterit. Superato demum ſymptomate febris conditionem debita methodo tractare intereſt; pro viribus vero ſervandis, ac reparandis, ſeveram in victu manum relaxare convenit, & in juſculis exhibendis, (quibus hic indulgere virium urgentia ſuadet) *Man. Chriſti perlat. drac. ſem.* commiſcere permitto. Hæc denique pro animi deliquiis in febribus tam coagulativis, quam colliquativis tuto, citoque reparandis ſatis eſſe poſſunt; qui vero plura cupit, videat *lib. 2. part. 2. cap. 3.* ubi auxilia plurima pro utriuſque caſu, & cauſa ex profeſſo expoſuimus; quæ pariter in ceteris extra febrem deliquiis proſpiciendis, opportuna eſſe poſſunt; ideo ne inutiliter iiſdem remediis novas paginas impleamus, ad ibi dicta lectorem mittimus, & ad alios morbos explorandos, & curandos accedimus.

CAP. VII.

De Tuſſi.

Decriptio 1. TUſſis inter moleſtas pectoris affectiones non infima, totius thoracis concuſſiva contractio eſt, ab ipſo ſpirituum impetu concitata, ut quamlibet, reſpirationis organa moleſtantem, luem ab ejuſdem niſu per tracheam eliminetur; violenta hæc impulſio Enormonticis motibus ducitur, ac eodem momento, in quo thoracis contractio inſpiratum aerem excludit, una ſimul tuſſim efficit, ſemperque cum expirato aere concurrit, ac ita eundem in propulſione violentat, ut ab organorum reſiſtentiis implicatus, ſonitus pro impetus modo differentes edat. Affectum hunc quaslibet febres non raro comitari obſervamus; Intermittentes enim plurimas, hybernas maxime, ac autumnales in paroxyſmi initio frequentaſſe vidimus; continuas vero, & Veneficas non in principio duntaxat, ſed & in vigore, & in declinatione adhuc moleſtaſſe obſervavimus; nec Cronicis parcit febribus, quas importuna tuſſicula perſæpe infeſtat, & cum poſt prandium una cum febre reſurgat, in hecticam degenerare poſſe minitatur.

2. Tuſſis item in genere differentias multas amplectitur; primo alia tuſſis eſt, quæ a larynge, alia item ab æſophago exit; prima in thoracis partibus ſedem habet, altera in ſtomacho, maxime in ſuperiori illius orificio. Tuſſes item iſtæ aliæ ſunt humidæ, aliæ ſiccæ, illæ ob manifeſtam lymphæ craſſæ, vel aquoſæ rejectionem, alteræ ob inanem tuſſiendi abſque ulla excreatione conatum; humidæ adhuc variæ ſunt, tam a foco, & ortu, quam ab excreata materia diſpares, ut illæ, quæ per Phthiſin a pulmonum ulcere ortum ducunt; aliæ ab hæmoptyſi ob venæ, vel arteriæ rupturas ſanguinem explodentes; aliæ ob pleuræ, vel pulmonum inflammationes variam luem expuentes; aliæ pariter ab Empyema, ob puris in thoracis fundo collectionem, & expurgationem; aliæ item, quæ ex laryngis glandulis vitiatis, vel viſcidam, vel tenuem lympham depromunt. Ultimo tandem tuſſes ſunt, quæ vel humidæ, vel ſiccæ vario modo ferocire ſolent, & ferinæ, vel convulſivæ nuncupantur; hæc itaque hujus generis differentiæ ſunt, quæ non a primaria tuſſis cauſa, in omnibus ſemper eadem, ſed a fomitis varietate diſcriminantur, ut in ſequentibus notum erit. *Differentiæ.*

3. Ardua hujus affectus Diagnoſis accuratam conſiderationem expetit, ne *Diagnoſis.*

circa

circa illius foco, artis curatio æquivocando aberret. Diximus ergo tuſſes, alias ex thorace, & larynge manare, quod & Veteres cognoverunt; Recentiores vero alias detexerunt, quas a ſtomacho ſurgere, & per æſophagum expurgari dignoverunt; utraſque igitur propriis ſignis exponere convenit. Et primo tuſſes, quæ a ſtomacho per æſophagum aſcendunt, ventriculi moleſtiæ plurimæ manifeſto demonſtrant; nempe ciborum nauſea, præcordiorum anguſtiæ, ſtomachi dolores, vel pondus, vomituritio frequens, tuſſes vero diuturnæ, profundoque ſonitu ſtrepentes, ac in fine ſæpe vomitio, & inde tuſſis ceſſatio; quæ indicia in ſtomacho quidem hujus tuſſis fomitem delitеſcere oſtendunt. Altera morbi ſpecies nullum ex dictis ſignis indicium prebet, ſed potius diverſa principia, unde promanat, oſtendit; cum in hac ſpecie illæſum ſtomachum quieſcere, thoracis vero regionem vario modo vexatam demonſtret. Hinc primo in ſimplici tuſſi exploſæ aeris ſonitus non profundus eſt, cum in larynghe, vel in aſpera arteria illius murmur incipiat; dolor item, ſi adſit, intra thoracis clauſtrum ferocire auditur, & tunc ſpirandi anguſtiæ premunt, maxime cum pleura laboret, vel diaphragma gravatum ſit, vel infenſa lues, aut congeſtus ſanguis pulmones fatiget; ſed de hiſce in ſequentibus, cum hæmoptyſis, phthiſis, pleuritis, & pneumonia propriis capitibus expendantur. Pro nunc vero ſimplices tuſſes perpendimus, cum febri, & ſine ipſa vagantes, quarum legitima ſigna ſatis expoſuimus, nunc vero ad illarum cauſas accedimus.

Cauſæ perpenduntur. 4. Intimam, propriamque tuſſis cauſam Enormonticam concitationem eſſe, cenſemus; ſpiritus enim reſpirationis organa exercentes, a quovis infenſo, illius munia inibi præpediente, concitantur; ideo in moleſtantis propulſionem, provocatos impetus exerendo, tuſſis affectum producunt. Non ergo æque cenſent, qui materiam, quovis jure moleſtam, propriam tuſſis cauſam nuncupare ſolent, cum lues quælibet, dicta organa inficiens, tuſſis occaſio potius, quam propria cauſa ſit, non enim ipſa conatum illum efficit, a quo violenter expellitur; alias in cadavere ſaltem Phthiſici, in cujus trachea purulenta materia adhuc ebullit, tuſſis adeſſe deberet, cum nulla ſit amplius, nullaque excreatio conſpiciatur ultra, quia vitalis impetus deceſſit, qui machinæ organa implebat, impulſuſque omnes naturales ſimul, & præternaturales peragebat; hic ergo propria, efficienſque tuſſis cauſa eſt, lues vero, quovis modo inficientes, illius occaſiones tantum eſſe poſſunt; iſtæ autem, cum multiformes eſſe ſoleant, propriam inquiſitionem adhuc petunt; illas itaque primo inquirimus, quæ febrium comites eſſe ſolent.

Occaſionales variæ. 5. Potiſſimam in febribus tuſſis occaſionem tracheæ, vel pulmonum lympham eſſe credimus; hæc enim ex plurimis harum partium glandulis continuo lacrimans, ſi aliquo vitio deprava ta ſit, (ut cum plus æquo ſcateat, vel acris, aut acida nimis evaſerit) reſpirationis organa, quibus inſervire debet, inficit ita, & moleſtat, ut ſpirituum, in nervulis excubantium, munia præpediat, illorumque niſum ad infenſi exploſionem concitet, unde tuſſis emergit, quæ pro lymphæ vitio vel ſicca, vel humida prodire ſolet. Hæc demum tuſſis modo intermittentes, & continuas febres, modo hecticas, & phthiſicas comitari obſervatur. Interdum adhuc, ultra lymphæ vitia, ſanguis ipſe in pulmonibus vel grumeſcens, vel extravaſatus, tuſſis occaſio eſt; cum in venis coagulatus, liberæ circulationi obſtet, & pulmonum œconomiam pervertat; unde in muniis ſuis præpediti, & inde concitati ſpiritus, ut hunc obicem eliminent, tuſſiendi conatus repetunt, ſed in hoc caſu irrito niſu defatigantur; cum congrumatum ſanguinem è vaſibus explodere, & per tracheam ducere nequeant; & hinc ſiccæ tuſſes, quæ coagulativas febres frequentant, paſſim obſervantur. Cum autem ex vaſorum fractura ſanguinis lacrimæ fluant, vel effuſiones erumpant, (ut præcipue in hæmoptyſi apparet) tunc evaſatum fluidum, non vitæ ſocium ultra, ſed ut infenſum cum impetu, & tuſſi per fauces extrudere, concitatum Enormon conatur; hæc demum in thorace

primo

primo tuſſiendi ſcena peragitur. Sed altera extra ipſum, in ventriculo nempe, tuſſis occaſio extat, quam cum *celebri Lindano*, multis obſervationibus inſtructi Recentiores plurimi detexerunt. Non raro & nos contumaces tuſſes inviſimus, diuturnis febriculis comitatas, quæ poſt longum tuſſiendi conatum, non niſi per vomitum levabantur; harum indicia *num.* 3. ſupra expoſita, nempe anorexiam, ſtomachi dolores, vel gravedinem, præcordiorum anxietates, tuſſeſque profundo ſonitu, vehementique niſu ſtrepentes, tandemque vomitum, ac tuſſis morulam contingere, ſæpe inſpeximus; quibus ſignis hujus fomitem in ſtomacho deliteſcere, ac œſophagum vexare, cujus moleſtiam proxima larynx audit, (cum hæc per membranas, a dorſi ligamentis procedentes, cum œſophago jungatur) ſicque in conſenſum ducta, contumacem tuſſim ambo ſimul producunt, quæ non niſi emergente vomitu, ac irritatione ceſſante, ſedari obſervatur; hæc demum de internis fomitibus, nunc de procatarcticis ſermo eſt.

Prophaſes. 6. Prophaſes item tot eſſe poſſunt, quot res, non naturales dictæ, externas occaſiones deſignant; inter cæteras tamen, quæ tuſſim facilitare ſolent, Aer primas tenet, ut ſæpe docet *Hippocrates*; gelidus ergo aer, multa coagulandi vi pollens, ut facile aquas congelat, ita larynghis lympham grumeſcere cogit; ut hyberna tempeſtas oſtendit, in qua præ cæteris temporibus, & aquarum glacies, & tuſſes frequentes obſervantur. Lympha enim quæ a glandulis, inter tracheæ annulos inſitis, perpetuo ſcatet, a gelido aere inſpirato ſenſim coagulata, illic ubi erumpit, ſtagnare cogitur; ſicque beneficium, ad quod ordinatur, in læſionem pervertit. Emulgetur enim, ut tracheæ tunicam humectet, & ſic reſpirationis œconomiam, vociſque tonos facilitet; at inibi coagulata lympha, & vocis depravationem, & reſpirationis læſionem, & hinc enormonticam lædentis materiæ propulſionem, ſeu tuſſim oriri, neceſſum eſt. Hujus generis tuſſes cum febri varia populariter vexantes annis potiſſimum 1707. & 1712. inſpicere, in obſervationibus notatum te- *Syſt. Medic. Roſetti*. neo, & eaſdem ſimili pene modo invadentes, *Hippocrates lib.* 6. *de morb. popul. ſect.* 7. ſic refert: *Tuſſes cœperunt circa ſolſtitia hyberna decima quinta, aut vigeſima die, ex frequenti auſtralium, & aquilonarium, ac nivoſorum tranſmutatione, &c.* quo circiter tempore, & cum eadem aeris viciſſitudine, dictis jam annis contigiſſe obſervavimus. Poſt aerem Cibus, & Potus alteram tenent paginam; cum enim acres, vel acidas lues in ſanguinem deferant, tuſſiendi fomites cumulant; ſerum namque ex ſalibus hiſce redundans, a glandulis ebibitum, & in larynge ab iiſdem effuſum, ipſam non lenit, ut debet, ſed irritat, & exaſperat, unde tuſſis occaſiones perſæpe ingerit. Cæteræ demum prophaſes, cum nimium abutantur, non parum ad tuſſim inducendam contribuunt; ut Somnus, & Quies nimia fluidorum craſſitiem producunt; vigiliæ vero, & motus excedentes fluidorum conſiſtentiam extenuant, & ad acrem labem, vel ad defluxiones diſponunt. Sic pariter Animi motus vehementes, ut cum iraſcibilis, vel concupiſcibilis ardent, & contra cum profundæ męſtitiæ ſimileſve paſſiones animum premant, dictos effectus producere aptæ ſunt Qui ergo frequenter tuſſi vexantur, inter hæc extrema medium teneant; nam *modum tenuiſſe Deorum eſt*; quod & pro cauſis, & pro diæta ſufficit.

7. Prognoſin demum inſequendo, *Prognoſis.* varia tuſſis origo differentes prænotiones ſuggerit, & primo ab auſtrina conſtitutione inductæ tuſſes, plurima excreare, & facilè abſolvi ſolent; ſic etiam notavit *Hippocrates lib.* 7. *de morb. popul. n.* 31. *Quibus exiſtunt tuſſes hyeme, maxime auſtro ſpirante, craſſa, & multa excreantibus, febres accedunt, leviter autem quinta die ſedantur*; quæ vero a boreali aura ducuntur, ſiccæ ut plurimum ſunt, *ac duriſſimæ, & violentiſſimæ*, ut idem loquitur, nec ſine ratione; *nam conſtitutiones aquiloniæ corpora denſant, auſtrinæ vero diſſolvunt, & humectant.* 3. *aph.* 17. a qua firma regula hujus generis tuſſes paſſim definiuntur. Quæ vero ab intima corporis labe promanant, pro lædentis vi, læſæque partis reſiſtentia plus, minuſ-

minuſve lædere ſueſcunt ; ideo vehementes tuſſes, cum diu pulmones fatigent, ob debilem illorum texturam non raro ad phthiſim concudere poſſunt, maximè cum hæreditaria diſpoſitione ſignatus ſit, vel nimis acri lympha Æger abundet ; ſtomachales vero tuſſes, niſi inveteraſcant, non ſemper improbam ſortem tentare ſolent ; cum facilius, ac per breviorem viam auxilium audiant ; hinc ceteræ tuſſes, quæ vel a pleura, vel a pulmonibus, vel a diaphragmate male affectis inducuntur, pro varia lædentis materiæ potentia, & læſæ partis reluctantia plus, vel minus infauſtæ ſunt, de his autem infra. Tuſſes item *ferinæ ab Hippocrate* nuncupatæ, veneficarum febrium comites, malum omen ſæpius portendunt, & præcipue cum pleuritides, vel pneumonias inſequantur. Siccæ pariter tuſſes, ob ſtagnantem in pulmone ſanguinem ortæ, hecticas febres facile præparant ; ſimiliter ſi humida tuſſis ex tempore ſupprimatur, vel *corpus a puſtulis rubeſcere cogit*, ut *in Coac. prænot. num.* 2. habetur, vel in intimis retenta lues, febres acutas, aut hecticas molitur, ut in pluribus obſervavimus. Quæ tandem cum facili excreatione, & ſine labore procedunt, periculo vacare ſolent ; quæ vero cum impenſo conatu ſpiritum defatigant, vel pulmones enervant, vel hernias cogunt, vel gravidarum abortum ſtimulant, vel venarum rupturam urgent ; hæc tandem prognoſis fuit, nunc curationem inſequimur.

Curatio ſiccæ tuſſis. 8. Tuſſis medela pro varia illius conditione differentibus remediis inſtituitur ; aliud enim ſiccæ, aliud humidæ, & aliud item ſtomachicæ tuſses requirunt ; ideo ſingulis hiſce propriam methodum conſtruere, ac earundem petitiones cum febris genio conferre, opus exigit. Primo igitur ſiccam tuſſim expendimus, cujus conditiones varias adhuc medicationes exigunt ; ſiccas enim tuſſes, quas gelida borealis aura induxit, attenuantibus, ac demulcentibus auxiliis, quibus lymphæ aſperitas, & congelatio ſolvantur, facile curamus ; hunc ergo ſcopum ſequens, vel ſimilis mixtura ſæpe attigit.

℞. *Aqu. Hyſop. Scord. aa. unc. ij.*
Theriacal. unc. j.
Flor. Benzoin. drach ſem.
Balſam. Sulphur. aniſat. ſcrup. j.
Syrup. de Veronic. unc. j.
M. & cochleat. ſumat. in die.

9. Cum autem ſicca tuſſis in ardentibus febribus emergat, acrem certo lympham hujus occaſionem eſſe conjicimus ; has enim febres acris lues accendit, ut ſuo loco jam oſtendimus ; hæc ergo a circulanti ſanguine, in quo redundat, glandulis communicata, ac per tracheam emuncta, mordicanti aſperitate reſpirationis organa moleſtat, ſpirituſque, inibi operi ſervientes, ad moleſtantis eliminationem determinat, unde tuſſis oritur, quam tamen pauca, vel nulla excreatio ſubſequitur ; cum tenuis lympha ad ſolam tracheæ humectationem ſufficiat ; ideo docetur 4. *aph.* 54. *Quibus ſiccæ tuſſes leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum ſiti infeſtantur*. Sitis enim magna, quæ ardentes febres comitari ſolet, accedente tuſſi recedit ; cum lympha a tuſſi emuncta in faucium, & laryngis humectatione abſumatur, ſic febris ardens gulæ iſthmum adurere nequit. Tuſſis hujus fomes idem, quod febrem fovet, acre virus eſſe ſolet ; ideo hanc luem eliminare intereſt, methodo ipſa, quam ſuo loco de febribus expoſuimus ; tuſſim vero, ni valde moleſta ſit, compeſcendam non eſſe arbitramur, cum proficiat potius, quam officiat ; ſitim enim clamoſam, quæ ſymptoma ſævius eſt, omnino inhibet ; at cum Patientis impatientia ad lenitivum præſcribendum me cogat, unum, vel alterum ex ſequentibus exhibere inducor. *In febre ardenti.*

℞. *Aqu. Papaver. errat. Portulac. aa. unc. ij.*
Loboh. ſani unc ſem.
Syrup. Papav. errat. unc. ſem.
M. & cochleat. ſum. in febr. ardent.

vel ℞. *Aqu. Acetoſ. Plantag. aa. unc. ij.*
Cord. Saxon. frigid. unc. j.
Extract. Enul. campan. drac. j. ſem.
Sulphur. Antim. fixi Ludov. ſcrup. j.
Syrup. Corall. optim. unc. j.
M. det. ut ſupr. in ardent. febr. venefic.

10. In Coagulativis vero, in quibus lues acida luxuriat, non raro tuſſes ſic- *In febre coagulativa.*

ſiccæ inſpiciuntur; cum ſanguis in pulmonibus grumeſcens, ſegnius circulando, vaſorumque diametra plus æquo diſtendendo, naturalem pulmonum motum defatiget; ſicque reſpirationis negotium præpedit, ſpiritufque ad vehementiores impetus compellit, unde tuſſis, ſed ſicca procedit; quia congrumatus in pulmone ſanguis illorum impetus parum audit, & minus expulſiones patitur; ideo tuſſes iſtæ, cum nimis diuturnæ ſint, (ut ſæpe in quartanis contingunt) ſilente parum febre, hecticæ inſidias moliuntur. Ad has ergo domandas tuſſes, expoſita jam iſtarum febrium methodus æque ſufficit; cum in congrumatum ſanguinem ſolvendum, & attenuandum, apprime incumbat. Verum cum nimis moleſta hæc tuſſis ad aliquod auxilium deſcendere cogat; ſequentia, vel ſimilia, pro conditionibus præſcribi poſſunt.

℞. *Aqu. Hyſop. Fœnicul. aa. unc ij.*
Extract. Radic. Ireos drach. j.
Balſam ſulphur. aniſat drach. ſem.
Syrup de Nicotian. unc. j.
M. & cochleat ſum. in coagulat febr.

vel ℞. *Aqu. Scordii Scabioſ. aa. unc. ij.*
Sal. volatil oleoſ. drach. ſem.
Confect. Alcherm complet. drach. j.
Extract. Enul. campan. drach. j. ſem.
Syrup. Card. bened. unc. j.
M. & ſimilit. uter. in Coagul. venefic.

vel ℞. *Aqu Puleg. Scord. aa. unc. ij.*
Aſthmatic. optim. unc. j.
Extract. Ireos Helenii aa. ſcrup. j.
Spirit. Sal. Armon. aniſat. gut. xij.
Syrup. de cortic. Citri unc. j.
M. & in Quartana ſimilit. utere.

Tuſſis humidæ curatio. 11. Ad alteram, humidam nempe tuſſim deſcendimus, ipſamque in proprias differentias primo diſtinguimus; ſingulæ enim diſpares medendi methodos exigunt. Harum ergo varietates in Aquoſam, & Viſcidam, ac in Purulentam, & ſanguineam æque diſcriminantur, duæ vero ultimæ differentiæ ſequentibus capitibus reſervantur, priores nunc, Aquoſa nempe, & Viſcida, propriam ponderationem petunt. Aquoſas ergo tuſſes, quæ lymphæ copiam excernunt, illius redundantiam ante oculos ponere, omnes noſcunt; hæc, inquam, cum per faucium, & tracheæ, pulmonumque glandulas copioſius irrumpat, tuſſim aquoſam inducit, quæ tandem matureſcens, vulgo Catarrhi vocabulum audit. Hujus ergo curationem tunc aſſequimur, cum vel lymphæ hujus aquoſam cruditatem ad coctionem ducamus, vel ipſius redundantiam minuamus; ex his intentionibus unam magis opportunam ſeligere, vel utramque ad opus vocare, vitiatæ lymphæ modus æque docebit. Cum ergo ſuperfluam hujus copiam minuere oporteat, per ampliores minuſque incommodas vias hujus redundantiam, fluxumque reducere convenit, quem ſcopum tangimus, cum diaphoreſin, vel diureſin inſtituamus. *Lymphæ copiam minuere.* Hęc vero auxilia, cum alibi ſatis, & pręcipue in febrium curationibus expoſita ſint; ac item quando, & quomodo juxta febris circumſtantias, utiliter illis uti conveniat; ideo eadem hic adhuc recolere, non eſt opus. His ergo remediis imminuta lymphæ copia, ſuperſtes ſi adſit, tenuique adhuc aquoſitate peccans, vel ad exiccationem, vel ad coctionem ducatur; ad quos fines ſequentia perducunt.

℞. *Aqu. Millefol. Tormentill. aa. unc. ij.*
Terr. ſigillat. optim. drach. j.
Extract. Tormentill. ſcrup. ij.
Tinctur. Roſ. rubrar. drach. iij.
Syrup. Myrtill. unc. j. ſem.
M. & cochleat. utat. per dies aliquot.

poſtea ℞. *Extract. Tormentill. Helenii aa drach j.*
Flor. Benzoi. Boli armen. aa ſcrup. ij.
Syrup. de Roſ. ſicc. q. ſ. ut f. Opiat.
Doſ. drach. ſem. mane, & veſper. hor. ij ant. cibum.

12. Cum vero acrem lympham demulcere conveniat, ſequentia opportuna eſſe poſſunt. *Acrem lympham mulcere.*

℞. *Aqu. Portulac. plantag. aa. unc. ij.*
Tragacanth. in aqu. Roſar. ſolut drac. j. ſem.
Spermat. Ceti non rancid. ſcrup. ij.
Nitri corallat. drach. ſem.
Syrup. Papav. errat. unc. j. ſem.
M. & cochleat. tota in die ſum.

vel ℞. *Aqu. Papav. errat. Portulac. aa. unc. ij.*
Succh. Liquirit. inſpiſſat.
Gumm. Tragacanth. amb. in aqu. ſolut. aa. drach. ij.
Extract. Croc. orient. gr. vj.

Sacchar. Radic. Althea unc. j.
M. & ſimilit. ſumat.
vel ℞. *Ol. Amygd. dulc. recent. unc. ij.*
Man. Chriſti perlat. unc. ſem.
Syrup. Violar. unc. j. ſem.
M. probe donec albeſcat mixtura.
Qua pro lambitiv. utatur.

Item veſperi hora ſaltem ante brevem cœnam *Pilul. de Cynogloſſ. drach. j.* exhiberi debet, ac pro lymphæ pertinacia, febriſque conditione in his auxiliis diebus aliquot inſiſtere convenit.

Viſcidam attenuare. 13. Cum denique nimium viſcida lympha ſit, & cum majori tuſſiendi conatu minor excreatio comperiatur; tunc attenuantibus auxiliis uti expedit, quorum particulis alkalinis fixis, ac volatilibus lenta ſuccorum tenacitas diſſolvi poteſt, in hunc ſcopum ſequentia conſpirant, videlicet:

℞. *Aqu. Fœnicul. Veronic. aa. unc. ij.*
Expectorant. noſtræ unc. j.
Extract. radic. Ireos drach. ſem.
Oxymell. ſcyllit. unc. ſem.
Syrup. Nicotian. unc. j.
M. cochlet. tota in die ſumat.

Aquam Expectorantem ſequenti modo confectam volumus.

℞. *Rad. Enul. campan. Iridis floren. aa. unc. vj.*
Fol. Botryd. Betonic. aa. manip. iij.
Semin. Aniſ. Fœnicul. aa. unc. j.
Fruct. Cardam. Cubebar. aa. un. j. ſem.
Contuſ. omnib. per ſe, affund.
Aqu. Scabioſ. Ser. Caprill. deſtill. aa. lib. iv.
Spirit. Vin. rectific. lib. ij.
Diger. 2. diebus, poſt. per MB. deſtill.

Hæc aqua in viſcida pulmonum illuvie quæ expectorationem petat, nulli ſecunda ſemper comperta fuit, cum per ſe ſola, & cum aliis appropriatis ſociata, me nunquam fraudaverit. Doſ. hujus ad unc. j.

Stomachicæ tuſſis curatio. 14. Tuſſis demum, quam a materiæ ſcatebra ſtomachalem diximus, differentem a cæteris curationem petit. Primo igitur ventriculum expiare, illius ſarcina, quæ tuſſim fovet, ſuadere poteſt, & hoc munus appropriatum emeticum abſolvit; ideo pro febris indole, ſi adſit, cum coagulativa ſit *Tartar. Emet.*, ſi vero colliquativa *Oxyſacch. vomitiv.* propinare eſt opus, ut majori malo minoris remedium conformetur; cum a ſingulis dictarum febrium curationibus diſcedere, hoc tuſſis genus non exigat. Poſt repetitum emeticum, ſi repeti expetatur, quod ſæpius tuſſim omnino abſolviſſe inſpeximus, niſi febris obſtet, (ſæpius enim ſine febre hæc tuſſes vagare ſolent) ad ſtomachi tonum ſervandum, & ne lues iterum inficiat, roborandum, ſequentibus auxiliis uti expedit.

℞. *Aqu. Menth. Betonic. aa. unc. ij.*
Sal. eſſential. Abſinth. ſcrup. j.
Stomachic. Ludovic. ſcrup. ſem.
Syrup. de Meliſſ. compoſ. noſtri unc. j.
M. & cochleat. tota in die utat.

Quod ſi adhuc irritatio pertinax (quod raro contigiſſe vidimus) tuſſiendi conatus prorogare videatur; tunc pro urgentiori conditione, vel Emeticum repetere, vel catharticum proprium ſeligere, & propinare convenit; poſtea compeſcens, & roborans auxilium præſcribatur, in qua urgentia ſequenti ſæpius utor.

℞. *Balſam. Sulphur. aniſat. drach. j.*
Tinctur. Abſinth ſcrup. j. ſem.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xx.
Syrup. Maſtichin. Gruling. unc. j.
M. & ſimiliter cochleat. utito.

Syrupus Maſtichinus Grulingii ſequenti modo fit.

℞. *Maſtich. alb. elect. unc. iij.*
Aqu. Menth. unc. viij.
Roſar. unc. vj.
Vin. alb. generoſ. unc. ij.
Sachar. lib. j. f. l. a. ſyrup.

15. Cæteræ demum tuſſes ſine febre vexantes, ex hactenus dictis, facile curari poſſunt; verum ut Junioribus ſaltem gratum opus exhibeamus, ſequentem remediorum appendicem pro coronide apponimus, ut pro tuſſium diverſitate prompta hic auxilia memorari, & ſeligere, quiſque poſſit; primo igitur ſunt. *Remediorum appendix.*

Aq. deſtill. plures, ut Aqu. Fœnicul. Enul. Campan. Lilior. albor. Hyſopi. Tuſſillagin. Veronic. &c. ſic compoſit. plures, ut Pectoral. Batei, Charraz. &c.

Item Balſam. ſulphur. & aniſat. &c. Balſam. Regul. antim. Peruvian. Tolutan. &c.

Item Conſervæ plurimæ ut Roſar. Anthoſ. Betonic. Lilior. alb. & convall. Men-

Menthæ, Papav. errat. Scabioſ. Tuſſil-lag. Violar. &c.

Item Decocta plurima, & in ſpecie Decoct. Pectoral. in Theſaur. pharmac. Hoffmann. ſect. 6. n. 2. uſque ad n. 12.

Item Extracta, ut extract. rad. Angelic. Croc. orient. Enul. camp. Farfar. rad. Ireos.

Liquirit. Menth. Myrrhæ, Papav. errat. Scabioſ. &c.

Flores, ut flor. Benzoi. flor. Sulphur. vitriolat. ut & Lac Sulphur. &c.

Lohoch, ut de Farfar. de Papaver. Paſſulat. &c.

Laudanum, ut Quercetan. laud. Cydoniat. laud. liquid. tartariſ. Batei &c.

Liquores varii, ut liquor de Pomis, de Raphan. de Rapis cum ſacchar. ſtrat. ſuper ſtrat. parat. liquor Milleped. Williſii &c.

Olea, ut Aniſi, Fœnicul. ol. Sacchar. ol. Sulphur. ol. Seſam. &c.

Pilulæ ad tuſſim Dolei, Catarrhal. Batei, de Styrac. Schroder. pilul. ad fluxion. nocturn. Cnoffel. de Cynogloſſ. commun. &c.

Syruppi plures, ut Capill. Veneris, de Hyſop. de Jujub. de Nicotian. Violar. ſimpl. & compoſit. Cnoffel. de Eryſim. Lobelii, Catarrhal. Vvitzelii, &c. Hæc demum pro vulgari tuſſi, cum febre, & ſine ipſa invadente, ſatis eſſe poſſunt; nunc ad alteram, *quæ craſſum vomit ore cruorem*, ſeu ad tuſſim ſanguineam accedimus.

CAP. VIII.

De Hæmoptyſi.

1. SAnguinis cum tuſſi, vel ſine ipſa e faucibus excreatio Hæmoptyſis a Priſcis dicta fuit, horrida quidem primi intuitus affectio, non ſemper tamen infauſta, ut ſuo loco explicabitur. Affectus hic non ab omni ſanguinis expuitione deſcribitur, (cum ex gingivis eroſis, ac ex narium hæmorrhagiis, ſimilibuſque ori propinquis locis ſanguinis multam expuitionem dimanare contingat) ſed copioſæ meri ſanguinis vomitiones, vel ſaltem excreationes plurimæ, cum tuſſi, vel ſine ipſa emergentes, hæmoptyſin conſtituunt. Hæc item affectio, ob diverſas origines unde ſcatet, diſparem apparatum oſtentare, ſicque abditum ſæpe caput occultare ſolet; nunc enim ex arteriæ ramulis, qui tracheam circumeunt, nunc ex pulmonum ſanguiferis ductibus, modo ex thoracis vaſibus, demumque ex diſciſſis ventriculi venis erumpere ſueſcit; inſuper ex quavis etiam origine ſcateat, differentem adhuc conditionem oſtendit, cum nempe vel ex magno ductu, vel ex capillari diſcedat, aut ex arteriis, vel ex venis erumpat, aut cum febre, vel ſine ipſa emergat; hæc, inquam, varietates differentes adhuc hæmoptyſes exponunt; ad has ergo ambiguas vias diagnoſtico greſſu luſtrandas nunc accedimus.

Deſcriptio.

Diviſio.

2. Quam obvii etiam oculis hæmoptyſeos effectus oſtenduntur, tam abditæ illorum origines occluſis latebris abſconduntur; tot enim in thorace, & ſtomacho ſimiles ſanguinis alveoli multiplicantur, ut ex quonam, & ex qua parte hoc fluidum erumpat, certis ſignis detegere, hactenus non contigit, vulgares enim conjecturas diu decepiſſe dijudico. Equidem, quæ indicia vel ex craſſo, vel ex rorido, ſpumantique ſanguine communi placito deducuntur, ut craſſum ex thorace, aut ventriculo, ſpumeſcens vero ex pulmone diſcedere credant, quam fallacia ſint, *celebris Loverii* anatomicæ inſpectiones convincunt; cum ex pulmonis arteria, quæ a corde exit, craſſum ſemper effluere ſanguinem pluries inſpexiſſet, quia floridus, & ſpumeſcens in pulmonibus non evadit; niſi alteram arterioſam venam ingrediendo, cum aere ſociatus, ſimul ferveat, & rareſiat, ut *lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. expoſuimus; adeoque craſſus etiam ex eodem pulmonis ductu erumpere ſanguis debet, ut etiam infra ex noſtra inſpectione notum erit. Item quod craſſus ſanguis ex thorace, vel ſtomacho ſemper diſcedere debeat, minus certum eſſe videtur; cum in ipſis arteriæ plurimæ ſint, ex quorum fractura ſpumoſum (niſi decumbendo flacceſcat) roridumque ſanguinem emanare, neceſſum ſit, qui cum cito (ut ſæpe contingit) vel œſophagum ex ventriculo, vel pulmones ex thorace ſubeat, ſpume-

Vulgata diagnoſis examinatur.

meſcens adhuc rejectari debet; quamobrem & ex pulmone craſſus, & ex thorace, aut ventriculo roridus ſanguis per os effundi poteſt. Alterum pariter vulgare indicium, quod ſine tuſſi rejectus ſanguis non ex pulmone, ſed ex ventriculo procedat, ſæpe adhuc fallax detectum eſt; hoc etiam nobis anatomica inſpectio demonſtravit. Juvenem enim vidimus tantam craſſi ſanguinis copiam abſque ulla tuſſi per fauces ejicere, ut vulgatis ſignis inhærens, ex ventriculo per œſophagum erumpere, certo crediderim, & ab hoc ſanguinis impetu, nullis juvantibus auxiliis, ſuffocatus deceſſit; hujus ergo viſcera, cum inſpicere obtinuiſſem, aperto cadavere, ad thoracem primo ſcrutandum acceſſimus, ac ſtatim dexterum pulmonis lobum nigricanti ſanguine tumidum offendimus, detectoque arteriæ trunco, quatuor digitis a corde, magna fractura laceratum vidimus, a qua ſcaturigine lethalis hæmoptyſis manavit. Quamobrem concludendum eſt, quod non ſemper ex pulmone rejectum ſanguinem tuſſis neceſſario conſequitur, nec ſemper ſpumeſcens ab hoc viſcere depromitur; nec denique craſſus ſemper a thorace, vel ſtomacho dimanat; quæ certo nos inſtruunt, vulgatis hiſce ſignis fidere minime poſſe; ideo quæ indicia tutiora mihi viſa ſunt, ſequentia extant.

Signa tutiora. 3. Differentes hæmoptyſeos conditiones ſanguinis hujus ſcatebram revelare poſſunt, dummodo a tutis experimentis peritus indagator non diſcedat. Primo itaque ſi cum tuſſi magna, ac frequenter concitata, fortique pectoris niſu ſanguis rejectatur, ex ima thoracis vel pulmonum parte manare; & pro illius quantitate majorem, minoremve ductum exeſum innuere; ac tandem ex tenuitate, vel craſſitie arteriam, aut venam dilaceratam eſſe, tuto coniicimus; excipe tamen pneumaticam arteriam, quæ craſſum, & venalem ſanguinem ducit, ut experimenta demonſtrant; ſic pariter cum arterioſus ſanguis cito non expuatur, ſed vel in ſtomacho, vel in thorace, vel in pulmonum lobis diu decumbat, quod a magno, frequentique tuſſiendi conatu ſæpius indicatur, tunc non ut arterioſus, & tenuis, ſed ut venoſus, & craſſus rejectatur. Dolor item pectoris tuſſientis, a thorace potius, quam a pulmone ſanguinem diſcedere innuit; pulmo enim cum minime ſentiat, doloris morſus parum audit, quibus nervoſus undique thorax facile ſubjacet. Ex pulmone item, vel ex pectore interdum ſine tuſſi per fauces ejectari ſanguis poteſt, maxime cum tanta ſit illius copia, tantuſque ſpirituum impetus, ut non irritationem, ſed ſuffocationem potius miniretur, unde tuſſiendi, ac reſpirandi morula præpediatur; ſimiliter per œſophagum abſque tuſſi ſanguinis vomitus ex ventriculo tunc erumpit, cum pneumatica organa non faſtidiet. Denique cum lenis, & ſine pectoris conatu, paucum ſanguinem tuſſis excreare videatur, tunc ex tracheę vaſculis manare, non ambigitur; qui vero ſine ulla tuſſi expuitur, ex faucium iſthmo procedere, ut plurimum ſolet, quæ ſimplex expuitio ad hæmoptyſin non pertinet. Hæc ergo ſigna ſunt, quæ in abditis hiſce ſcatebris tutius conjicere licuit, quæ tamen ut recte dignoſcantur, una cum cauſis nunc exponendis, æque conferre intereſt.

Cauſarum indago. 4. Potiſſimam hæmoptyſeos cauſam violentum ſpiritus impetum eſſe, affatim ſuademur; mos enim illius eſt, cum vehementer concitetur, propria vaſorum clauſtra effringere, vel ſaltem ex capillaribus vaſculis ſanguinem impetuoſius explodere, ut repentinæ hæmorrhagiæ a vehementi paſſione inductæ paſſim oſtendunt. Non enim ſolus eſt nobilis ille Aulicus, de quo refert *Galenus*, *quod iracundia quoties excandeſcebat, toties hæmorrhagiam patiebatur periculoſam*; cum plures huic ſimiles Practicorum obſervationes deſcribant; pluresque & nobis jam vidiſſe contigit, quorum alios hæmorrhoidum alios narium ſanguinem effundiſſe inviſimus; nec minus mulieres vidimus, poſt vehementes animi motus extemporanea, & contumacia menſtrua perpeti; imo & hæmopthyſes in nonullis a vario pathemate concitatas non ſemel obſervavimus; ex quibus æque notis alta mentis reflexio ſuggeſſit, quod has, & ſimiles ſanguinis eruptiones immediate, ac proprie ab exploſi-

vo

vo ſpirituum niſu promanare certo debeant. Plurimum item hujus notioni etiam confert, quod ſicut in acutis morbis judicandis, intimus hic conatus critico ſæpe impetu venas, vel potius arterias aperit, (ut Narium, Hæmorrhoidum, ac Uteri criticæ hæmorrhagiæ teſtantur) ita etiam in caſu noſtro qualibet occaſione concitatus ſpiritus propria clauſtra irrumpere potis ſit. Profecto cum deceſſerit Enormon, in ipſo cadavere nulla quidem, ex tot inventis cauſis, ſanguinis vaſa ſcindere ultra valet; quod ſi aliquando Interfecti corpus coram Interfectore ſanguinem e vulnere miſiſſe obſervatum fuit, hoc naturæ portentum non niſi ab enormonticis reliquiis, non penitus adhuc extinctis, certo manavit, ſicuti reſaltus detruncati jam capitis ab extremo ſpirituum conatu ducuntur. Concludamus igitur, quod idem ſanguinis motor, quavis occaſione commotus proprios alveos irrumpere, propriumque fluidum effundere, ſæpe ſueſcat; quæ certo potiſſima hæmoptyſeos cauſa eſt; proximæ tamen occaſiones nonnullæ ſimul concurrere poſſunt, quas expendere nunc accedimus.

Acidi fomes. 5. Intimi ergo fomites duo præcipue culpantur, Acidum nempe figens, & Acre virus diſſolvens, quæ cum ſanguinem invadant, pro utriuſque poſſe, propriam in ipſo violentiam exerunt, de utroque nunc ſermo eſt. Et primo Acidi virus, cum in ſanguine vigeat, ſicuti ipſius fluorem adimere, ſeu illius minimas particulas in majores moleculas excreſcere cogit, ita grumeſcentibus hiſce repagulis capillares arterias, per quas excurrere nequeunt, infarcire ſueſcunt; vaſorum ergo infarctus iſte, quia æqualem ſanguinis circuitum præpedit, ſpirituum impulſus, qui undique liberum tranſitum exquirit, ubi anguſtantur alveoli, proprio elatere ducti, fortius expanduntur; unde ab reſiſtenti obice, & ob vehementiorem impetum capillarium ora plus æquo dilatata, majorem ſanguinis copiam, quam a venis revehi poſſit, effundere coguntur; ſicque ubi hæc major extravaſio contigit, ibi vel pleuritis, vel pneumonia, vel angina, vel phrenitis, vel aliæ ſimiles inflammationes emergunt; cum autem in thorace, vel in pulmonum ductibus iſtud congrumati ſanguinis obſtaculum, ſpirituumque impetus ſimul concurrant illic hæmoptyſes oriri neceſſum eſt.

6. Altera intima occaſio Acre diſſolvens eſt, cujus virulentia ſanguinis particulas atterit ita, & comminuit, ut naturalem illarum nexum, & texturam diſſolvat, unde concitati ſpiritus, & ob laxatas particularum reſiſtentias, quaſi effrænes ducti, attenuatum, ac fluidiorem ſanguinem per capillaria vaſorum oſcula impetuoſius erumpere cogunt; hæc ergo in hac linea effuſiones, cum in ſuperiori ventre contingant, inter alios effectus hæmoptyſes inducunt; cum vero in infimo, dyſenterias colliquativas, ſimileſque morbos inducunt. Hæc nobis, pro captu noſtro tuta ſententia videtur; quod vero ab acribus, corroſiviſque in maſſa dominantibus particulis non dum ſanguinis attritionem, ſed vaſorum etiam corroſionem, & ſciſſionem, ut dicunt, effici poſſe cenſeant, ſatis deprehendere neſcio; noſco quidem in hoc caſu, quod acres particulæ, in ſanguine exaltatæ, arteriarum oſcula ita vellicare poſſint, ut copioſius debito ſanguinem effundant, ſicque ſpirituum impetum ſimul coadjuvent; ſed quod arterias, triplici tunica munitas, corrodere, ac ſcindere poſſint, percipere nequeo, non enim tam corroſivus ſanguis evadere poteſt, ut vaſorum parietes exedat, & pejora mala, gravioreſque pernicies non inducat, cum non abſque propero exitio hæc ſanguinis depravatio contingeret; hanc certo in peſtiferis colliquativis febribus inevitabilis mortis cauſam eſſe ſuademur; venenum enim, non vitæ nutrimentum, cum corroſivus evadat, ſanguis erit. Veriſimilius ergo eſt, quaslibet hæmorrhagias, ab intima vi ortas, ex concitato ſpirituum impetu primario procedere; ſæpe tamen ex propria thymoſi, ſæpiuſque ab inſenſo fomite concitatur; ac ſæpe adhuc ab externa occaſione hæmoptyſes oriri ſolent, quarum præcipuas nunc ſaltem innuere convenit.

Acris fomes

7. Plurimæ item hujus affectus prophaſes contingere ſæpe ſolent, quæ violenter ſanguinis vaſa infringunt, vel eorun-

Prophaſes cauſæ.

rundem oſcula plus æquo dilatant, ita ut vehentia, & revehentia vaſcula æquilibrium non ſervent; ſicque cum ſanguis in ſuperiori ventre ſtagnare cogatur, promptum hæmoptyſeos apparatum præparat, ocyter a concitato ſpiritu eliminandum. Inter has ergo prophaſes præcipuæ ſunt, 1. vaſorum fractura a quovis violento caſu inducta, ut a prolapſu ab alto, vel a gravi contuſione, item a contumaci tuſſiendi conatu, vel a vehementi vociferatione, ſic etiam ex nimia venere, nimiave coacta chorea, ſimilique excedenti labore, hæmoptyſes plurimæ inductæ in practicorum obſervationibus paſſim perleguntur. Nec minus in hac linea periculoſum ſex rerum non naturalium abuſum eſſe, experientia docuit, & primo Aeris venenata effluvia hæmoptyſes varias induxiſſe, *Paracelſus tract. de peſt. cap.* 2. notavit; in aere enim aliquando corroſivi ſales vagare ſolent (ut in peſtilentiis noſcitur) quibus inſpiratis, pulmonum eroſiones, & inde ſanguinis vomitus facilitantur, hoſce caſus oſtendunt illi, qui corroſivos ſpiritus incaute deſtillando, in hæmoptyſes inciderunt; ſic pariter nimis æſtuans, nimiſve gelidus aer, huic morbo fomites tribuunt. Ex nimio item ciborum acrium, potuſque vini generoſioris abuſu periculoſas hæmoptyſes contigiſſe, obſervatum eſt, caſus hujuſmodi plures in Practicorum obſervationibus extant. Sic pariter excernenda retenta innumeras hæmoptyſes produxiſſe, Medentum acta teſtantur; ſic in excretis errores morbum hunc gignere poſſunt; vidimus enim nobilem Juvenem, veneri deditum, poſt quintum in die coitum, periculoſa hæmoptyſi vexatum, a qua non ſine labore liberatum tandem vidimus. Animi demum paſſiones, maxime iraſcibiles, quam facile hunc morbum concitaſſent Periti plures deſcribunt; ſpiritus enim excandeſcentes ſanguinis effuſiones cum impetu ſæpe propellunt; hæc demum præcipuæ affectus hujus occaſiones: quas evitare Diætæ adhuc inſervit.

Prognoſis 8. Prognoſin vero inſequendo, varii ſæpe hujus morbi eventus hinc inde occurrunt, cum aliquando ad ſalutem, & ſæpius ad exitium patientes duxiſſe, obſervatum ſit. Salubres interdum fuiſſe, non pauca experimenta demonſtrant; cum ſæpe critico quaſi motu emerſiſſe, vitamque ad ſenectam, & ultra produxiſſe, compertum fuerit; ſic non unicus in hiſtoriis extat Voluſius Saturninus, quem ſingulis annis ſtato tempore ſanguinis copiam expuiſſe, ac nonagenarius tandem occubuiſſe, *Plinius lib.* 11. *cap.* 38. refert; plures etiam ſimiles caſus memorant Medicorum obſervationes; ac aliquos & nos vidimus, qui periodicas hæmoptyſes patiebantur, & inde ſalubrem vitam diu perduxerunt. Veruntamen etſi aliquando ſalutem, ſæpius tamen hic morbus mortem induxit; cum ipſa medicatrix Natura miraculoſas haſce medelas promittere ſemper nequeat, quia ſæpe ſpirituum impetus ſine fræno præcipitare, ſæpeque occaſio pertinax naturæ molimina pervertere ſolent, ideo nec ipſo ſilenti morbo fidendum eſt, cum ſæpe lethales affectus poſt ſe reliquiſſe obſervatum ſit. Quas ergo plus minuſve periculoſas denunciare deceat, Patientum conditiones primo ſuadebunt; qui enim hæreditaria pulmonum labe inficiuntur; aut qui cacheticam vitam ducunt, facile quidem ſub hoc affectu ſuccumbunt; Mulieres vero præ Viris, niſi menſium diverſione ſubleventur, citius pereunt. Quæ demum hæmoptyſes a ventriculo, vel thorace promanant, minus exitioſæ ſunt, quam quæ a pulmonibus erumpunt, difficilius enim pulmonum eroſiones conſolidari ſinunt, ideo ad phthiſes ut plurimum effectus iſti propendunt. Periculoſius item eſt arteriæ, quam venæ in hoc affectu delictum, iſtæ enim præ illis facilius conſolidantur. Item nimia ſanguinis rejectio gravior ſemper eſt, quam ſimplex expuitio, cum non raro ſuffocationem minitetur. Si demum cum febri hoc ſymptoma emergat, malum omen portendere 7. *aph.* 38. denunciatur.

Curatio 9. Hæmoptyſeos curatio difficilis non raro eſt, imo & impoſſibilis, ſi venæ, & maxime arteriæ truncus diſciſſus ſit; cum hæc fractura nec remediis parere, nec vitam prorogari ſinat; caſum talem, ſub celebri Malpighio inviſam, adhuc memoror. Juvenem inevi-

inevitabili ſuffocatione interemptum vidimus; vomitus enim, ab ebrietate concitatus, magnam pulmonis arteriam (ut ex cadaveris ſectione innotuit) confregit, ex cujus profuſione intra ſex horas, omnibus ſpretis auxiliis, a ſanguinis vomitu ſuffocatus obiit. In his ergo caſibus prognoſtico primum, & inde curatione uti, fas eſt, quæ cum inutilis evadat, medentis conatus diffamare non poſſit. Ad hoc opus igitur repetitis venæ ſectionibus, & ſtypticis validis, & adhuc narcoticis interdum uti expedit; cauta manu tamen, cum non raro remedia iſta plus quam morbus noceant. Cum itaque appropriatis auxiliis hæmoptyſis parere poſſe conjiciatur, tunc juxta occaſionum varietates, methodos ſequentes inſtituere, eſt opus.

Methodus propria. 10. Primo cum in febre coagulativa, ut aliquando contingit, ſymptoma iſtud emergat, a febris curativa methodo non parum diſcedere convenit. Quia licet congrumatus ſanguis vaſorum dilatationi, & inde illius effuſioni occaſionem dediſſet, non ideo diſſolventibus, a febris fomite indicatis, quia ſymptomati noxiis inſiſtere; nec ſtyptica, & conglutinantia, hæmoptyſi debita, febri vero nocentia, ſine cauto delectu præſcribere, æquum eſſet. *In febre coagulativa.* Quare inter Scyllam, & Charybdim tutius medium ſeligere intereſt; ideo primum ſanguinis miſſionem, quæ ad utriuſque levamen æque conducit, celebrare, ac pro exigentia repetere, urgens neceſſitas docet. Poſt ipſam, & cum ipſa ſimul ſequentes mixturas, quæ febri, ac ſymptomati conferre poſſunt præſcribere ſoleo.

℞. *Aqu. Plantag. Millefol. aa. unc. ij.*
Succ. concret. Heder. terreſt. Millefol. aa. ſcrup. j.
Tinct. lapid. Hæmatit. Drach. ſem.
Syrup. de Symphit. Fernel. unc. j.
M. & cochleat. intra horam ſumat.

vel ℞. *Aqu. Portulac. Plantag. aa. un. ij.*
Extract. Symphit. major. ſcrup. j.
Terræ ſigillat. drach. ſem.
Magiſter. ſolubil. Corall.
Solubil. Ocul. Cancr. aa. ſcrup. ij.
Syrup. Myrtillor. unc. j. ſem. M. &c.

vel Opiat. ℞. *Conſerv. Roſ. rubr. veter.*
Heder. terreſtr. aa. unc. ij.
Lap. Hæmatit. pp. drach. j.
Trochiſc. de Carab. recent.
Sangu. Dracon. aa ſcrup. ij.
M. f. Opiat. cujus Doſ. drach. iij.
Ter, vel quater. in die ſumend.

Cum vero urgentior neceſſitas efficacius adhuc expetat auxilium, ſequenti ut plurimum utor videlicet.

℞. *Aceti deſtillat. unc. ſem.*
Succ. Urtic. major.
Symphit. major. aa. unc. ij.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xv.
M. pro uno hauſtu integr. ſumend.

In febre colliquativa. 11. In colliquativa febre non raro etiam Hæmoptyſes emergunt, cum ab Acribus in ſanguine vigentibus illius textura invertatur, & in aqueum fluorem attenuetur; ideo per arteriarum oſcula ſpiritus concitati proprium fluidum fortius impellunt, ſicque fit via vi, ac plus æquo dilatatis alveolis, copioſior ſanguis effunditur, quam venæ reducere poſſint. Unde ſtagnans hinc inde ſanguis, per proximiorem aditum propellitur, & ſic vel dyſenteriæ, vel hęmoptyſes, aut hæmorrhagiæ in hac febre facile inſurgunt. Sed ad noſtra pomæria revertendo, hujus affectus curatio ab ipſa febris curativa methodo non nimium deviare nos cogit; cum colliquativæ febris remedia, proprio capite jam expoſita, etiam ſymptomati huic non indirecte proſpiciant; ſanguinis enim conſiſtentiam firmare, nimiumque ſpirituum impetum compeſcere, æque reſpiciunt, quæ indicationes curativæ, ad utriuſque opem ſimul conſpirant. Quæ vero pro vehementi ſymptomate moderando opportuna eſſe poſſunt, ſequentia ſunt, videlicet.

℞. *Aqu. de ſucc. Plantag. unc. ij.*
Sulphur. Antimon. fixi Ludov. ſcrup. j.
Extract. radic. Tormentill. ſcrup. ij.
Tinctur. Lapid. Hæmatit. drach. ſem.
Syrup. Myrtillor. unc. j.
M. & cochleat. ſæpe utatur.

vel in forma boli ℞. *Sulphur. Antim. fixi Ludov. ſcrup. j.*
Terr. ſigillat. optim. drach. ſem.
Trochiſc. de Carab. ſcrup. ij.
Conſerv. Heder. terreſtr. q. ſ.
ut f. Opiata cujus doſ. drach. ij.

In caſu graviſſimo. 12. Cum autem contumax, nimiaque ſanguinis profuſio, ne vitæ aleam ludat, extrema remedia petere videatur;

tur; tunc primo Epithem. ex aceto roſac. & ſucco plantagin. confectioneque Hyacinth. mixtis, cordis regionem madefacere; pariterque cum eodem aceto ſucco ſemperviv. major., & nitro in iiſdem ſoluto lintea madefacta teſtibus apponere; ſupra pedes cucurbitulas ſiccas applicare; imo ſi vires præſentes ſaltem non prohibeant, & febris, ac ſymptomatis pertinacia phlebotomiam repetere ſuadeant ipſam iterare peritus non ambigat, ne ſub indomito ſymptomate vita ſuccumbat; debilitare potius, quam vitam perdere intereſt, cum vires reficere poſſit, vitam vero reſtituere, Medicina nequeat. Interim ſequens mixtura exhibeatur.

℞. *Succ. Urticæ depur. unc. iij.*
Lapid. Hæmatit. præp. drach. ſem.
Laudan. Cydon. liquid. gut. xij.
Spirit. Vitriol. optim. gut. xv.
M. & uno hauſt. propin.

vel cum Narcoticis uti vitæ pericula cogant, ſequens proficua ſæpe fuit.

℞. *Succ. Urtic. depurat. unc. iv.*
Hyoſciam. unc j.
Spirit. Vitriol. optim. gut. xv.
M. & ſumat ut ſupra.

Ex his demum auxiliis quælibet Hæmoptyſis, etiam ſine febre, curationis leges deſumere æque poteſt; at quia non pauca ſuperſunt auxilia, quæ ad hoc opus adhuc & ad varias intentiones opportuna eſſe poſſunt; ideo ut Junioribus ſaltem Artis divitiæ innoteſcant, in ſequenti Appendice hujus ſcrinii remedia, prout memoria dictavit, ante oculos ponimus.

APPENDIX.

Aceta varia ad hunc uſum internum, & externum apta.
Balſamum ſulphur. terebinthin. & aniſat. item Balſam. ex terebinth. Anglorum.
Bolus armen. ſimplex, & præparata cum decocto adſtringenti; item illius magiſterium.
Croci oriental. Extract. & Tinctur. Item Crocus Martis adſtring.
Conſervæ plures, ut Roſar. antiqu. & vitriolat. Conſerv. flor. Balauſtr. flor. Conſolid. major. conſerv. Heder. terreſtr.
Cydoniorum præparationes, ut Diacydon. Actuarii adſtring. & Montani expectorans.
Extracta plurima, ut Extr. Hyperic. Symphit. Papav. errat. Tormentill. &c.
Lapis hæmatites ſpecificum hæmoptyſ. remedium eſt, tam præparatus, quam ejus Tinctura præparata nempe ſequenti modo.

Lapid. Hæmatit. ſubtiliſſ. pulveriſ. q. v.
Extract. Croc. orient. q. ſ. ad humectat.
Mixtura exiccet. & ad uſum ſervetur.

Tinctura vero ſic confici debet.

℞. *Mixtur. ſupradict. q. v. cum ſpirit. vitriol. noſtro ſatis exaltet. tandem cum ſpirit. Vin. l. a. extrahatur Tinctura, quæ in hoc caſu vires incomparabiles poſſidet.*

Linctus Hæmoptoic. Batei.
Liquor ſtypticus ex terra Martis paratus.
Laudani omnes, & in ſpecie Cydoniat.
Mixtur. ad vomitum ſanguin. Sylvii, altera Dolei.
Ol. Hyperic. deſtillat. Ol. Buxi narcotic.
Pilulæ de Cynogloſſ. de Styrace
Pulv. ſtyptic. Crollii. pulv. Hæmoptoic. Batei. pulv. ſympatetic. ad extra.
Requies Nicolai.
Sanguis Dracon. cum conſerv. roſ. vetuſta.
Semin. Hyoſciam. Papaver. albi
Specific. anodyn. Paracelſi. anodyn. Mercklini
Succi plures, ut Plantag. Portulac. Semperviv. Urtic. Hyoſciam. &c.
Sulphur. Antimon. fixat. & ſulphur. Vitriol. anodyn.
Syrup. Corall. Cydon. Granat. Myrtin. de ſymphit. &c.
Theriac. junior, Theriac. cæleſt. &c.
Terra Lemnia, Japponic. &c, & illarum præparat.
Tabell. hæmoptoic. Plateri, hæmoptoic. Batei &c.
Aliaque demum plura, quæ nunc memoriam effugiunt.

CA-

C A P. IX.

De Phthiſi Pulmonum.

1. GRæca Phthiſeos vox latine Tabem exprimit, morbum nempe, qui ad viventem ſceleton humanum corpus reducit; genericum tamen hoc vocabulum, quod plures viſcerum læſiones ambit, ad unicam nunc pulmonum labem determinare, præſens inquiſitio poſcit, cæterorum vero plura in capitis Appendice tangere ſaltem haud omiſimus. *Deſcribitur.* Morbus ergo iſte pulmonum ulcus eſt, a corroſiva lue inductum, cum matureſcit, ſanguinem ita devaſtat, ut haud vitæ pabulum, ſed venenum evadat; hinc corporis maciem attrahunt membra, unde nutritionem hauriebant; ſicque mortis fiſco vitam devolutam tradit, vitale nil aliud ſervans, niſi tot clades perferre, quot ſunt ſymptomata, quæ morbum hunc inſequuntur, ut reſpiratio difficilis, tuſſis purulenta, & ſanguinea, diaphoreſes deſperatæ, diarrhœæ colliquativæ, febres hecticæ continuæ, demumque maraſmus, quibus anguſtiis aura vitalis depreſſa, extemplo tandem evaneſcit. Hæc hujus horrifici affectus natura eſt; origines vero plurimas oſtentat; aliquando enim hæreditarius eſt, a Parentum ſemine prognatus; interdum ex infecti corporis expirato miaſmate inferitur; ſæpe poſt morbos aliquos, vel cum ipſis, repentinum caput attollit; nonnunquam ex febribus per metaſtaſim abſolutis inopinus emergit; & non raro tandem, nullo conſpirante morbo, nulloque ſeminio gliſcente, ex pulmonum atonia, acrique corroſiva lue ſenſim exurgere, obſervatur.

Differentiæ. 2. Tabis hujus Differentias plurimas Doctorum acta deſcribunt; nos vero proprias, ac indicationibus curativis opportunas, duas tantum præcipuas eſſe arbitramur. Aliæ nempe Phthiſes ſunt quæ brevem quaſi acutorum morborum ſtadium percurrere, ac difficillime a validis auxiliis detineri ſolent. Aliæ vero, quæ tarda diuturnitate Chronicorum morborum veſtigia premunt, nec renitentes, Artis habenas perſæpe audiunt. Illæ a maligno, ſordidoque pulmonum ulcere producuntur, quod invaſam partem ocyter depaſcit, ac proprio tabo ſanguinem inficit, & devaſtat; iſtæ vero a mitiori abſceſſu ſegniter matureſcente, vel a ſabuloſa congeſtione, ſimilive tartareo infarctu producuntur. Non enim pulmonum Tabes omnes a ſolo exedenti ulcere ortum habent; Celebris *Williſius* audiatur. *cap. 6. de Phthiſi pulmon. Plurium ab hoc morbo defunctorum cadavera aperui, in quibus pulmones ulcere quovis immunes, tuberculis, aut lapidibus, aut materia ſabuloſa per totum conſiti fuerunt.* quod idem & Alii plures inſpexerunt. Has ergo duas morbi hujus quaſi ſpecies diſcernere intereſt, ne curativa methodus confundatur; priores enim Tabes præcipiti curſu ad lethum ducere; alteræ vero ad annos etiam plurimos valetudinariam vitam producere ſolent. Cœteras tandem Differentias ab hujus morbi origine deductas in ſequenti cauſarum indagine dignoſcere quiſque poterit.

3. Diagnoſis vero tribus morbi hujus gradibus integre deſcribitur, Incipientis nempe, Matureſcentis, & Completi tandem, in quo diutine vitalis aura perſiſtere nequit. *Diagnoſis primi gradus.* Integrum autem hujuſce ſtadium tribus hecticæ gradibus æque, recteque menſuratur, cum ſine hujus febris ſequela propriam metam attingere Tabes nequeat. Primus igitur Incipientis greſſus inter ambiguitates perſæpe abſconditur, ac eaſdem, quas primus hecticæ gradus, difficultates involvit; ideo quæ ſigna data ſunt *lib. 2. cap. 8. de febr. hectic. num. 2.* ut obſcura illius dignotio detegatur, ad hujus etiam primordia revelanda, plurimum conferunt. Illis tamen ſignis adhuc ſequentes notas addere convenit; primo nempe quod Phthiſis incipiens tuſſiculam ſiccam, & diuturnam protrahit, quę in plurimis vomitionem aliquando poſt paſtum concitare ſolet; interdum etiam non ita ſicca eſt, ut ſaltem ex ſalivalibus glandulis, tonſilliſque lympham expreſſam non expuat; hęc vero ſic tandiu perdurat, quandiu tubercula (quę in hoc gradu per pulmones primo emergunt) adhuc cruda perſiſtant, quę ſenſim matureſcendo, re-

reſpirationem difficilem inducunt, tuſſim magis exaſperant, vireſque ſenſim deprimunt, ac poſt prandium tacitis febriculis aditum aperiunt; ſicque incipiens pulmonum labes ſenſim ad ſtadium deterius aſcendit; hæc autem ſigna Chronicam Phthiſim in ſuo exordio deſcribunt; Acuta vero iiſdem, ſed præcipiti celeritate ductis primordiis tragædiam ſuam incipere, ac ocyter abſolvere ſueſcit. *Secundi gradus.* Alter Phthiſeos gradus indicia clariora ex adaucto morbo oſtendit; tuſſis primo acerbior cruciat, quia pulmonum tubercula matureſcere incipiunt, ſic ob intimum tabum, non dum tuſſiendi conatus frequentiores, ſed & puris copioſi excreationem, & febrem hecticam manifeſtam inducunt, quæ ſæpe ſic accenditur, & duplicatur, ut Veteres febrium hecticæ, & putridæ, complicationes crediderint, quod placitum *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 15. obiter ventilatum fuit. Matureſcentia ergo tubercula dicta ſic tuſſim poſt prandium exaſperant, ut ſæpe vomitum concitent, & hinc everſo ſtomachi tono, anorexiam pertinacem non raro inducunt, quam ſæpe etiam edacitas inſatiabilis conſequitur; interim triſtitiæ, timoreſque, mortiſque pavores Patientis animum funeſtant, ac ſæpe ad impatientias, iracundiaſque frequentes ipſum adigunt. Corporis demum macies, ob nutritium ſuccum tabo infectum, per carnis muſculos male nutritos, ad maraſmum uſque progreditur. *Tertii gradus.* Tertius tandem gradus extrema, funeſtaque ſigna explicat; pulmonum enim ulcera tabo turgida tuſſim moleſtam frequentare cogunt, quæ crebro materiam craſſam, fætidam, ſæpeque cruentam, cum reſpirationis anguſtia, exonerare ſolet, ac reliquum tabum inter vaſorum interſtitia irrumpens, cum ſanguine inibi circumgyrante confunditur, cujus ſorde brevi greſſu tota maſſa inficitur; nec febris machina, quam inaniter concitati ſpiritus perennant, illius depurationem aſſequitur; cum ex marcido pulmone ſordidum fluentum perpetuo ſcateat, & in purulento ſanguine ſpirituum vigor langueſcat. Cruor interim vappeſcere incipit, nec ſolito rore corporis partes nutrit, unde macies in maraſmum tranſit, nec ſpiritibus reparandis materiam præbet; unde ſolito ſubſidio deſtitutum Enormon, ſanguiniſque ſordibus irritatum, marceſcentem fluidum in deſperatas diarrhæas, & diaphoreſes tandiu conſumit, donec vita repente diſpereat.

4. Perſpecta diagnoſi, proximas Tabis hujus Cauſas nunc inquiramus oportet. *Cauſarum indago.* Affectio hæc a pulmonum læſione primordium, & complementum deſumit, proxima enim morbi hujus cauſa pulmo ipſe vel fortiter infarctus, vel tabo infectus certo eſt; quomodo vero & a qua lue viſcus hoc marceſcere cogatur, nunc videbimus. Supponere prius intereſt; Pulmonum ſtructuram ex minutis veſſiculis ita compoſitam eſſe ut mutuo ſeſe communicantes a trachea uſque ad extremos ipſius lobos aerix aditum, & regreſſum aperiant; quæ patula via non aerix tantum, ſed & aliis extraneis patens perſæpe fuit, ut Medentum obſervationes docuere, & hinc pro invadentis vitio, differentes pulmonum labes emerſiſſe teſtantur; relictis vero cæteris, ab hac indagine alienis, quæ proprie viſcus hoc invadant, ac Tabem efficiant, exponere aggredimur. Et primo Lympha illa quę per tracheam ex glandulis, ad eandem humectandam, continuo exudat, ſi *Trachealis Lymphæ vitium.* quavis ex cauſa plus æquo ſoluta, copioſius nimis per ipſam exundet, ac niſi tuſſiendo integre purgetur, illius profuſa copia per pulmones dilabendo, vel ad infimas veſſiculas deſcendere, vel in mediis (ubi infarctæ ſint) ſubſidere cogitur; non enim ut aer, ex compreſſo pulmone, per tracheam omnino regredere, apta eſt, ut per ipſam concitatæ tuſſes oſtendunt; inibi ergo, ubi procubuit ſtagnando, cum acido figenti viru hęc lympha turgida fit, ſenſim exiccata, in tartarum, ac etiam calculos concreſcere ſolet; ſabuloſas enim in pulmone congeries Anatomici plures inſpexiſſe teſtantur, quę quomodocunque vel a dicta lympha intro genitę, vel ab extra hauſtæ, viſceris hujus infarctum, & inde Tabem, ſępe chronicam induxerunt. Cum autem acri corroſivo veneno infecta lympha illa ſit veſſiculas, ubi ſtagnat, propria virulentia corrodit, ſicque tubercula, &

inde

inde ulcera gignit, quæ ut plurimum acutam Phthiſin producunt, & hæc prima morbi hujus cauſa eſſe ſolet.

Seri ſanguinis culpa. 5. Altera item, & forſan frequentior, a Sero ſanguinis acri mordacitate, ſeu corroſivo viru prædito, ſæpius exoritur; ſerum enim, (quod proprie ſalium omnium, qui in ſanguine gliſcunt vehiculum eſſe noſcitur) hoc, inquam per pulmones cum tota maſſa circumiens, acri ſua lue illos inficere, maxime ſi aliqua imbecillitate laborent, aptum certo eſt. Circuit namque ſanguis per omnes animalis machinæ partes, ad illas nutriendas, & vivificandas; quod ſi aliquam luem ſecum deferat, cui alicujus viſceris atonia reſiſtere nequeat, propria ſorde viſcum illud ſenſim contaminat; ideo cum in caſu iſto malam pulmonum diatheſin ſæpius inveniat, parili modo, quo de lympha ſupra diximus, illos acri ſuo toxico primo inficit, ſenſimque corrodit, puſtulas gignit, tabumque propagat, tantamque purulentæ ſordis copiam adauget, ut continuum tuſſiendi, tabumque expuendi, fomitem perennet, donec putrida pulmonum fruſtula per os rejiciantur. Contra vero cum in ſanguine Acidum vehemens, figenti viru turgidum, redundet, tunc idem tartarum, quod acida lympha gignere diximus, in pulmonum veſſiculis circumgyrando relinquit; a cujus infarctu pulmones male affecti ad properam tabem, ut ſupra expoſuimus, diſponuntur. Sanguis ergo cum ab Acri, vel Acido vehementer noxiis, nimium vitiatus ſit, tam aſperæ arteriæ glandulas acri vel acido ſucco inficit, quam pulmonum veſſiculas iiſdem vitiis depravat; ſicque ſolus antecedens hujus Tabis cauſa eſſe ſolet; ſed hæc ſatis pro nunc, cum ad prophaſes, quæ plurimum hic quoque agunt, deſcendamus oportet.

Aeris læſiones. 6. Procatarticæ Phthiſeos cauſæ a Sex rebus non naturalibus dictis primo ducuntur, in quorum cenſu Aer, ad morbum hunc inducendum, non parum contribuit; cum præ cæteris externis ſolus ſit, qui undique, ac intime pulmonis centrum pervadat. Hic ergo ſi ab aliqua, morbum hunc moliente, lue infectus ſit, cæteris facilius viſceris hujus tonum pervertit, propriaque ſorde ipſum temerando, ad Tabem vel diſponit, vel magis lædendo, ipſam prorſus inducit. Aerem ergo in hac linea noxium, primo detexit *Hippocrates*, docens 3. *aph.* 10 *quod Autumnus tabidis malus ſit*; item & 3. *aph.* 13. *in Autumno tabes fiunt*; quod idem in eadem *ſect.* *aph.* 22. denuo repetit. In autumno quidem effluviis nobis infenſis, ſemperque lædentibus Aer infectus eſt, acres enim acidæque particulæ, plus minuſve nocentes, in aere hac tempeſtate redundant, cum quibus pulmones, quos penetrat, & ſanguinem in ipſis circumeuntem, continuo appulſu æqualiter contaminat, unde promptæ ad Tabem occaſiones parantur. Non diſſimilem in hac linea noxam ſumunt illi, qui corroſivam calcis exhalationem cum aere frequenter inſpirant; ſic item qui arſenicales metallorum fumos, quique in ſpecubus ſubterraneis, vel in mineralium fodinis diu morantes aeris acerrima effluvia in pulmonibus attrahunt; horum enim plurimos tabidos deceſſiſſe, Practicorum acta deſcribunt. Pejus item diſcrimen ſubeunt illarum regionum Incolæ, ubi quaſi endemiæ Phthiſes populariter vagantur, a quibus ſæpe Tabidorum turba recedere, clementiuſque Clima petere cogitur; non æquali tamen ſorte, ut Practicis notum eſt; qui enim acri fomite vexantur, ſub calido climate pereunt, ſicque ſub frigido qui ab acida lue affecti ſunt; has ergo aeris, morbique diſparitates Medentibus perſpectas eſſe intereſt.

7. Poſt Aerem Cibus, & Potus ad Tabem diſponendam, vel inducendam non minus conſpirare ſolent; Cibi primo, qui volatili ſale acri, vel acido figenti abundant, cum abutantur, acrem, vel acidum cum chylo ſuccum in ſanguine cumulant, qui exaltatus, & lædens, cum pulmonum atoniam reperiat, in ipſis ocyter proprias vires exerit, ulcera moliendo, ſi acris, vel infarciendo ſaltem ſi acidus ſit, unde Tabis fomenta, vel fundamenta parantur. Nec minus malum in prædiſpoſitis continua ciborum repletio inducere ſueſcit; nimia enim cibi copia nunquam rite digeritur, cruduſque Chylus in reliquis digeſtionibus tranſiens, ſordido *Cibi, & Potus damna.*

quaſi

quaſi torrente ſanguinis puritatem, ad viſcerum atonias augendas, continuo defædat; unde in propenſis ad Phthiſin, ſordes illæ ferveſcendo, primum hecticæ fomitem, & inde pulmonis ulcus tentare ſolent. Detrimentum non diſſimile in pluribus a nimio generoſi vini abuſu perſæpe inducitur; plurimos enim ebrietas continuata Phthiſicos produxit, ut Medentum obſervationes referunt; nonnullos item & nos vidimus, a nimia Spiritus vini abuſione in hunc morbum incidiſſe, ac cito periiſſe; ſulphur enim meracis vini exaltatum facile accenditur, ac primam acutis Phthiſibus favillam ſuſcitat, incendiumque continuo abuſu fomentat.

Motus & Quies. 8. Motus item, & Quies cum moderationis limites nimium excedant, ad hunc morbum diſponere etiam poſſunt; violentus enim motus ſanguinem, & ſpiritus ad motus vehementiores concitat, quod pulſus ſolito majores, & frequentiores, in defatigatis conſpicui, facile demonſtrant; hinc primo ſanguinis calor augetur, acreſque ſulphureæ particulæ in ipſo exaltantur, & lædunt, & hinc perſpiratio violenta ſuccum nutritium deperdit, ſicque in prædiſpoſitis Phthiſeos fundamenta moliri ſolet; audi etiam *Sanctorium Stat. ſec.* 5. *aph.* 8. *Evacuatio inſenſibilis, quæ fit ab exercitio violento, impedit ne ſucceſſive remittatur, quod amittitur; imo ſi eadem perſeveraverit violenta, corpus reddetur adeo leve, ut in pluribus de futura Tabe verendum ſit.* Vidimus in hoc caſu nobilem Juvenem, qui toto autumno violentam venationem continuo exercuit, menſe Decembri Tabe correptus, ſanguinem, & tabum expuens, in Januario deceſſit. Motus ergo, qui ad Phthiſin ducat, nondum vehemens, ſed in dies productus, ac in non aſſuetis eſſe debet. Nec ſedentaria Quies inſons in hac linea eſſe ſolet, cum ſaltem debitas Uteri, Hæmorrhoidum, cæteraſque ſolitas ſanguinis expurgationes, & maxime perſpirationem ſupprimendo, Tabis fomites multos cumulare ſolet, de quibus infra ſermo erit.

Somnus & Vigiliæ. Somnus pariter, & Vigiliæ nimiæ, cum nunc dictis, ad Phthiſin inducendam pari greſſu conducunt; Somnus enim immoderatus eadem damna, quæ ſedentaria Quies molitur, atque promovet; decens enim ſomnus depreſſam Naturam ſublevat, ſpiritus recreat, vireſque reſuſcitat, oppoſita vero indecens veternus inducit. Vigiliæ demum ultra tolerantiam productæ, parum a violento motu minores læſiones producunt, ideo recte Poeta ille cecinit. *Attenuant Juvenum vigilare corpora nocte.* Plurimum quidem corporis vigorem enervant, vitalem auram conſumunt, & ad Phthiſin diſponunt; ſic Juvenes multos diuturnæ vigiliæ ad tabes lethales duxerunt, ut Practicorum obſervationes teſtantur.

9. Excreta, & Retenta vitiata cæteris pejores læſiones ſæpe moliuntur; *Excreta & Retenta.* conſuetæ, ac quovis modo a Natura inſtitutæ ſanguinis expiationes, cum debitam legem non ſervent, multas lues in ſanguine cumulare ſolent, quæ non raro in pulmonibus exonerantur. Hoc primo de Menſtruis retentis docuit *Hippocrates lib.* 1. *de morb. mulier. num.* 6. *Quibuſdam mulieribus menſes bimeſtres in utero retenti, ad pulmonem feruntur, & ubi recepti fuerint, omnia patiuntur, quæ in Tabe dicta ſunt, & non eſt poſſibile, illas ſupereſſe.* Menſtrua ergo niſi per uterum rite profluant, ſanguis ex hiſce tumens, dum per pulmones tranſit, ibi (ſi hoc viſcus aliqua atonia laborat) turgidæ pleroſis ſuæ partem relinquit, qua debilis pulmonum vigor magis deprimitur, & ex noxio ſanguine tabum gignit. Non diſſimilem noxam conſuetus hæmorrhoidum fluxus, diu interceptus, inducere poteſt, quod Idem indicat 6. *aph.* 12. *A diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi una non ſervatur, periculum eſt, aquam inter cutem, vel Tabem advenire.* Eodem enim ſupradicto modo, ſuperfluum ſanguinis per hæmorrhoides non exploſum, vel ſerum inter cutem, vel ſordes in pulmone deponit; ſic item conſuetæ hæmorrhagiæ omnes diu retentæ, eandem infauſtam metam ſæpius attingunt; nec minus tandem lædunt, diu præpeditæ corporis perſpirationes, cum acria recrementa, per cutim eliminanda, in ſanguine detineant, quæ certo ſicuti ad morbos plurimos excitandos, ita maxime ad Tabem inducendam paratum fomitem ſugge-

gerunt; pulmo enim præ cæteris viſceribus, & a læſa reſpiratione, & ab impedita perſpiratione, magis læditur; & hæ de retentis detrimenta ſunt. De Excretis autem vitiatis, plura item expendere ſupereſt; & primo Menſium fluxus immodicus ſæpe Tabem molitur cum multam nutricii ſucci copiam per venas uteri diſperdat, ſicque debitum corporis alimentum deficiendo, Tabes invadit, & præcipue pulmonum; cujus parenchyma in mulierem per trimeſtrem continuo menſtruatam, quaſi exiccatum poſt mortem inſpeximus; ſic pariter nobilem Virginem poſt longum menſium fluxum, quem diu celaverat, in pulmonum Tabem incidiſſe *Cardanus* refert. A cæteris item profuſis hæmorragiis, cum ſine fræno diutius perſiſtant, damnum ſimile timere oportet. Sic demum nimias ob immoderatum Coitum ſeminis effuſiones (quæ ſicuti omnia viſcera labefactant, ut ex *Santorii Static. ſect.* 6. *aph.* 23. 24. & 42. clare patet) maxime pulmones lædere, Practicorum obſervationes oſtendunt, cum ex nimia Venere plures in Phthiſin incidiſſe deſcribant.

Animi paſſiones. 10. Animi demum Paſſiones ad Tabem inducendam, quanta ſæpe vi polleant, nunquam ſatis deprehenditur; duo præcipue Pathemata, Iram nempe, & Triſtitiam morbi hujus primordia poſuiſſe, augmentumque ampliaſſe, Phthiſici plures, ab iiſdem vexati, confiteri poſſunt. Utraque hæc Animi fluctuatio ſpiritus primo, & inde ſanguinem exagitat ita, ut donec tempeſtas iſta perſiſtat, viſcera omnia, præcipueque pulmones gravem noxam audire ſoleant. In Ira primum reſpiratio ita concitatur, ut cum excandeſcat, ebullientis in pulmone ſanguinis ſpumam quaſi ex ore projiciat; non enim ſine impenſo ſanguinis ardore hæc paſſio accenditur; quod recte *Seneca lib.* 2. *de ira cap.* 36. jam docuit, dum inter iræ damna pulmonis vaſa diſciſſa recenſet. *Alii ex nimio iræ fervore rupere venas, & ſanguinem effuderunt*; hoc inter plures Valentinianus Imperator oſtendit, qui cum in Illyricos infremeret, ſanguine ex ore irrumpente, animam exhalavit. In hac ergo ſanguinis concitata ebullitione ſpiritus exploduntur, acreſque particulæ accenduntur, ſicque proxima Tabis cauſa ad actum ducitur. Triſtitia vero, cum nimis diuturna ſit, ſenſim, & occulte Phthiſeos fundamenta ponere ſueſcit; non enim ocyter, ut ira excandeſcendo, ſed tacita virulentia ſenſim erodendo, pulmones labefactat, ac exedit; hujus paſſionis dolus ex *Santorii Statica* deducitur, *ſect.* 7. *aphor.* 9. *Mœſtitia ſi diu duret, carnes frigidas facit; impedit enim ne perſpirabilium craſſa, & frigida portio exhalet*, quod idem habet *antec. aph.* 7. & 8. Craſſa ergo, & frigida recrementa non expulſa, cum ſanguine circulando, in pulmonum veſiculis craſſum infarctum deponunt, qui niſi a valida tuſſi expurgetur, in tabum erodentem degenerat, ſicque Tabem certò producit.

Cæteræ prophaſes. 11. Aliæ item Cauſæ, ultra non naturales jam expenſas, occaſionaliter etiam morbum hunc promovere ſolent; hanc ergo lineam ſequentes tenent. Prima, & forſan potiſſima Phthiſeos contagium eſt, quo ſæpe læduntur, qui ex intimo Tabidorum conſortio virulenta miaſmata ſuſcipiunt; ſemper enim ab hiſce marcidis per reſpirationem, & perſpirationem intimum virus exhalat, quod a conſidentibus intro ſumptum, pulmones afficit, & corrumpit; plures ab hoc contagio Capti Practicos defatigant; pluresque etiam a Tabidorum indumentis infectos Veteres, & Recentiores Medentes inſpexerunt; acutum enim eſt ex pulmonum tabo exhalatum venenum, cum robuſtis etiam parcere neſciat. Secundæ claſſis ſunt Morbi plures, qui Tabem hanc vel poſt ſe relinquunt, vel ſecum deferunt; ſequentes ſunt, quos ſæpe Phthiſis inſequitur. Primo Pleuritis, Peripneumonia, Hæmoptyſis, & Empyema, qui omnes, diſpari vero modo, ad Tabem poſt ipſos ducendam, æque ſæpeque conſpirant. De Pleuritide, ac Peripneumonia ita loquitur *Hippocrates ſect.* 5. *aph.* 15. *Quicumque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur a die a qua fit ruptio, liberantur; ſi vero non, ad tabem tranſeunt*; hanc ergo iſti pulmonum affectus minitantur; nec minus malum Hæmoptyſis ducere ſueſcit, cum ſanguis ex hoc viſcere irrumpens,

pens, niſi omnino expurgetur, in tabum ſæpe inibi degenerare ſoleat, cujus certum ſignum eſt, ſi poſt dies aliquot ab hæmoptyſi puris expuitio ſequatur. Empyema pariter cum intra dies quadraginta non repurgetur, ut *in aph. ſupr. citat.* docetur, ad Tabem tranſit, maxime ſi utramque thoracis partem tabum repleat; tunc & difficilius expurgatur, & tantam marcoris copiam expellere, ſine noxa pulmones non tolerant. Alteram nocendi viam Morbilli, & Variolæ tenent; notum enim per anatomen eſt, quod morbi iſti ſicut & cutim, ita & intima viſcera ſimul afficiant, cum igitur ob inæqualem criſin perfecte haud matureſcant, vel mortem ducunt, vel tabum in viſceribus, & maxime in pulmone producunt, quod ſemper Phthiſin, ſæpeque lethalem molitur. Morbi demum alii, qui tacite recedendo, vel parumper ſilendo, Tabem jam molitam poſt ſe relinquunt, ſequentes ſunt; & primo hanc noxam febres nonnullæ peragunt; illæ potiſſimum, quæ per metaſtaſin abſolvuntur, ac febris fomentum in pulmone deponunt. Sic item interdum Aſthma, ſæpe Scorbutus, ſæpiuſque Venerea lues, plurimique alii morbi, qui cum tabo incipiunt, & in Tabem deſinunt. Ultimo tandem Lapillos tartareos, quovis modo in pulmone ingeſtos, reticere non decet; conſtat enim, illos repertos fuiſſe, ſic *Vvillis ſect.* 1. *cap.* 6. *de Tabe pulm.* obſervavit, ſic item *Iſbr. de Diemerbr. anat. lib.* 2. *cap.* 13. *de pulm.* in tribus cadaveribus inſpexit. Sicque ſimiliter Alii reperiiſſe teſtantur. Certum enim eſt, quod inſpiratus aer, una cum volitantibus in ipſo corpuſculis, aſſumitur, quæ in pulmone ſubſidendo, vel in corroſiva lue, vel in tophacea congeruntur, ſi primum acutam Phthiſin, ſi alterum chronicam producere aſſolent.

Qui ſint ad Tabem proni.

12. Proximis ac Remotis cauſis demum expenſis, illarum effectus celerius in nonnullis producendos, ponderare adhuc ſupereſt; non enim in omnibus æquali facilitate Phthiſin producunt & certe iſti ex. gr. præ aliis, cauſis hiſce lædentibus minus reſiſtunt; hos ergo, qui facilius ſuccumbunt, nunc diſcernere oportet. Primi certo ſunt, qui hac hæreditaria labe affecti dicuntur, iſti ergo non per venenatum ſeminium, quod ad tempus maturitatem capiat, caput attollat, & lædat, quod ignorantiæ aſylum fuiſſe, alibi oſtendimus; ſed quia Patri conſimilem pulmonum atoniam, ſimilemque ſanguinis diatheſin, acri lue redundantem ex ſemine duxerunt; iſtos ergo quælibet ex dictis cauſis, facilius cæteris, lædere poteſt; cum innatam ad Phthiſin diſpoſitionem in ipſis inveniat; in hac etiam linea ſunt illi, qui licet ex nulla traduce labe orti ſint, innatæ tamen vel acquiſitæ pulmonum flacciditati obnoxii ſunt, cum & iſtis quælibet occaſio lædens Tabem minitetur. Secundo qui malam thoracis conformationem congenitam, vel a morbis inductam habent, ut Gibboſi; vel qui pectus non quadratum, ſcapulas elatas, collum longum, aures demiſſas, vocem languidam, ſæpeque raucam habent, iſti a quavis prophaſi, quæ pulmones lædat, facile in Tabem incidunt. Reſpirationis enim viſcus a thoracis deformitate contractum, ac ægre promotum, munus ſuum difficulter exercet; ideo plus æquo fibras motrices defatigando, labore fractum imbecillius redditur, infenſiſque minus reſiſtendo, facile ſuccumbit. Tertio qui ad omnem Boreæ flatum tuſſire ſolent, ac fluxionibus, ut dicunt, obnoxii ſunt, facile eſt, a lymphæ profluvio, aut acrimonia ut pulmo invaſus lædatur; ſic innuitur 3. *aph.* 13. *Dolores capitis ad hyemem fiunt, & tuſſes, raucedines, atque gravedines, quibuſdam autem & Tabes*. Illis vero, in quibus lymphæ ſolutæ copia, vel virulentia peccare ſolet; in iſtis quidem frequentes, & diuturnæ tuſſes tabidæ tandem fieri ſueſcunt. Duos in hoc caſu vidimus, qui per plures annos in hyemis frigore continuo tuſſire ſolebant ambo tandem in Phthiſin cecidere; alter Senex erat, & cito periit; alter Juvenis, qui demum curatus fuit. Ultimo tandem Ætas juvenilis plurimam huic morbo anſam præbet, ut ipſe docuit *Hippocrates* 5. *aph.* 9. *Tabes fiunt maxime ætatibus a decimo ottavo uſque ad trigeſimum quintum*. In hoc enim vitæ ſtadio ſanguis maxime fervet, erroreſque in victu, cæteriſque non naturali-

ralibus cauſis ſine fræno inſequuntur, unde ob ſanguinis ardores, & ob intimas, externaſque commotiones, acres particulæ præ cæteris exaltantur, & luxuriare ſueſcunt, ſicque proxima Tabis cauſa ad actum ducitur.

Prognoſis 13. Ex hactenus perpenſis Prognoſeos indicia non parum eluceſcunt; Tabis enim gradus, & cauſæ proximæ, & remotæ, Patientumque diſpoſitiones hæc omnia recte cognita, tutas prædictionum regulas firmare poſſunt, cum abhiſce tota morbi hujus tragædia ducatur. Primo itaque integrum Tabis progreſſum luſtrare convenit, ut ex illius gradibus rectas prænotiones deſumamus. Phthiſeos ergo Initium cum probe cognitum, auxilioque tempeſtivo directum ſit, non tam arduo negotio curari poteſt, ac a recidivis Patientem eximere; excipe tamen hæreditariam Tabem, quæ etiam in primo gradu raro integre ſanationem audit; innata enim pulmonum atonia, ſanguiniſque originaria diatheſis, difficillime immutari ſinunt. Sic pariter Phthiſis acuta, quæ celeriter ad acmin properat, etiam in primo gradu paucam ſpondet curationis fiduciam; cum ocyter matureſcens, vitalis aura in marceſcente pulmone reſtaurari nequeat, ipſumque a virulento tabo expiare, nimis arduum ſit. At cum incipientis gradus a mitiori lue ducatur, tardaque diuturnitate producatur, opportunis auxiliis facilius obedire ſolet. Secundus autem gradus. *Inter vitæ, mortiſque vias ſic currere ſolet*, ut tutam etiam curationem ſæpe deludat. Spes autem, vel deſperatio a tabo in pulmone genito dependet: ſi enim virulentum haud ſit, ac forti cyſtide clauſum, ne ocyter corrodere queat, longævam ſed valetudinariam vitam protrahere ſinit, & horum exempla plurima paſſim extant. Si vero tabum, corroſiva vi præditum, pulmonem cito exedere poſſe, apertis ſignis oſtendat, nullam curationem audire ſolet; rara enim avis eſt, qui ab hac virulenta lue redemptus ſit, cum pulmo marceſcens artis molimina ſpernat, ocyterque ad ultimum morbi gradum præcipitet, *cui ſupereſt ſpes nulla ſalutis*; ulceratos namque ab acuto viru pulmones, methodica medela ſanare hactenus neſcivit; quid vero Chymiæ arcana poſſint? adhuc hæreo; plus enim ſpondere, quam conſequi ſæpe vidimus. Tabis gradus expendimus, nunc item quæ ſyrtes in ipſis ſunt, adhuc explorare convenit; febris ergo accidentalis, quæ ſæpe cum hectica complicatur, primo ſe offert, hæc, inquam, a Veteribus putrida nuncupata, ut plurimum a nullo alio fomite, quam ab Enormontico niſu provocari, plurimis experimentis nobis conſtat; a deſperato enim ſpirituum conatu induci ſolet, cum nempe proprium ſanguinem, a pulmonis tabo infectum repurgare, ſed fruſtra conetur; adeoque febris iſta, ut invalidus Naturæ niſus, vires magis conſumere, quam ſanguinem expiare nititur, & niſi cito ſiſtatur, morbum in pejus precipitat. Symptomata item plurima, funeſto lapillo ſignata Phthiſin confirmatam ſequuntur, ut primo ſudores, ac diarrheæ colliquativæ a deſperato ſpirituum niſu inductæ, quas omnino ſiſtere velle, pene impoſſibile eſt, cum ſi unum compeſcas, alterum illico emergat, ſicque viciſſim donec ultimo vitalis aura inexpectato evaneſcat. Hæc demum funeſti hujus morbi conſtitutio eſt, quæ tam in prognoſticis quam in curationibus aſſumendis, ſolerti ſemper cautione uti ſuadet; incurabili enim Ægroto ſpem ſalutis promittere, nondum decipere, ſed & propriam famam cum aliena vita profundere eſt; practicorum norma ſit *Galeni* monitum. *Qui Tabidos ſanare ſpondet, caveat, ne infamiam quærat; in præſag. Hippocr. com.* 2. Incauto Medenti bene quadrat Ovidii carmen. *Quique aliis cavit, non cavet ipſe ſibi.*

14. Curatio denique (ſi aliquam ſperare deceat) ſequentibus inſtitui poterit; & primo Diætæ methodus, quæ in hoc pertinaci morbo præcipua eſſe debet, a ſex rerum non naturalium moderatione omnino pendet. Harum ergo prima Aer eſt, utpote quæ præ cæteris primo ac immediate pulmones afficit, hanc ergo, ne incipientem Phthiſin ad intempeſtivam, citioremque maturitatem inducat, nec impenſe calidam, aut frigidam; & maxime humidam, ſed temperatam, & ad ſiccum potius vergentem eligere oportet; hu- *Curatio Diætetica.*

mida enim, Auſtroque agitata, tuſſes provocat, fluxiones adauget, & pulmones proprio madore inficit, ſicque puſtulas incipientes incraſſando, ad tabum citius gignendum, ſæpe ſollicitat, & ideo *Autumnus Tabidis malum*. 3. *aph.* 10. damnatur, & maxime *ſi pluvioſus, & auſtralis fuerit, a quo Tabem minitari*, 3. *aph.* 13. etiam docetur; humidus ergo Aer, qui & magis ponderat, & pulmones inficit, & fatigat, niſi vitari poſſit, arte ſaltem corrigatur. Exhalationes item pulmonibus infenſas angue pejus effugere intereſt, uc calcis fumum, ac fodinarum auras, ſimiliaque effluvia, quæ corroſivos ſpiritus exhalando, pulmones infectos magis exedere poſſunt. Poſt aerem Cibus, & Potus abuſi non minores morbi fomites, cum pravo chylo in ſanguinem deferunt; pravum inquam, nondum ex Quali, ſed etiam ex Quanto eſſe ſolet; cum Tabidorum conſtitutio optimum quidem cibum petat, ſed quantum in ipſis coctionum fermenta probe digerere poſſunt, ut facili negotio nutritium ſuccum ad opus Natura diſtribuat; at quia plurimum nutrimento iſti indigent, ideo optimum, ſed paucum, ſæpiuſque in die opportunis horis ipſis tribuere convenit. Cibum vero maxime liquidum ſit, quem facilius reficere 3. *aph.* 11. docemur; duo enim in corpore ſunt, quæ nutriri petunt, ſolida nempe, & fluida, ſed cum facilius ex fluido fluida, & ex fluidorum particulis ſolidæ partes reficiantur; ideo liquido magis, ſed optimo nutrimento Tabida corpora indigent. Optima ergo ſunt juſcula carnium vituli, vervecis, pulli, perdicis columbi, ſic illorum deſtillata, & præcipue caponis cum ſucco hordei deſtillatum; item eorundem carnes elixas ſemel in die, aviculas etiam, ſed non aſſatas permittere decet. Pravi vero cibi ſunt, primo Quadrupedes pene omnes (vitulos, & verveces excipe) pennates in aqua natantes, piſceſque non ſaxatiles, legumina, hordeo excepto, quæ omnia acri, aut viſcida lue chylum inficiunt, Tabiſque fomites in ſanguinem ducunt; ſic aromata omnia, cinnamomo excepto, cujus pauca quantitas ſtomachi tonum firmat; pejus vero ſunt allia, cepæ, porri, & ſimilia, quorum acerrimus ſuccus digeſtionum fermenta eludens, ad viſcera infirma lædenda, in ſanguinem tranſit. Potus item ne lædat, a vino primum, & maxime a vini ſpiritu omni ſtudio cavendum eſt; vinum enim abuſum plures in Tabem projecit, quid ergo in ipſis jam Tabidis agere poterit? Equidem ſi vini ſulphur tantum ignem in viridi accendit, quid ergo in ſicco? Senibus vero Phthiſicis cyathum unum vel alterum vini oligophori nec dulcis, nec acidi in prandio concedi poterit, ut ſtomachi tonum conſervet, depreſſaſque vires inſtauret. Sic item in chronica Tabe ſimili modo permittere decet; at in acuta, vino prorſus depulſo, vel deſtillatis aquis, vel ſero lactis, aut decoctis paſſularum, ſimilibuſque uti intereſt. Cæteras demum non naturales res quomodo eligi, aut vitari deceat, ex ſupra datis procatarticis cauſis facile colligi poteſt; omnium enim medium tutius erit.

15. Ad Pharmaca demum accedimus, ex quorum immenſa farragine, in rebellem hunc morbum expugnandum inventa, pauca quidem & raro adhuc, curationis palmam acquiſiviſſe, plurimorum experimenta teſtantur; ad arduam ergo pugnam hanc & nos accingimur, ſed quo fauſto eventu neſcimus: *Hoc enim docta plus valet Arte malum*; proſperum vero auſpicium ſequentes Indicationes promittere ſueſcunt. Apprime igitur in incipienti Tabe, ſeu in primo illius gradu, univerſalibus præmiſſis, Tuſſim, cum frequens ſit, moderare intereſt, ne nimium pulmones agitando, morbum incipientem adaugeat, & ad alterum ſtadium citius perducat; hoc aſſequimur, cum ſerum, vel lympham acrem, quæ pulmones exedere, ac irritare incepit, opportunis dulcificantibus, & expectorantibus corrigere, ac educere nitamur. Secundò acrem ſanguinis luem propriis abſorbentibus ſubigere, ne ultra illius maſſam in ſerum ſolutum fundere moliatur, nec ultra virus acre, Tabis fomitem, ad pulmones perducat. Ultimo tandem pulmonum labes appropriatis balſamicis pro viribus emendare, ac roborantibus *Curatio pharmaceutica.*

tibus

tibus firmare, ut a recidivis quantum poſſibile eſt præcaveatur. Hæ ergo indicationes ſunt, ad quas gradatim exequendas nunc deſcendimus.

Curatio primi gradus. 16. Et primo cum ad incipientem Tabem reparandam accerſitus ſit Medens, quia hujus morbi exordium non tam facile patet, ideo diagnoſtica indicia, quæ *cap. 8. de febr. hectic. n. 2. in princip.* expoſita ſunt, ante omnia perpendere oportet, & cum illorum aliquod, vel plura ſimul in Patiente reperiantur, æque fundata de vera Phthiſi dignotio acquiritur, ſicque tuto illius curationem aggredimur. Univerſalia ergo pro corporis, morbique conditionibus inſtituere primo convenit, & ſi cum tuſſicula ſicca, quæ ſemper Tabis limina occupat, præcordiorum anxietates, ventriculi morſus, vel anorexiæ, aut vomituritiones ſimileſque affectiones appareant, niſi prohibentia reclament, Emeticum ſequenti, vel ſimili modo præſcribere, certo intereſt, videlicet.

℞. *Tartar. Emetic. gr. viij.*
Sal. eſſential. Abſinth. gr. vj.
Oxymell. Scyllit. q.s. ut f. bol. pro Doſ.
Cui ſuperbib. Seri Caprill. deſtill. lib. j. circiter.

Cum vero opus Paregorici eſſe videatur, hoc vel ſimile uti poterit.

℞. *Aqu. de ſucco Menth. unc. ij.*
Magiſt. Solubil. Perlar. gr. xv.
Laudan. Cydoniat. liquid. gutt. viij.
Syrup. Corall. unc. j. M. pro Doſi.

vel pro minoris fortunæ Patientibus.

℞. *Aqu. de ſucc. Menth. unc. ij.*
Vin. Granat. Subacid. unc. j.
Diaſcord. Fracaſt. Drach. j. ſem.
Laudan. Cydoniat. gutt. vj. M. pro Doſ.

Phlebotomiæ neceſſitas. 17. Præmiſſis ergo Emeticis, cum expetantur, alterum adhuc non minoris urgentiæ auxilium, ſanguinis nempe miſſionem, præterire, nefas eſſet; fortaſſe in phthiſeos primordiis funditus evertendis, opportunius remedium haud invenitur; hoc enim in limine morbi hujus tempeſtive adhibitum, Periti plurimi aſſiduis experimentis celebrarunt, a quorum exemplis diuturna praxis noſtra fauſto ſemper eventu ducta fuit. Qui ergo temporis maturitate inſuperabilem Tabem inſpicere nolit, in hoc morbi exordio (cum prohibentia ſileant) ſanguinis miſſionem non omittat; nec pavidam de futura macie formidinem audiendo, a propoſito ſeduci patiatur, cum phlebotomia in hoc gradu inſtituta, præcipuum Tabis fomitem ſæpius everterit. Per me certo præſentem, citoque ingraveſcentem, pulmonum emphraxin, ac lymphæ redundantiam, & acrimoniam, potius quam futuram maciem pertimeſco; hæc enim ſæpius a tempeſtiva Venæ ſectione prævertita fuit; illæ vero, vigente ſanguinis fomite, ocyter in pejus ruere ſæpe vidimus. Compertis ergo in medica ambiguitate ſtandum eſt, fauſtiſque experimentis innixus in Tabis initio phlebotomiam inſtituo, & pro exigentiæ modo, vel ad uncias x. pro una vice, vel cum repeti debere, melius eſſe dijudico, in prima ſex, & ſeptem in altera mittere ſoleo. Nonnunquam etiam dictam phlebotomiam ante vomitum celebrandam præcipio, maxime cum Tabeſcentem plethoricum eſſe conjiciam, ne coacta vomitio vaſorum ſciſſuram inducere poſſit, ſic diminuto prius ſanguine tutius ad vomendum ſtomachus concitatur.

18. Celebrata venæ ſectione, cum vomitio, haud expetita, inſtituta non fuerit, ut primæ viæ ſaltem expurgentur, aliquo miti cathartico uti oportet, quem ex manna clarificata, vel ex Caſſia recent. extract. confici poterit; poſtea per dies octo ſequ. mixt. utilis erit. *Catharticiuſus.*

℞. *Antihect. Poter. optim. Scrup. ſem.*
Magiſter. Corall. Perlar. aa gr. xij.
Syrup. Papaver. erratic. unc. j.
M. pro Doſi matutin. horis 4. ante cibum ſumenda.

pro minoris fortunæ Patientibus.

℞. *Antihect. Poter. ſcrup. ſem.*
Matris Perlar. pp. Drach. ſem.
Syrup. Papav. errat. unc. j.
M. & ſimiliter propin.

Catharticum ſupradictis ſimilem adhuc repetere convenit; & ſi hæc ad nimias primarum viarum ſordes expiandas non ſufficiant, etiam tertia vice catharſin reſumere intereſt, ut ſpecifica remedia per deterſas vias illibata pertranſeant, in qua re videantur, quæ di-

dicta ſunt cap. 8. de febr. hectic. numer. 7.

Tuſſim placare. 19. Ad morbi petitiones deſcendendo primo Tuſſicula ſicca, quæ Tabis limina occupat, ſe offert; hanc ergo compeſcere ſequentia æque poſſunt.

℞. *Ol. Amygd. dulc. recent. unc. j. ſem.*
Spermat. Ceti non rancid. drach. ſem.
Nitri Perlat. vel Corallat. ſcrup. ij.
Syrup. Papav. Errat. unc. ij.
M. f. lambitiv. ſæpe ſumend.

vel ℞. *Conſerv. Flor. Papav. errat. un. ij.*
Balſam. Peruv. drach. ij.
Tinctur. Croc. orient. drach. iij.
Syrup. Heder. terreſtr. unc. ij.
M. & ad quantit. nuc. moſchat. ſæpe ſumat.

vel ℞. *Styrac. Calamit. drach. ij.*
Extract. Croc. cum ſp. vin. fact. drach. ſem.
Succ. Liquirit. Drach. j.
Spec. Diaireos ſimplic. Drach. j. ſem.
M. & cum ſyrup. Papav. errat. q. ſ. f. Maſſa Pilular.
Quar. Doſ. Drach. ſem. mane, & veſper.

Unum ergo vel alterum auxilium per dies aliquot continuo uſurpare intereſt, & cum hiſce victus caſtigati rationem, pro Patientis conſuetudine, & exigentia ſimul fæderari.

In tuſſi contumaci 20. Verum cum in rebellem tuſſim vel in hæreditariam labem incidere contingat, tunc ad validiora deſcendere convenit, in quorum cenſu decocta numerantur, ut ſequentia, videlicet.

Decocti uſus. ℞. *Lign. Saſſafr. Santal. albor. raſpat. aa. unc. ij.*
Radic. Chinæ in taleol. inciſ. unc. j. ſem.
Ireos florent. Liquirit. contuſ. aa. unc. j.
Paſſular. minor. exacinat, unc. iij.
M. & infund. in aqu. font. q. ſ. per diem integr.
Poſtea coqu. & circa finem decoction. adde
Fol. Heder. terr. Hyſſop. Scabioſ. aa. manip. ij.
Flor. Bellid. major. Papav. errat. aa. pugil. ij.
Coqu. adhuc parum, poſt colet. clarific. & fervet.

De hoc mane, & veſperi duabus ante cibum horis ad unc. viij circiter quotidie calid. ſumat, uſque ad manifeſtam tuſſis compeſcentiam. Decocta plurima antiphthiſica in hujus capitis Appendice recenſentur, quæ pro majori, vel minori exigentia ad uſum vocari poſſunt.

Item dum hæc ſumuntur, bis, vel ter in die per horæ quadrantem circiter ſuffitum ſequentem, vel ſimilem per os cum infundibulo attrahere Patiens debet; plurimum enim hic confert, medicinali hoc halitu ſæpius uti, cum non per longum, (quem alia remedia complere debent) circuitum, ſed immediate, & ſine alteratione, tracheam, & pulmones, cum aere ſociatus attingat, ſicque promptam, ac ſecuram opem afferre ſæpe ſolet; humida vero evaporatio, non ſiccum ſuffitum, qui tuſſim exaſperat, in hoc Tabis gradu præſcribi debet; hujus vero formula talis eſſe poteſt. *Halitus humidus.*

℞. *Fol. Heder. terr. Hyſſop. Farfar. aa. manip. ij.*
Flor. Violar. Roſar. Papav. errat. aa. pug. j. ſem.
Sem. Carv. Aniſ. Fœnicul. aa. dr. iij.
M. & coque in aqua font. ad tert. conſumpt.
Vapor hujus ut ſupra dict. eſt excipiatur.

21. Cum denique auxiliis hiſce reſpirationis motores ſedati, impetum, ab expulſa ſorde concitatum, mitigaſſe, tuſſiſque ſic placata ſiluiſſe videantur; de Lactis uſu tuto, citoque experiendo, decernendum eſt; opportunius enim in hac urgentia remedium, ab *Hippocrate* 5. *aph.* 65. & alibi pluries præſcriptum, perita Praxis hactenus non invenit. Equidem a diuturno illius uſu acris fluidorum diatheſis corrigitur, ac nutritius ſuccus citò reſtaurans emaciatis partibus apponitur, ſordeſque pulmonum ab ejuſdem ſero paulatim abſterguntur. Tutus vero exhibendi modus, *de febr. hectic. cap.* 8. *num.* 8. deſcribitur, ideo hic denuo palinodiam canere ſuperfluum eſt. Expedit vero hic aliquid addere, quod Tabidis hiſce magis appropriatum eſt; cum pulmonum ulcus, licet incipiens, a ſimplici hectica febre aliquid plus adhuc expetat. Ideo primum lactis uſus in hac urgentia ultra duos menſes adminus continuari debet, primo menſe *Lactis uſus.*

ſim-

ſimplicis, altero autem (ad pulmonum ulcus, ſi initiatum ſit, extenuandum, & exiccandum) bis in die frequentare intereſt, mane ſcilicet & veſperi, cum hoc diſcrimine tamen, quod mane bibatur, ſero autem ſequenti modo comedatur, & primo

℞. *Balſam. de Tolù gr. viij.*
Magneſiæ optim. ſcrup. ſem.
Succ. heder. terreſt. q. ſ. ut f. Bol. pro Dos.

hunc ſumat Patiens media hora hanc cænunculam, ſequenti lacte complendam, videlicet.

℞. *Lact. Caprill. lib. j.*
Aqu. bord. decortic. unc. iv.
Sacch. Roſat. tabul. unc. j. ſem.
Medull. Panis Tritic. contuſ. unc. v.
M. & bulliant ad aqu. conſumpt.

hoc ferculo cænam abſolvat; Prandium vero dirigi debet juxta normam ſupr. dicti *capit. de febr. hect. num.* 9. Et hæc tandem pro primi Phthiſeos gradus curatione ſatis eſſe poſſunt; hac enim methodo, parum aliquando variata, Tabidos plures, non adhuc confirmatos, Deo favente, ad ſalutem integram reſtitutos jam vidimus.

Phthiſeos confirmatæ auxilia. 22. Cum vero ad confirmatam jam Phthiſin medendam vocatus ſim, ab eadem, in ſecundo, & tertio Hecticæ gradu præſcripta, methodo parum, & pro circumſtantiis gravantibus tantum, diſcedere curavi, utiliorem enim in hac deſperata labe, ne citius funera ducat, hactenus invenire non didici, nec infidis, vel ineptis Chymiæ arcanis ultra fidere duxi; cum confirmatam Phthiſin, ac exulceratos pulmones, nullis ultra mederi poſſe remediis, licet aliquando palliari poſſe, ſatis compertum ſit. Quæ ergo ad vitam ægri producendam tuto conferre ſolent hic dimittere non decet; quia marceſcentis pulmonis tabum, niſi fræno aliquo compeſcatur, reſpirationis organon (in quo præcipue vitalis aura reviviſcit) ocyter devaſtat; unde vita cito langueſcere, citoque decedere cogitur. Auxilia ergo ad hoc opus opportuna *in* 2. *&* 3. *hectic. grad.* ut ſupra innuimus, abunde expoſita ſunt; quæ vero ſpeciatim pulmonum ulcus reſpiciunt, ſequentia eſſe poſſunt.

23. Et primo Aqu. Antiphthiſica noſtra, quæ fit. *Pro Phthiſi chronica*

℞. *Lixivii Calcis viv. optim. filtrat. l. ij.*
Sacch. Alumin. optim. unc. ij.
Liquidambr. perfect. Drach. ij.
M. & diger. per biduum loc. calid. poſt filtra, & ſerva.

Hujus Aquæ diuturno uſu deſperatus jam Phthiſicus a lecto ſurrexit, & per tres annos commode familiam ſuam gubernavit, poſtea ebrietate captus, cum vomitu e vita deceſſit. Hanc aquam ſæpe etiam cum fructu ſequenti modo componere ſuevi.

℞. *Aqu. Antiphthiſ. noſtræ unc. j.*
Magneſiæ optim. ſcrup. ſem.
Balſam. Perlar. Cnoeffell. gr. vj.
In ejus defectu
Magiſt. ſolubil. Perlar. ſcrup. ſem.
M. & propin. pro duab. Doſ. mane & ſero ſumend.

In hoc uſu per xv ſaltem dies continuare oportet, omnibus ſimul auxiliis obſequendo, quæ pro ſecundo hecticæ gradu præſcripta ſunt; & hæc pro chronica Phthiſi non ſemel proficua fuere; cum pulmonum ulcus ad calloſam quaſi duritiem confirmaſſe videatur, unde tabum, haud virulentum, in calloſa carcere clauſum, ſanguinem inficere non poterat.

24. Acutæ vero Phthiſi proſpicere, arduum negotium eſſe videtur; & quia illius virulentum ulcus, in thoracis centro abditum, invaſum pulmonem ocyſſime devaſtat; & quia remedia, ad illius expugnationem intro ſumpta, nec celeri greſſu, nec integris viribus illud aggredi poſſunt; longam enim cum chylo viam percurrere debent, ac in ſtomacho primum non paucam alterationem ſubire, alteram non minorem in duodeno, pejorem adhuc in chyliferis vaſculis, ubi ab acri lympha plurimum invertuntur, peſſimam demum in ſordido jam ſanguine, a quo poſt tot diſcrimina in pulmonem ducuntur; Tabidi enim corpus in qualibet ſui parte fœdatum dignoſcere intereſt; ideo quid proficuum a remediis per tot ſordes diu traductis ſperare liceat, non apparet. Veruntamen cum impium ſit Ægrum abſque auxiliis dimittere, ideo quæ magis efficacia, *Pro Phthiſi acuta.*

ma-

magiſque appropriata remedia mihi viſa ſunt, reticere nolui, ab his ergo, quæ dictis obſtaculis, ac defædationibus non ſubjacent, meliorem fructum auſpicando, exordium facimus, a ſuffitis nempe, qui ſine toto circuitu, & abſque virium diminutione per aſperam arteriam una cum aere in pulmonem cito ingrediuntur: Primus ergo ſequens ſit:

℞. *Gum. Guajac. Maſtich. aa. dr. ij.*
Oliban. Benzoe aa. Drach. j. ſem.
Thuris. ſtyrac. calam. aa. Drach. j.
M. f. pulv. ſenſim in prunis ex Juniper. fact. injiciend.
Cujus ſuffitus per os, & nares æger attrahat.

Vel efficacius

℞. *Arſenic. cum triplo nitri fixat. Drach. iij.*
Gum. Guajac. Labdan. aa. Drach. ij.
Liquidambr. Thuris aa. Dr. j. ſem.
M. & ut ſup. dict. eſt, utito.

Tutius adhuc auxilium ab Auripigmento, quod Arſenicum citrinum eſt, a plurimis experiri licuit; fauſti effectus exemplum dedit deſperatus Tabidus ille a *celebri Riverio* relatus, *Morbor. infrequent. Obſerv.* 2. qui poſt innumera remedia inutiliter aſſumpta ex ſolo Auripigmenti ſuffitu bis cum infundibulo per os attracto extravaganti modo integram ſalutem obtinuit: ſic cito minerale venenum pulmonis toxicum ſuperavit. Hoc eodem Galenus ipſe in Aſthmate feroci uſus fuiſſe teſtatur, imo ipſe idem *lib.* 9. *de compoſ. pharmac. ſecund. loc.* §. *de Dyſenter.* ad ulcera inteſtinorum ſananda, remedia multa intus ſumenda, quorum baſis auripigmentum eſt, olim uſitata deſcribit; ſic pariter *Avicenna* pluresque veteres Practici medicamenta cum Arſenico, vel Auripigmento intus ſumenda, ac in ulceribus malignis tuto applicanda deſcribunt. Nec Recentiores ab hac linea diſcedunt; quid aliud enim eſt *Magnes arſenicalis Angeli Salæ in bubon. & carbunc. peſtilent.* utendus; quid illud *Quercetani* quod in ſcabie, & peſte plurimum commendat; quid ſuffitum in Tabe *Vvilliſii*, cujus baſis auripigmentum eſt. Sed quid plura. Omnes iſti certo regula illa uſi ſunt, quæ dictat, extremis morbis extrema remedia tribuere; verum cum venenis haud rite correptis caute mercandum eſt; humanam enim vitam citius quidem toxicum, quam extremus morbus interimit. Cautius ergo inceditur, cum arſenicum, in extrema Phthiſi opportunum rite correptum adhibeatur, viribus non quidem, ſed virulentia ſpoliatum; fumus enim, in illius fixatione exhalans, ejusdem virus eſt, quem ſi opifex incautus vitare non ſtudeat lethalibus ſymptomatis necari poterit. Arſenicum ergo, ſed fixatum, ad pulmonum ulcera curanda, in ſequentibus etiam remediis adhibeo.

25. Et primo cum Decocto ſequenti ſic utimur, videlicet. *decoctum antiphthiſicum*

℞. *Arſenic. cum Nitro fixat. dr. ſem.*
Antihectic. Poterii ſcrupul. ſem.
Syrup. de Roſis ſiccis q. ſ. ut f. bolus,
Quem ſumat, & poſt ipſum ſeq. Decoct. bibat.

℞. *Lign Guajac. raſpat. unc. j. ſem.*
Ipecaucan. Braſilian optim. drac. ij.
Radici Ireos Florent. unc. j.
Fol. Heder. terr. Veronic. aa. manip. ij.
Incis. diger. hor. 24 in Aqu. lib. ij. vin. lib. ſem.
Poſt coqu. ad mediet. conſumpt.
Colat. utatur pro ij. Doſ. mane, & ſero ſumend.

In hoc uſu 8. ſaltem diebus perſeverare oportet, cum hoc diſcrimine, quod bolus Arſenici dicti mane tantum aſſumatur. Cum Decocti reſiduo, & Aqu. q. ſ. f. altera coctio pro potu ordinario; prandium, & cæna quatuor horis poſt decoctum parentur, quorum moderatum regimen prudentiæ Medentis relinquitur. Hæc methodus diebus 8. continuata duos deſperatos Tabidos a morte redemit, quorum unus, dum hæc ſcribo, poſt annos ſexdecim, adhuc vivit. Quibus vero decoctum non arridet, ſequenti aqua deſtillata ſaltem utatur, videlicet.

℞. *fol. Heder. terr. Veronic. Hyſſop. aa. manip. ij.*
Lign. Guajac. pulveris unc. iij.
Radic. Iridis Florent. contuſ. unc. ij.
Seri Lactis Caprill. Lib. xij.
M. & diger. diebus duob. poſt deſtill.

Doſis hujus unc. IV. immediate poſt bolum ſupr. dat. ſumend. Hiſce demum

mum curationem abſolvimus. Symptomata vero, quæ confirmatam Phthiſin ſociantur, ut & Febres ad hecticam ſupervenientes, quomodo compeſcere deceat, *cap.* 8. *de Febr. hectic. num.* 16. uſque ad finem, jam expoſuimus. Et hæc tandem in deplorabili morbo noſtra pro viribus inſtituta Curatio fuit; nunc item quid feracius aliorum ſegetes, promittant, innuere ſaltem convenit.

APPENDIX.

Cum variæ ſint Patientum conditiones, morbique ſtatus, & ingraveſcentiæ, quæ diſparem Curationem ſæpius expetunt; hanc remediorum ſeriem, pro differenti diſtributione promptam, ac Medentum reminiſcentiæ commodam, more noſtro hic ſubnectimus, ut opportunum ſelectum pro exigentia Perito cuique facile ſuggerat; & primo.

Aquæ ſtillatit. ut Aqu. Antiphthiſ. Vveybon. Alia Antihectic. in Schrod. Alia Lactis Batei. Alia Capocephal. Donzell. & ſimiles aliæ.

Antihectic. Poterii, Antiphthiſ. Langii.

Balſam. de Tolu ac de Peru ad varios uſus opportuna. Item Balſam. artefact. ut Balſam. Anglican. ex Terebinth. Balſam. Regul. Antimon. Schroder.

Balſam. ſulphur. aniſat. ſuccinat. terebinthinat. ſicut & Lac ſulphur. ac Butir. ejuſdem, cæteraque plura ex ſulphure parata, quæ omnia hic mihi noxia videntur, cum potius, Tabem, & Hecticam gignere, quam curare, obſervatum ſit. vid. Doctores Michael. & Hoffman. in Schrod. cap. de Sulphur.

Conſerv. Roſar. veter. Conſ. gran. Chameact. Conſ. Nenuphar. Donzell.

Decoct. Paſſular. P. A. R. Decoct. Antiphthiſ. Cnoffelii, aliud Zuvelfferi.

Decoct. ad Phthiſ. Ettmuller. aliud Vvillis. Decoct. Limac. Batei, &c.

Elixir. Proprietat. ſine acido, Elix. Pneumonic. Meybomii.

Looch. Farfaræ, Pulmon. &c.

Magiſter ſolubil. Perlar. Corallior. Ocul. cancr. &c. Magneſiæ optim.

Morſul. ad Phthiſ. Grulingii: alii Rolfin.

Opiata, & Laudan. plures, & ſpeciatim Laudan. antiphthiſ. Zannichelii.

Paſta regalis refectiv. Riverii.

Pilul. antiphthiſ. D. Scretæ, aliæ de Pice Batei.

Pulvis antiphthiſ. Rondeletii; alius Ettmuller. Pulv. Anonym. P. A. R. & Haly &c.

Radic. Chinæ præparationes variæ, & precipue illius Galreda.

Rubinus Arſenici Tentzel.

Sacchar. Alumin. Dolei, Saturn. ſulphur. ſeu oleum in Schroder.

Syrupus de Eryſimo Lobelii, alius de Teſtitudin. Renodei, alius de pede Cati Schroder. plures alii contra phithiſ. Batei, ſaccharata vero cautè hic uſurpentur.

Tinctur. Antiphthiſ. Moebii, alia Jo: Michael. Tinct. Myrrhæ, Tinct. Mumiæ. Tinctur. ex ſulphur. regul. Jovis Quercetani.

Vitriol. dulce ab acido ſpoliat. Vitriol. Martis cum ſacch. Saturn. mixt.

CAP. X.

De Pleuritide, Pneumonia, & Angina.

1. PLures thoracis clauſtrum Phlegmones invadere ſolent; quorum nomina ſunt, Pleuritis, Pneumonia, & Angina, quæ collum, thoracis appendicem afficit, ſic etiam Diaphragma, & Mediaſtinum proprias inflammationes patiuntur, prior a Galeno Paraphrenitis vocatur, alteram Mediaſtini, nulla nomenclatura deſignatam invenio, niſi Pleuropneumonia Veterum huic applicetur, cum re vera Mediaſtinum ex pleura duplicata conſtet, pulmonumque medium teneat. Nomina vero iſta non ad morboſi affectus diſparitates, ſed ad affectas partes explicandas tradita fuere; cum ſolam inflammationem, hic illuc emergentem, exponant; ſed relictis vocibus, morbum ipſum, ejuſque fiendi modum ſpectare nunc decet. Fit ergo cum aliqua thoracis pars, ob fluidi extra ſua vaſcula effuſionem, in tumore extenditur, ſuccuſque inibi ſtagnans, incaleſcens ebulliendo, & inde marcorem concipiendo, fibras invaſæ partis

Nomina morbi.

Deſcriptio.

partis diſtendere, ac dilacerare ſolet; unde a nocentis irritatione concitatum Enormon febres acutas excitat, variis pro morbi modo ſymptomatis comitatas, ut ſunt dolores punctorii, tuſſes nunc cruentæ, nunc purulentæ, reſpirationes difficiles, cæteræque hiſce inflammationibus fœderatæ paſſiones. Proximæ vero harum affectionum occaſiones fluidorum coagulationes, vel colliquationes ſunt, quas vel Acidum, vel Acre virus induxit, ut in cauſarum inquiſitione notum erit.

Partes affectæ. 2. Partes Affectæ ſunt 1. Pulmones, & cum in utraque parte phlegmone afficiantur, Pneumonia, vel Peripneumonia dicitur; non raro adhuc totum ipſorum parenchyma inflammatur, ut in nonnullis hoc morbo extinctis, totum pulmonem ſphacelo exeſum inveniſſe, Anatomici plures deſcribant. Altera pars affecta coſtarum membrana, ſeu Pleura eſt, unde Pleuritis nuncupatur; verum haud ſemper hæc ſola pars in hoc morbo inflammationem patitur; pulmo enim, qui illi adhæret, ſimul & ſępius cum pleura compatitur, ut ex multis pleuritide mortuis, ac inviſis cadaveribus, conſtat. Hoc item non latuit *Hippocratem*, *qui lib. de loc. in hom. num.* 24. ſic docuit. *Pulmo facile humorum affluxum recipit, & cum utrumque illius latus infarciat, peripneumoniam efficit, cum vero alterum tantum Pleuritis, ideſt coſtalis morbus, fit.* Sæpe igitur in Pleuritide pleura, & pulmo illi adhærens phlegmone afficiuntur, unde a Pluribus Pleuropneumia, & Pneumopleuritis dicta fuit. Tertio in Angina colli, ſeu gulæ partes affectæ ſunt, illas nempe, quas ad reſpirationis, & deglutitionis munera ſummus Creator condidit, ideo pluribus muſculis munitas eſſe voluit; cum ergo illi, qui laryngi, & aſperæ arterię ferviunt, phlegmone afficiantur, Cynanche dicitur; ſicuti Synanche, cum muſculi circa pharyngen, deglutitionem promoventes, afficiuntur. Subtilior demum læſarum partium diviſio, in Paracynanche, & Paraſynanche inventa, pathologiæ parum utilis, & therapeiæ omnino inutilis eſt, cum unica curatio utrique ſatis ſit.

Differentiæ. 3. Harum Inflammationum Differentiæ a cauſis occaſionalibus, & ab affectis partibus peti poſſunt; a cauſis primo, aliæ quidem ſunt Pneumoniæ, quæ ab Acido fomite ducuntur, & aliæ, quæ ab Acri viru producuntur; cum ut plurimum illæ benignæ ſint, iſtę vero malignæ comperiantur; quod idem de Pleuritide, & Angina ſentiendum eſt, cum a differentibus hiſce fomitibus inducantur. Confiteor equidem, plurimas inflammationes iſtas, in nonnullis Epidemiis, a repetita venæ ſectione, & ab uſitatis antacidis remediis, ita exacerbatas vidiſſe, ut inde, ad aliam anchoram confugere coactus, antacribus auxiliis utens, fęlici eventu omnes illius conſtitutionis inflammationes brevi, tutoque ſedatas inſpexiſſe. A locis affectis aliæ Differentiæ deducuntur; in hac linea ſunt Pleuritides legitimæ, & ſpuriæ, cum illæ intimas, iſtæ vero externas thoracis partes afficiant; illæ cum acuta febre periculoſum ſtadium currant, iſtæ ut plurimum ſine febre, & ſine periculo abſolvantur. Sic item Anginas affectæ partes diſcriminant; Cynanche enim, quia laryngis muſculos inflammat, & inde reſpirationem inhibet, plurimum differt a Synanche, quæ pharyngen afficit, & deglutitionem prohibet, unde magis periculoſa illa, quam iſta cenſetur; diu enim ſine cibo, non diu vero ſine reſpiratione vivere quimus. Alias demum differentias, quæ medendi leges non mutant, ut ſuperfluas præterimus.

4. Diagnoſin demum inſequendo, Pleuritis primo ſe offert, cujus quaſi pathognomonica ſigna ſequentia ſunt. Primo dolor lateris punctorius, infixi aculei ſimilis, qui in reſpirando, & tuſſiendo exaſperatur; fibræ enim pleuræ in tumorem diſtentæ, quolibet coſtarum motu concuſſæ, doloris ſenſum adaugent. Secundo Febris acuta, tertianæ continuæ typum ſæpe ſimulans; Pulſus vero duri in primo ſtadio, & uſque ad morbi vigorem ſæpius reperiuntur, poſtea ſenſim mollior arteria pulſare ſolet. Tertio tuſſis ob læſos pulmones concitata, in morbi limine nunc ſicca, nunc cruenta expuitione ſociatur; in morbi autem vigore, vario ſæpe colore tincta, ſenſimque puru- *Diagnoſis primo pleuritidis.*

purulenta excreatio apparet; in declinatione tandem ſubalba craſſeſcens coctionis indicia, & abſolutionem exponit. Quarto demum Reſpiratio difficilis eſt, maxime matureſcente phlegmone, cum thoracis, pulmoniſque contractio, & expanſio affectas partes agitando, non ſine labore, & moleſtia reſpiratio exerceatur. Reliqui demum contingentes morbi comites, ut capitis dolor, vigiliæ, anorexiæ, cæteraque ſymptomatum turba nec ſoli, nec ſemper Pleuritidem vexare ſolent. Altera item maligna, ſæpius acri fomite ducta, Pleuritis ab iisdem nunc datis parum diſcedit; cum virulenta lues pathognomonica morbi ſigna paulum alterare poſſit, immutare autem nequeat; dolores enim acutiores, efficere; febres ſine typo magis accendere; tuſſes atrociores reddere, cujus expuitiones colore vario ſaturatæ ſint; reſpirationem denique cum ſummo labore exercere, hæc inquam Pleuritidem malignam ſatis exponunt.

Pneumoniæ ſigna. 5. Hiſce pariter plus minuſve ſimilia Pneumoniæ ſigna ſunt. 1. Dolor non adeo punctorius, ſed potius gravativus affligit, quia pulmones tantum, obſcuro ſenſu præditi, affecti ſunt. 2. Febris item acuta continua, ſed magis vehemens eſt; unde pulſus minus duri, & plus expanſi inveniuntur, & maxime cum ab acri fomite pneumonia inducta ſit. 3. Tuſſis major, ob utraſque pulmonis partes affectas, Patientem fatigat, hæc in morbi initio raro ſicca, ſed ſæpe cruentas expuitiones prodit, matureſcendo tandem pleuritidi ſimilis procedit. 4. Reſpiratio difficilior eſt, frequentior, & anheloſa; duplici enim phlegmone vexati pulmones, nimio labore ad debita munia excitantur. Maligna demum Pneumonia ſignis Pleuritidis malignæ ſimilibus utplurimum deſignatur, hoc addito, quod non raro vomitus atroces illius initium infeſtant. Mediaſtini, ac Diaphragmatis inflammati ſigna cum ſupra dictis parum diſſimilia ſunt. *Cæterorum ſigna.* Dolor enim in phlegmone Diaphragmatis circa lumbos, ac ſuperiores partes infimi ventris gravativus magis, quam punctorius percipitur. Mediaſtini vero a pectoris ſterno ad infimam cartilaginem mucronatam extenditur dolor, qui punctorius ſemper eſt, cum Mediaſtinum ex pleuræ duplicatura conflatum ſit. Febris item acuta; Tuſſis haud valde moleſta; nec Reſpiratio nimium difficilis in utroque affectu exurgere ſolent. Anginæ tandem ſigna per ſe perſpicua videntur; faucium enim, & gutturis dolor, Febris perſæpe acutiſſima, quæ in quarto, vel in ſeptimo de vita deliberat; Reſpiratio, & Deglutitio, ob laryngis, & pharyngis infarctum, difficiles, & dolorificæ ſunt; linguæ demum tumor, vel rubor intenſus, aut albæ viſciditatis cruſta linguam, palatum, & fauces infarciens, apparet. Hæc tandem thoracis partes inflammatas exponunt; nunc illarum cauſam, & fomites inquirere oportet.

Cauſa, & fomites, 1. Acidus. 6. Potiſſimum primo dictarum Inflammationum Fomitem Acidum virus in ſanguine exaltatum, & lædentem eſſe arbitramur; hoc inquam illius fluiditatem coagulando, varia hinc inde grumeſcentia repagula in ipſius vaſculis congerit, quæ concretiones, capillares arterias infarciendo, continuam Impetum facientis expanſionem cohibent, & ad vehementiores niſus concitant; ſpiritus enim, qui expeditos tramites, ad exploſiones exercendas, requirunt, viam vi ſibi aperiendo, infarcti vaſculi fracturam, ac ſanguinis effuſiones efficiunt. Violentum hunc ſpirituum niſum hæmorrhagiæ omnes oſtendunt, quas non ſola ſanguinis copia, ſed vitalis illa impetum faciens ſpiritus efficit. Cum ergo in capillaribus arteriis, quæ pleuram circumeunt, vel in pulmonum, aut diaphragmatis, vel mediaſtini vaſculis ſanguis congrumetur, a ſpirituum impetu (ut proprii tramitis obicem diruat) demum detruſus, copioſiuſque quam exigatur, & plus quam venulæ bibere poſſint, affectam partem inundans, ibique ſtagnando tumorem congerit; ſicque illius fibras convellit, ac dilacerat, unde moleſta pro partis indole ſenſatio, ſeu dolor emergit; ac inibi aceſcere, & putreſcere tandem cogitur; (ſpiritu enim deſtitutus cruor, marcidam captat indolem, ac in recrementum diſſolvitur) hinc puris copia invaſam partem inficit, quæ ſæpius per expuitionem, ac in-

interdum aliunde eliminari ſolet, niſi in thoracis fundo deſcendat, ut priórem morbum in pejorem, nempe in Empyema pervertat.

2. *Acre virus.* 7. Verum non ſemper Acidum figens thoracis phlegmones inducit, cum non raro, & in malignis præcipue Acre virus diſſolvens potiſſima culpa ſit. Experientia enim didici, plurimas haſce, cum ardenti febre ſociatas, Inflammationes, ab acerrima virulentia ortum habuiſſe; cum repetitam phlebotomiam, remediaque attenuantia illis nocuiſſe, figentibus vero auxiliis obtemperaſſe, dignoverim ſic pariter iſtarum ſymptomata ſanguinis colliquationem potius, quam coagulationem denunciaſſe obſervavi, quod & emiſſi ſanguinis inſpectiones ad oculum oſtendebant. Ideo tuto conjeci, vel quod in ſanguine acerrimum alchali exaltatum eſſet, febreſque ardentes, ac inflammationes accendiſſet; vel lymphaticos ductus acerrimo ſale redundare, quo turgidæ glandulæ, quæ per tracheam emunguntur, proprium virus in pulmones effunderent, quæ corroſiva lympha viſcus hoc erodendo, ac inflammando Pneumoniam induxiſſet; Peritos vero cautas inhac re obſervationes facere ſuadeo.

Anginæ fomites. 8. Ex his fontibus pariter proprium fomitem Anginæ ducunt; vaſa namque lymphatica, glandulæque circa faucium iſthmum, gutturiſque ſpatium undique diſſeminatæ, cum vel Acido, vel Acri ſucco redundent phlegmonem accendere ſolent. Primo itaque ſi Acida lympha ſit, facile coagulatur, ſicque ſolito defluxu non exſudans, muſculos, ubi detinetur, infarcit, ac in tumorem attollit; aſſiduo enim propulſu circulat lympha, ac in obſtructa parte novam ſemper cumulat undam, quæ inibi ſtagnando, ſenſim putreſcens, abſceſſum molitur, fauces claudit, ſicque deglutitionis, & reſpirationis munia inhibet. Si demum acris, & corroſiva lympha ſit, muſculos, quos permeat, non infarcit, ſed exulcerat, unde phlegmonis fomes ex apertis ductibus nutritur; & donec illius defluxus, & virulentia non miteſcant, ulcus perpetuatur. Hujus generis Anginas æſtivo tempore ſæpius contingere, *Hippocrates* docuit *lib. de vict. rat. in acut. num.* 40. ſicuti antecedentis generis Anginas hyberno tempore invadere *ibi n.* 39. deſcribit. Verum non lymphæ tantum, ſed & ſanguinis culpa, cum acida, vel acri lue inficiatur, gutturis phlegmones producere adhuc ſolet; capillares enim arteriæ, quæ laryngis, & pharyngis muſculos nutriunt, cum aliquod ex dictis vitium ſecum ducant, eaſdem clades, quas *antec. num.* 6. & 7. expoſuimus, inducere poſſunt. Sic pariter Mediaſtini, & Diaphragmatis inflammationes eodem modo, ac ab iiſdem cauſis produci debere, arbitramur.

9. Procatarticos demum fomites, qui ſæpe, ac plurimum dictos affectus promovent, a ſex rebus non naturalibus dictis petere convenit; inter has ergo Aer primas tenet, cum vel nimis algidus, plurimaque coagulandi vi præditus in prædiſpoſitis lymphis, & ſanguine congrumationes cogit, quæ phlegmonum occaſiones fiunt; vel nimis æſtuans acres particulas exaltando, inflammationum favillas acuunt, ad excitandum incendium; ſæpius item epidemiis effluviis gravidus populares phlegmones multiplicare ſolet, ut Medentum acta teſtantur. A cibis pariter non raro affectus iſti excitantur, cum nempe ſuccos vel nimis acres, vel ſumme acidos cum chylo in ſanguinem mittunt. Potus item frigidi, maxime cum ſanguis, & viſcera æſtuent, plurimas inflammationes induxerunt, facile enim æſtuantem in thorace ſanguinem frigida ingurgitatio coagulat; ſic nimius vini abuſus, pro illius indole, acidum, vel acre virus in fluidis exaltando, phlegmonum fomites ad promptam læſionem excitat. Nec minores morbi hujus occaſiones Excreta, & Retenta miniſtrant, ut conſuetæ Uteri, Narium, & Hæmorrhoidum fluxiones retentæ, ut & Perſpirationis effluvia cohibita, quæ in maſſam revertendo, phlegmonum fomites in ſanguine adaugent. Nimius tandem labor, motuſque excedentes in non aſſuetis, ſpiritus, ac fluida omnia vehementer concitando, vaſorum reſiſtentiis vim faciunt, ferventiſque ſanguinis effuſiones provocant, & ſic facile inflammationes accenduntur. Hæc demum cauſæ fuere, nunc Prognoſin inſequimur. *Prothaſes cauſæ.*

10. Et

Prognoſis primo Pleuritidis.

10. Et primo Pleuritis accedit, cujus prognoſticum præcipuum habetur 5. *aph* 8. *Quicumque morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, hi ad ſuppurationem vertuntur*. Hæc regula univerſaliter vera, ſuas aliquando exceptiones patitur; cum & Pleuritis maligna ante quartumdecimum repurgari debeat, & benignæ adhuc plures ad vigeſimum, & ultra perfectam purgationem prorogaſſent; quarum ſimiles *Hippocrates* ipſe deſcribit, primam nempe in *Anaxione lib.* 3. *de morb. vulg. text.* 79. alteram pariter in *Mecone l.* 7. *ejuſd. text.* 47. quos ultra trigeſimum diem integre repurgatos deſcribit; ideo cum aliquando ultra 14. dies integra repurgatio prorogetur, dummodo laudabilis expuitio perſeveret, minitatam ſuppurationem prænunciare, non decet. Legitima vero purgatio per anacatharſin, ſeu per ſputum fit; ſputum autem quo citius, copioſius ac bonæ notæ, & cum facili eductione procedat, bonum omen portendit; contra vero ſicca Pleuritis, in qua parum, vel nihil, aut cum difficultate, nimiove dolore expuitur, ad ſuppurationem, vel ad exitium tendere minitatur. Sputa vero bonæ notæ ſunt, cum non nimium aquoſa, ſed ſubglutinoſa, albeſcentia, vel in principio cruenta, nullo tamen ſincero colore tincta; ac in morbi progreſſu vere concocta excernantur. Contra improbe notæ ſunt flava nimis, aut viridia; pejora plumbea, vel livida, peſſima tandem ſincere nigra. Item *ſi in principio ſputationes penitus purulentæ ſunt, tertia die aut quinta moriuntur*. *lib. de Coac. præn. nu.* 3. Item *Quibus, pleuriticis ſtrepitus ſputi multus in pectore eſt, & facies triſtis, & oculus morbi regii colore infectus, & caliginoſus, hi pereunt*. *ibid. nu.* 4. Docet pariter idem *lib.* 3. *de morbis num.* 19. *in Pleuritide ſi ſingultus adfuerit, ſimulque ſanguinis grumos nigros tuſſiendo ejecerit, ſeptima die moritur*; quod de omni vehementi ſymptomate pleuritidem comitante, cenſere decet; ut præcipue alvi profluvium, niſi criticum ſit peſſimum eſſe, 6. *aph.* 16. denunciatur. Urina demum *cruenta caliginoſa cum ſubſidentia varia indiſcreta, lethalis in pleuritide eſt*, *ut lib. de Coac. præn. nu.* 4. docetur. *quæ vero ſubrubram levem habet ſubſidentiam ſecuram judicationem ſignificat*: ibi ſcribitur. Suppurati denique hac Hippocratis ſententia ſubjacent. *Quicumque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur, a die a qua fit ruptio, liberantur, ſi vero non, ad tabem tranſeunt*. 5. *aph.* 15.

Pneumoniæ prognoſis.

11. Pneumonia vero, etſi plures Pleuritidis prognoſes pari eventu ſequatur, nonnulla tamen propria ſibi adſciſcit prognoſtica; cum morbus iſte viſcus nobilius in utraque parte afficiat, ac integrum ſæpe pulmonem inflammet, & abſumat, ut ex anatomica inſpectione pluries innotuit. In hac ergo primum ſi nimia, ac diuturna expuitionis difficultas appareat, vel *ſuppuratos ægros fieri*, *Coac. præn. n.* 3. vel omnino perire ſolent. Sputa vero eaſdem cum Pleuritide notas habent; matureſcentiæ vero, ſeu coctionis tempus, celerius præ illa expetitur, cum alius infauſte cito abſolvatur, & maxime *ſi in pectore rubores ſubleventur*, ut *in Coac. præn. n.* 3. docetur; tunc mortem cito prænunciare, *lib.* 1. *de morb. nu.* 10. etiam confirmatur. Urinæ item ſi ante ſeptimum coctionis rudimenta ſaltem oſtendant, ſalutis indicia proferunt; at *ſi craſſæ in principio, deinde poſt quartum attenuantur, pernicioſæ ſunt*: *in Coac. præn. n.* 4. Extravagantes in Pneumonia Criſes, ut hæmorrhagiæ, urinæque copioſæ, ſudores multi, ac alvi fluxus, poſt morbi maturitatem inſtitutæ, ſæpe fauſtæ fuere; contra vero ſi ante coctionis ſigna contingant, funeſta eſſe, *Hippocrates*, & experimenta docuere; ita & abſceſſus poſt, vel circa aurem, aut ad infernas partes, qui aliquando in Pneumonia emergunt, ante coctionem ſæpe mortem, poſtea vero ſalutem prænunciare, *in coac. prænot. num.* 2. notatur. Variæ item hujus morbi tranſmutationes eventus etiam differentes enunciant; Pneumoniæ ex Angina progenitæ, *in ſeptem diebus interimunt*; *ſi vero has effugerint, ſuppurantur*. 5. *aph.* 10. ſic pariter *a morbo laterali inflammatio pulmonis malum eſſe* 7. *aph.* 11. docetur; cum ad nobiliorem partem afficiendam, morbus aſcenderit; ſicque pulmonum inflammatio cum ad phrenitim tranſeat, malum eſſe 7. *aph.* 12. docetur;

tur; cerebri enim, & pulmonis phlegmones Naturam perferre, ac ſuperare, arduum eſt. Tres demum ægrotantium conditiones difficillime ab hoc morbo evadere permittunt; prima Puerorum eſt, quibus præ cæteris expuitio inſueta, & difficilis eſt; altera Decrepitorum, quorum languidus vigor ad coctiones perficiendas omnino ineptus eſt; tertiam ſic *Hippocrates oſtendit*. *Si peripneumonia mulierem, fœtum in utero habentem, corripiat, neceſſario interimit. lib.* 1. *de morb. n.* 3. Hoc tamen de tribus primis, & ultimis prægnantium menſibus facile verum eſſe poteſt; nam de tertio uſque ad ſeptimum (quo tempore purgari poteſt) gravidas plures a Pneumonia liberatas vidimus. Hæc demum de pulmonum phlegmone in ſpecie prognoſtica ſunt. Mediaſtini pariter, ac Diaphragmatis inflammationes parum, vel nihil ab hiſce diſparem prognoſin habent; cum ſimiles cum Pleuritide & Pneumonia ſemitas currant.

Anginæ prognoſis. 12. Plurium vero a dictis diſſimiles Anginæ Prænotiones ſunt, cum præ illis ſæpius funeſtior affectio ſit. Equidem *Anginæ graviſſimæ ſunt, & celeriter interimunt; aliquæ in eodem die, vel ſecundo, tertio, aut quarto. lib. coac. præn. n.* 3. Mitiores vero ad ſeptimum aſcendunt, ac harum diſcrimen ab affecta parte deſumitur. Periculoſiſſimæ ergo, quæ ſæpe ante quartum interiſmunt, Cynanche ſunt; quia laryngis muſculos afficiunt, & reſpirationem cohibent, ſine qua nec per horæ dimidium vitæ munia exerceri poſſunt. Altera, mitior Synanche eſt, quæ pharyngis muſculos inflammat, minoremque ſpirandi læſionem infeſt at, deglutiendi majorem; ideo minoris periculi, quia major ſpirandi, quam cibandi, vitæ neceſſitas eſt. In Cynanche tumor, & rubor, quia in faucibus non apparent, lethalem morbum 4. *aph.* 34. denunciat; quo enim intimius guttur tumeſcit, eo facilius ſtrangulationis periculum imminet, cujus ſignum, eſt *cum ſpuma circa os fuerit, ut* 2. *aph.* 43. docetur. Hæc pericula in Synanche non adſunt, cum tumor ipſius, & rubor obvius in faucibus ſit, dolorem febremque mitiorem inducere ſoleat; interdum vero inflammatio ab exteriori pharynge ad interiorem laryngen vertitur, & de malo in pejus ruit affectio, ut 6. *aph.* 25. deſcribit, ſæpeque irreparabilem hunc ad intimiores partes acceſſum fuiſſe, olim vidimus. Infauſtum item eſt, cum tumor, & rubor ſine depuratione diſpareant; tuto enim conjicitur, quod phlegmonis lues in pulmones dilapſa, perniciosam pneumoniam efficiat, quæ vel in ſeptimo interimat, vel in empyemate ſuppurentur, *ut* 5. *aph.* 10. *& in coac. præn. n.* 3. confirmatur; metaſtaſis vero altera, quæ anginæ tumorem, & ruborem in pectore transfert, bona eſt, *extra enim vertitur morbus, ut* 7. *aph.* 51. docetur; malum vero ſi anginæ fervor caput petat, & delirium excitet: periculum enim eſt, quod cito in phrenitidem tranſeat, & maxime ſi febris in hoc caſu ardens ſit. Demum morbi hujus fomites plus minuſve diſcrimina ducunt, malum enim ab Acida, pejus ab Acri lue minitatur; in prima febris acuta, in altera febris ardens, illa tardo acutarum greſſu procedit, hæc vedo celeriter jugulare ſolet; utraque maligna eſſe poteſt, peſſimum tamen virus ultima nutrit, & cum Cynanche ſit eadem die interimit. Anginæ demum a pura vertebrarum luxatione ortæ, quas pueris maxime contingere. 3. *aph.* 26. docetur, has, inquam, Chirurgiæ curationibus reſervamus, & ad omnium medelam deſcendimus.

13. Medendi ergo methodus a ſequenti lege dirigitur. Phlegmonum curatio Differentes illorum Status expendere primo petit, cum diverſa morbi conſtitutio diſpares etiam indicationes ſuggerat. Duplicem igitur in quovis Phlegmone ſtatum eſſe, Praxis docet, Cruditatis nempe, & Coctionis, qui certo diverſa omnino remedia exigunt; quare ut cuique appropriata methodo incedamus, Cruditatis ſtadium apprime luſtrare intereſt, ac immediatos illius fomites haud negligere; aliud enim tenuis, & acris, aliud item craſſa, & viſcida lues expetunt. Phlegmonis ergo initium, & incrementum, uſque ad matureſcentiam, Cruditatis ſtadium eſſe dicitur; hujus vero indicationes curativæ ſunt. Primo effuſi ſucci, ſanguinis nempe, aut lymphæ, quavis culpa peccantes, appropriatam Diſcuſſionem tentare; quod *Curationis leges.* *Cruditatis indicationes.*

cum

cum cito non aſſequatur, ad Digeſtionem deſcendere convenit, habito ſimul Febri, Symptomatiſque reſpectu. Hæc potiſſima videtur eſſe primæ curationis intentio, quam ſequentibus aſſequi poſſe, non ambigimus.

Primo phlebotomia.

14. Utrique hic, Pleuritidis nempe, ac Pneumoniæ Phlegmoni ſequentem curationem deſtinamus; cum utrique nunc datæ indicationes æque ſatisfaciant. Primo itaque directum auxilium, ad has intentiones exequendas Venæ ſectionem Chirurgia exhibet, quæ multum commodum diſcutientibus remediis parare ſolet, cum redundanti fluido diminuto, tumores facilius diſcutiantur; hoc item auxilium, maxime cum Pleuropneumonia ab Acida lue foveatur, opportunum eſt; cum ad fluidorum coagulationes ſolvendas, pro primo indicato phlebotomia fit, *ut cap. de febr. coagul.* dictum fuit. Pro virium ergo tolerantia, morbique vehementia, cæteriſque ſpectantibus circumſtantiis, venæ ſectionem inſtituere, ac repetere, cum opus exigat, etiam intereſt; cum hac tamen conditione, quod ſi morbus ex menſium, vel hæmorroidum ſuppreſſione ortum habuiſſe videatur, altera ſanguinis miſſio ex inferioribus venis peti debeat, ut ſanguis circumiens rapidiori motu ad infimas partes revocetur, ac a phlegmone remotius lædentia fluida diſcedant. Repetita hic phlebotomia, cum Acidum figens Phlegmonis cauſa fuerit, opportuna certo ſit; cum vero Acre virus inflammationem induxerit, minime toleratur, niſi febris circa quartum majores excandeſcentias oſtentet; ſimiliter in veneficis, aut peſtiferis Pleuropneumoniis, cum vehemens febris expetat, unicam, & parcam ſanguinis miſſionem celebrare ſufficit, repetere vero, niſi valida indicantia clamitent, vires, & vitam ſimul perimere eſt. Ideo ſumme intereſt, a virium jactura, acerbis ſymptomatis, temporiſque conſtitutionibus, cæteriſque ſimilibus indiciis, veneficam a ſimplici affectione diſcernere, ut proficuum ſemper Artis auxilium ſit.

Methodus primæ diei.

15. Ad methodum denique accedendo, prima die in ſimplici Pleuropneumonia, a venæ ſectione curatio auſpicari debet, quæ in brachio affectæ partis celebrari debet, quantitatem vero ſanguinis educendi virium tolerantia præſens, & futura, morbi vehementia, ægri conditiones, temporiſque conſtitutiones præſcribere debent; cum autem eadem die repetendam eſſe inflexibilis morbi vehementia petat, vel ex altero brachio, vel, ut dictum eſt, ex inferioribus venis emiſſio fieri poterit. Item eadem prima die diſcutientia remedia cum appropriatis ſequenti, vel ſimili modo exhibeantur. ex. gr.

℞. *Aqu. Papav. errat. Card. ben. aa. unc. ij.*
Antimon. diaphor. ſcrup. ij.
Dent. Apri pp. drach. ſem.
Spermat. Cæti non rancid ſcrup. j.
Syrup. Papav errat. unc. j.
M. pro una Doſi matutin.

vel ℞. *Sangu. Hirci Helmont. Scrup. ij.*
Laudan. Tartariſat. gr iij.
Syrup. Papav. Errat. unc. j.
M. & cochleat. tot. ante cibum ſumat.

vel pro delicatulis, ac Divitioribus ſequens bolus, qui nunquam me fefellit, videlicet.

℞. *Nitri Antimoniat. optim. ſcrup. j.*
Magiſt. Dent. Apri.
Mandib. Lucii aa. gr. xv.
Syrup. Papav. errat. q. ſ. ut bolus f.

cui ſuperbibat ſequentem Aquam, videlicet.

℞. *Aqu. flor. Papav. errat. unc iij.*
Tinctur. flor. Papav. errat. drach. j.
Laudan. Tartariſat. gr. ij.
M. & poſt bolum bibatur.

vel Aqua noſtra antipleuritica ſingularis, etiam in maligna Pleuropneum. quæ fit.

℞. *Aqu. Noceræ perfect lib. iv.*
Succ. Tuſſillag. ex radic. & fol. virentib. fact. lib. iij.
Flor. Papav. errat. manip. iv.
Spirit. Sulphur. unc. ſem.
M. & diger. per biduum. poſt Deſtill.

ex capit. mort. cum aqua Papav. errat. q. ſ. f. l. a Extract. cujus drach. ſem. cum nunc datæ Aqu. Antipleuritic. noſtræ unc. j. ſimiliter pro una Doſ. Quodlibet ex dictis auxiliis bis in die, mane, & ſero æger aſſumat. Pro victu cibo tenui uti oportet. Item ad partem affectam

℞. *ol.*

℞. *ol. lini-Aneth-Amygd. dul. aa. unc. ſem.*
Radic. Irid-Cumin. pulver. aa. drach. j.
Ungu. de Althea unc. j. ſem.
M. f. liniment. calid. linteis ferventib. fovendum.

vel ℞. *Sapon. Venet. unc. ſem.*
Pingued. Muris Montan. unc. j.
Ol. flor. Verbaſc-Camomill. aa. unc. j. ſem.
M. f. linim. ſimiliter utend.

vel Oleum admirandæ virtutis in doloribus compeſcendis, & præcipue in Pleuriticis, quod fortiter diſcutit, fit.

℞. *Flor. Cyclamin. q. v.*
Ol. Olivar. ad eminent. 2. digitor.
Bull. in olla vitriat. igne leni, poſt exprime.
Expreſſ. adde flor. Cyclam. q. ſ. & per menſem inſoletur.
Poſtea coletur, & ad uſum dictum ſervetur.

Hoc idem facit oleum Cucurbitæ Martiat. optim. præparat. Cum autem dolor intolerabilis ſit, ut non raro inſpeximus, tunc Laudan. liquid. & parum camphor. oleis dictis addi poteſt; quod in extremis doloribus anchoram ſacram inveni; hiſce demum primam diem claudere decet.

Diei ſecundæ Curatio. 16. Mane vero ſequenti cum doloris, febriſque vehementiam, ac ſpirandi anguſtias diminutas eſſe reperiatur, eandem antecedenti die ſumptam mixturam mane & ſero reſumere, ac linimentum uſurpatum eodem modo repetere convenit; cibum etiam tenuem præſcribere, & ſic ad tertium uſque quieſcere, æquum erit. Contra vero cum Febris, & ſymptomata exaſperata potius, quam diminuta eſſe videantur, primo loco Venæ ſectionem, cum unica tantum prima die celebrata fuerit, præſcribere, intereſt, parciorem tamen, & in altero brachio celebrare, poſtea ſequentem potiunculam, niſi vomitus prohibeat propinare oportet, videlicet.

℞. *Ol. Amygdal. dulc. recent. unc. iv.*
Magiſter. Dent. Apri ſcrup. j.
Oculor. Cancr. Drach. ſem.
M. & horis 4. ante cibum ſumat.

Poſt duas horas ab olei potione Aquæ noſtræ antepleur. unc. j. Extract. illius drach. ſem. propinet, in defectu vero Aqu. dict. Aqu. Papav. errat. unc. ij. ſpermat. Cæti non ranc. ſcrup. ſem. m. & ſume; Cum autem vomitus olei potionem ſumere, ac retinere inhibeat, ſequenti bolo ſaltem omnino utatur.

℞. *Extract. Rhabarb. opt. drach. j.*
Magiſt. Dent. Apri ſcrup. j.
Laudan. Tartariſat. gr. iij.
Syrup. Papav. Errat. q. ſ. ut f. bol. utend. ut ſupra.

17. Tertia demum die, quæ ut plurimum ſævior eſſe ſolet, cum mitiora omnia reperiantur, maxime ſi blandus ſudor, vel mador ſaltem appareat, ut pluries in his caſibus inſpicere contingit, intentam phlegmonis diſcuſſionem obtineri poſſe, facile conjicitur, ut millies hiſce ſtantibus, compertus ſum; ideo ad mixturam efficaciorem efficiendam, aliquid adhuc addere oportet, ut facilius intentum ſcopum aſſequamur, talis ergo vel ſimilis fit. *Tertiæ diei curatio.*

℞. *Aqu. noſtræ Antipleur-vel Aqu. Papav. Errat. unc. j.*
Card. bened. unc. ij.
Nitri Antimoniat. ſcrup. j.
Corn. Cerv. philoſ. calcin. ſcrup. ij.
Sperm Cæti non rancid. ſcup. j. ſem.
Syrup. de Card. bened. unc. j. ſem.
M. pro Doſi matut. de ſero repetenda.

vel ℞. *Aqua Card. bened-Papav. errat. aa. unc. ij.*
Eſſent. ſanguin. Hirc. ſcrup. j.
Antimon. Diaphor-C. C. philoſ. aa. Drach. ſem.
Spermat. Cæti optim. ſcrup. j. ſem.
Syrup. de Card. bened. unc. j. ſem. m. pro Doſ.

Unam vel alteram mixturam mane, & ſero repetere, linimentum ſæpius applicare, ac eandem cibum tenuem miniſtrare oportet. Potus vero, cum ſitis urgeat, vel Tinct. Papav. errat. in Aqu. Card. ben. longa, vel Decoct. paſſul jujubar. in aqu. commun. aut ſimplex aqua, cui ſyrup. Card. ben. addatur, eſſe poterit, ſemper vero tepidiuſculus potus miniſtrari debet; frigida enim male affecto pectori inſenſa ſunt. *Tertiæ diei aſperæ curatio.*

18. Verum cum eadem tertia die contumacior Febris, ac pejora ſymptomata recrudeſcant, madoremque nullum ab aſpera cuti perſpiraſſe, inveniatur; contumacem phlegmonem ob nimiam in-

infarcientis materiæ copiam, vel fixitatem, diſcuſſionem refellere, cogitandum eſt; & ideo ad digeſtionem accedendum erit. Quamobrem dicta die 3. Febris, ac Symptomatum recrudeſcentia indicante, Venæ ſectionem repetere primo intereſt, quantitatem vero ſanguinis extrahendi, ægri vires, morbi vehementia temporiſque conſtitutio limitare debent, per me nunquam in hac urgentia uncias octo traſcendere ſueſco; cum de futuris viribus ſerio cogitandum ſit, ne Naturæ vigor, in ambiguo cum rebelli morbo certamine, deprimatur, morbique pertinacia adaugeatur. Item hora una circiter poſt phlebotomiam, digerentem hanc, vel ſimilem mixturam exhibere intereſt, quam manè, & veſperi Patiens ſumat.

℞. *Ocul. cancr. Ireos pulv: aa. Dr. ſem.*
Magiſt. Dent. Apri ſcrup. j.
Flores ſulphur. gr. xv.
ſyrup. Card bened. q. ſ. f. bol. pro Doſ.

item ℞. *Decoct. ex Jujubar. & Liquirit. unc. iiij.*
Syrup. Jujubar. unc. j.
M. & ſuprad. bolo ſuperbibat.

item ℞. *Aqu. Card. bened. unc. iij.*
Magiſt. Ocul. Cancr.
Rad. Ireos pulver. aa Drach. j.
Sperm. Cæti non rancid. Drach. ſem.
Syrup. Jujubar. Card. ben. aa unc. j.
M. & cochleat. tota in Die ſumatur.

Auxiliis iſtis tandiu inſiſtere oportet, donec libera, & liberalis Anacatharſis appareat, ut per hanc viam phlegmonis lues omnino eliminetur. Quæ item poſtea expetantur remedia, infra in Coctionis ſtadio enunciantur; linimentum pariter continuare oportet, & ad hoc opus vel ſum. ol. Cyclamin. ſupr. dat. vel ſequens, quod etiam efficaciter operatur, videlicet.

℞. *Ciner. fol. Braſſic. unc. j.*
Semin. Braſſic. Erucæ hortens. aa dr. ij.
Butir. rancid Ungu. Alth aa. unc. ij.

Butir., & Alth. coqu. parum, poſtea ſenſim alia pulveriſata miſc. & f. linim. calid. utend. ac foliis Braſſicæ torrefactis, & calentibus tegatur, panniſque calidis ſæpe foveatur, ac ter ſaltem in die replicetur.

morbi pertinacia. 19 Cum autem contumaciſſimus tumor nec in ſeptima die auxiliis iſtis parere velle videatur ut ſicca Tuſſis, Febriſque, ac Doloris pertinacia demonſtrant; ne ſuppurationem moliatur, inquirere primo intereſt, ex qua culpa per anacatharſin expurgari renuat, quo cognito, aptiorem methodum inſtituamus. Cauſam ergo ſputa ipſa ſæpius, ni ſemper oſtendunt; Sputum enim vel nimis tenue, & aquoſum, vel nimis craſſum, & tenacem difficilem excreationem gignere ſolet; igitur ex hac duplici origine anacatharſis cohibetur. Quamobrem primo, Febris reſpectu habito, craſſam luem attenuare, tenuem vero ad maturitatem ducere, hoc opus expetit, ſicque pertinacem jam, facilem demum expurgationem conſequimur. Itaque cum nimis craſſa, viſcidaque lues per ſputum educi renuat, Naturam ad illius maturitatem moliendam, ineptam eſſe oſtendit; ideo ubi defatigata, vel iners illa deficiat, Ars provida ſtimulos, vel ſuppetias ipſi deferre tenetur, in cujus cenſu ſequentia ſunt.

℞. *Aqu. Tuſſilag. Scabioſ. aa unc. ij.*
Extract. Rad. Ireos florent. Drach. ſem.
Oxymell. ſimplic. unc. ſem.
Syrup. de Glycyrrh unc j.
M. pro Doſ matut. ſero repetend.

vel efficacior ℞. *Aqu. Antipleurit. nræ unc. j ſem.*
Extract. Enul campan.
Rad. Ireos aa Drach. ſem.
Oxymell. Scyllit. unc. ſem.
Syrup. Nicotian. unc. j. ſem.
M. pro Doſ. & ſimiliter utito.

Interdiu verò ſequentem mixturam cochleatim, & ſępe ſumere adhuc expedit, ut continuatus remediorum uſus, citius rebellem phlegmonem expugnet.

℞. *Aqu. Tuſſilag. Scabios. aa unc. ij.*
Extract. Rad. Ireos. Drach. ſem.
Lohoc ſani, & expert. unc. ij.
Syrup. de Glycyrrh. unc. j. ſem.
M. & cochleat. tot. in die ſumat.

Potus verò ſub hac intentione propinandus, ſequens, vel ſimilis eſſe debet.

℞. *Hord. mund. & integr. pugill. j.*
Rad. Ireos florent. contuſ unc. j. ſem.
Liquirit. raſæ unc. ſem.
Paſſular. minor. unc. ij.
Aqu. font. lib. xij. M. coqu. ad tert. pro potu.

Linim.

Linim. extern. ℞. *Radic. Ireos pulveriſ. drach. iij.*

Camphor. in ſpir. Vin. ſolut. drach. ſem.

Succ. Urticæ vulgar. unc. ij.

Ungu. de Althe. Butir. aa. unc. j.

M. Coqu. ut de altero ſupr. n. 18. dictum eſt,

& pro linim. ſimili modo utatur

His demum, vel pro re nata Similibus, in craſſa lue attenuanda, & ad coctionem inducenda, tandiu inſiſtere eſt opus, donec ad facilem repurgationem, & maturitatem diſpoſita videatur; cum tandem ſcopum, ad quem diriguntur, attingant, tunc expectorantia, in ſtadio coctionis exponenda, exhiberi debent.

Tenuem materiam incraſſare. 20. Altera vero Cauſa, quæ anacatharſin lentam, & inutilem reddit, lymphatica materiæ tenuitas eſt, quæ ut corrigatur, incraſſantibus, vulgo dictis, remediis ad opus utile reducere intereſt, quorum lineam ſequentia tenent.

℞. *Aqu. Portulac. Violar. aa. unc. ij.*

Sacchar. Radic. Althe. drach. ij.

Spec. Diatragac. frigid. drach. j.

Syrup. Violar. ſimplic. unc. j.

M. pro Doſ. matut. de ſero repetend.

Interdum pariter ſequens, vel ſimilis mixtura, cochleatim ſumenda præſcribatur.

℞. *Aqu. Violar. unc. iij.*

Specier. Diaireos ſimpl. drach. j.

Sacch. Radic. Althe. Penid. aa. ſc. ij.

Syrup. de Jujubis Meſue unc. j.

M. & cochleat. ſæpe ſumatur.

Potus item talis eſſe poteſt.

℞. *Hord. decorticat. pugil. j.*

Jujubar. Sebeſt. aa par. x.

Radic. Althe. contuſ. unc. j.

Aqu. font. lib. xij. M. Coqu. ad tert. pro Potu.

Cataplaſm. pariter ℞. *Rad. Althe. Malv. aa. unc. iij.*

Fol. Malv. Viol. aa. manip. ij.

Aqu. q. ſ. coqu. ad mollitiem, poſt. adde

Farin. Fabar. Fenugræc. aa. unc. ij.

Ungu. de Althe. unc j. M f cataplaſm.

Sero, & mane replicand.

Hiſce omnibus tandem inutilibus, ſuppurationis periculum minitatur. Interdum tamen etiam poſt Decimum quartum, hiſce conſtanter uſis, anacatharſin proficuam tandem promotam, ægroſque ab imminente ſuppuratione redemptos vidimus; ideo conſtanti animo in dictis auxiliis ad vigeſimum, & ultra perſeverare oportet. Rari tamen ſunt caſus iſti, frequentiſſimi vero, qui remediis hactenus expoſitis, ad tutam coctionem fæliciter hunc morbum reductum viderunt.

21. Cum denique, vel per ſe, vel Artis famulatu, victricem Naturam morbum perdomuiſſe, Coctionis effectus oſtendant; facili tunc negotio, triumphum ſecundare, ſeu anacatharſin levibus auxiliis facilitare, Medens poterit, quem ſcopum ſequentia tangunt. *Coctionis ſtadium.*

℞. *Aqu. Farfar. Papav. errat. aa. unc. ij.*

Extract. Liquirit. aqu roſ. ſolut. ſcr. ij.

Syrup. Violar. ſimplic. unc. j. ſem.

M. & cochleat. ſæpius utatur.

vel ℞. *Aqu. Violar. Papav errat. aa. un ij.*

Sacch. Penid. Diatrag frigid aa. dr. ij.

Julep. de Pomis dulc. unc. j. ſem.

M. utatur ut ſupra.

vel ℞. *Aqu. Viol. Conſolid. min. aa. unc. ij.*

Butir. Sulphur. optim. gr. xxv.

Syrup. Papav. Errat. un. ij.

M. & ſimiliter utat.

vel ℞. Rotular. Diaireos. qu. v. cujus fruſtulum in ore liquatum ſenſ. degluttiatur; hæc vel ſimilia pro affectus conditione, ac Patientis gratificatione, ad exitum devictæ luis facilitandum, permutari poterunt. Potus autem ſit vel Aqua mulſa, vel Decoct. hordei mund. cum Julap. Violar. edulcorat. Cibus non omnino tenuis, ſed pleniuſculus ſit. Demum Aerem frigidum, ut & frigida omnia, quæ recidivas parare ſolent, evitare intereſt. Cum autem Morbi reliquiæ aliquid adhuc petere videantur, Peritus Medens pro re nata prævidere, ac providere poterit. Hæc ergo benignas, ut dicunt, Pleuropneumonias, cæteraſque Thoracis inflammationes, tuto abſolvere poſſunt; nunc quid Malignæ petant, adhuc inquirere ſupereſt.

Pleuritides malignæ. 22. Funeſtus quidem affectus eſt Pleuropneumonia maligna, maxime cum Aeris infecta effluvia hunc veneficum morbum popularem efficiant, ut olim Hippocrates etiam in *libr. Epidem.* deſcripſit; virulentum enim eſſe, nullumque

reme-

remedium ſæpius audiviſſe, Practicorum monimenta adhuc teſtantur. Equidem primo venæ ſectionem, quam adhuc repetitam benignæ Pleuritides audire ſolent, in iſtis nec toleratam, nec utilem, ſed noxiam ſæpius fuiſſe, noſtra quoque praxis inſpexit. Item nec appropriata remedia, quorum in his benignis ſolemnis uſus eſt, proficua nunquam, ſed potius nocentia fuiſſe, compertum etiam habui; idcirco non quidem ab Acido, ſed ab Acri veneno affectus iſtos promanaſſe; certo dignovi, ſicque variata curatione, tandem bene ceſſit. Non me tamen latet, plures adhuc veneficas Pleuropneumonias ab Acido viru contigiſſe, quæ, cum phlebotomiam facilius audiant, & conſuetis antipleuriticis, alexipharmacis permixtis, commode pareant, differentem ideo præ ſupra datam curationem haud repoſcunt; ſi enim hactenus data remedia, cum alexiteriis provide colligentur, malignæ ab acido viru ductæ Pleuritides tuto expugnantur. Quid vero inter venena iſta proprie diſcriminat, non facile apparet; aſſidua tamen obſervatio nos inſtruit, dictas differentes inflammationes ſequentibus ſignis non raro diſcerni poſſe. Primo Pleuritis ab Acido veneno ducta, cum frigore ſæpius incipit, febremque acutam, ſed non ardentem oſtendit, nec cum ardenti ſiti, nec cum ſubita virium deperditione invadit, laterisque dolorem acutiſſimum, capitis vero gravativum, at reſpirationem difficillimam, tuſſim mitem, nec cruentam excreationem habuiſſe, inſpeximus. Contra vero Altera ab Acri viru accenſa Pleuritis, primo cum ardenti febre, nulloque prænuncio frigore invadit, vires in ipſa invaſione proſternit, affecti lateris mutum dolorem, capitis vero maximum oſtentat, reſpirationem difficillimam, tuſſimque contumacem, ſed ſiccam, & aliquando cruentam expuitionem excernere, obſervavimus. Periti ergo penſum erit, contraria utriuſque ſigna ſerio perpendere, ac cum virulenta temporis conſtitutione, populariter graſſante, matura ponderatione conferre, ut legitimam notionem, plus minuſve ab hiſce alienam diſcernere, & cum enunciatis ſignis componere ſciat curationiſque pericula devitare aſſequatur; plurimum enim hactenus obfuit, differentes affectiones iſtas haud recte diſtinguere, & confuſim ambas unico malignitatis reſpectu bezoardico pleuriticis expugnare, quibus ſæpe accelerata ſanguinis diſſolutione, remedia ipſa, cum morbo fæderata, citius ad lethum ducebant. Ut ergo tuta curatio ſit, Acre, & Acidum virus ſerio dignoſcere, ac appropriatis cuique expugnare, hic, ſicut in cæteris morbis, Medentibus intereſt.

Malignarum diſcrimen oſtenditur.

23. Nunc ergo indicationes ab Acri tantum in Inflammationibus iſtis luxuriante veneno, deſumimus, quod abſorbere, vel compeſcere primo expedit, hinc nimiam ſanguinis concitationem ſedare; demumque affectam partem a phlegmone redimere oportet. Majus enim vitæ periculum a ſanguinis imminenti colliquatione, quam ab inflammatione minitari ſuademur; ideo Acre virus, utriuſque cauſa, primo marte ſubigendum eſt. Has ergo intentiones ut aſſequamur, præ cæteris auxiliis præcipua Venæ ſectio ſe offert, quam in Inflammationibus primas implere paginas, vulgus arbitratur. Verum compertis periculis plurimis, vulgari hac lege hic abuti nequimus; at quia in hoc caſu ſanguinis turgentiam ardens febris oſtendat, ad illius orgaſmum compeſcendum, venæ ſectio tuta eſſe videtur, quam tamen ante diem tertiam, & ad ſeptem ſanguinis uncias per me limitare aſſueſco, nec ulla ſuaſione illam repetere inducor. Equidem in his veneficis plus damni, quam beneficii attuliſſe, centies compertus ſum; cum Naturæ vigorem, qui in morbi limine perire ſolet, ſanguinis miſſio magis, ac magis proſternat; ſicque facilius veneni vires dejecta natura triumphant. Hoc ergo in malignis Pleuropneumoniis, quæ in ipſa invaſione ægros proſternunt, cautum ſemper mihi eſt, ſemel tantum & in morbi principio, ac avara manu phlebotomiam celebrare. Hinc ocyter ad urgentiora, & magis directa remedia, quæ veneficam luem ſubigere poſſunt, deſcendere oportet; ideo poſt phlebotomiam, refectis convenienti juſculo viribus, hora ſaltem poſt, mixtura ſequens exhibeatur.

Malignarum Curatio.

℞. *Aqu. Card. bened. Papav. errat. aa. unc. ij.*
Cord. Saxon. prim. unc. j.
Sulphur. Antimon. fixi Ludovic. gr. xij.
Extract. Radic. Bardan. major. ſcr. j.
Enul. campan. ſcrup. ſem.
Magiſt. Corall. Dent. Apr. aa. drach. ſem.
Syrup. Papav. errat. unc. ſem.
M. & cochleat tota in hora ſumat.

Hæc mixtura quot ad ſudandum compulit, tot in ſeptimo ab hac labe rедemiſſe inſpeximus, interdum etiam Corn. Cerv. philoſ. ſcrup. ij. addidi, ut renitentem ſudorem fortius concitaret. Potum vero in hac urgentia ſæpius præcepi, videlicet

℞. *Rad. Bardan. major.*
Enul. Campan. aa. unc. j. ſem.
Corn. Cerv. raſpat. drach. iij.
Jujubar. Paſſul. exacin. aa. unc. j.
Contuſ. affund. Aqu. Nocer. lib. j.
Coqu. & colat. ad uſum ſerv.

Externum etiam linimentum ad eundem ſcopum ſequens eſt.

℞. *Trochiſc. de camphor. Meſue dr. j.*
Ungu. de Althe. Butir. recent aa. unc. ſem.
Ol. Verbaſc. Lilior. alb. Camomill. aa. q. ſ.
Ut f. liniment. tepid. utend.

vel Liniment. alter. num. 19. ſupr. datum ſimiliter adhiberi poteſt.

24. In auxiliis ergo hiſce, cum tenui victu fæderatis uſque ad quartam diem inſiſtere eſt opus; & cum ſudoris copia emergat, ad ſeptimum uſque eadem methodo utatur; tuta enim ſpes elucеſcit, quod vel ſeptima dies fauſtam ſolutionem promittat, vel ſaltem ultra ſeptimam, evitato mortis periculo, ſenſim morbus decedat; & in hoc eventu, ſupra datam ſimplicis Pleuritidis methodum ad uſum vocare, ſatis erit. Cum autem debita ſudoris copia quarta die non appareat, tunc mixturam dictam vel bis in die repetere, vel ſaltem Corn. Cerv. philoſ. ſcrup. ij. illi addere oportet, ſicque ad ſeptimum uſque conſtanter inſiſtere; hiſce demum inutilibus, quid in hoc arduo caſu tentandum ſit, non video. Peſſundata enim a morbo Natura, auxiliorum aculeos audire nequit; ideo aliorum ſuaſionibus, noviter inſtituta phlebotomia, eadem die mortem acceleraſſe vidimus; cum paucas vires ocyter deperdiſſet; ſimiliter bezoardica fortiora obfuiſſe notavimus; pejus enim morbo remedium colliqueſcentem ſanguinem ocyus confecit. Quamobrem unicam hujus naufragii tabulam eſſe Naturæ vires delapſas temperatis cardiacis, & alexiteriis ſubſtentare ſuadeor; ſed hæc ſatis ſint, nunc ad colli phlegmones accedimus.

ANGINÆ CURATIO.

25. Anginæ demum plurimas a dictis diverſas, & peculiares methodos ſibi adſciſcunt; imo & inter ipſas, pro diſpari cauſarum conditione, variam curationem adhuc poſcunt. Viſcida enim, vel Acida anginæ cauſa indicationes eaſdem cum Acri fomite haud æque componit; ideo ſpeciatim ſingulæ propriis auxiliis curandæ ſunt. Veruntamen in omni & qualibet angina, cum febre ſociata, præcipuum phlebotomiæ remedium eſſe, vulgare dogma videtur, a quo ſi quis recedat vulgi fabula evadit. *At vulgi legibus parere, ac pavitare, non ſemper ſapientis eſſe, Plutarcus* docuit; hic vero vile quid, imo & impium eſſe noſcitur, a vulgari præoccupatione duci, Artiſque abuſus (qui maxime de vita inconſiderate deliberant) ob panicum metum in uſum perennare; itaque quod proprium cuique debetur, cuique tribuere Sancta Lex eſt, quam violare, Naturam lædere eſt. Ideo in caſu noſtro, cum a ſanguinis plenitudine, vel turgentia faucium phlegmones oriantur, phlebotomiam, ut illis debitam, illis æque, recteque tribuimus; cum autem non nimium ardeat febris, ſanguinis miſſiones non proprie debitæ, ſed ſæpe noxiæ ſunt; ſed ut ad ſingularia in Juniorum gratiam deſcendamus, primo cum febris vehementiam ſigna manifeſta demonſtrent, pulſus duri, capitis dolor, & gutturis major, corporis ardor, & jactationes adſint, tunc ab incenſo ſanguine gulæ inflammatio exoriri, tuto ſuademur, tutoque phlebotomiæ remedium præſcribimus, & cum morbus præceps ocyter ſæpe jugulet, cito, & copioſam prima vice inſtituere, ac eadem die, cum urgeat, etiam repetere oportet. Pariter cum Acida ſanguinis,

Ven. ſectio conſideratur.

nis, aut lymphæ cauſa anginam efficiat, venæ ſectionem etiam reiteratam prodeſſe, pluries obſervavimus. At cum Acris lympha phlegmonis fomes ſit, ſemel tantum, & pro affectus, febriſque conditione copioſam, vel parcam phlebotomiam celebrare, ſat erit. Cum demum a Viſcida lue morbus oriatur, non indicatam, ac indebitam venæ ſectionem præcipere pericula tentare, Naturam deprimere, morbique vires augere, unum & idem eſt. Confiteor equidem plurimas hujus generis Anginas, etſi cum febre ſociatas, abſque venæ ſectione cito, tutoque curatas vidiſſe; quas in eadem temporis conſtitutione, cum phlebotomia diuturniores, periculoſas, & lethales adhuc ab Aliis tractatas fuiſſe, certo dignovimus. Cum vividus ille ſanguinis vigor, in quo vita gliſcit, a phlebotomo dilapidatus, nec celeres coctiones promovere, nec curationis ſtimulos audire potuerit.

Curatio in prima die.

26. Poſt phlebotomiam quid inde agendum ſit, cito deliberare oportet, cum acutiſſimus iſte morbus ſæpe ante quartum interimat. Ideo ægri conditiones, & procatarticas morbi cauſas rite perpendendo, cum in primis viis morbi fomes radices figere deprehendatur, catharticum lene ſaltem omitti nequit. Ideo *Hippocrates* paſſim in libris ſuis, & præcipue *lib. de rat. vict. acut. text.* 30. *in* 4. *Com. Galen.* Anginæ pericula, & curationem deſcribens, poſt phlebotomiam purgationem inſtituere his verbis præcipit: *Angina itaque celeriter jugulat, niſi protinus juves; ſanguinem igitur ex brachiis detrahes, deinde venas, quæ ſub lingua ſunt, ſecabis; & medicamento, quod trahendi vim habeat, purgabis*. Quamobrem cum præceps prænoſcatur morbus, eadem die, hora ſaltem poſt Ven. ſection. catharſin propriam inſtituere oportet, quæ tamen pro vario Anginæ fomite differens ſit.

Anginę ab Acri lue.

Itaque cum ab Acri viru morbum foveri, febris ardens, dolor impenſus, ac faucium inflammatio vehemens oſtendant; tunc ſequentem, vel ſimilem potiunculam exhiberi poterit. ex. gr.

℞. *Pulp. Tamarind. unc. j.*
Coqu. in ſero Caprill. q. ſ.
Colatur. unc. iij. adde
Syrup. Violar. ſolutiv. unc. j.
Tartar. Vitriolat. purgant. gr. x.
M. f. Potio, & cum debito regimin. ſumat.

Ab Acida, vel Viſcida lue.

Cum autem vel ab Acido figenti viru, vel a Viſcida Lue morbus oriri dignoſcatur, tunc unam, vel alteram ex ſequentibus, aut ſimiles Potiones exhibere convenit, videlicet.

℞. *Pot. Magiſtr. ſolut. reſtrict. ad unc. jv.*
Aqu. flor. Aurantior. q. ſ. ad gratiam.
M. f. Pot. purg. & cum regimin. propin.

vel ℞. *Rhabarb. elect. drach. j. ſem.*
Infund. in Aqu. Scabioſ. unc. iv.
Colat. cum expreſſion. adde
Extract. Agaric. drach ſem.
Aqu. flor. Citri q. ſ. M. f. Potio.

Hæc ergo cathartica pro phlegmonum cauſa varianda ſunt, ut tutior medela dirigatur. Verum cum prima die, ut in Synanche accidit, deglutitio penitus præpedita ſit, tunc ſaltem clyſterem appropriatum præſcribere intereſt; in qua linea, cum Acris fomes morbum ducat, ſequentem, vel ſimilem ad uſum vocare oportet, videlicet.

℞. *Decoct. Emollient. lib. j.*
In eo diſſolv. Elect. Lenitiv. unc. j.
Mell Roſat. ſolutiv. unc. ij.
Ol. Violar. Camomill. aa. unc. j.
M. f. Clyſter. loc. Purgant. applicand.

Aſt in Acido, Viſcidove fomite ſequenti, vel ſimili uti poterit.

℞. *Decoct. Carminat. lib. j.*
In eo diſſolv. Elect. Diacathol. unc. j.
Infuſ. Trochiſc. Alhandal. unc. j ſem.
Ol. Camomill. Abſinth. aa. unc. j.
Sal. Gemm. drach. j. ſem.
M. f. Clyſter injiciend. ut ſupra.

Item eadem die, cum urgeat, hora opportuna Venæ ſectio replicetur, iiſdem tamen cautionibus, quæ *in anteced. numer.* 15. *de Pleurit.* expoſitæ ſunt. Cibum denique tenuem ex juſculo tantum, & ſic, niſi præceps morbus alia petat, primam curationis diem claudere decet.

In Secunda die.

27. Altera die, cum affectus miteſcere videatur, nil aliud niſi gargariſmata, cæteraque infra poſita adhibere, ſat erit. At cum econtra Morbi vehementia ſævire, febris magis effervefcere, reſpiratioque multum imminuta, vitæ periculum minitentur, ad alteram venæ ſectionem confugere decet, (maxime ſi ab Acri ſanguinis lue Angina nutriatur) ac ex ſublingualibus

raninis conferentem ſanguinis copiam educere intereſt; cum autem præcipitis morbi vehementia poſt horam haud miteſcere, ſed proximam ſuffocationem minitari videatur, primo veſſicatorium in colli cervice applicare, inferiores partes aſpere fricare, pedeſque calentibus laneis involvere, eſt opus; & inde ſi menſium, vel hæmorrhoidum ſuppreſſiones aliud adhuc petant, viribus non renuentibus, altera poſt binas horas (præcedente tamen juſculo) ex pede phlebotomia inſtituatur. Interim ſequentes mixturas pro re nata, in ore teneat, ſenſimque deglutiat; & prima in Acri fomite.

In Acri fomite.

℞. *Lactis Caprill. unc. iv.*
Succ. ſemper viv. major. unc. j.
Coqu. parum, dum refrigeſc. adde
Tinctur. Roſar. rubr. drach. ij.
vel in ejus defect. ac pro pauper.
Sal. prunell. optim. pulveriſ. drach. ij.
M. & in ore detineat, ac ſenſim deglut.

vel ℞. *Seri Caprill. depurat. unc. iv.*
Succ. Cancr. fluviat. unc. ij.
Syrup. papav. errat. unc. j. ſem.
Magiſt. Dent. Apri drach. ſem.
M. & ſimiliter utatur.

vel ℞. *Aqu. ſpermat. Ranar. unc. ij.*
Diamoron. Rob. Sambuc. aa. unc. j.
Spirit. Vitriol. dulcif. gut. xij.
M. & utere ut ſupra.

Una vel altera utatur, tepidiuſcula ſemper ſit, ut *Hippocrates lib. de rat. Vict. acut. text.* 30. ſic docuit; *calida hic gargariſmata exhibere oportet, ſic aquam, vel mulſam, ſed non frigidam*, quod idem de ſequentibus in Acida, vel Viſcida lue utendis urgentiori motivo intelligi debet.

In Acida Lue.

℞. *Aqu. Scabioſ. Papav. errat. aa. unc. ij.*
Rob. Sambuc. unc. j. ſem.
Magiſter. Dent. Apri drach. ſem.
Ocul. Cancr. ſcrup. ij.
Spirit. Vin. rectificat. gut. xij.
M. & cochleat. calid. ore detineatur.

vel ex Decoct. ſequent. oris ablutio ſæpe fiat.

℞. *Fol. Scabioſ. Plantag. aa. manip. j.*
Flor. Camomill. Violar. lutear. aa. p j.
Rad. Polypod. querc. Liquirit. aa. unc. ſem.
Contuſ. M. & coqu. in Aqu. Noceræ lib. j.
(vel in magno Dolore in lact. Caprill. lib. j.)
Colatur. fervent. adhuc adde
Alb. Græc. Sal. Prunell. aa. drach. ij.
Spirit. Vin. rectific. gut. xx.
M. & ut ſupra calid. utatur.

In Viſcida tandem lue utriſque ſupra nunc datis loco ſpirit. Vini addo ſæpius Spir. Sal. Armoniac. drach. ſem., ut cum dictis mixtus tenaciorem cauſam facilius diſſolvat; at efficacius adhuc in hac urgentia ſequens eſt. *In lue Viſcida.*

℞. *Decoct. ſupr. dict. unc. iv.*
Antim. diaphor. Alb. Græc. aa. ſcrup. iij.
Magiſt. Dent. Apri drach. ſem.
Spirit. Sal. Armoniac. gut. xxx.
M. & Calido ſemper utatur.

28. Item eodem tempore Cataplaſmata, vel Linimenta ad uſum veniant, cuique fomiti etiam appropriata; non enim eadem externa, ut vulgus deprædicat, cuilibet Anginæ proficua ſunt, cum ſæpe illa noceant, quæ intimam cauſam non reſpiciant. Ut ergo cuique proprium adhibeamus remedium, primo in Acri Anginæ fomite, ſequentia utilia eſſe poſſunt. *Cataplaſmata in Acri fomite.*

℞. *Flor. Caſſiæ recent. unc. j. ſem.*
Farin. Hordei. Fen. græc. aa. unc. ij.
Butir. recent. non ſalit. unc. j.
Ol. Violar. Amygd. dulc. aa. unc. ſem.
M. f. Catapl. tepid. apponend.

vel ℞. *Fol. Malv. Portulac. aa. manip. ij.*
Radic. Altheæ contu. unc. j. ſem.
Coqu. in lact. Caprill. q. ſ. ut f. pultes, adde
Farin. Hordei. Fabar. aa. unc. ij.
Ol. Camomill. Lilior alb. aa. unc. j.
M. f. Catapl. tepid ſub gula applicand.

Cum vero Acida, vel Viſcida lues ſit, ſequentia proficua eſſe ſolent. *In Acida Lue.*

℞. *Nidor. Hirundin. num. j.*
Alb. græc. unc. j.
Ol. Camomill. Aqu. font. aa. q. ſ.
Coqu. ad conſumpt. aquæ, & Calid. applic.

vel in nimis viſcida cauſa efficax hoc eſt.

℞. *Stercor. Hirundin. unc. ij.*
Radic. Ireos contuſ. unc. j.
Aqu. font. q. ſ. coqu. ad pultim, & adde
Ungu. de Althea unc. j. ſem.
Sal. Armoniac. drach. iij.
M. f. Catapl. calido utendum.

29. His

Maturitatis tempus. 29. His ergo internis, externiſque Remediis, pro affectus, & fomitis conditione diſtributis, tertia, & quarta adhuc die conſtanter uti oportet; cum in tertia, vel quarta ſæpe morbi hujus maturefcentia emergat, niſi in nimis Viſcida lue ad ſeptimam producatur. Matureſcentem denique Phlegmonem ex febri exaucta, doloriſque augmento dignoſcere 2. aph. 47. tuto docemur. Ideo in hac urgentia, conſueto Gargariſmo, & Cataplaſmati aliquid adhuc, ex maturantibus, & anodynis auxiliis addere convenit, ut ex. gr. Caricar. Dactylor. ſucc. Liquirit. Syrup. Jujubin. aut Capill. vener. vel ſimilia. Sicque Cataplaſmati addi poteſt Rad. Althe. Lilior. alb. Iridis, Croci orient. ſimiliaque plura. Item Linctus aliquis in ore detineri, & deglutiri debet, ex. gr.

℞. *Spec. Diaireos drach. j.*
Sacch. Penid. ſucc. Liquir. aa. drach. ſem.
Extract. Croc. orient. ſcrup. ſem.
Syrup. Capill. Vener. unc. j.
M. f. Linct, quo inter gargariſm. utatur.

Maturatum denique Abſceſſum, cum ſponte non rumpatur, ſollicite aperire convenit, maxime ſi reſpirationis, vel deglutitionis opera nimium præpediat. Cum ergo tumor in faucibus appareat, digito, vel candela rumpere decet, vel ægro renuente, cum ciner. Hirund. aut Albi græc. pulveriſ. vel ſal. armon. cum mell. & ſpir. Vitriol. m. illinatur. At ſi nullo pacto in faucibus appareat, cum panis cruſta, dentibus parumper inciſa, & cum vi deglutita, vel ſpongiæ fruſtulum forti filo alligatum dum deglutitur, impetu extrahatur.

vel ℞. *Hydromel. Alb. græc. pulver. aa. unc. j.*
Decoct. Semin. Sinap. unc. ij.
Sal. Armon. ſcrup. j. M. f. Gargar.
Quo fortiter Patiens gargariſet.

Rupto tandem abſceſſu, ne illius pus ad intra dilabatur, inclinato capite ab ægro expuatur, ac ſatis expurgatus, mundificetur adhuc Decoct. Hord. cum mell. roſat aa. mixt. vel Decoct. Plantag. & Portul. cum mell. & ſpir. vitriol. q. ſ. Quod ſi ulcus ſordidum evadere incipiat, Aqu. Virid. Hartmanni uti oportet. Mundificatum tandem conſolidetur Decocto Veronicæ cum mell & alumin. vel Decoct. Plantag. Roſar. Myrth. &c. quæ ad partem ultimo roborandam in vino auſtero coquantur. Hæc pro non Malignis ſatis ſint, nunc autem Veneficas Anginas curare adhuc ſupereſt.

Anginæ malignæ ſigna. 30. Harum ergo virulentiam ſequens ſignorum ſyndrome ſæpe nos docuit. 1. Virium in ipſo invaſionis limine dejectiones, ut univerſalis membrorum languor, pulſus celeres, ſed parvi, & ſæpe myuri, vox pauca, & ſenſuum hebetudo. 2. Eadem & alia morbo improportionata Symptomata, ut ſitis ardens, cephalalgia impenſa, agrypniæ, deliriaque continua. 3. Tumor ut plurimum in faucibus non elevatur, quia lues acerrima ubi exundat, ibi exulcerat, ocyterque muſculos devorat. 4. Demum temporis conſtitutio epidemia, in qua populariter Anginæ graſſantur. His itaque ſtantibus, lethalem morbum culpare, & *cum Hippocrate lib. de vict. rat. in acut.* prænunciare oportet; cum ſæpe in ipſa invaſionis die, nullis auditis remediis, ocyter interimat. Ex dictis item venefica illius Cauſa etiam proditur, Acerrima nempe lues, quæ celeriter fluidorum conſiſtentiam diſſolvit, ac vitalem vigorem ſubito proſternit. *Prognoſis & Cauſa.* Ideo nec phlebotomiam, maxime replicatam, nec bezoardica fundentia Naturam tolerare potuiſſe obſervavimus. Quamobrem Anginæ hujus curationem difficillimam eſſe conſtat; quia præceps virus remediorum tempus rapit, ac intempeſtivos Medicinæ niſus eludit. An demum etiam ab Acido veneno Anginæ malignæ duci poſſint, non ambigo. Confiteor tamen haſce nunquam vidiſſe, ſicuti ab Acri virulentia pluries populariter graſſantes inviſimus, ac pro viribus ſequenti methodo nonnullas, Deo benedicente, curavimus.

Curatio. 31. Non ergo deſperandum ſemper eſt; cum ſi non omnes, nec plures, aliquos ſaltem ab hoc toxico redimere, Ars provida potuiſſet. Sequentia enim a peritiori manu diſtributa remedia, fortaſſe in hoc præcipiti morbo fælicioorem metam conſequentur. Hic ergo præ cæteris *occaſio præceps eſt*; ideo minime cunctandum erit; prima igitur die an parcam ſaltem phlebotomiam

Pa-

Patiens tolerare poſſit, Vires, Pulſus, Febriſque docebunt; quam vero repetere, lethale vulnus eſt. Poſt ipſam, dimiſſis cæteris, quæ curationis limina aperiunt, auxiliis, ad Cardiacum bezoardicum confugere ſueſco, videlicet.

℞. Sulphur. Antimon. fixi Ludov. gr. xij.
Confect. Hyacinthin. Drach. ſem.
Succ. Cancr. fluv. Aqu. Cord. Saxon. aa. unc. j.
Syrup. de Succ. Scordii, unc. j. ſem.
M. & cochleat. tot. intra med. horam ſumat.

Poſt duas horas brodium pulli junioris, in quo Extract. Enul. Campan. drach. ſem. permixta ſit, pro victu præſcribo; & cum ad veſperas indicia ſudoris emergant, alterum brodium ſimili modo mixtum ſumere præcipio, & poſt horas quinque circiter, ſupra datum Cardiac. bezoardic. reſumere. Interdiu vero Gargariſmum ſæpe uſurpandum tali modo præſcribere ſoleo.

℞. Seri Capr. deſtill.
Succ. Cancr. fluv. aa. unc. ij.
Nitri Corallat. optim.
Dent. Apri pp. aa. drach. j.
Syrup. Papav. errat. unc. j. ſem.
Spirit. Vitriol. dulcif. gut. xv.
M. f. Gargariſma ſæpe utend.

item Cataplaſma, gulæ uſque ad aures apponendum, ſequens in uſu mihi eſt.

℞. Flor. Caſſiæ recent. extract. unc. j. ſem.
Nitri purif. Albi græc. aa. unc. j.
Ungu. de Althe. Roſat. aa. unc. ſem.
Ol. Amygd. dulc. Violar. aa. unc. j.
M. f. Catapl. utend. ut ſupra.

Dictis ergo auxiliis, cum ſymptomata aliud non exigant, primam curationis diem abſolvere ſueſco.

Altera dies. 32. Altera vero ſudoris beneficia perpendere convenit, qui dum copioſus emergat, vitæ periculum in hac die, vel in tertia minitatum, cum ſudore jam evanuiſſe, non ambigo; nullum enim ex illis, qui dictis auxiliis compulſi, affatim ſudores fuderunt, e vita decedere inſpeximus; cum plurimas Acres, hujus incendii promotrices, particulas ſudoris copia ſecum eduxiſſet; ideo in hoc caſu Patientis tolerantia major, febris mitior, pulſus expanſi, & æquales, vireſque non adeo languidæ oſtendebantur; quamobrem in eadem curativa methodo, clara levaminis ſpes effulgens, continuare docuit, & vere in hoc eventu quarta demum die morbi hujus abſolutionem inſpeximus. Contra vero cum paucus, nulluſve ſudor emerſerit, contumax morbi virus omnia in deterius præcipitare coegit, & quid inde in hoc diſcrimine agendum ſit, non facile noſcitur. Inter has ambages tutius eſſe credimus, ſerio perpendere, quid magis ægrum afficiat, & conficiat, nempe an venefica Febris, vel Symptoma ſævius, aut ipſe Faucium affectus, ſicque ferociorem noxam cohibere, omni labore intereſt, ut proximum vitæ periculum evitemus. Si ergo præ cæteris Febris exaſperata, ſanguinem funditus colliquare nitatur; remedia, quæ *capite de Febr. colliquat. venefic.* data ſunt, cum anginæ hujus petitionibus componere, ſatagendum eſt. Si vero præ Febri Symptomata ferocius urgeant, proprium adhuc remedium, quod cum faucium affectu conſentiat, exhiberi debet, ad quam opem ſingula præmiſſa jam, & ſubſequentia Symptomatum capita facile indicabunt. At cum præ omnibus Faucium affectus impenſius augeri, reſpirationis opus imminui, linguam nigreſcere, ac tumeſcere inſpiciam, tunc raninas venas ſublinguales aperire non hæſitemus, cum & affectæ partis plenitudinem non parum depleat, & Naturæ vires non nimium depauperet; quod auxilium prima etiam die, cum morbi urgentia petat, vel cum Venæ ſectio in brachio tolerari nequeat, ad uſum vocetur. Poſt hanc phlebotomiam Cardiacam bezoardicam ſupradatam Mixturam ſequenti modo efficaciorem reddere, & uſurpare convenit.

℞. Sulphur. Antimon. fixi Ludov. gr. xv.
Extract. Enulæ campan. drach. j.
Confect. Hyacinth. incompl. ſcrup. ij.
Succ. Cancr. fluv. Aqu. Cord. Saxon. aa. unc. j. ſem.
Spirit. Vitriol dulcific. gut. xv.
M. f. Cardiac. mane, & ſero exhibend.

Lictus item ſequens per gargariſmatum intervalla adhibeatur.

℞. Spec. Diairid. ſimpl. drach. ij.
Extract. Enul. Campan. drach. j.
Syrup. de ſucc. Scord. Violar. aa. un. j.
M. f. Linct.

cum

cum his demum auxiliis ſupradicta omnia componere intereſt; imo & cum alvus omnino adſtricta ſit, Emollienti Clyſmate aperiatur, quod multum in faucium anguſtiis profuiſſe perſæpe obſervavimus; Veſſicatorium pariter in colli vertice applicare juvabit. At cum ſudores emergant, a quavis alia evacuatione, & operatione abſtinendum eſt; & ſic alteram curationis diem claudere convenit

Tertia dies. 33. Tertiam denique diem, quæ lethalia ſigna prodere ſolet, omni attentione conſiderare oportet. Quæ ergo ad interitum properant, funeſta hæc indicia manifeſtant; 1. labentes vires, pulſuſque parvi, & inæquales reperiuntur; 2. nimis imminuta reſpiratio videtur; 3. febris haud ultra vehemens ſed langueſcens inſpicitur; 4. faucium dolor ad lamenta non provocat; ſenſuſque omnes tactus, viſus, audituſque ad extremam jacturam ducuntur; cum victrix virulentia Naturam jam debellaſſe demonſtret. Et hinc Medicina recedit, ubi intimam Medicatrix curationem relinquit. Contra vero cum Morbi, & Naturæ pugna adhuc vigere videatur, quod a Febris vehementia, ſudoris eliminatione, pulſibus magnis, dolore acuto, vegetiſque ſenſibus deduci æque poteſt; Reſpirationis tamen opus aboliri, ac ſuffocationis periculum imminere dignoſcatur, tunc extremis morbis extrema remedia tribuere decet; ideo periculoſam licet, proficuam tamen, imo & neceſſariam laryngotomiam inſtituere, fas eſt; per hanc viam Prægnantem anginoſam, ab omnibus deſperatam, ad vitam reduxiſſe memini; perita vero Chirurgi manus hic requiritur, ne Patiens ſub duplici ſupplicio cum Medentis infamia ſuccumbat. At cum ſuffocatio non immineat, inſtitutam curationis methodum conſtanter proſequi oportet; enunciata enim remedia, cooperante Natura, veneficam luem ſubigere certo poſſunt; quo demum habito, morbi reliquias, ut in ſimplici Angina curare, arduum non erit. Hæc denique pro thoracis, collique Inflammationibus, ſatis eſſe poſſunt; nunc aliorum prata virentia, ſolito more, ad Medentis commodum percurrere ſupereſt.

APPENDIX.

Pro Pleuropneumonia ſequentia remedia eſſe poſſunt, videlicet.

Antimon. Solar. calore probe calcinat. quod qui aſſequitur, inſigne antipleurit. poſſidet.

item Aqu. Card. ben. Baln. Mariæ deſtill. Aqu. Flor. Papav. errat. Aqu. Flor. Camomill. deſtill. Aqu. Lilior. alb. & ſimiles, quæ ad varias exigentias pro vehiculis inſervire poſſunt.

item Aqu. Tuſſillag compoſit. Batei. Aqu. Chærefol. cum ſterc. equin. deſtill. Doring.

Balſam. Sulphur. aniſat. & terebinthinat.

Decoct. Eryngii. Decot. Bardan. ſicut & Decoct. pectoral. maturato abſceſſu pro anacatharſi uſurpanda.

Dentes Apri præparat. & illor. Magiſter. plurimi uſus.

Diaphoretic Tartari eximium hic auxilium Zobelii.

Elect. Diaireos, aliud Tragacant. &c.

Eſſent. Anodyn. Wedel. Eſſent. Sangu. Hirci, Eſſent. Pleuritic. Ludov.

Extract. Fuligin. Horſtii, quod rectam præparationem requirit.

Lapides Carpion. Percar. ſimiliaque alchalina Acidum abſorbentia.

Laudan. pene omnes, ut & Laudan. Tartariſat.

Looch. multi, ut præcipue Sanum, & expert.

Magiſter. antipleurit. Michael.

Mandibul Lucii piſcis præp. ut & illius Magiſter.

Mixtur. antipleur. Willis Mixtur. ſimplex in Pleurit. maligna.

Oleum Amygd. dulc. Ol. Lini ſimplex, vel cum Spir. Vin. crocat. Tachenii.

Pilul. antipleurit. Bertholet.

Pomum cum thure aſſatum Quercet. vel cum thure, & flor. Sulphur. aa. mixt.

Priapus Cervi vario modo adhibit. ut ejus Decoct. vel Raſur. aut Magiſter.

Pulvis pleuritic. Mynſicht. Alter Auguſtan. Alius Ludovic. Zuvelfer. &c.

Sanguis Hirci more Helmont. collect. ſic & Leporin. ac illorum præparat.

Sperma Ceti non rancid.

Spirit.

Spirit. Sangu. Hirci Spir. Nitri dulcif. & cum Dent. Apri cohobat.
Spirit. antapopleƈt. S. Cloſ. pro anacatharſi mirabil. in Schroder. Pharmacop.
Stercus Columb. in Aqu. Papav. errat. Panarol. ſic & ſterc. Ovill. a Lindan. celebrat. ut & ſterc. Albi græc. diƈt.
Succi Papav. errat. Scabioſ. Taraxac. a plurimis hic celebrat.
Syrupi Papav. errat. Violar. Jujub. &c. poſt maturat.
Tinƈtur. Antipleurit. Timei alia antipleur. bezoardic. Dolei alia bezoard. Michael. alia anodyn. Ludovic. item Tinƈt. flor. Papav. errat. &c.

Externa in Pleuropneumonia

Cepæ cum laƈt. coƈt. & applicat.
Cineres Braſſic. calent. vel Unguent ex illis parat.
Oleum anodyn. ex flor. Cyclamin. Hoffmann. Ol. Cucurbit. ut idem fieri docet in Schrod. Hoffman. Pharmacop. Item Ol. Camomill. Lini, laterin. Liliol. albor. Verbaſc. &c.
Pingued. Muris montan. cum ol. Aneth.
Sperma Ranar. cum eodem oleo.
Unguent. Antipleurit. Roman. Aliud antipleur. Mynſicht.
Ungu. de Althe. ſimpl. & compoſit.

Pro Angina plura ex nunc diƈtis auxiliis etiam huic proficua ſunt, quæ ipſi proprie conveniunt, ſequentia ſunt, videlicet.

Aquæ Serpill. deſtill. cum Rob. Nucum, vel Diamor. mixt.
Aqu. de Succ. Semperviv. major. cum Sal. Armoniac. mixt.
Gargariſm. 1. Angin. Artmann. alter. de Liquirit. & aliud Laƈtis utraque Mynſicht. & aliud Scultet.
Lapis Prunell. cum Aqu. Prunel. deſtill.
Nidus Hirundin. vario modo adhibit.
Noƈtuæ cinis, & ejus pulpa.
Oleum Heraclin. Ruland.
Rob Nucum Ficuum Diamorr.
Spong. Sambuc. & Rub. Idei.
Succ. Cancr. fluv. cum ſucc. Semperviv. major. Paracelſi. Item ſucc. ſemper viv. cum ſale Armon. & Succ. Acaciæ ſimpl. & compoſit.
Syrup. multi ut Violar. Jujub. Roſar. & de Roſ. ſicc. Myrtill. &c.
Cataplaſmat. varia, ut Catapl. ad Angin. Mynſicht. aliud Michael. aliud Cynanchin. Batei. aliud Ruland. ex Abſinth. & axung. porcin. Aliud Ceparum compoſit. Doryng & aliud de Nido Hirundin. vario modo confeƈt.

C A P. XI.

De Empyemate.

I. Suppurata Pleuropneumonia interdum in Empiema degenerat; cum rupto phlegmone purulenta ſanies in ima thoracis cavitate delabatur, vel in ciſtide pleuræ, vel pulmonis detineatur, ut *Lindanus* inſpexiſſe teſtatur; at cum in thoracis fundo deſcendit, ibi ſtabulat, ubi cecidit, quæ puris copia in quavis intima ejuſdem cavitate colleƈta, Empyematis nomine venit; ſicut altera in pulmone clauſa, Vomica nuncupari ſolet. Hujus tamen affeƈtus haud unica origo eſt, cum interdum ab Angina etiam, vel ab Hæmoptyſi, ac a thoracis vulneribus, aut ab illius contuſione, ac item aliter oriri poſſit. Recentem in hac linea caſum habeo, quem pro Juniorum eruditione recenſere oportet. Juvenis quidam acuta febre laborans, in ſeptimo critica narium hæmorrhagia judicaturus erat, ut ſigna coƈtionis oſtendebant; at a copioſa ſeptimi hæmorrhagia exterriti Parentes, ad ſanguinem ſiſtendum Chirurgum advocarunt, qui ſtatim emplaſtro ſtyptico externas narium venulas clauſit; at criticus motus repagula eludens, ac intima viſcera petens, in pulmones cruorem exoneravit. Juvenis interim convaleſcens, diutius valetudinariam vitam duxit, ac poſt quadrageſimum a febri, tuſſique profunda vexatus, me vocari petiit, ad quem accedens, inviſo affeƈtu, præteritaque recolens, ſtantibus ſignis de confirmato Empyemate ſententiam protuli; at curatione irrita parum obediens, quinquageſimo ſexto a Chriſi ſuffocatus obiit. *Nomina & deſcriptio.*

2. Diagnoſtica Empyematis ſigna duplicem ſtatum deſcribunt, Imminentem nempe, & Confeƈtum. Utraque probe nota eſſe debere, *Hippocrates libr.* *Signa imminentis.*

præſag. monet, ubi plenam Empyicorum ſcenam aperit: Priora ergo ſigna ſunt. 1. Pleuritidem, aut Pneumoniam, cæterave hujus cenſus, ſuppurata, & non rite per os expurgata ſupponit, cujus purulenta ſanies, gravitatis lege ad imas partes deſcenderit. 2. Cum jam confecto pure dolorem, febremque miteſcere, *ex 2. aph.* 47. noſcamus, totum tempus, quo pus in affecta parte ſilere videtur, ab eodem deſcribitur *lib. 2. præſag. text.* 57. *in com. Galen. Quæ vero ſuppurationes rumpuntur, plurimæ quidem vigeſimo die, aliæ trigeſimo, aliæ quadrageſimo, aliæ ad ſexageſimum uſque perveniunt.* Iſti ergo definitæ ruptionis termini ſunt, qui pro lædentis materiæ copia, & affectæ partis tolerantia plus minuſve imminentem morbum protrahunt. 3. ſignum *ibidem text.* 62. *Hippocrates* docuit. *Sed priuſquam opus erumpat, dolor, & ſpiritus difficultas, & ſcreatus accedant, neceſſe eſt.* Dolor enim ex affectæ partis ruptura, quæ quo plus ſenſibilis eſt, eo moleſtiorem ſenſationem percipit. Reſpirationis difficultas, ex læſo pulmone, qui certo ante quam ſordes exprimat, & expellat, comprimi pluries debet, quæ compreſſio, alteram, qua reſpirat, certo præpedit. Screatus demum accedunt, cum compreſſus pulmo tenuiorem ſaniem per os emittat, craſſiorem vero ad thoracis fundum dimittat. Sequentia jam facti Empyematis

Signa jam Facti. ſigna deſcribit etiam Hippocrates *ibi text.* 60. *His autem notis ſuppuratos omnes deprehendes; primum ſi febris eum non dimittit, ſed interdiu levior eſt, noctu major; multique ſudores oriuntur, ac tuſſiendi cupiditas eſt, & nihil pene in tuſſi excreatur; oculi concavi redduntur, genæ rubent, ungues adunci fiunt, ac digiti potiſſimum ſummi calent; in pedibus tumores ſunt; cibi faſtidium adeſt; ac puſtulæ in corpore exoriuntur.* Horum indiciorum plura ſemper, ſæpeque omnia ſimul inviſuntur, ac pro Patientis tolerantia, morbique vehementia, graviora interdum, vel mitiora obſervantur; ita ut in pluribus, quorum Natura robuſtior eſt, febres, tuſſeſque graviſſimæ, in debilioribus vero ita paucæ videntur, ut iſti parum ægrotare dicant; in illis enim Natura adhuc valida, ut intimam luem eliminet, febres, tuſſes, cæteraque ſubſidiaria Symptomata ad opem advocat; in iſtis vero languentes vires, cum ſordes expellere nequeant, nec valida febre, nec tuſſi profunda, nec juvantibus cæteris utuntur. At cum putridæ tandem, ac fætidæ ſordes thoracis clauſtrum infeſtent, vel Phthiſin, vel mortem accelerant: Signa demum affectæ partis *ibi text.* 59. ab eodem deſignantur; & primo quod in parte ſana quieſcere, abſque dolorifici ponderis ſenſu, æger nequeat; cum purulenta materia, ſuper mediaſtinum incumbens, ponderis, & doloris cauſa fit; item tuſſiendo, ad diaphragmatis motum in parte invaſa commotæ; & quaſi ſubſilientis materiæ pondus auditur; at cum in utraque thoracis parte ſanies colligatur, quo decumbat æger; pondus, & dolorem percipit; quia ſemper hinc, vel inde mediaſtinum gravatur. *Signa partis affectæ.*

3. Empyematis cauſa proxima inveſtigatione non indiget; cum ex dictis jam ſatis pateat; ſanies enim, aut evaſatus ſanguis in thoracis fundo a quavis parte dilabens, morbi hujus immediata cauſa evadit. Nec item negandum eſt, quod etiam lymphæ copia, a quavis ſcaturigine dilapſa, in eodem fundo ſtagnans, & putreſcens ejuſdem morbi cauſa eſſe poſſit. Lympha enim per thoracis ambitum ductibus multis circumeit, quæ a quovis caſu effuſa, in illius fundo ſtagnare, ac putreſcere certo debet; acidas enim particulas ſecum ducit, & cum proprio volatili ſale privata, fit ab inſito acido grumeſcere, ac putreſcere cogitur, unde purulenta ſanies fit, a qua Empyema conſtituitur. Remotæ demum hujus cauſæ plurimæ adhuc eſſe ſolent; Omnes primo thoracis phlegmones, in quavis illius parte emergentes, cum ſuppurentur, & per anacatharſin non repurgentur, in illius fundo purulentam ſaniem demittunt, ex qua empyema fit. Vulnera item pectoris, vel magnæ illius contuſiones, quæ ſanguifera vaſa diſſiliant, & in thoracis imo ſanguinis copiam effundant, ſimiliter morbi hujus materiam exhibent. Sic item lymphæ ductus, quavis culpa lacerati, vel conſumpti, proprii fluidi effuſiones ema- *Cauſa proxima & remotæ.*

nant, quæ apud Veteres catarrhales fluxiones, vel deſtillationes nuncupabantur; ut de ipſis loquitur *Hippocrates 7. aph. 39. Deſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurantur intra viginti dies*. Demum & hæmorrhoides, & menſtrua retenta, aliquando in thoracem devolvuntur, & ſic empyema producunt, in qua linea nonnullos empyematicos Practicorum obſervationes deſcribunt; idemque & nos in muliere 30. annorum, per tres annos haud meſtruata, ac empyematica, inſpeximus, quam poſt multa inutilia remedia, ſola paracentheſi liberatam vidimus.

Prognoſis. 4. Quid autem in deſperato hoc morbo Prognoſis exponat, ex Hippocratis oraculo deſumere convenit; & primo idem 5. *aph.* 15. ſic loquitur. *Quicumque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur, a die, a qua fit ruptio, liberantur, ſi vero non, ad tabem tranſeunt*. Purgatio autem iſta, vel per anacatharſin, quæ directa via eſt, vel per urinam, aut ſeceſſum, quæ rarius, & tutius abſolvitur, fieri debet, in omni tamen purgatione, ut fauſte incedant, conditiones plurimas petivit *Hippocrates* 2. *prognoſt. text.* 63. quas ſingulas exponere, ordo poſcit. Prima ergo eſt, *quod febris eodem ruptionis die dimittat*; vel ſaltem miteſcat, nam donec purulenta ſordes thoracem occupat, depurativa febris machina ſilere nequit; ideo febris lenta ſaltem perpetuo adeſt. Secunda *quod cibum citius appetant, & ſiti liberentur*. Equidem ſuppurata demum lue, nec febris magna, nec ſitis, nec anorexia urgent, cum a conſecuta ſuppuratione Natura quieſcat, nec ultra ſymptomatum tanta concitatione indigeat; nec febris machina forti conatu utatur. Tertia, quod *Alvus pauca, & conſiſtentia dejiciat*. Cum diarrhæa in hoc caſu maxime agitatam Naturam oſtendat, ac tabificæ colliquationis indicia præbeat; conſiſtens vero alvus ſpirituum quietem, & viſcerum vigorem denunciat. Quarta quod *pus album, leve, ejuſdemque coloris ſit*, unde putridæ ſordis coctionem Naturam inſtituiſſe arbitratur, quæ coctio faciliorem devictæ luis expurgationem promittit. Quinta demum quod *ſine dolore, ac tuſſi valida rejiciatur*, quæ facilis, commodaque pectoris repurgatio, cum æque copioſa etiam ſit, bonum omen portendit. Cum his ergo ſignis, *optime quidem, celerrimeque liberantur*, idem concludit *Hippocrates*. Contra vero *pereunt, quos febris non deſeruit; aut quamuis deſeruiſſe videatur, tamen repetit*, (hoc eſt febris magna) *& ſitis cibique faſtidium eos tenet; alvus liquida eſt; & pus perpallidum, lividumque excernitur*. hiſce tandem prognoſticum ſuum claudit *Hippocrates*. Verum & per urinam, & per alvum adhuc Empyematis purgatio inſtitui poſſe, plurimorum obſervationes docuere; hæc autem expiatio licet per extraneas vias ducatur, cum ſupradictas conditiones ſervet, tuta ſemper evadit; indomabiles enim morbos per extravagantes ſemitas poſt rectam coctionem Naturæ placitum duxiſſe, tandemque abſolviſſe, innumeræ obſervationes teſtantur. His demum perſpectis, ad Curationem accedimus.

5. Congeſta ergo in thoracis cavo ſuppurata ſanies, ut ab invaſa ſede ocyter eliminetur, omni ſtudio ſollicitare oportet; hoſtis enim ſumme noxius, niſi cito expellatur, occupata viſcera devaſtare contendit; Viæ vero, per quas educi poteſt, plures eſſe poſſunt, directam autem, & potiſſimam Anacatharſin eſſe, nemo ambigit, cæteras vero indirectas, & niſi a Natura eligantur, periculoſas adhuc eſſe arbitramur; cum tam per renes, quam per alvum patentes viæ a thoracis fundo ductæ, non adhuc appareant; quare ad has partes arbitrarias Artis motiones in hac urgentia dirigere, non curationem, ſed pericula tentare eſt. Veruntamen cum per dictas vias valido, ac perſeveranti motu Naturam vergere obſervetur, ut ſibi conferentem exiſtimare, ac appropriatis auxiliis illius conatus ſecundare tenemur; quod enim ignotum nobis eſt, intima Medicatrix non ignorat, nec nobis data eſt virtus, quam in deſperatis morbis curandis ipſa poſſidet; ſtupendæ quidem nobis hæ viæ ſunt, ſed magis mirandum eſt, cum Empyicos plures per cutim, Scabie nempe, vel ulceribus, ab ipſa ſola integre curatos fuiſſe, a Practicorum monitis audiamus. Concludamus ergo, quod per vias il- *Curationis variæ viæ ſunt.*

las, quas Natura medicatrix elegit, cum conferre poſſint, per ipſas quidem una cum Dučtrice deſcendere, Ars auxiliatrix tenetur. At cum Naturam nullibi vergere appareat, per directam, ac faciliorem viam, per ſputum nempe, purulentas ex thorace ſordes evocare, ac expurgare æque, & cito convenit.

Emetica reprobantur. 6. Et primo inter opportuna remedia Emetica, hic a plurimis celebrata, ſe offerunt; at per me ſaltem non hic prodeſſe, ſed obeſſe poſſe conſidero. Equidem inſons ventriculum quo titulo exagitandum, & a lue, quæ in ipſo non eſt, expurgandum ſit, non video; manifeſtum vero detrimentum a vomendi conatu, collectam in diaphragmate, ſaniem pati poſſe dignoſco; cum vomitus non fiat ſine ventriculi, & diaphragmatis convulſione, vel concuſſione ſaltem, qua ſuppurata lues exagitari quidem, ſed evacuari nequit; unde beneficium nullum, certum vero damnum inducere vomitus debet. Quod ſi ab ipſo materiam ſurſum elevari poſſe, ac facilius per os educi credatur, quis non videt, quod a concitato motu ſuffocationis periculum immineret, cum commota ex impetu ſanies ad guttur aſcenderet. Nec dicant, quod anorexia, saporeſque in ore faſtidientes, ac præcordiorum anguſtiæ vomitionem petant; cum hæc morbi hujus ſymptomata, non ex ventriculo, ſed ex gravato diaphragmate proprie dimanent, quæ vomitus non compeſcere, ſed magis irritare, certo poteſt. Quod autem ventriculus inſons eſſe poſſit, ex diuturno victu tenui, qui empyema præceſſit, facile deducitur; ad quid ergo ipſum exagitare, ut ſine fructu, imo cum vitæ periculo, commotum diaphragma propriam illuviem in pulmones rejiciat, ut ab ipſis per os elimineutur. Sed quid ultra? Quovis ergo emetico, utpote inutili, ac periculoſo, tandem dimiſſo, ad aptiora, & a morbo directe petita Expectorantia remedia deſcendere intereſt; in quorum delectu, ſolito more, noſtras ponderationes præmittimus.

Viſcidum expectorare. 7. Cum ergo, ut dictum eſt, nullibi vergere Natura videatur, ad anacatharſin promovendam accedere, eſt opus; at primo ſputum, & excreationis modum æque perpendere convenit, & cum Viſcidum limum, & cum profundo conatu excernatur, tunc Expectorantia, quæ attenuare, ac facilius educere poſſunt, ſeligere, & cum febris conditionibus conferre intereſt; quæ enim fortiter attenuant, febrem exaſperare apta ſunt; ideo in his anguſtiis, ut Charybdim, Scyllamque vitemus, caute incedendum eſt; ſicque primo a minus validis attenuantibus auſpicando, ſequens methodus inſtitui poterit.

℞. *Aqu. Farfar. Hyſſop. aa. unc. ij.*
Expectorant. nræ unc. i.
Extract. Enul. Camp. Succ. Liquirit. aa. drach. ij.
Oxymell. ſimplic. unc. i.
Syrup. de Tuſſilagin. unc. i. ſem.
M. & tota cochleat. ant. prand. utatur.
& Alteram ſimilem Doſ. ant. cœnam ſumat.

Poſt aliquot dies, cum intentum ſcopum mixtura hæc non attingat, ad validiora ſenſim aſcendere oportet, & maxime cum febris parva opportuni remedii locum cedere poſſe, promittat. Itaque loco Oxymell. ſimplic. Scylliticum addere, ac pariter Syrup. Nicotianæ, pro Tuſſillag. præſcribere intereſt. Interim eadem prima die Emplaſtro, quo affecta thoracis pars foveatur, ſæpius utatur.

℞. *Rad. Iridis. Symphit. major. pulver. aa. unc. i.*
Farin. Fœn. græc. Tritic. aa. unc. i. ſem.
Camphor. in ſpirit. Vin. ſolut. ſcrup. ij.
Emplaſtr. de Melilot. unc. i.
M. f. Catapl. man. & ſero tepid. apponend.

de ſero autem ſeſquihora poſt brevem cenunculam ſequentem opiatam ſumat.

℞. *Conſerv. Flor. Violar. lib. ſem.*
Extract. Heder. terr. unc. i. ſem.
Balſam. ſulphur. terebinthin. ſcr. iiij.
M. exact. f. Opiat. cujus Doſ. unc. ſem.

item Potus quotidianus ſequens eſſe poteſt, videlicet.

℞. *Rad. Iridis florent pulver. unc. ij.*
Hord. integr. pugill. ij.
Liquirit. raſpat. drach. iij.
Paſſul. min. mundat. unc. ij.
Aqu. Font. lib. x. M. & coqu. ad med.

Hoc potu utatur in prandio, & cæna, quæ frugales eſſe debent, & cum ætas ſenilis, ſilente febre, vinum petere videatur, parum, & oligophorum concedi poterit; nil enim ad vires ſervandas præſtantius eſt, ſed caute uti, facilis febrium exaſperatio ſuadet; hæc vero pro viſcida ſanie purganda, ſatis ſint:

In Acri ſanie. 8. Ad Acrem vero Luem temperandam ſimul, & repurgandam, celeri greſſu accedere convenit, cum præ altera ferocior ſit, feraciorque malorum; omnis enim hujuſce luis conatus eſſe videtur, ut viſcera, quibus clauditur, cito corrumpere nitatur, ac pulmonibus, præcordiiſque, licet ab illa diſtantibus, corroſivo halitu inficere minatur; ideo niſi ocyter ſubigatur, ac eliminetur, hecticam, phthiſim, mortemque inexpectatam, ſecum trahere ſueſcit. Vidimus enim hac lue infectos, celerrime, ac inopinate de vita decedere. Contra vero plures a viſcido limo confirmatos Empyricos ad annos uſque vitam valetudinariam protrahere. Quamobrem hujus medelam procraſtinare, qui audet, ab indomabili morbo deluſus poſtea, nullis juvantibus, perire cogitur. Non gratis hæc innuo, cum ſæpe in hoc caſu impiam hanc medendi moram inſpexiſſem. Acrem itaque hanc luem cito eliminamus, cum temperatis expectorantibus, & acre virus abſorbentibus ſimul mixtis, utamur; ad has ergo intentiones ſequentia diriguntur.

℞. *Aqu. Farfar. Papav. errat. aa. unc. ij.*
Expectorant. nræ. unc. i.
Specier. Diatragac. frigid. drach. i.
Antihectic. Poter. gr. viij.
Magiſt. ſolubil. Perlar. ſcrup. ſem.
Syrup. Jujubin. Meſue unc. i. ſem.
M. & tota intra horam cochleat. ſumat.

ſicque Veſperi hora ſaltem ante brevem cænam reſumatur; duabus item horis poſt cænam rotulam unam ex ſequentibus, ore teneat, & deglutiat.

℞. *Flor. Benzoin. ſcrup. iiij.*
Radic. Irid. pulver. drach. i. ſem.
Sacch. Violat. q. ſ. ut f. Rotul. ponder. drach. ſem.

Pro potu quotidiano ſub nulla ratione vinum permitti poteſt, ideo ſequenti utatur.

℞. *Hordei decortic. unc. ij.*
Jujubar. Sebeſt. aa. par. xij.
Paſſular. minor. mundat. unc. i.
Aqu. font. lib. x. M. & coqu. ad tertiam.

Cataplaſma demum pro hac indigentia ſequenti, vel ſimili modo componi poterit.

℞. *Rad. Althe. Malv. contuſ. aa. un. ij.*
Fol. Braſſic. rubr. Malv. aa. manip. i.
Flor. Camomill. Viol. lutear. aa. pug. i.
M. & coqu. in Aqu. & ol. Lilior. alb. ad aqu. conſumpt.
Pulp. traject. adde Farin. Fen. græc. unc. ij.
Ungu. de Althe. unc. i. m. f. Catapl. bis in die replic.

His ergo auxiliis, cum recta victus norma fæderatis tandiu inſiſtere decet, donec liberam, & liberalem anacatharſin conſtanter perſeverare videatur; & ſic tandem ſuppuratæ ſordis hujus expurgationem abſolvere decet. Quod ſi hiſce irritis proficua expectoratio non ſuccedat, validiora etiam, licet non propria, *antec. numer. 7.* data remedia ad opus vocare, contumaces ſordes compellunt; quod cum & illis inutiliter utamur, vel Phthiſin ab *Hippocrate* 5. *aph.* 15. denunciatam, vel inevitabile funus (niſi extremo remedio Paraceteſi adhuc utamur) expectare oportet.

9. His ergo auxiliis Ars noſtra, æquo arbitrio ducta, morbum hunc ſubigere, ac depellere nititur; cum vero aliud ab hiſce diverſum Naturæ molimina expetant, illorum ductum perito Medenti ſecundare convenit. Ideo cum a faucibus divertendo, purulentas thoracis ſordes per renes ducere, Natura deliberavit, quod ex manifeſto in urinis pure, fætidave hypoſtaſi, tuto dignoſcitur; tunc per conferentem diureſin Artis impulſiones dirigere, Naturæque niſus ita ſecundare, fas erit, ad quem ſcopum auxilia ſequentia collimant. *Per renes Naturam ſecundare.*

℞. *Aqu. Fragor. Geniſt. aa. unc. ij.*
Diuretic. nra ex florib. unc. i.
Ocul. Cancr. cum acet ſolut. drach. i.
Balſam ſulphur. terebinth. dr ſem.
Syrup. Heder. terreſtr. unc. i.
M. & pro Doſ. mane ſumat.

Eadem ſimiliter de ſero ſeſquihora ante brevem cænam utatur. Potus vero quotidianus ſit Aqu. Noceræ, vel Seri

Ca-

Caprill. deſtill. in quo gutt. 6. Spirit. Sal. dulcif. infundantur; vel Aqu. hord. in qua radic. Petroſell. bullierint. Cum hac methodo tandiu perſeverare oportet, donec mundum, & ſine pure lotium appareat, Patientiſque ſalus recuperata comperiatur.

Per anum moventem adjuvare. 10. Cum autem urinæ nullo pure infectæ conſpiciantur, Alvi vero fæces purulentis ſordibus mixtæ, & quaſi ebullientes videantur, tunc benigniora cathartica Naturam petere noſcimus; ad quam opem ſolemne mihi eſt, a Caſſia recent. extract. non diſcedere, cum, & pectoris amica, & inteſtinis benigna, violentas evacuationes promovere nequeat; cum autem a Caſſia Patiens abhorreat, vel Diaſebeſt. ſolutiv. vel Paſſul. ſolvent. præſcribere ſueſco. Plurimum enim hic ponderat, benigno impulſu Naturam ſecundare, ne ad hypercatharſin inducatur; cum facile ſit in hoc morbo Diarrhœam colliquativam excitare; item ut alterum periculum evitemus, ne ſcilicet purulentæ ſordis virulentia inteſtina corrodat; ideo alternatim etiam Clyſteribus ex Lacte, & aliquando chalybeato uti poſſumus. *Motiones aliæ perpenduntur.* Cum tandem ad cutim, quod raro, Naturam vergere, deprehendamus, ut a ſudore, vel puſtulis, aut ulceribus in hoc caſu emergentibus, conjici poteſt; tunc ambiguum eſt, an recte Artis auxilia cum illius motibus fæderari poſſint; cum arduum ſit noſcere, an conferens, vel deſperata ſit hæc motio, ad cutim directa, & maxime cum ſudores promoveat, per quos purulenta ſordes non rite, nec recte eliminari poſſit; adde quod ſudor proprie deſperatæ hecticæ ſymptoma ſit, quod in hoc caſu diaphoreticis auxiliis magis provocare, vitalem flammam citius extinguere poſſet. Ideo Naturæ modum, febris conditiones, Patientis ſtatum, cæteraque ſimilia caute hic perpendere intereſt, ut Artis auxilia tuto ſemper pro illius exigentiis æque diſtribuantur, & hæc perito Medenti ſatis ſint.

Paracenteſis uſus. 11. Ultimo tandem cum & otioſam Naturam nullibi vergere, & irritis auxiliis dictis morbi contumacia non cedat, ad *uſtionem*, *vel ſectionem cum Hippocrate* confugere intereſt; hæc enim extremæ anchoræ ſunt, quibus plurimi a vitæ naufragio liberati fuere. Et primo Paracenteſis, vel ſectio non tanti periculi eſt, quanti penditur, nec tanti doloris, quanti exiſtimatur; timor enim eſt, qui punctionem iſtam per ſe certo ſalubrem, nimis dolorificam, & periculoſam apprehendit. Multis quidem deſperatam vitam reſtituit, aliquos vero non ſectio iſta (cum rite, & recte inſtituta ſit) ſed timor ipſe interemit. Vitæ namque ſpiritus a terrore depreſſus quot ſine vulnere ad mortem duxiſſet, ab Hiſtoricis petere quiſque poteſt. Non inficior tamen, quod temporis indebiti, vel imperiti Agentis culpa, aliquos ſub hoc vulnere periiſſe; quamobrem oportet primum hoc remedio debito tempore uti, cum nempe vires vegatæ adhuc ſint, ne labeſcentes cito ſub vulnere pereant. Oportet item a perita manu hoc vulnus infligi, ut magis proſit, & minus excruciet. Demumque oportet, ut Patiens conſtanti animo, plurimoque ſalutis ardore dirigatur, ac alacriter ferat, quod pro vita diu ſervanda, ſemel patitur. Determinatum denique ſectionis locum cum *Hippocrate* primum ſeligere convenit, qui ſic ait *lib. 3. de morb. Secato, aut urito quam proxime ad ſeptum tranſverſum, cavendo tamen, ne hoc ipſum lædas*. ideſt inter quartam, & quintam coſtam, ab inferioribus numerando, quem locum primus celebr. *Fabric. ab Aquapendente* determinavit, & a *Veſalio*, *Bartholino*, aliiſque poſtea, ut minus periculoſum, & magis proficuum comprobatum fuiſſe, legitur; licet poſt illos *celebr. Barbette* inter quintam & ſextam coſtam vulnus aperire præcepiſſet; vide etiam recentiores plures, quos recenſere brevitas noſtra non ſinit.

12. Facta demum inciſione, in thoracis fundo collectam ſordem propriis auxiliis educere properandum eſt, non tamen ut confeſtim totum pus effluat, quod lethale eſſe, 6. *aph.* 27. docetur. Sed ſenſim in die, & cum euphoria, & conferentia evocetur. Ægrum pariter ita collocare convenit, ut decumbendo puris egreſſum facilitet. *Auxilia poſt inciſionem.* Pus demum cum album, & æquale prodeat, ſalutis ſpem certo indicat, *ſin vero ſubcruentum, & fæculentum, ac fætidum exeat.* 7. *aph.* 46. lethalem nuncium eſſe

ſe docemur. Interim dum pus excernitur, potionem aliquam vulnerariam æger ſumat, ex. gr.

℞. *Fol. Sanicul. Heder. terr. aa. manip. ij.*
Radic. Conſolid. major. Tormentill. aa. unc. iij.
Semin. Hyperic. Card. bened. aa. drach. i.
Flor. Cordial. Hyperic. pugil. i.
Hydromell. ſimpl. lib. i. M. & coqu. ad tertiam
Colatur. unc. iv. mane, & veſper. ſumat.

Cum autem inciſionem Patiens ferre nolit, Uſtionem ſaltem actualem, vel potentialem non recuſet, niſi certo in Phthiſin 5. *aph.* 15. denunciatam incidere velit. In thorace enim ſtagnans purulenta lues, cum nullibi repurgetur, ab illius virulentia præcordiorum viſcera, & pulmo apprime certo corrumpi debent.

a Sanguine extravaſato Curatio. 13. Neque hic tantum integra Empyematis tragædia abſolvitur; alteram item ſcenam ſanguinis vel a vulnere, vel a contuſione, aut a quavis alia prophaſi, in thoracis fundo extravaſationes, ac ſtagnationes aperiunt; quibus contingentiis remedia etiam tribuere eſt opus. Effuſum ergo a quavis cauſa in thorace ſanguinem, nullibi evacuari poſſe dignoſcitur, niſi primo ſub Naturæ viribus, nempe in pus primo (quidquid nonnulli arbitrentur) redigatur; & inde per varias partes, Naturæ, vel Artis molimine deturbetur. Ideo primum illius in pus digeſtio; ſecundo illius eliminationes promoveri debent; ad quos fines conſequendos, primum Venæ ſectio neceſſaria videtur, ut nempe diminuta ſanguinis moles, & ad aliam partem diſtracta, minus e vaſis fractura in thoracem exundet; ideo Venæ ſectio in oppoſita læſionis parte, inſtitui debet. Poſtea ſequentem, vel ſimilem potionem ſumere intereſt.

℞. *Bellid. min. herb. cum flor. manip. ij.*
Fol. Tormentill. Symphyt. aa. manip. i.
Semin. Card. ben. Hyperic. aa. drach. ij.
Acet. Vin. Aqu. font. aa. lib. i.
Coqu. ad mediam. Colatur. unc. iv. adde
Extract. Symphyt. Hyperic. aa. drach. ſem.
Spermat. Ceti non rancid. ſcrup. ij.
M. f. Pot. mane, & ſero replicand.

Donec pus incipiens per os expuatur; quo demum emergente, pro Naturæ motu, cum nempe per ſputum morbum abſolvere videatur, dictæ Potioni Extract. Rad. Irid. Succ. Liquirit. aa. Drach. ſem. addi poteſt. Cum vero per urinam vergere dignoſcatur, tunc Ocul. Cancr. in acet. ſolut. ad drach. i. addere convenit. Cum denique per alvum moveat, tunc Extract. Rhabarb. Drach. ſem. addatur; ſicque ſimiliter cum aliis ſupra datis auxiliis curatio abſolvi poterit. Febrem demum cum hoc affectu emergentem quomodo dirigenda, & curanda ſit, cap. de Febr. hectic. & alibi ſatis dictum jam fuit.

APPENDIX.

Quæ autem in hoc Affectu proficua ſint, pro illius varia conſtitutione ſequentia eſſe poſſunt, videlicet

Antihectic. Poterii, ac alia ſimilia
Aqu. deſtillat. plurim. ut Aqu. Card. ben. Card. mariæ. Scabioſ. Tuſſillag. Symphit. &c.
Balſam. Peruv. Copau. Balſam. Sulphur. aniſat. & terebinth. &c.
Butir. Perlar. Butir. Sulphur.
Decoctum Flor. & Fluct. ac Decoct. Pectoral. ambo ex P. A. R.
Decoct. Paſſular. Mynſicht. Decoct. ex braſſic. Lindan. item Decoct. Nicotian. Decoct. Lign. ut Cinæ, ſaſſafraſ. &c.
Flor. Benzoin. Flor. Sulphur. ſimplic. & compoſit.
Hydromel, ſeu Mulſa Hippocrat. ſimpl. ex melle & aqua, vel compoſ. variis modis
Nitrum Antimon. & Nitrata plurima.
Oximel. ſimpl. & Squillitic.
Panacea pectoral. Doring.
Sperm. Ceti non rancid.
Sulphur. Antimon. fixum, ut & Antimon. diaphoret.
Syrup. de Heder. terreſtr. de Nicotian. de Liquirit. de Praſſiſ. de Tuſſillag. &c.
Tabell. Saponac. Batei. Tabell. Hæmopt. Plateri. &c.

Tro-

Trochiſc. Pectoral. P. A. R. Troch. ad acrimon. corrig. Sylvii.
Unguent. & Cataplaſm. extern. plurim. in Appendice antec. cap. ſignata.

CAP. XII.

De Aſthmate.

Reſpiratio læditur a læſo thorace. I. HActenus in thorace diſtinctos cujuſque partis Affectus inviſimus, nunc vero Symptoma ſe offert, quod univerſum pectoris clauſtrum occupat, cum quælibet illius pars ad ipſum inducendum, pro ſuo jure concurrat. Hoc, inquam, Aſthma dicitur, & a pulmonis culpa exoriri cenſetur; cum ſola vitiata illius dilatatio, & contractio reſpirationem præpediat. Verum & ſi pulmones ad hoc munus præcipuum organon ſit, ad integrum tamen illius exercitium perficiendum, omnes thoracis partes propriam opem ita conferunt, ut ſi quælibet illarum delinquat, pro culpæ modo reſpiratio depravetur. Sic in Aſcite, quia liberum, Diaphragmatis deſcenſum tumidæ ſub ipſo partes impediunt, aſthmaticus affectus in hac hydrope ſæpius faſtidit. Similiter in hujus Septi convulſione, cum nec attolli, nec deprimi queat, Aſthmata ferocia invadunt. Sic in pleuritide, cum muſculorum intercoſtalium motus, ob pleuræ contracturam, haud liberi fiant, reſpiratio laborioſa nimis peragitur. Sicque in qualibet coſtarum contuſione, vel fractura ſummus in reſpirando niſus, & dolor excruciant. Nec Cor ipſum, quod in thoracis ſolio vitæ munia gubernat, cum congrumatum ſanguinem intus ſumere nequeat, illico ſuſpenſa reſpiratio ſilere, vitaque perire coguntur. His ergo certis tuto concluditur, quod omnes thoracis partes, ad reſpirationis opus exercendum proprio auxilio concurrant, propriaque cujuſque culpa depravet. Hanc ergo practicam notionem deſpicere nemo debet, cum reſpirationis læſiones recte percipere teneatur, quod infra pro viribus exponere ſategimus.

Deſcriptio & Diviſio. 2. Aſthma ergo primum deſcribi poteſt, quod ſit depravatus pulmonis motus conſtrictionis nempe, & expanſionis, a movente Spiritu vel per ſe delinquente, vel ab organorum culpis præpedito, inductus hujus deſcriptionis obſcuritas in cauſarum indagine clara eluceſcet; cum & intimas Spirituum læſiones, & thoracis defectus ſigillatim expendere nitamur; ideo nil aliud pro nunc de illius natura exponere, inaniter defatigamus. Ejus vero diviſionem in triplicem claſſem græca ſolertia deſcripſit; primam cæteris leviorem Dyſpnœam vocavit, quæ nil aliud, quam denſum, vel anguſtatum anhelitum exponit; alteram Aſthmatem dixit, cujus dentior anhelitus, & frequentior cum ſtertore, tuſſique ſæpe ſociatur; tertiam Orthopnœam, cujus impenſæ reſpirandi anguſtiæ non niſi pectore erecto, colloque diſtento, levamen aliquod audiunt, cum decumbendo ſuffocari ægri pavitent. Hic ergo Aſthmatis cortex, vulgo etiam notus eſt; ideo quid intimius, quod etiam cauſarum differentias tangat, Helmontius primo penetravit; ſic enim ſtatuit *de Aſthm. & Tuſſ. n.* 60. *Eſt ergo duplex Aſthma, humidum, & ſiccum*, *& ſequ. n.* 63. aliud addit. *denique Aſthma partim ſiccum, partimque humidum eſt*. Hanc magni Viri ſemitam premit celebris *Williſius*, qui cenſuit, *Aſthma eſſe vel mere pneumaticum, a ductibus aeriferis obſtructis; vel mere convulſivum, quod ob defectum in organis motivis exoritur*; *vel mixtum, quando utræque partes in vitio conſpirant. Sect.* 1. *cap.* 12. *de Aſthm.* Has ergo differentias & nos ſequimur; quia æquo ductu ad intima morbi diſcernenda conducunt; & quia proximam, propriamque hujus affectus cauſam, ſimulque cæteras occaſionales, vario titulo concurrentes, exponere, æque faveant, ut infra notum erit.

3. Partes item affectas non ſemper in Pulmone, ut Veteribus placuit, inquirere decet; cum Reſpirationis opus non ab hoc viſcere tantum peragatur; non enim pulmo aerem recipit, & depellit, niſi thoracis muſculi, & diaphragmatis ſimul contrahantur, & relaxentur; nec omnes iſti abſque ſpirituum impetu, illos movente, hoc opus perficere poſſunt; ideo cum a quavis culpa proprius cujuſque concurſus lædatur, illico *Partes affectæ.*

co reſpiratio depravatur. Quamobrem primo potiſſima pars, quæ in hoc munere peragendo, læſionibus ſubigi poteſt, Spiritus impetum faciens eſt, cui proprie reſpirationis negotium promovere, ducere, ac perficere, ſpectat. Hic ergo primum vel excandeſcens, vel langueſcens, aut ab organorum culpa nec auditus, nec coadiutus, pro defectus modo, reſpirationem depravat. Poſt ipſum, qui vere dominus eſt, pneumaticæ omnes, ipſi ſervientes, partes affectæ dici poſſunt, quando ab aliqua labe afficiantur; in hac linea totus pene thorax, ſeu omnia in ipſo, imo & ſub ipſo etiam contenta viſcera, ut partes læſæ, vel lædentes pneumaticum opus depravare, apta ſunt.

Diagnoſis. 4. Ad Diagnoſin deſcendendo, hujus morbi facies omnibus nota eſt, cum illius externa ſigna omnium oculis obvia ſint. Quid enim Dyſpnea, quid Aſthma, quidque Orthopnea oſtendant, ex ſupra dictis patent; hæc tamen viſibilia, vulgi dignotionem haud excedentia, Medenti non ſatis ſunt; ipſi enim intereſt, cauſarum ſigna intime penetrare, ac indicatas illarum culpas æqua lance perpendere. Pro illarum ergo indagine, diximus jam, quod Aſthmatis differentiæ tres eſſe poſſint, nempe Humidum, Siccum, & Mixtum, horum ergo diſtincta ſigna ſequentia eſſe ſolent. Primum Humidi Aſthmatis ſignum viſcida vel lymphatica lues cum tuſſi expurgata oſtendit, quæ demum expulſa reſpirationem pro tunc non nihil facilitat; materia vero iſta, ſi cum profunda tuſſi, fortique conatu excreatur, intimas in imis lobis veſſiculas infarctas eſſe, denunciat; ſin vero abſque magno tuſſis conatu, & cum ſtertore excernatur, tunc partes prope laryngem occupatas eſſe indicat, quæ ſtertoris moleſtia nec poſt expurgatam ſordem omnino ſedatur; quia illius reliquiæ per tracheam remoratæ, aeris exitum refringendo, importunum ſonitum perennant; continuum denique, & ſine pe riodica intermiſſione humoroſum hunc affectum perſiſtere, experitur, donec tota lues ab infarcto pulmone prorſus eliminetur. Siccum vero Aſthma, ſeu convulſivum, ſæpius abſque tuſſi, nullaque copioſa excreatione infeſtat, nec ſtertorem, nec ſonitum ullum prodere ſolet; cum non a pulmonis illuvie, ſed ab alia thoracis parte convulſa, vel male affecta procedat; ideo donec pars illa naturalem tonum reſarciat, ſine intermiſſione difficilis reſpiratio perſiſtit; non autem valde diuturnum eſſe poteſt, ſæpe enim periodice intermittit, cum per dies plurimos pneumaticæ partis convulſio, ſine funeſto termino perſeverare nequeat. Signa vero læſæ partis ſunt, primo; cum zonam ſtringentem, & moleſtam circa diaphragmatis regionem anhelitum præpedire æger ſentiat, tunc ſepti tranſverſi muſculos convulſos eſſe, tuto conijcitur; cum vero thorax duram quaſi compreſſionem circa coſtas patiatur, tunc muſculos levatores, vel illorum antagoniſtas convulſione teneri, facile deducitur. Aliud item Aſthma ſiccum, ſed abſque convulſione detectum eſt, quod tunc moleſtat, cum ſanguis per pulmonis arterias congrumatus, vel cum tophaceæ concretiones in ipſis congeſtæ ſint; hæc enim liberam pulmonum dilatationem, & conſtrictionem impediendo anheloſam reſpirationem inducunt, quæ diutius moleſtat, donec a repagulis dictis pulmones redimantur; ideo cum ſiccum Aſthma, ſine convulſione invadat, ſignum eſſe deducimus, quod pulmones infarcti ſint. Aſthma denique Mixtum, utriuſque effectus prodere ſueſcit, cum nempe & convulſivum & humoroſum ſit, plus minuſve tamen unum præ alio inſequitur, pro ut magis vel pulmonum infarctus, vel muſculorum convulſio prævaleat; & hæc demum pro Diagnoſi ſatis ſint, nunc ad Cauſas deſcendimus.

5. Difficillimum ſemper, & comprehenſum nunquam Reſpirationis arcanum, ſicuti celebres Doctores hactenus defatigaſſe noſcimus, ita diutius adhuc defatigandas mentes illuſurum fore, opinamur. Abditam enim ex Enormontico niſu, Aeriſque illapſu progenitam, ac multiplicium, variaque impulſione concurrentium, organorum miniſterio productam reſpirationem, æque recteque dignoſcere, arduum eſſe videtur. Quamobrem cum naturalem illius tonum æqua lance perpendere difficillimum ſit, qua ergo facilitate ipſam *Cauſarum indago.*

ſam

ſam depravatam, ex legitimis cauſis explicabimus? Non enim provinciam hanc labefactatam noſcet, qui intactam non æque luſtravit. Attamen opus hoc tantum aſſumere, præſens occaſio petit; ideo pro viribus ſatagemus, & ut difficultates cum minori ambage expedire aſſequamur, tutas notiones brevi calamo præmittere intereſt. Noſcimus ergo primum reſpirationis opus ab impetum faciente Spiritu peragi debere, qui ſolus, organis utens, univerſum hoc negotium ducere, & perficere poteſt. Nam ſicuti certum eſt, quod per ſe relicta in cadavere organa omnia ſilent, quia ipſorum modulator Spiritus deceſſit; ita in viventi machina organa reſpirationis præcipue, quæ primo vitam alunt, ab ipſo impetum faciente impleri, ac modulari, & cum a recto divertat, depravari etiam poſſe, perſpicuum nobis eſt. Item cum ipſe ſolus, & ſine organorum miniſterio hoc opus perficere nequeat, ex quolibet famulantis organi defectu, reſpiratio lædi adhuc poteſt. His ergo apprime notis, ut ſingulas depravatæ reſpirationis cauſas percipiamus, ad omnes ſigillatim indagandas, deſcendere intereſt. Et primo veram cauſam, ſeu Spirituum impulſionem expendimus; deinde cæteras, contingenter depravantes, lumine cuique proprio clarificare, ac firmare non dimiſimus.

Vera reſpirationis cauſa.

6. Ad primum ergo, per me notum habeo, quod ut dictum eſt, ab impetu faciente ſpiritu, etiam pro voluntatis lubitu, frequens, vel tarda reſpiratio conduci poſſit, quod in ſeipſo quilibet experitur, & hoc paſſim Muſici, Tubicines, Concionatores, &c. oſtendunt; imo & pro velle proprio cohiberi omnino poſſe, Deſperatorum hiſtoriæ teſtantur, quarum una ſaltem *a Galeno lib.* 2. *de mot. muſcul. cap.* 6. deſcriptam referre ſufficit. *Servus barbarus, cum vehementi ira concitatus eſſet, ac mortem ſibi conſciſcere decreviſſet, reſpiratione cohibita, mortuus eſt.* Certum ergo erit, quod ſub volentis nutu reſpirationis opus accelerari, vel retardari, ac aboleri etiam poſſit; ergo totum hoc negotium Enormontis poſſe, ac volentis arbitrio datum eſt. Sed dimiſſo velle, quod extra indaginem eſt, Enormontis poſſe expendere ſufficit. Motus ille, quo thoracis, & diaphragmatis muſculi contrahuntur, & relaxantur (unde certo reſpiratio procedit) a ſolo impetum faciente Spiritu, per nervos, & arterias in muſculis ſe movente, peragi poteſt; hoc enim ex eo patet, quod deperdito Spiritu, motus iſti, ſimul cum reſpiratione, omnino pereant. Hæc veritas omnibus nota, licet non æque perpenſa, dum ſatis deprehendatur, facile concluditur, quod Enormon, non ſolum naturalis reſpirationis cauſa, ſed & illius præternaturalis culpa interdum eſſe poſſit; quodlibet enim creatum Agens circa opus ſuum aliquando delinquere poteſt; ita in morbis plurimis, proprio errore inductis, Enormon deliquiſſe, hactenus oſtendimus, & in hoc quoque, aliquando a recto munere aberrans, prævaricare poteſt. Sæpe enim inſonti thorace, intacto pulmone, cæteriſque illæſis, a ſola ſpirituum culpa reſpirationis opus depravari ſolet; hoc ergo nunc oſtendimus.

Enormon reſpirationem lædit.

7. Indecens ergo ſpirituum motus, vel in exceſſu, vel in defectu vitiatus, debitam actionum rectitudinem in acoſmiam pervertit; hæc enim duo ſpiritus vitia, ſicuti animantis regimen non raro evertunt, ita rectum reſpirationis munus depravare ſueſcunt; hoc ergo videre nunc eſt. Et primo illorum exceſſus ſe offert; in qua linea quantum Animi pathemata enormonticam excandeſcentiam provocare queant, nemo cordatus ignorat; ſed ut in caſu noſtro experimenta ſuadeant, primum ſit illud ab *Helmontio de Aſthm. & Tuſſ.* relatum. Civis cordatus a Magnate publica injuria affectus, vehementem iracundiam ſilendo ſuffocavit; *mox ab inde Aſthma oboritur, quod, alioquin bene valente, magis in dies ingraveſcebat toto biennio.* Alterum *Horſtius lib.* 3. *obſerv. de morb. pector.* refert. Juvenis fortiter exacerbatus, *Orthopnæam atrocem, ſine tuſſi, diutius paſſus eſt, licet alias robuſtus eſſet.* Similem caſum inſpexiſſe memini. Comes quidam juvenis, ab aliis inſultatus, domum rediens, nec verbum facere poterat, ad ipſum vocatus, Aſthmate feroci cum ſicca tuſſi captum inveni, quem compeſcenti-

bus auxiliis altera die liberatum vidimus. Similia ergo Aſthmata, a vehementi excandeſcentia producta, quam aliam cauſam, præter ſpiritus concitatos, culpare poſſunt? Nec paſſiones aliæ minus clare hanc veritatem oſtendunt, quarum plures ſpiritus opprimendo, Aſthmata inducere potuerunt. Ex iſtarum exemplis plurimis aliqua ſeligimus; & primo *Foreſtus lib.* 16. *obſerv.* 10. funeſtum Aſthma deſcribit, a ſolo terrore inductum, quod cito patientem ſuffocavit. Alterum item *Rhodius cent.* 4. *obſerv.* 21. Aſthma ferocem exponit, a ſubita triſtitia productum, quod per tres horas continuo perſeveravit. Alium pariter *Sennertus ad Doringium* deſcribit, nobilem nempe mulierem, cum ſponſum duellantem vidiſſet, atroci Aſthmate ſtatim correptam fuiſſe, quod tandiu duravit, donec ſponſus ad illam accederet. Iſti ergo, ſimileſque plures a vehementi paſſione inducti Spirituum defectus, abſque alia vigente cauſa, repentina Aſthmata produxerunt; ideo certum erit, quod Impetum faciens ſpiritus excandeſcens, vel langueſcens reſpirationis organa, vel convellere, vel relaxare poteſt.

8. Verum nondum ab Animi paſſionibus, ſed & ab aliis infenſis, moderatum a placido ſpiritu reſpirationis regimen, præpediri, & everti, adhuc poteſt; quodcumque extraneum, quod in hoc opere naturalem ſpirituum agendi modum perturbet, eundem a recto motu pervertere poteſt. Hos autem infenſos brevi calamo perſtringere, arduum eſt; præcipuos tamen innuere ſaltem, eſt opus & primo illos, qui ad ſiccum, & convulſivum Aſthma inducendum, conſpirare videntur. Hanc lineam præcipue tenent ſanguifera, & lymphatica vaſcula, quæ pneumaticos thoracis, & diaphragmatis muſculos undique permeant, iſta, inquam, cum aliquod nervis infenſum inibi deferant, ſpiritus illos moventes lædere, & ad ſpaſmodicas contractiones cogere poſſunt, unde Aſthmata convulſiva inducuntur. Item eadem ſanguinis, & lymphæ vaſcula, quæ complicatis, ac innumeris ramulis per pulmones circumeunt, cum a proprii fluidi grumeſcentiis infarcta ſint, varias reſpirationi moleſtias inferunt, quæ fluidorum vitia, diuturnum Aſthma produxiſſe, ac non raro in tophaceas congeſtiones degeneraſſe, ac inſuperabile hoc malum effeciſſe, ex obſervationibus notum eſt. Inſuper ob dictam, a figenti acido inductam, ſanguinis congrumationem, maxime in Febribus coagulativis, capillarium vaſculorum ſtagnationes plurimæ, ut in pleuritide, pneumonia, &c. in thoracis pleura, ac in pulmonibus productæ, ſiccum Aſthma primo, poſtea humoroſum induxerunt; ſic pariter cum dictæ ſanguinis congeſtiones in dextra cordis auricula diaſtolen defatigent, nondum cordis palpitationes, lypothymias, & aliquando ſyncopes, ſed & Aſthmata ſicca pluries concitaſſe, obſervatum fuit. Non minus hunc affectum nutriunt Morbi plures, ut Hypochondriacæ. Scorbuticæ, Hyſtericæ, ac Spaſmodicæ Paſſiones, quæ omnes acido quodam ſeminio Spiritus ita officiunt, ſæpeque ita inficiunt, ut in nervis, & muſculis motuum depravationes, & inde Aſthmata inducant. Poſt intimos affectus, externæ adhuc Occaſiones proprium huic morbo fomitem addunt, in quarum claſſe Aer potiſſima eſt; hæc enim quantum cum animali ſpiritu ſymbolizat, tantum aliquando ipſis infenſus exſtat; ut primo cum impenſe gelidus, vel nimis æſtuans evadat, priori modo ſpirituum expanſiones cohibet, altero ad exploſiones illos inducit; ideo ſumme gelidus ipſorum elaſticitatem opprimens, pneumaticis organis vigorem demit, unde reſpiratio defatigata, & inde Aſthmata ſicca, ex ſpirituum defectu, emergere ſolent, ut jam anno impenſi frigoris 1708. anhelationes plurimæ, cum ſicca tuſſi populariter vagaſſe inſpeximus; quantum item gelidus aer inſpiratus pulmonis oeconomiam lædere poſſit, nemo cordatus ignorat. Æſtuans vero Aer oppoſitos effectus ponere ſolet, ſpiritus enim ad ſpaſmodicas exploſiones inducendo, Aſthmata convulſiva ſuſcitat, quæ non raro febres, ardente ſyrio, invadentes, comitari videntur. Quid tandem Aeris infenſa effluvia, ſanguini per inſpirationem communicata, poſſint, Epidemiæ conſtitutiones oſtendunt; & quid in pulmonum veſſiculis relinquant, quod ſæpe Orthopnæas in-

Aſthmatis ſicci occaſiones.

inducat, ex Practicorum obſervationibus liquet. Motus item excedens, cum nimium pneumatica organa, ſpiritusque fatiget, anheloſam reſpirationem, Dyſpneam, & in prædiſpoſitis Aſthmaticum paroxyſmum excitare ſolet. Sicque a Coitu diutius abuſo, Aſthmata inopina invaſiſſe, obſervationes referunt; & nos Juvenem, qui pluries in die hoc vitium frequentavit, atroci Orthopnea captum inviſimus. Hæc demum pro ſicci Aſthmatis occaſionibus ſatis ſint.

Aſthmatis humidi occaſiones. 9. Humidi adhuc Aſthmatis Fomites eadem indagine nunc exquirere oportet, verum ex iſtorum ſerie, quæ valde numeroſa eſt, præcipuos tantum, & frequentiores eligimus; & primo ex duplici fonte, a ſanguine ſcilicet, vel a lymphis humoroſi Aſthmatis illuviem diſcedere poſſe, dignoſcitur; hæc enim duo flumina univerſam viventis provinciam, & maxime pulmones irrigant, a quibus probi, vel improbi ſucci promanant. Ut ergo a potiori auſpicamur, ſanguis primo in Pulmonibus circulans, duplici culpa, ad humidum Aſthma promovendum contribuit; 1. vel quia coagulis infectus in pulmone ſtagnare cogitur; 2. vel quia plus æquo ſeroſus in illius veſiculis aqueam colluviem exundat. Priori modo congrumeſcens, ac in aliquibus vaſculis remoratus ſanguis, liberam pulmonis dilatationem, & conſtrictionem inhibet, unde anhelatio primum, & inde dyſpnea, & tuſſis ſicca, quæ cum diutius pulmonem concutiat, ſtagnatum ſanguinem propria vaſcula diſſilire, & hinc diſcedere cogit, qui extra ſua vaſa vel cum tuſſi rejicitur, ut in Hæmoptiſi, vel ibi vappeſcens, in viſcidam illuviem degenerat, & ſic tandem purulentam expuitionibus materiam præparat, ut in pneumonia, & pleuritide patet, quos morbos ſæpius moleſta Dyſpnea frequentat. Altero adhuc modo, cum ſanguis plus æquo ſeroſus ſit, e capillaribus vaſculis in pulmonum veſſiculis facilius effunditur, ſicque illius lobos moleſto fluido aggravat, & infarcit, unde anhelatio, & tuſſis, pluresque pro luis modo, excreationes procedunt. Sanguis item, ab acri viru in ſeroſam illuviem colliquatus, ut in veneficis colliquativis febribus contingit, Aſthmata ferocia cum tuſſi purulenta produxit, ut pluries obſervavimus; infarcti enim ab acri ſero pulmones, anheloſam reſpirationem primo, & inde tuſſim humoroſam inducebant. Simili pene noxa lymphatica vaſa culpantur, cum ipſorum vel redundans, vel vitiata lympha in pulmonum veſſiculis exoneretur; vel pariter cum a gelido inſpirato aere ſuccus per tracheam continuo exudans coaguletur, & in viſcida recrementa pervertatur; quia vel priori, vel altero modo culpabilis lympha, reſpirationis organon moleſtare, & tuſſim cum anhelitu, ſtertore, ac excreatione adigere, apta eſt; ideo de ultima docet *Hippocrates* 3. *aph.* 5. *ſi aquilonia fuerit, tuſſes, fauces, & alvi duræ &c.* quæ tuſſes, fauciumque durities, cedente aquilone, in humoroſas excreationes vertuntur. Nec minores Aſthmatis fomites auſtrina, & nimis humida Aeris conſtitutio ſecum ducit; vidimus enim pluries in diuturnis Autumni pluviis contumaces, & humidæ tuſſes cum difficili reſpiratione, ac ſtertore populariter vagare, quod etiam 3. *aph.* 13. innuitur; quia in nimis humida, ſeu pluvioſa conſtitutione Aeris effluvia, pulmonum maxime infenſa, cum diu inſpirentur, & ipſos, & ſanguinem per ipſos circulantem, ita inficiunt, ut ſic ex pluribus cauſis reſpiratio lædatur, & in prædiſpoſitis Aſthmata excitentur. Cæteras denique occaſionales hujus Aſthmatis cauſas pro nunc dimittere deceat.

10. Mixtum denique Aſthma, & eidem primæ Enormonticæ cauſæ, & iiſdem occaſionibus æqualiter ſubjacet, cum ex ſicco, & Humido, ſeu ex convulſivo, & humoroſo ſimul mixtis componatur; primo quia in hoc Aſthmate ſpaſmodicam ſpirituum concitationem muſculi pneumatici patiuntur; ſecundo quia ex ſanguinis, vel ex lymphæ vitiis, aut ex alia infenſa occaſionali cauſa pulmones infecti ſunt; utræque enim partes læſæ in hoc mixtum Aſthma producendum æquali crimine conſpirant. Verum ut ad integrum nocumentum hic morbus aſcendat, in ipſius fieri, a pertinaci unius, vel alterius partis vitio duci debere arbitramur; nempe cum ex. gr. ſanguinis, vel lymphæ culpa humidum Aſthma primum inchoaverit, *Aſthmatis mixti cauſæ.*

ac diu perſtiterit; tunc enim ſanguinis vitia nondum pulmonem, quem infecerunt, ſed & ſpiritus (qui per ipſum in celebrum, & inde in nervos ducuntur) propria lue contaminaverint, minime ambigimus. Qualis enim ſanguis tales & ſpiritus ſunt, quia ex proprio fonte proprios defectus contrahunt; ideo ſi debilem elaſticitatem ex illorum cunabulis duxerunt, in nervos tranſmiſſi; pneumaticos (ſicut & cæteros) muſculos cum languore ad proprios penſus promovere apti ſunt. Ideo cum pulmo, a ſanguinis lue jam infectus, ſi valida thoracis dilatatione, & conſtrictione ad proprium munus non promoveatur, difficilem, & depravatam ex utraque parte reſpirationem exercet; & ſic mixtum Aſthma produci poſſe arbitramur. Verum & oppoſitum etiam evenire poteſt, cum nempe non pulmonis primo, ſed nervoſi generis culpa ſimplex Aſthma convulſivum productum ſit; ſæpe namque contingit, quod illæſo pulmone ſpaſmodica muſculorum contractio Aſthmatis initium ponat, diuque producat; tunc pulmones ob depravatam reſpirationem, propria, & ſanguinis vaporoſa recrementa non æque eliminando, ac in ſe ipſo detinendo, ſenſim, atque ſenſim ab illis infarcitur, ac inficitur, thoraciſque criminis pænam & ipſe luere incipit; ſicque ambo vitiati mixtum Aſthma producunt.

Prognoſis. 11. Ad Prognoſin denique accedendo, primo, cum ſævum hoc ſymptoma febribus maxime acutis conſociari aſſueſcat; quid ideo funeſti portendat, exponere opus erit. Docemur itaque primum; *Quod ſi a febre habito, tumore non exiſtente in faucibus, ſtrangulatio repente ſuperveniat, lethale ſit.* 4. *aph.* 34. Quod de ſuffocativo Aſthmate, laryngis muſculos convellente, intelligendum eſt; multiplicatas enim a febre ſanguinis fuligines, ob anguſtatam a convulſis muſculis laryngem, exhalare neſcientes, ſuffocationem provocare poſſe facile noſcitur; quod ſi de Cynanche, ut nonnullis placet, hoc aphoriſmum intelligendum ſit, in eundem ſenſum recidit, cum a convulſa larynge, ſuffocatio intentetur. Nec minus perniciosum eſt, quod 4. *aph.* 50. innuitur, nempe. *Ubi in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, lethale.* Cum vel ex convulſo diaphragmate delirium, & Aſthma procedant; vel ex incaleſcenti cerebro ſpiritus concitati, laryngis muſculos convellant; quovis modo contingat, funeſtum eventum ambo prænunciant. Cum autem ſine delirio ſiccum Aſthma in febribus emergat, convulſionem denunciare, idem docet. *In febribus ſpiritus offendens, malum, convulſionem enim ſignificat.* 4. *aph.* 68. In acutis enim, & in malignis febribus, ad intimas thoracis partes convulſas, externam quoque convulſionem, a dyſpnea indicatam, cito ſubſequutam fuiſſe, ſæpius vidimus. Demum reſpirationis vitia in febribus pluries hinc inde, cum ſuis prognoſticis delineavit Hippocrates, quorum epitome ſequens eſt. 1. Magna, & frequens reſpiratio vehementem eſſe febrem oſtendit, criſimque imminere ſæpe etiam denunciat. 2. Magna, & rara vel delirium, vel thoracis inflammationem indicare ſolet. 3. Parva, & frequens, nondum Pulmonis phlegmonem, ſed ſæpius exacerbatam, ob inſubjicibilem luem, ſummeque defatigatam Naturam oſtendit. 4. Parva, & rara, ſicut, & frigida vires ultimo deperdendas, & mortem ad fores pulſare ſæpe portendit. Hæc monita in praxi non parvi pendere oportet. Concludimus cum ipſo tandem; *Bonam autem reſpirationem valde magnam vim habere, ad ſalutem in omnibus acutis morbis. lib. prænot. num.* 4. *in fin.* Hactenus ut Febrium ſymptoma depravatam reſpirationem perpendimus, nunc vero ut morbus eſt, demum ſe offert. Quocumque modo opus hoc maximum, a quo omnia vitæ munia dependent, diutius lædatur, ſemper periculoſum eſſe poſſe, cenſemus; & primo quo ad ætates; ſi pueros invadat *vel gibbi fiunt, vel ante pubertatem moriuntur.* 6. *aph.* 46. Matureſcente vero ætate ſuperveniens, difficulter curationem audit. At cum in Senectute primo invadat, properam mortem vocare ſolet, ut noſtræ ac Practicorum obſervationes firmare poſſunt. Sæpe adhuc morbus hic atrox non ſola militat inſolentia, cum morbos alios ſecum trahere, vel in ſuo diſceſſu relinquere ſueſcat. Sociatur primo cum ſcorbuti-

butica, Hypocondriaca, Hyſterica, & aliis paſſionibus, ut plurimæ obſervationes teſtantur. Excitatur item ab Aſcite, ac Tympanite, & ab Hydrope pectoris, & pulmonum, in prioribus, quia per illos diaphragmatis motus præpediuntur, in iſtis quia thoracis dilatatio, & compreſſio libera inhibetur. Relinquit tandem poſt diſceſſum vel catharrum ſuffocativum, ſi humidus fuit, vel Epilepſiam cum ſiccum extitit; vel cachexiam, aut Anaſarcam, aliosque morbos a feroci Aſthmate inductos; ut nil dicam de Phthiſi, Empyemate, Pleuritide, Pneumonia, cæteriſque thoracis inflammationibus, quorum ſoboles, & ſocia depravata reſpiratio ſæpius extat. Heu quot morbis periculoſis ſemper, affectio iſta fæderatur, & quot producere, & poſt ſe linquere ſolet! Quamobrem quolibet modo, ac tempore invadat, pernicioſum, & periculoſum ſemper Aſthma denunciare tenemur. Hæc ergo prognoſis fuit, nunc curationem inſequimur.

Diæta. 12. Et primo Diætæ leges ipſius limina tenent; imo tota hujus morbi curatio, & præſervatio ab ipſa omnino dependent; plus enim recta Diæta, quam Pharmaca multa Aſthmaticos ab atroci paroxyſmo præſervaſſe, pluries vidimus. Verum haud unica ſemper Diæta ſingulis præſcribi poteſt; aliud certe ſicci, & aliud humidi regimen eſſe debet, ideo quid cuique conveniat, exponere nunc intereſt. Primo igitur

In Aſthmate ſicco. ſiccum, ſeu Convulſivum Aſthma ſequentibus regulis ſubjici debet; videlicet Aer præ primis temperatus requiritur; Nimis enim æſtuans, nimiſve gelidus infenſiſſimus eſt; prior enim ſpiritus ad exploſiones provocat, quæ motuum vehementia muſculorum convulſiones in prædiſpoſitis ſaltem facile ſuſcitat; ſic vel ab ignitione nimia nimiove æſtivo ardore inopinato ſpaſmo captos nonnullos inviſimus. Aer item impenſe frigidus nondum pulmoni, ſed & nervis infenſus eſt, *ut* 5. *aph.* 18. docemur, cum ab ipſo tacti torpeſcant, ac illorum ſpiritus deprimantur, parteſque a frigore diu invaſæ etiam deperdantur; & ſic aſſueti patientes Aſthma convulſivum, ab aere gelido excitatum, pati coguntur; *Frigidum enim convulſiones, & diſtentiones affert.* 5. *aph.* 17. notatur; Aerem ergo ad innoxiam temperiem arte ſaltem reducere, Aſthmaticis convenit. Cibus item & Potus ad morbum hunc ſuſcitandum, plurimum conferunt; & primo Ciborum, Vinique repletiones, ſicuti omnibus malæ, Aſthmaticis vero peſſimæ ſemper ſunt; hi enim cum ventriculi muſculos pleniori cibo, potuque gravant, muſculos etiam thoracis, ad convulſiones diſpoſitos, in conſortium advocant, unde & illi, & iſti propriam cuique læſionem ſimul ſentiunt; quod ſi ab ebrietate convulſionem ſupervenire, 5. *aph.* 5. indicatur, hoc malum accidit; primo quia vini virus ſpiritus ad acoſmiam, & inde ad convulſivos motus inducit; ſecundo quia convulſio a vino in Aſthmaticis, thoracis muſculos jam diſpoſitos apprime afficit. Adde, quod *plenitudo ventris evacuationem inſenſibilem divertit, ut Sanctor. ſtatic. de Cibo & Pot. aph.* 88. teſtatur, quæ acria recrementa, in ſanguine retenta, ad Aſthma in prædiſpoſitis excitandum, parati fomites ſunt. Verum ſicuti lædet nimia cibi, vinique repletio; ita etiam nocet nimia Exinanitio; qui enim ob tanti morbi terrorem valde parum cibi, potuſque ſumunt, in Scyllam incidunt, cupientes vitare Charybdim, in quam Convivæ impingunt. Cibandum ergo eſt, ſed cum decenti parſimonia; medio enim tutiſſimus ibit. Cibaria vero in hoc Aſthmate vitanda, plurima ſunt, quorum præcipua reticere non decet, ne imperiti ſaltem decipiantur. Omnia ergo, quæ acrem ſuccum in ſanguinem ducere, vel augere nata ſunt, promptum huic Aſthmati fomitem addere ſueſcunt; horum lineam tenent Capones vetuſti, Columbi domeſtici, Perdices, Phaſiani, Coturnices, Turdi, Merulæ, ſimileſque pennates, quorum continuus uſus noxius certo eſt; ſic item Aromata omnia, cum abutantur, infenſa ſunt; nec minus ſaccharum, & ſaccharata omnia nocent, cum ſub dulcedine acre virus recondant. Pejores adhuc ſunt herbæ, & radices mordenti ſucco turgidæ, ut Cepæ, Allia, Porri, &c. ſicque flatulenta legumina, ſimiliaque plurima, quæ brevitas recenſere non patitur.

Vi-

Vinum pariter generoſum, cum abutatur, venenum eſt, ſic Roſolina, Choccolatæque frequentes Aſthmatis incendium excitant. Motus item excedens, ac diuturnæ Vigiliæ, quæ ſpiritus tam concitando, quam diſſipando, utroque modo Aſthmaticum paroxyſmum accelerare ſolent, ut vidimus. Excreta item, & Retenta vitiata, plures huic morbo fomites contribuiſſe, notavit Hippocrates; ſic 7. *aph.* 9. *a profluvio ſanguinis convulſio*, quod idem 5. *aph.* 3. etiam repetit. Item *ex ſuperflua purgatione convulſio* 5. *aph.* 4. notatur. Demum *in fluxu muliebri convulſio* 5. *aph.* 57. habetur. Convulſiones ergo iſtæ a vitiatis Excretis productæ, facile indicant, quanta ſæpe vi polleant, in prædiſpoſitis ad Aſthma convulſivum inducendum. Sic pariter ex oppoſito conſuetæ Uteri, Hæmorrhoidum, ac Narium hæmorrhagiæ diutius retentæ, cum ſanguinis molem aggravent, Aſthmata convulſiva in aſſuetis concitare ſolent, ut obſervationes affirmant; quod etiam de Semine in profuſo Coitu excreto, ac de Perſpiratione retenta intelligi debet. Ideo curare Aſthmaticis intereſt, ut quæ excernenda ſunt, rite excernantur, & quæ retinenda ſunt, non profundantur. Animi Paſſiones tandem, maxime Ira, & Timores proprios limites non excedant; cum ad exceſſus ductæ, quam facile Aſthmaticum paroxyſmum inducant, ex ſupra datis *num.* 7. Practicorum obſervationibus, cito innoteſcet. Hæc demum pro convulſivo Aſthmate ſatis, nunc alterius Diætam luſtrabimus.

Diæta humidi Aſthmatis. 13. Humoroſum Aſthma, altero frequentius invadens, regulis nunc datis, ſubigi nequit; alia enim in iſto cauſa occaſionalis; aliaque morbi ſedes diſparem Diætam repoſcunt. Primo igitur Aer excedenter humidus, maxime autumnali tempore, diuque pluvioſus huic ſumme noxius eſt; *cum tuſſes, raucedines, atque gravedines* excitare, 3. *aph.* 13. doceamur; ſimiliter craſſus nimis, cænoſiſque infectus effluviis, cum inſpiretur, Aſthmatis hujus mineram nutrit, & perennat. Ideo cum temporis conſtitutio, vel domicilii ſitus talem aerem pati cogant, arte ſaltem corrigendus eſt, gratis nempe ſuffumigiis ex Junipero, vel ejus baccis, aut Rore marino pro pauperibus, vel ex ſantalis, Benzou, ſtyrace, & ſimilibus, vel paſtillis fumalibus ex thure, ſtyrace, & ambra, cum aqua roſarum confectis, quorum aliquo ſuffitu quater diu, noctuque cubiculi aer corrigatur, effluviiſque medicamentoſis intus inſpiratis, Aſthmatis hujus minera ſenſim exhauriatur. Aer enim in hoc affectu præcipuam curationis, & præſervationis lineam tenet, cum ipſe ſolus, ſine tot viarum, & digeſtionum ambigibus (per quas alia remedia conduci debent) abſque repagulis ocyter pulmones invadendo, morbum hunc in ſuis clauſtris ſenſim expugnare nitatur. Ideo cum etiam purgatus, ac ſerenus Aer ſit, in hoc Aſthmate pro divitibus ſaltem ſequenti ſuffumigio frequenter utor.

℞. *Balſam. Peruvian. drach. ij.*
Santal. citrin. Styrac. calam. aa. dr. i. ſem.
Lign. Rhodii. Gumm. benzoi. aa. drach. i.
Croci oriental. drach. ſem.
Pulver. omnib. cum Tragacant. in Aqu. Roſar. infuſ.
f. Paſtill. fumales ponder. drach. i. pro pro qualibet vice.

Aer demum nimis frigidus, qui reſpirationem lædit, & corporis perſpirationem inhibet, adhuc vitandus erit, utroque enim modo infenſus eſt; primo quia lympham ex tracheæ glandulis continuo deſudantem coagulat, & in viſcidum limum, pulmonibus noxium, pervertit; ſecundo, quia fluidorum recrementa, per cutim non repurgata, ut plurimum in pulmone deponuntur ad illius luem magis augendam. Poſt aerem Cibus, & Potus inſequuntur, qui cum in ſanguinem chyli rivulum perpetuo ingerant, ſi aliquam Aſthmatis eſcam in ipſum ducant, per illam, in pulmones ingreſſam, morbus nutritur, graviuſque moleſtat. Ideo, ne pravus chylus ſanguinem inficiat, rectum regimen ſervare convenit. Et primo Ciborum ſelectus talis ſit, ut euchymium, ſeu defæcatum ſuccum tribuat, & potius attenuantem, quam incraſſantem; ut viſcidum Aſthmatis limum non alere, ſed extenuare aptus ſit. Quamobrem vitanda ſunt illa, quorum craſſum, viſci-

ſcidumque ſuccum, digeſtiones eludere, propriamque fæcem ad ſanguinem inficiendum, inducere poſſe dignoſcatur. Cibi ergo hac lue infecti, plures ſunt, hic vero nonnullos innuere ſaltem ſufficit; & primo carnes bovinæ, ſuillæ, caprillæ, ſicut & ſilvaticæ leporis, cervi, apri; &c. carnes avium in aqua natantium, ut anſeres, anates, fulicæ, ſimileſque paluſtres; item piſces maris fere omnes, & maxime armati, ac ſine ſquammis, ut anguillæ in hoc morbo peſſimæ; fructus pariter horei omnes, ut pepones præcipue, ceraſiæ, perſicæ, &c. lacticinia ſimiliter, ut caſeum, butyrum, & lac ex quo gignuntur; legumina demum pene omnia, & potiſſimum piſa, lentes, phaſeoli, &c. Hæc breviter pro aliorum lumine dicta ſunt; cibaria condiantur ſæpius ſalvia, hyſſopo, cinnamomo, & croco, qui anima pulmonum eſſe dicitur. Nec probos demum cibos ſine temperantia vorare decet; cum Epicuri de grege ſint, qui gulam ſequuntur, prudentiſque *ſit virtus, placitis abſtinuiſſe bonis;* modus ergo, etiam in bonis cibis utendis, menſam dirigat; memor ſemper Aſthmaticus, quod gulæ culpam duriſſima pæna inſequatur. Motus item, & Quies; ſicuti Somnus, & Vigiliæ, cum medium & ipſi teneant, Aſthmaticos a lapſu divertunt; extrema enim periculoſa ſunt; Quies ergo ſedentaria, in hoc affectu valde noxia, decenti motu, ac exercitio vitari debet; ſic pariter ſomnus nimius, torporum genitor, a congrua, & hilari vigilia medium ſervare cogatur. Excreta pariter & Retenta conſuetos Naturæ motus abſque renitentia ſequantur; quæ enim ſolito ritu excerni debent, ſi detineantur, recrementa cum ſint, ſanguinem certo inficiunt, ſordeſque illius in affectis pulmonibus, ad ſolitum Aſthma excitandum, facile devolvuntur; pulmonem enim in talibus pro ſordium cloaca Natura deſtinaſſe, videtur; ideo nondum alvi, & ureterum, ſed & uteri, & hæmorrhoidum, ſolitique alterius hæmorrhagiæ fluxus, cum plus æquo retineantur, omni ſtudio promovere Aſthmaticis intereſt. Effrænes demum animi paſſiones moderationis limites non tranſcendant; Ira enim excedens, ſanguinis ebullitiones excitando, arterias in affectis pulmonibus diſſilire, facile ſolet, ut plurimorum obſervationes paſſim referunt, qui ſanguis extra ſua vaſcula, vel Hæmoptiſin, vel Phthiſin, vel Aſthmatis fomentum in prædiſpoſitis inducit. Pavor item, & triſtitia excedentes ſanguinem craſſeſcere, & ſordeſcere cogunt; Pavidi enim, diuque Mærentes proprios ſpiritus opprimunt, Naturæque depurationes inhibent, cordiſque, ac pulmonum ſyſtolem, & diaſtolen præpediunt, ut recte a *Sanctorii Static. cap. de anim. affect. aph. ultim.* docetur; hæc tandem pro humoroſo affectu ſatis ſint.

14. Mixtum denique Aſthma Naturam everſam oſtendit; cum & implacabilem ſpirituum acoſmiam, pneumaticos muſculos pertinaciter convellentem, & inveteratam pulmonum infectionem, ſordidum limum continuo expuentem, clare denunciet. Ideo quid proprium pro Diætetica illius curatione præcipi poſſit, arduum eſt deliberare; duplicem enim cauſam, primariam, & occaſionalem ſimul, in ultimam Patientis cladem conſpirantes, ſub aliqua determinata vivendi regula ſubigere velle, non parvi negotii eſſe videtur. Per me tamen affectum hunc ut acutum quaſi morbum tractari debere dijudico; cum & ſpirituum deperditus Impetus, & viſcus ad vitam neceſſarium pene corruptum, vitæ pericula imminere ſuadeant. Ex hac ergo duplici origine periclitantes Aſthmaticos, tenui pene victu, ſequenti methodo, gubernare ſueſco. Primo Aerem purgatum, arte ſaltem ad proficuam reſpirationem diſpoſitum, ut *antec. numer.* 13. dictum eſt, procurare intereſt, cum præcipua morbi hujus curatio ab aere non infenſo, ſed benefico pendeat. Secundo conſuetus victus ad tenuem prope cibum accedere debet, ex juſculis nempe, & panatellis cum ovo recenti, ſimilibuſque confectum, ac ſequenti methodo diſtributum; & primo Jus perpetuo utendum, tali modo fiat. *Diæta Aſthmatis Mixti.*

℞. *Fol. Hyſſop. Satureg. aa. unc. ſem.*
Irid. Florent. Liquirit. aa. unc. i.
Pulmòn. Vulpis unc. i. ſem.
Ficuum, Paſſul. aa. unc. i.
Agaric. trochiſc. drach. v.

Ci-

Cinamom. Croci orient. aa. drach. i.
Pulveriſat. omnib. cum Oxymell. q. ſ.
f. paſta,

Hac ergo repleatur Gallus vetuſtus eviſcerat. & in aqu. font. lib. viij. ad mediet. conſumpt. coquatur; hujus brod. unc. vi. vel viij. horis quinque ante cibum ſumat, nec poſt ipſum a ſomno abſtineat, cum ſopor ad quietem inducat. Cibus vero meridianus ex panatella in brodio pulli junioris, & illius pectore ad ſummum abſolvatur. De ſero autem juſculum ex cremore hordei cum ovo, & pauco ſaccharo, cœnam expediat. Potus vero, cum opus petat, vel Mulſam, vel Aqu. deſtill. Papav. errat, aut Heder. terreſt. cum ſacchar, vel cum Oxymell., aut ſequentem bibere poterit, videlicet

℞. *Rad. Iridis, Heleni aa. unc. iij.*
Fol. Heder. terr. Hyſſop. aa. manip. ij.
Fruct. Jujubar. Sebeſt. aa. num. xx.
Semin. Fœnicul Aneth. aa. unc. i.
Cinamom. Macis aa. unc. ſem.
Spirit. Sulphur. unc. i. ſem.
Aqu. Noceræ optim. lib. xij.
M. diger. duob. dieb. poſt. deſtill. ad ſiccit.

Hæc Aqua Aſthmatica, fauſtis experimentis nobilitata, cum Oxymell. edulcorari, & bibi poterit. Cum autem languentes vires, & maxime in Senibus, vinum petere videantur, parum & oligophorum in prandio, & cæna concedi poterit. Demum hora ſaltem poſt cænunculam, ſequentem opiatam ſumere etiam debet.

℞. *Conſerv. flor. papav. errat. lib. i.*
Extract. Rad. Helenii. Irid. aa. un. iij.
Tinctur. Sulphur. unc. ij.
Croci orient. Flor. Benzoi. aa. dr. ij.
M f. Opiat. cujus Doſ. unc. i.

Hæc tandem victus regula, qua Curatio etiam perficitur, tandiu continuare Patiens debet, quandiu Aſthmatis moleſtia perſiſtat; libera tandem reſpiratione acquiſita, victu, moderato tamen, uti poterit. Reliquæ vero non naturales concauſæ, quomodo dirigi debeant, ex dictis jam *ant. n.* 12. & 13. facile pro exigentiis colligi poteſt; & hic denique Diæteticis regulis terminus ſit; nunc reliqua Curatio ſequitur.

Curatio. 15. Difficilis tanti Affectus medela, illius cauſas, & conditiones æque cognitas apprime ſupponit; aliud enim ſiccum, & aliud humidum Aſthma repoſcit; aliud item cum febre, & aliud per ſe tantum appropriata requirit; ideo ut diſtinctam omnibus curationem tribuamus, primum a ſicco, & cum febre fæderato Aſthmate auſpicamur. *1. Siccum & cum febri ſociatum.* Siccum ergo, cum febrium ſymptoma ſit, cum illa primo conferendum eſt, ac in quonam illius ſtadio invadat, mature perpendendum. Equidem ſæpe in illius vigore cum coctionis ſignis, ac imminente criſi emergere ſolet; & tunc nullam curationem requirit; quia ex arduo Criſis negotio, & a forti Spirituum niſu contingenter exoritur, & ideo cum ipſa criſi motu ſimultaneo decedit. Aſt cum in ſtadio cruditatis invadat, deſperatam ſpirituum cum lædenti recremento pugnam oſtendit; ideo concitatam illorum acoſmiam celeriter compeſcere intereſt, ne periculoſam metaſtaſim moliantur, vel, quod pejus, in perdito agone decedant. Remedia vero ad hoc opus dirigenda, cum febris conditionibus conferenda ſunt, ut utriuſque urgentiis una ſimul proſpiciatur. Cum ergo febris vehemens ſit, (a magna enim ſpirituum concitatione hoc ſymptoma ſuſcitatur) tunc phlebotomiam repetere eſt opus, maxime cum parca manu jam celebrata fuiſſet; ſi vero petechialem, vel ſimilem febrem Aſthma hoc inſequatur, Cucurbitulas ſcarificare fas erit; ſicque directum auxilium, & vehementem febrem, & ſymptoma ferocientem æqualiter, licet non ſatis, imminuere poteſt; ſæpius enim in Aſthmate ſicco ſcarificatas cucurbitulas contuliſſe obſervavimus. His demum peractis, unam vel alteram ex ſequentibus mixturis exhibere convenit, videlicet in vehementi febre.

℞. *Aqu. Papaver. errat. unc. iij.*
Extract. Enulæ campan.
Helenii aa. drach. ſem.
Flor. Benzoin. ſcrup. ſem.
Laudan. Cydon. liquid. gut. vi.
M. & ſumat. pro Doſ.

vel ℞. *Aqu. Heder. terr. unc. iij.*
Tintur. Croc. orient. drach. ſem.
Eſſent. Succin. Scrup. ſem.
Flor. Benzoin. gr. xv.
Syrup. Papav. errat. unc. ſem.
M. & ſimiliter utat.

In

In Mitiori febre, vehementi Aſthmate ſociata, ſequens utilis erit.

℞. *Aqu. Papav. errat. unc. ij.*
Aſthmatic. Ludovic. unc. i.
Extract. Radic. Helenii drach. ſem.
Balſam. Sulph. aniſat. ſcrup. i.
Sal volatil. Milleped. gr. xij.
M. & ſumat. ut ſupra.

Aſthmatis pertinacia. 16. Cum autem tanta ſit Aſthmatis pertinacia, ut dicta remedia eludat, ſicut in acutis febribus non ſemel vidimus, tunc Veſſicatorium in colli cervice, cum fructu applicare ſuevi; infimam ſimul thoracis partem, ſequenti, vel ſimili unguento linire juſſi.

℞. *Ol. Amygd dulc. unc. i.*
Expreſſ. Nuc. moſch. drach. iij.
Tinct. Croc. orient. unc. ſem.
M. & f. linim. quo tepid. utat. ut ſupra.

Item cum Alvus dura ſit, Clyſmate pro febris conditione proprio, ad obedientiam inducatur; & cum Aſthma contumax ſuffocationem minitetur, phlebotomia omnino repetatur; equidem a venæ ſectione ocyus quam ab aliis remediis hujus Aſthmatis ferocia placari poteſt, ut pluries inſpeximus; poſt ipſam aliquod ex ſequentibus exhibeatur.

℞. *Extract. viſcoſi Ammoniac. dr. i.*
Roris Sal. Armoniac. drach. i. ſem.
Laudan. Cydon. liquid. gut. xv.
Syrup. Papav. errat. unc. i.
M. & cochleat. intr. hor. ſumat.

vel ℞. *Extract. Heleni. Irid. florent. aa. drach. i.*
Tinct. Croc. orient. ſcrup. ij.
Sedativ. Citrat. Cnæfell. ſcrup. i.
Syrup. de Nicotian. ſimpl. unc. ſem.
Aqu. Aſthmat. Ludovic. unc. i.
M. & ſimil. modo utat.

Cum autem in Aſthmatico inveterato febris acuta hoc ſymptoma ſuſcitet, tunc hactenus data remedia cum febris curatione pro exigentia conciliare, Prudentis erit. Similem caſum jam vidimus, in quo præ datis auxiliis, vel ſimilibus, veſſicatoria duo brachiis prope axillas cum fructu apponere juſſimus. Nec reticere decet, quod non ſemel febris & hujus Aſthmatis pertinaciam Chin. Chinæ auxilio ſimul expugnavimus. Demum Aſthma hoc ſiccum ſine febre invadens, qua methodo curari debeat, ex jam datis auxiliis facile colligi poteſt, quæ de ipſo ſatis ſint.

Aſthmatis Humidi curatio. 17. Humidum Aſthma, quod ut plurimum ſine febre atrociter ferocire ſolet, duplici curatione ad compeſcentiam, vel ad exilium irrevocabile cogitur, Therapeuticam nempe in paroxyſmo, & Prophylacticam extra ipſum; priorem nunc, alteram in ſequentibus expendimus. Paroxyſmum itaque ſæpius horribile cito, tutoque compeſcere, non facili negotio ſemper aſſequimur; cum difficultates plurimas ſecum hoc Aſthma involvat; omnibus vero perpenſis, præcipua difficultas, quæ non raro inanes curationes ducit, a cauſis non æque expenſis, rećteque curatis, apprime dependet. Plurima enim remediorum farrago, ad hoc humidum Aſthma expugnandum, hinc inde paſſim invenitur; ſed in hunc, vel in alterum morbi hujus fomitem pauci directe dimicant. Plures enim Aſthmatis hujus occaſionales cauſæ ſunt, contra quas omnes non unica methodo æque pugnatur, ſed cuique appropriatam curationem aptare, ſeu cauſam foventem recto marte ſubjugare intereſt; ſicque facilius, tutiuſque tanti morbi victoriam aſſequimur. Cauſæ præcipuæ igitur, quæ humidum Aſthma ducunt, & producunt, diſpares claſſes tenent. 1. eſt Sanguinis in pulmone, ob craſſum, vel coagulatum vitium, in propriis vaſculis ſtagnatio, & inde irruptio, ac in purulentam luem degeneratio. 2. Ipſius nimia ſeroſitas, quæ ab innumeris in pulmone ſuis vaſculis exiens, illius veſiculas implet, ſicque Aëris aditum liberum claudit; & reſpirationem difficilem reddit. 3. Nimia pariter lymphæ diſſolutæ copia, in pulmonum veſiculis dicto nunc modo ſtagnans, & craſſeſcens, ac reſpirationem liberam præpediens. Has igitur omnes ad propriam curationem vocare nunc intereſt. Aliæ vero cauſæ, quæ hunc affectum contingenter inducunt, ut Scorbuticæ, Hypochondriacæ, ſimileſque Paſſiones, propriis locis expenduntur.

a Sanguine craſſo vel coagulato. 18. Primam ego Cauſam craſſi, vel coagulati ſanguinis in pulmone ſtagnationem eſſe diximus, quam propriis alibi datis ſignis probe cognitam, ſequentibus auxiliis ad naturalem ſtatum reduci poſſe, ſuademur. Primo igitur in hu-

hujus paroxyſmi exordio ſufficientem, & non pavidam Venæ ſectionem inſtituere convenit, ad libram circiter ſanguinis educendo, quam pro ægri ſtatu, temporis conſtitutione, cæteriſque prohibentibus moderari, vel in duas ſectiones dividi æque poteſt. Plurimum enim hic intereſt, ſanguinem ad velociorem circulum concitare, ut illius craſſities, & congrumationes in pulmonibus remoratæ, ad motum impulſæ diſſolvantur. Frictiones item a vertice ad pedes usque frequenter peractæ, ad eundem ſcopum collimant. Aerem inſuper, maxime circa lectum appropriatis ſuffumigiis ex paſtillis fumalibus, ut *antec. num.* 13. exemplum dedimus, ad reſpirationem facilitandam, diſponere convenit, effluvia enim illa pulmonis dilatationem coadjuvant. Emeticum denique, maxime cum infenſum Acidum ventriculum occupet, præſcribere intereſt; nec cum Nonnullis pavitatam ſuffocationem timeſcere decet, quæ potius, a feroci Aſthmate minitata, hoc auxilio devitatur. Centies enim, & ultra quidem ab Emeticis Aſthmaticos alleviari, nullumque ſuffocationis periculum tentari vidimus; Quod remedium in paroxyſmo a practicis Doctoribus fauſte ſemper experto, jam didicimus. Vomitorium ergo vel ex Tartaro emetico, vel ex ſyrupo vomitivo, ex croco metallorum parato, cum vehiculis propriis præſcribi debet. Poſt vomitiones ſufficientes, ſequens Mixtura propinari debet.

℞. *Aqu. de ſucc. Scabioſ. unc. ij.*
Aſthmatic. noſtra, vel Ludovic. unc. i.
Sal. Volatil. Oleoſ. noſtri ſcrup. i.
Volatil. Milleped. ſcrup ſem.
Tinctur. Croci Orient. drach. i.
M. pro Doſ. & tota ſumat.

Poſt hæc auxilia, hora ſaltem elapſa, ſi Paroxyſmi pertinacia ferocius (quod raro quidem mihi videre contigit) perſiſtere, & excandeſcere videatur, ſequentem adhuc mixturam efficaciorem, cochleatim ſumendam, preſcribere oportet, videlicet.

℞. *Aqu. Aſthmat. Ludovic. unc. ij.*
Spirit. Sangu. Human. drach. ſem.
Sal. Volatil. oleoſ. noſtri ſcrup. i.
Volatil. Corn. Cerv. ſcrup. ſem.
Tinctur. Sulph. Croc. orient. aa. gut. viij.
M. & cochleat. intra hor. utatur.

Spirituoſa Volatilia iſta, quæ ſanguinis motum promovent, in hoc Aſthmate omnino neceſſaria ſunt. Cum tandem expectorationem opportunam eſſe, profuſa jam excreatio ſuadeat, tunc vel ſyrupo Papaver. errat. vel altero Nicotian. aut cum efficacius adhuc pro ſputi conditionibus expetatur, ſequentem noſtrum ad uſum vocare opus erit, videlicet.

℞. *Rad. Iridis Florent. contuſ. unc. iij.*
Helenii contuſ unc. ij.
Fol. Hyſſop. Nicotian. contuſ. aa. un. i.
Pulpæ Sebeſt. Paſſul. aa. unc. ſem.
Semin. Aniſi. Fœnicul. contuſ. aa. drach. ij.
Vini albi non auſter. q. ſ. M. f. Infuſ. quæ per horas 40. *in digeſtion. ſervet. poſtea decantat. Vino, f. omnium expreſſio.*
Colatur. tandem cum ſacchar. q. ſ. f. Syrup.

Hujus Syrupi aſſiduo uſu Aſthmaticum jam deſperatum, a morte redemptum vidimus, & alios plures ab hoc Aſthmate cito liberatos. Hæc tandem in hujus Aſthmatis paroxyſmo ſedando, ſatis eſſe poſſunt.

19. Prophylactica item extra paroxyſmum curatio univerſalia primo ſupponit, quæ & Patientis conſtitutionem, & Aſthmatis hujus fomitem æque reſpiciant; ideo inter cætera primum omnino neceſſaria Venæ ſectio cenſetur, cum per ipſam præcipue craſſus, & congrumatus ſanguis ad velociorem motum ductus, facilius attenuetur, ac liberius, & ſine ſubſidentia propria vaſcula percurrat. Item præparantia remedia in hunc finem conſpirare debent; ideo attenuantia, & diſſolventia primam lineam hic tenent. Nec Emetica rejici debent, maxime quia ſæpius infenſi Acidi, ſanguinem coagulantis, radices in ſtomacho deliteſcunt, cujus ſigna, *lib. de febrib.* expoſita, cum appareant, emetica repetere poſt phlebotomiam omnino intereſt. Attenuantia vero remedia fixa, & volatilia hic proſunt, fixa tamen in curationis principio, volatilia vero circa finem; ut ex. gr. poſt lene catharticum alteratis *Curatio extra paroxyſmum.*

ju-

juſculis ex herbis appropriatis uti poteſt, in quibus ſequentes pulveres, vel ſimiles propinentur.

℞. *Antimon. diaphor. drach. ij.*
Corn. Cerv. philoſ. calcin. drach. i. ſem.
Corall. rubr. & alb. pp. aa. drach. i.
Tartar. vitriolat. drach. ſem.
M. f. pulv. dividat. pro viij. Doſib.

Poſt ipſa Catharticum appropriatum præſcribi debet; demumque per alios decem dies quotidie horis quatuor ante prandium ſequentem mixturam ſumat.

℞. *Extract. Radic. Helenii*
Irid. florent. aa. drach. i.
Spirit. Sangu. human. ſcrup. i.
Sal. Volatil. oleoſ. noſtri ſcrup. ſem.
Aqu. Heder. terr. Scabioſ. aa. unc. i. ſem.
Aſthmatic. Ludovic. unc. i.
M. pro una Doſi.

Veſperi autem hora ſaltem ante brevem cænam Opiatam ſequentem quotidie ſumat.

℞. *Conſerv. Hyſſop. Scordii aa. unc. v.*
Balſam. Sulphur. terebinthin. drach. iij.
Extract. Radic. Helenii unc. ſem.
M. f. Opiat. Doſ. hujus unc. i.

Poſt dictos decem dies ad uſum decocti Galli veteris accedere oportet, hoc enim a tot peritis Doctoribus in hoc Affectu celebratum, noſtra item praxis commendare tenetur; plures enim fauſtas in hoc Aſthmate curationes ab illius uſu obtinuiſſe inſpeximus, ideo quod tot vicibus profuit, aliis etiam prodeſſe debere, tuto ſuademur. Quod ſi Nonnullis male ceſſit, cauſa legitima eſt, quia ſine recto diſcrimine omni Aſthmati hoc remedium tribuere, quod huic Humoroſo & a coagulato ſanguine inducto, prodeſſe poteſt. Decocti ergo hujus quotidianus uſus, per menſem poſt dicta remedia continuari debet, ut radicitus Affectus hic evellatur. Hujus vero compoſitiones variæ apud Veteres Practicos inveniuntur, nobis tamen ſequens, licet pro ægri, morbique conditionibus aliquando variata, ſemper in uſu fuit, videlicet.

℞. *Rad. Heleni Irid. florent. aa. un. ij.*
Fol. Hyſſop. Puleg. aa. manip. iij.
Fruct. Sebeſt. Paſſular. exacin. aa. unc. i.
Semin. Aniſ. Fœnicul. dulc. aa. dr. iij.
Pulmon. Vulpis pp. unc. i. ſem.
Agaric. recent. trochiſcat. drach. vi.
Butyr. recent. non ſalit. unc. ij.
Contuſ. omnibus per ſe f. paſta,

Qua Gallus vetus eviſceratus impleatur, & in aquæ optimæ lib. xv. coquatur ad conſumpt. mediat. demum calid. jus coletur, reſiduum fortiter exprimatur, & ſimul ad refrigeſcendum ponatur, facta demum ſubſidentia, clarum jus, a craſſamento decantatum, vaſe clauſo ſervetur, ac ut diu ad opus incorruptum perſiſtat, ipſi adde Mellis deſpumati lib. ſem. Doſ. hujus quotidiana unc. vi. Semel item in hebdomada ut magis purget, in dicta Doſi diſſolv. Mann. elect. unc. ij. In hujus uſu per menſem ut diximus perſeverare debet, ut ab horrendo morbo Patiens redimatur. Diæta demum hoc tempore ſtricte ſervanda *antec. num.* 13. expoſita fuit; & hæc denique auxilia pro Aſthmatis a craſſo ſanguine inducti curatione ſatis ſint.

20. Altera item occaſionalis cauſa, nimia nempe ſanguinis ſeroſitas, humidum etiam Aſthma inducere ſolet; cujus curatio ſemitam a ſupra dicto alienam præmere debet. Non enim fomes iſte in univerſalibus auxiliis phlebotomiam, & emeticum æque audit; ſanguis enim in ſeroſam illuviem diſſolutus, per venæ ſectionem propria, nimiſque deperdita, conſiſtentia magis depauperatur. Sicque Vomitio, cum ſtomachus per ſe non delinquat, indebita pœna inſontem divexat; ideo niſi ſtomachi ſordes Emeticum petant, hoc etiam dimiſſo, ad propria remedia deſcendere, ac blandis hydragogis primo, deinde fortioribus, demumque maturantibus, & expectorantibus inſiſtere convenit. Ad primum ergo. *a Nimia ſanguinis ſeroſitate.*

℞. *Infuſion. Roſar. pallid. unc. iij.*
Succ. Radic. Iridis noſtrat. unc. i. ſem.
In ipſis diſſolv. Mann. elect. unc. ij.
Magiſter. Jalapp. ſcrup. ſem.
M. f. Pot. purgans cum regim. propin.

Poſt hanc Potionem duabus ſaltem horis ſumat Seri deſtillat. lib. ſem. in quo ſpirit. Sal dulcif. gut. xij. mixt. ſint. & poſt aliis 2. horis moderate prandeat. Veſperi adhuc hora ſaltem ante bre-

vem cænam ſequentem mixturam ſumat, videlicet

℞. *Aqu. Fragor. Pulegi. aa. unc. i. ſem.*
Aſthmatic. Ludovic. unc. i.
Balſam. Sulphur. terebinthin. ſcrup. ſem.
Succini ſcrup. i.
Flor. Benzoin. gr. xv.
M. pro Doſ.

Hanc eandem mixturam de mane horis quatuor ante prandium per dies quinque Patiens ſumat; de ſero autem cubitum iturus ſequenti Opiata utatur, donec totam abſumat, videlicet.

℞. *Conſerv. Roſar. Heder. terr. aa. un. iv.*
Ocul. Cancr. præp. unc. ij.
Balſam. Sulphur. terebinthin. unc. i. ſem.
Iridis florent. pulveriſ. unc. iij.
M. f. Opiat. cujus quotidian. Doſ unc. i.

Poſt quinque dictos dies Potiunculam purgantem propin. ut ſequitur.

℞. *Aqu. Menth. Roſar. aa. unc. ij.*
Succ. Bryon. compoſit. unc. ſem.
Extract. Rhabarb. drach. i.
Syrup. Roſar. ſolutiv. unc. ij.
M. f. Pot. pro una Doſ.

Succus Bryoniæ compoſitus pro hac exigentia ſequenti modo fit.

℞. *Succ. Bryon. recent. unc. iij.*
Ol. deſtillat. Gum. Ammoniac. dr. ij.
Flor. Benzoin drach. i.
M. Diger. loco tepid. horis 12. poſt. filtret. pro Doſ.

Hoc remedium in hac ſpecie Aſthmatis incomparabile fuiſſe plurimis experimentis compertus ſum; ideo communicare non recuſo; quod & repeti pro exigentia poteſt.

Maturantia, & expectorantia. 21. Hydroticis hiſce tandem abſolutis, ſicque vitiata ſanguinis diatheſi a ſeroſa colluvie non parum liberata; ut adhuc dicta lues, extra pulmonum vaſa in ipſorum veſiculis exundata, ad matureſcentiam, & excreationem diſponatur, opportuna etiam auxilia, pro Junioribus ſaltem, exponere ſupereſt, ex. gr.

℞. *Aqu. Card. mar. Hyſſop. aa. unc. ij.*
Milleped. optim. præpar. drach. i.
Extract. Helen. Irid. aa. drach. ſem.
Tinctur. Sulphur. Croci aa. ſcrup. ij.
Syrup. de ſucc. Raphan. unc. i.
M. ſum. pro Doſ. matutin.

Hæc vero per decem ſaltem dies continuare oportet, interdiu vero de ſequenti, vel ſimili cochleatim ſæpe ſumat.

℞. *Ol. Amygdal. dulc. recent. unc. ij.*
Balſam. Sulphur. aniſat. drach. ij.
Syrup de Liquirit. compoſ. Meſue un. i.
M. & cochleat. ut ſupra utat.

De ſero autem duabus horis poſt cænunculam ſequentis opiatæ Doſ. capiat, quam per dies decem & ultra etiam continuare debet, videlicet.

℞. *Conſerv. Flor. Violar lib. ſem.*
Extract. Irid. florent. unc. ij.
Balſam. Sulphur aniſ. unc. i.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. ſem.

Hiſce demum, aut conſimilibus auxiliis, a nimia Sanguinis ſeroſitate ortum, Aſthma tuto, ac facile curari poteſt, ut pluribus experimentis jam vidimus. Dietam vero *ant. numer.* 13. expoſitam, & maxime frugalitatem, Patiens, dum liberari cupiat, ſervare tenetur.

22. Ultima tandem humidi Aſthmatis cauſa, ex lymphæ vitiis orta, cum invaleſcat, non valde diſſimilibus remediis curari poteſt. Hæc item ex tracheæ glandulis quavis occaſione plus æquo promota, in pulmones decidens, ac ſenſim ibi congeſta, in viſcidam colluviem degenerare, ſicque liberam reſpirationem præpedire ſolet. Tantum ergo vitalis hujus functionis obicem, ut auferamus, ad idoneam expectorationem diſponere intereſt; ad quod opus primo phlebotomiam advocare, irritum conſilium eſt, cum hoc lymphæ vitium venæ ſectio corrigere nequeat, ſæpeque ſanguinem depauperando, morbi vires adaugeat. Nec per ſe, nec proprie in hoc caſu Emetici opus requiritur; dummodo lymphæ vitium etiam ſtomachum non occupaſſet; per accidens vero non irrita, ſed proficua vomitio eſſe poteſt, cum vomendi conatus pectoris coarctationem, & ſic expectorationem ſimul promoveant; cum aut ventriculum etiam a viſcida lue infectum eſſe, propria ſigna demonſtrent, tunc directe, & indirecte Emetici uſus opportunus erit; & in hoc caſu a tartaro emetico, cum oxymelle Scyllitico mixto diſcedere non decet. ex. gr. *a Lymphæ vitiis Curatio.*

℞. *Tartar. emetic. ſcrup. ſem.*
Oxymell. Scyllitic. unc. ſem.

Aqu.

Aqu. Menth. Hyſſop. aa. unc. ij.
M. f. Vomit. pro Doſ.

Suſcitato ſic vomitu oeſophagus, & trachea ſimul ad inverſum periſtalticum motum concitantur, & ſic ſtomachi, & pulmonis lues una ſimul per os eliminantur. Abſolutis pro exigentia Emeticis, ac Paregoricis cum expetantur, ad appropriata remedia deſcendere intereſt.

Appropriata remedia. 23. Primum ergo attenuantibus, ac expectorantibus ſimul fœderatis, uti, eſt opus, quorum primam lineam ſuffumigia tenent, cum immediate inſpirata, ſine tot viarum diverſionibus, illico pulmonem invadant, ac infenſam ibi luem aggrediantur, ac ſubigant, & ad facilem expectorationem diſponant. His igitur continuo Patientis cubiculum moderato ſuffitu impleri debet, ut aer medicinalis inſpiretur, hujus ergo cenſus ſequens, vel ſimile ſuffomigium eſſe poteſt.

℞. *Rad. Irid. florent. pulver. un i. ſem.*
Aliptæ moſchat. Benzoe aa. unc. ſem.
Nuc. Moſch. Styrac. Calam. aa. dr. iij.
Tragac. in aqu. Roſ. ſolut. q. ſ.
ut f. l. e. Paſtill. fumales utend. ut ſupra.

Pro pauperibus vero, ℞. Aurantii corticum, Baccarum Juniperi, & ſacchari ana, ac ſuper prunas impoſitis pro ſuffitu utatur. Hiſce primo poſitis, ſæpeque in die continuatis, ſequentia ſimul remedia ſumere convenit; primum ergo de mane quatuor horis ante prandium per dies decem ſaltem mixturam ſequentem, vel ſimilem ſumat, videlicet.

℞. *Aqu. Hyſſop. Farfar. aa. unc. i. ſem.*
de Cinamom unc. ſem.
Extract. Heleni Enul. camp. aa. dr. ſem.
Balſam. Sulphur. terebinthin. ſcrup. ij.
Syrup. de Nicotian. ſimpl. unc. i.
vel cum efficacius expetatur,
Syrup. de Nicot. compoſ. Quercet. un. i.
M. pro una Doſ. matutin.

Interdiu item ℞. *Aqu. Aſthmatic. Ludovic. unc. ij.*
Oxymel. ſcyllit. Olei Sacchar. aa. unc. ſem.
Flor. Benzoin. drach. ſem.
M. & cochleat. tota in die ſumatur.

Cubitum tandem iturus, duabus horis poſt brevem cænam ſequentis Opiatæ unc. i. utatur.

℞. *Conſerv. Roſar. vetuſt. lib. ſem.*
Oxymell. Scyllitic. unc. i. ſem.
Balſam. Sulph. terebinthin. unc. i.
Gum. Ammon. ſucc. Nicotian. parat. unc. i. ſem.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. i.

Victus ratio demum *antec. numer.* 13. in genere ſaltem expoſita fuit; verum nondum noxia vitare, ſed & in bonis cibis temperantiam ſervare plurimum intereſt; hic enim certe omnis repletio peſſima erit. His demum auxiliis Humidi Aſthmatis pertinacia non nimis arduo expugnatur, dummodo diſtinctos illius fomites, hactenus inviſos, appropriatis remediis dictis, vel ſimilibus aggrediamur, ac in ipſis pro exigentia diutius inſiſtamus.

24. Mixtum denique Aſthma non aliis ab hactenus poſitis indiget, ut compeſcatur; data enim pro Sicco primum, & inde pro Humido Aſthmate auxilia, ſi a perita manu componantur, fœderatas in Mixto cauſas æquo marte ſubigere poſſunt. Difficultas vero non pauca in Cauſis recte, ac diſtincte noſcendis perſæpe oritur. Facile namque fuit, poſt Helmontium, & Vvilliſium proximam cauſam in Aſthmate Sicco, vel convulſivo dignoſcere; in Humido autem diſpares fomites æque diſtinguere, hactenus neglectum fuit; ideo chronica pertinacia Aſthma iſtud prævaluit, ac indirectas curationes illuſit, cum immediatas illius cauſas impropria remedia non attigiſſent. Cauſæ igitur ſupra expoſitæ hoc etiam mixtum Aſthma ducere, ac producere ſolent; ideo ut rectum curationis regimen dirigamus, illas diſtinguere, ac appropriatis remediis expugnare, eſt opus. Primo itaque dignoſcere intereſt, an craſſus, & congeſtus, ac depravatus in pulmone ſanguis, una cum ſpaſmodica thoracis contractione, ad hoc Aſthma producendum conſpirent; quo cognito ad utriuſque culpas corrigendas, ſupradata cuique remedia hic etiam revocare, ac pro exigentia æque componere convenit. Ideo primum in hujus Paroxyſmo compeſcendo phlebotomiam utrique proficuam, larga manu, dum prohibentia ſileant, inſtituere convenit;

Aſthmatis Mixti curatio.

In illius paroxyſmo.

nit; quantum enim in utroque caſu neceſſaria ſit, ſatis in propriis locis jam diximus. Hæc item urgentia opportunum Emeticum expetit, quod & pro tolerantia repetere adhuc, eſt opus. Nec inferiores vias ſine aliqua expiatione per clyſterem ſaltem relinquere decet; cum hoc Aſthma a quavis corporis impuritate fomitem ſumere ſueſcat. Pharmaca demum ſuis jam locis expoſita, ut cauſas utraſque directe reſpiciant, tali modo, vel ſimili componi poſſunt: ex. gr.

℞. *Aqu. Hyſſop. Scabioſ. aa. unc. i. ſem.*
Aſthmat. noſtra, vel Ludovici unc. i.
Tinctur. Croc. orient. drach. ſem.
Sal. Volatil. Oleoſ. noſtri ſcrup. ſem.
Laudan. Cydon. liquid. gut. xij.
M. & ſumat. pro Doſ. matut.

Interdiu vero ℞. *Aqu. Aſthmat. noſtræ, vel Ludov. unc. i.*
Tinctur. Croc. orient. drach. ij.
Sal volatil Oleoſ. noſtri ſcrup i.
Spirit. ſanguin. human. drach. ſem.
Laudan. Cydon. liquid. gut. xx.
M. & cochleat. intra diem ſumat.

Poſt cænunculam demum ſequenti opiata uti debet.

℞. *Conſerv. Flor. Papav. errat. unc. ſem.*
Extract. Heleni. Irid. florent. aa. dr. ſem.
Tinct. Croc. orient. ſcrup. ij.
M. f. Opiat. pro Doſ.

Cum denique pertinax affectus his adhuc non cedat auxiliis, Veſſicantia etiam in brachiis poſt axillas applicare, eſt opus; hoc enim a Vvilliſio tentatum auxilium, non ſemel proficuum & nos experti ſumus. Item in deſperata Orthopnæa convulſiva cucurbitulam magnam in colli vertice ſcarificare præcepi, & illico pertinacem paroxyſmum evaneſcere vidimus, quod remedium etiam in hoc mixto Aſthmate juvare poſſe confidimus. Hæc denique omnia in Prophylactica curatione directe opportuna ſunt; at poſt hæc auxilia Decoctum Galli vetuſti num. 19. expoſitum omnino, & per menſem ſumere oportet, ut radicitus hoc Aſthma mixtum evellatur, quæ omnia in hoc affectu ſatis eſſe poſſunt.

Aſthma a convulſione & feroſitate.

25. Alter mixti Aſthmatis fomes eſt nimia ſanguinis feroſitas, pulmones infarciens, una cum convulſis pneumaticis muſculis ſimul in hunc Affectum conſpirans, quæ complicata labes ardue quidem diſſolvitur. Aliud enim ſpiritus concitati, & aliud ſanguis in ſerum colliquatus (ut naturalem ſtatum recuperent) inæqualiter expetunt. Veruntamen cum concitatus impetum facientis tumultus compeſcatur, potiſſima morbi hujus cauſa quieſcit, & inde non tam ardue altera decedere cogitur. Hinc poſtea ſanguis a redundanti ſero hydroticis expiare, ac invaſum ab ipſo pulmonem bechicis expurgare convenit. Demumque vitiatam ſanguinis texturam ad naturalem conſiſtentiam reſtituere intereſt, læſaſque thoracis partes ad proprium tonum revocare. Has ergo intentiones nec brevi labore, nec ſimultaneis remediis conſequi æque poſſumus; ideo primum in feroci Paroxyſmo contra proximam, potiſſimamque hujus Aſthmatis cauſam, ſpirituum nempe exploſionem, directe pugnandum eſt, que ſubacta, obicem minus pertinacem facilius expugnare ſupereſt. Itaque Aer præcipue, quam cito ſpiritus audiunt, aptis ſuffumigiis medicari debet, ut ab illius fragrantia effrænes iſti, ad acoſmiam ducti, ad placidos motus reducantur; in his ergo, qui odorata non abhorrent, ſequens utilis erit.

Ipſius curatio in paroxyſmo.

℞. *Styrac. calamit. unc. ſem.*
Macis. Croc. orient. aa. drach. ij.
Santal. citrin. optim. drach. iij.
Ambr. gryſ. Moſch. aa. gr. vi.
Pulveriſat. cum Tragac. aqu. Roſ. ſol. f. paſtill. fumal.

In his vero, qui odorata ferre nequeunt, ut Hyſteric. Hypochondr. & ſimiles, ſequenti potius utantur, videlicet.

℞. *Radic. Pæoniæ pulveris drach. iij.*
Succini albi drach. i. ſem.
Caſtor. Croc. orient. aa. ſcrup. ij.
Tragacanth. in Aqu. Lavendul. ſolut. q. ſ ut.
f. Trochiſc. fumal. caute adhibend.

Aere ſic medicato, ad reliqua remedia cito accedere oportet; & primo Venæ ſectionem inſtituere, quæ licet ſanguinis ſuperfluo Sero non conveniat, ab exploſiva tamen Spirituum concitatione aperte expetitur, cauta vero manu

illam

illam celebrare oportet, ac ſupra uncias ſeptem non aſcendere. Emeticum vero noxium hic eſſe cenſemus, quod & ſpirituum excandeſcentia, & ſanguinis diſſolutio clare oſtendunt; vomitus enim illos magis concitat, & iſtum in præcordiis ſaltem magis attenuat, nec in hoc Aſthmate ab ullo indicante expetitur; quod ſi ex alia cauſa luem aliquam in ventriculo ſtabulantem, aperta ſigna oſtendant, Emeticum præſcribatur, at poſt debitam expiationem illico paregoricum ſedativum Patiens ſumat. His demum peractis, ſequentem Mixturam, quæ adhuc ſedativa eſt, hora ſaltem ante cibum tenuem, propinare intereſt.

℞. *Aqu. Papav. errat. Acetoſ. aa. unc ij.*
Aſthmat. noſtra, vel Ludov. un. i.
Eſſent. Sangu. human. drach. ſem.
Tinctur. Croc. orient. ſcrup. ij.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. x.
M. & ſumat pro Doſi.

Interdiu pariter cochleatim ſequenti utatur.

℞. *Aquæ Papaver. errat. unc. ij.*
Balſam. Succin. probe parat. ſcrup. i.
Tinctur. Croc. orient. drach. ſem.
Magiſt. Solubil. Corall. ſcrup. i.
Laudan. Cydon. liquid. gut. xv.
M. & cochleat. tota in die ſumat.

De Sero tandem ſeſquihora poſt tenuem cænam Opiatam ſequentem aſſumat.

℞. *Conſerv. Flor. Pæoniæ unc. ſem.*
Balſam. Succin. optim. drach. ſem.
Laudan. Cydoniat. gut. x. M. pro Doſ.

Hanc vero Methodum curativam non in prima die tantum, ſed & per tres, quatuorve ſequentes continuare oportet, & cum pertinaciter hujus paroxyſmi recurrant, veſſicatorium magnum in colli vertice applicare fas erit, quo convulſivum Aſthma ſæpe ſedatum vidimus. Diæta item ſervanda *ant. n.* 14. data fuit.

Curatio poſt paroxyſmum. 26. His abſolutis, redundantem ſanguinis ſerum a maſſa eliminare intereſt, quem ſcopum remedia propria *ant. n.* 20. expoſita, hic quoque inſervire debent; hoc tamen obſervandum erit, quod in formulis illis ſedativum aliquod hic addere neceſſum ſit, ne ſpirituum excandeſcentia denuo caput attollens, convulſivum Aſthma iterum reducat; in qua re pro Junioribus ſaltem exemplum aliquod exponere decet. Poſt primam Potiunculam purgantem ibi deſcriptam, ſubſequens mixtura ſic componi poteſt, ex. gr.

℞. *Aqu. Fragor. Pulegi aa. unc. i. ſem.*
Aſthmat. Ludovic. unc. i.
Balſam. Succin. optim. parat. ſcrup. i.
Sulphur. terebinthinat. ſcr. ſem.
Laudan. Cydon. liquid. gut. x.
M. pro Doſ. una vice ſumend.

Sic pariter & Opiat. de ſero utend. Laudan. Cydon. gut. vi. addere convenit. ſimili tandem modo expectorantibus reliquis *nu.* 21. datis, aliquod ſedativum addere opus eſt, ut vitiata ſpirituum acoſmia compeſcenti aliquo ſemper cohibeatur. Ut demum radicitus hoc Aſthma evellatur, tandiu dicta remedia continuari debent, donec integra ſalus firmata ſit; & hæ tandem pro hoc affectu ſatis eſſe poſſunt.

27. Ultimus denique Mixti Aſthmatis fomes profuſæ lymphæ vitium eſt, quod adhuc a pneumaticis muſculis convulſis pejus exaſperatur; duplicem hanc culpam emendare, nunc ſupereſt, nec a ſupra datis remediis nimium diſcedere eſt opus; cum & hanc ſpirituum acoſmiam, & hoc lymphæ vitium ſeparatim corrigere, ſatis jam indicatum ſit. *a Lymphæ, & convulſionis vitio.*

Curatio. Primo itaque in hujus paroxyſmo ſedando, omnia conveniunt auxilia, quæ *ant. num.* 25. expoſuimus, ut potiſſima cauſa convulſiva cito compeſcatur. Non enim ambo ſimul, ſpirituum, & lymphæ vitia correctionem unicam audiunt; ideo unum poſt alium ad naturalem tonum revocare, coacti ſumus. Sedato igitur Spiritu, invaſum a lympha exundata pulmonem, expiare adhuc ſupereſt; ad quem finem primo Emeticum *n.* 22. ſupra datum, (maxime cum viſcida lympha ſtomachum etiam inficiat) hic quoque opportunum erit. At ne ſpirituum furores, a vehementi vomitu concitati, ad priſtinum vitium revocentur, poſt decentem vomitionem illico paregoricum aliquod exhibeatur, ex. gr.

℞. *Aqu. Menthæ odorat. unc. ij.*
de Cinnamom. unc. ſem.
Sal eſſential. Abſinth. ſcrup. i.
Ol. Nuc. Moſchat expreſ. ſcrup. ſem.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xij.
M. f. Paregor. pro Doſ.

Cætera item *ſequent. num.* 23. ibi expoſita remedia, etiam hic directe conveniunt, cum eandem cauſam reſpiciant. Verum ut in hoc mixto morbo primariæ cauſæ adhuc proſpiciant, tam Mixturæ matutinæ, quam aliæ interdiu ſumendæ, ſedativum aliquod, ut Laudan. Cydon. liquid. gut. viij. addere eſt opus; ſicque aſſiduo fræno vitiatam ſpirituum acoſmiam continuo compeſcere aſſequimur. Hanc vero methodum diutius, & donec ad integrum liberum reſpirationis munus reſtauratum ſit, continuare fas erit. Cum autem hiſce irritis omnibus, Aſthmatis hujus pertinacia ſæpe recrudeſcere videatur; tunc præter dicta remedia, Diætam etiam curativam *antec. num.* 14. expoſitam, ad uſum vocare, opus erit; & ſic facilius Aſthmata iſta pertinaciſſima ſubacta non ſemel jam vidimus.

a Cauſis contingentibus. 28. Plures demum Aſthmatici affectus occurrunt, qui a contingentibus cauſis, aut morbis differentibus inducuntur, omnes iſti pro varia fomitis conditione diverſam curationem petunt. Aſthmata enim, quæ ab Hyſtericis, vel Hypochondriacis, aut Scorbuticis morbis ſymptomatice producuntur, paſſionibus hiſce ſedatis, etiam ipſa quieſcunt; interim in horum paroxyſmo compeſcendo nil utilius inveni, quam Tinctur. Caſtor. ad gut. xx. in appropriat. vehicul. ſumpt. inſuper pingued. Caſtor. ventris infimam, vel ſuperiorem regionem pro exigentia illinire, quod remedium etiam morbis dictis, Aſthma ducentibus, proficuum eſt; tuta vero curatio eſt, morbos Aſthmata foventes, prorſus eradicare. Non raro item a ſola ventriculi ſorde moleſta Dyſpnæa exoritur, quæ tamen appropriato Emetico cito curatur. Sic pariter ab Hydrope tam pectoris, quam abdominis Aſthma inducitur, diſpari tamen modo; quia in Aſcite diaphragmatis motus præpeditur; in altera pectoris, quia pulmonum dilatatio prohibetur; iſta vero Aſtmata, niſi remota hydrope nunquam curantur. Aſt magis difficilem curationem, imo & ſæpe impoſſibilem reddunt concretiones duræ in pulmone congeſtæ, ut calculi ex tophacea, vel lapidea duritie concreti, quorum caſus Practicorum inſpectionibus comprobantur; ſic & illos ab Anatomico *Diemerbroec. lib.* 2. *anat. c.* 13. *de pulmon.* relatos, in tribus Lapicidis, lethali Aſthmate peremptis pulveris lapidei copia magna in pulmonibus inveniſſe. Omnes ergo illi, in quorum pulmonibus ſolida aliqua concreſcentia ingenita, vel ingeſta fuerit, inſanabili Aſthmate pereunt; cum nullum adhuc validum auxilium ſit, quod a pulmone ſolidas concretiones iſtas tuto extrahere poſſit. Fumus vero mineralium, ac metallorum in pulmones ingeſtus, ac Aſthmata inducens, non nimis arduc curatur; vomitus præcipue veneficum effluvium, niſi inveteratum ſit, extra pulmones educit; in coacta enim vomitione fortis thoracis conſtrictio fit, niſuſque ſpirituum ad ſuperiora vergens, ventriculum, & pulmones ſimul proprias lues per os eliminare cogit; cum in hac violenta pectoris conſtrictione, periſtalticam ventriculi inverſionem pulmo etiam inſequatur, ideo in quolibet vehementi vomitu ſimul tuſſes, & excreationes per tracheam ductæ, ſæpius inſpiciuntur. Cætera demum Aſthmata a cutis eruptionibus, haud æque eliminatis, orta ut a Variolis, Morbillis, Scabie, ſimilibuſque intus reverſis ſordibus, non raro contingunt; Diaphoreticis appropriatis, iterum ad cutim revocata lue, pectoris clauſtrum mundatur, ſic Aſthma rite, recteque ſedatur. Hæc denique pro præſenti morbo ſatis eſſe arbitramur; ideo & hujus limites, & reliquos medii ventris affectus morboſos expedivimus; & nunc ad infimam regionem male affectam deſcendimus, ſed prius Aſthmatis jam expenſi celebriora remedia more noſtro innuere adhuc ſupereſt.

APPENDIX.

Quia hujus morbi facies diſpares, ac diſtantem progeniem indicantes, in medico foro inſpici ſolent, ideo pluribus etiam remediis illius variationibus occurrere intereſt; ex qua cauſa inventa jam a Peritis, & hinc inde diſperſa remedia more noſtro hic recolligere duximus, ut auxiliorum promptuarium quoddam omnibus adſit. Sicci ergo & Hu-

Humidi Aſthmatis pharmaca ſequentia ſunt, videlicet.
Aqua de Cinamom. cum oxymelle mixt. Aqu. lilior. albor. cum ſacchar. mixt.
Aqu. flor. fabar. cum Spirit. Sulphur. & Tinctur. Croci mixt.
Aqu. Pectoral. Sennert. De Cinamom. hordeat. Batei
Aqu. Aſthmatic. Ludovic. Altera Hofferi. Alia Zuvelfferi &c.
Balſam. Sulphur. Aniſatum. Terebinthinat. Benzoinat. &c.
Butyrum Sulphur. S. Cloff.
Claretum River. Claret. paſſulat. Mynſicht.
Conſervæ plures, & ſpeciatim Conſerv. Nicotian. Batei.
Decoct. Aſthm. varia, ut Aſthm. Joclis Aſthmat. Brunneri Decoct. Caulium rubror. cum ſacchar. mixt. &c.
Diaireos Salomonis Diabutyrum Benedicti Faventini.
Electuar. de Althea Riverii Aſthmatic. Batei.
Elixir Proprietat. Paracelſi. Elixir Vitæ Quercetani.
Eſſentia Croci orient. Eſſent. Benzoin. ſimpl. & compoſit &c.
Extract. Helenii, Extr. Irid. Florent. Extr. Enul. campan. &c. Extract. Peticum Batei
Flor. Benzoin Flor. ſulphur. alb.
Gum. Ammoniac. ſucc. Nicotian. parat.
Infuſio Milleped. in vino pro potu ordinar.
Lac Sulphur. Ruland Lac Benzoin. Batei, & Sulphur. liquamen ejuſdem.
Looch. de pulmon. Vulpis. Looch. ſanum & expert. Looch. de Scylla Meſue.
Oleum deſtill. Aniſi Cinamom. &c. Ol. Sulphur. verum S. Cloff. Ol. Sacchar. ſimplex, & compoſit. Ol. Sperm. Ceti deſtillat.
Oxymel ſimplex, & Scyllitic. Oxymel de Nicotian Quercetan. Oxymel helleborat. Geſneri correptum.
Pilul. de Milleped. Vvilliſ. Pil. Catholic. Poterii Pil. ad Aſtma Sennerti.
Pilul. de Ammoniac. Quercet. Pilul. de Terebynthin. Riverii
Pilul. de Styrace Batei.
Potio ex Milleped. Riverii.
Pulvis Aureus Gliſſonii. Pulv. Convulſiv. Horſtii.

Syſt. Medic. Roſetti.

Sal. volatil Sangu. human. Volatil. Succin. &c.
Spirit. Sangu. human. Spirit. Gum. Ammoniac. cum ſal. Armoniac. parat.
Spirit. Sulphur. camphan. Spirit. Aſthmatic. Michael.
Spirit. Hyſſop. Batei
Succus Raphan cum ſacchar Succ. Caulium rubr. cum oxymell.
Syrup. de Helenio Augeni. de Eriſim. Lobell. de Myrrha Batei.
Syrup. de Nicotian. ſimpl. & compoſit. Quercetan.
Syrup. de ſucc. Raphan. de Rapis; de ſulphur de Praſſio.
de Liquirit. de Abſinth. Minſicht. &c.
Tabellæ de Succo Helenii Tab. expector. River. Tab. Saponac. Batei. &c.
Tinctur. Caſtorei. Tinct. Sulph. Tinct. Flor. Bezoin. Tinct. Nicotian. Riverii.
Tinct. Aſthmat. Dolei. Aſthmat. Batei Antiſpaſmodic. Zannichel.
Vinum purgans Plateri Vin. Infuſion. Milleped. &c.

CAP. XIII.

De Nauſea, & Vomitu.

I. Poſt thoracem, infimi Ventris provincia perluſtranda ſe offert, cujus ſupernæ partis morbi, Nauſea, & Vomitus apprime occurrunt. Hæc igitur ventriculi perturbationes, quia parum inter ſe differunt, ſæpeque ſimul fœderatæ invadunt; ideo ſimul etiam perpendere duximus. Eſt ergo Nauſea ut plurimum coryphæa Vomitus, imo & ipſa inanis vomituritio; quo ſigno ſpirituum concitatus impetus faſtidientem in ventriculo ſordem reluctare, vel exhorreſcere potius, quam eliminare demonſtrat; unde hujus moleſtiæ comites, præcordiorum anxietates, ſtomachi tumultus, cibandi averſiones, oris ſalivationes, & ad vomitum propenſiones, cum illa ſæpius emergunt. Fit enim in Ventriculi tunicis inter irritationes, & reſiſtentias lucta quædam ſine victoria, quæ tunc conſequitur, cum Vomitus demum accedat; concitatus enim ultra tolerantiam ſpirituum im- *Deſcribitur & dividitur.*

petus periſtalticum fibrarum motum invertit; ſicque a pyloro ſuperiora verſus ventriculus convulſus per æſophagum, & fauces moleſtam luem eliminat, quæ everſa depulſio Vomitus nuncupatur. Hæc, inquam, affectus hujuſce propria phyſis eſt. Differentiæ vero duo primum eſſe poſſunt, Spontaneus nempe Vomitus, & Coactus, ille a Natura quovis modo intime provocata per ſe tantum inſtituitur; iſte ab Arte auxiliatrice emeticis promovetur; impotens enim aliquando illa, ſuppetias ab iſta petere ſæpe videtur. Cum autem ſola Natura Vomitum excitet, illius, ſeu ſpirituum impulſiones æque perpendendæ ſunt, & in febribus præcipue, in quibus Nauſea, Vomituritio, & Vomitus pro vario illarum ſtatu, vel prompta, vel nulla ſubſidia expetunt; cum nempe vel militans, vel victrix Natura ſit, aut in Cruditatis, vel in Coctionis ſtadio Vomitus emergat; cum in primo ſymptomaticum, in altero Criticum ſit.

Pars affecta. 2. Partem affectam Ventriculum eſſe, nemo ignorat; hujus enim fibræ ſi a faſtidiente lue moleſtentur, utpote, ſumme ſenſibiles, facile contrahuntur, cum Spiritus in ipſis excubantes irritati, ac exploſivo niſu ducti, illarum contractiones ita vehementer adigunt, ut ſic convulſus Ventriculus, periſtaltico motu inverſo, ſurſum moleſtam luem depellat. Irritatæ igitur ſtomachi fibræ partes affectæ ſunt; Spiritus vero concitati, Agentes proprie non partes patientes ſunt, ut nonnulli opinantur. Pluries enim, nulla etiam faſtidiente in ventriculo ſorde, per ſe tantum commoti ſpiritus affectiones iſtas provocare ſolent; equidem ſola viſio nauſeoſæ rei, & vomitus atroces, & nauſeam diuturnam ſæpe concitavit, de qua re Medentum obſervationes paſſim loquuntur. Viſus ergo ſolus, imo & auditus duntaxat, horridam primo apprehenſionem, & inde vel nauſeam, vel Vomitum, ob meram ſpirituum concitationem illico induxerunt; ſed hæc in Cauſarum indagine clariora fient.

Diagnoſis. 3. Diagnoſis etiam paucis abſolvitur; præſentis enim Nauſeæ, ac Vomitus ſigna ſæpe ſub oculis adſunt. Imminentis vero Vomitus indicia plurima ſunt; omnium ergo primum Nauſea eſt, quæ ab irritato ventriculo cibaria omnia faſtidit; hinc pro irritantis materiæ modo, vel oris ventriculi morſus, vel onus gravans percipitur, ac ſæva interdum Cardialgia ſubſequitur; hinc oculorum offuſcationes, vertigines, vultus pallores, extremi labij convulſiones, & ſalivationes plurimæ, quæ ultima imminentis vomitus indicia ſunt, ſæpius inſequuntur, tandemque inverſæ ſurſum impulſiones, lædentiſque ſordis per os expulſiones emergunt; hæc, inquam in quovis vomitu omnia viciſſim, vel plura ſaltem inviſuntur. Verum quod magis ponderat, Vomitus in febribus maxime perpendendus eſt, an ſcilicet criticus, vel ſymptomaticus invadat, cum diverſam Artis auxiliatricis medelam petant. Criticum ergo aperta coctionis ſigna præcedunt; Symptomaticum vero cruditatis pertinacia denunciat; ille in febris vigore jam abſoluto, ac devicta infenſa lue ſæpius emergit; iſte vero vel in paroxyſmi limine, vel ante, aut in ipſo febris vigore, irritantibus in ventriculo turbis, non raro apparet, quæ pro tempore vario inſtituta Vomitus motio, diverſam pariter ab Arte manum auxiliatricem expetit; verum de his in ſequentibus ſermo erit.

4. Ad Cauſas explorandas nunc deſcendimus, quarum proximam, & præcipuam ſpirituum provocatam exploſionem eſſe arbitramur; vomitus enim quilibet non niſi a concitato ſpiritu, ventriculi fibras convellente, oriri poteſt. Non ergo irritans lues, cujuſcunque læſionis virulentia pollens, vomitum per ſe proprie concitare poteſt, nec mechanica fibrarum ſyſtaſis ventriculi everſionem inducere per ſe, & abſque proprio movente ſpiritu apta eſt. Hoc primo Cadaver ipſum oſtendit, in quo & irritans lues, & eadem fibrarum ſyſtaſis adhuc adſunt; at quia ſpiritus impetum facientes evanuare, nec nauſea, nec vomitus ultra inviſuntur. Nec ut cauſam remotam (ut Nonnulli cenſent) ſpiritum hic dijudicare decet; cum perſæpe ſolus, nulla etiam in ventriculo faſtidiente ſorde, ſolus, inquam & per ſe tantum, ab horrifico Animi motu concitatus, & Nauſeas diuturnas, *Cauſarum indago.*

nas, & Vomitus pertinaces inducere ſolet, ut Medentum obſervationes paſſim teſtantur. Mulierem & nos inviſimus, quæ cum marcidam carnem vermibus ſcatentem vidiſſet, illico in vomitum incidit, a quo per diem integrum vexata, cum labore tandem liberavimus; Nauſea vero carnis quadrupedum per annos plures in ipſa perſeveravit. Has ergo, ſimileſque plures ventriculi everſiones unicum impetum facientem ſpiritum concitatum culpare, nemo negabit. Sed quot item vomitus, & nauſeæ ex faſtidienti odoratu, imo ex ſolo nauſeoſæ rei auditu concitantur, in quibus quid aliud præter exagitatum ſpiritum deprehendere poſſumus. Sed & vomitus illi, qui ab excandeſcenti Utero, vel a vexatis per calculum Renibus, aut a capite vulnerato paſſim excitantur, non a ſtomachi ſorde, ſed a longæva regione ventriculum per nervos, & membranas eaſdem affici omnes cenſent; ergo a ſolo ſpiritu, in alienis a ſtomacho partibus concitato, per eoſdem ductus invicem communicantes, in ventriculo reciprocat impetus, ſicque illius quietem perturbat. Linquamus ergo præoccupationes ineptas, & cum tutis experimentis dicamus tandem, quod remota nunquam, ſed proxima ſemper, imo & unica, a variis occaſionibus tam in ventriculo, quam extra ipſum concitata cauſa Spiritus ſit; qui a faſtidienti occaſione non ſupra tolerantiam exacerbatus nauſeam primo, cum vero ad excandeſcentias inducatur, ventriculi fibras convellendo, periſtalticos motus invertit; ſicque vomitiones producit. Proxima tandem, veraque Cauſa detecta, Occaſiones provocantes inquirere ſupereſt.

Occaſiones expenduntur.

5. Præcipuas ergo Nauſeæ, Vomituſque irritationes invaſæ, vel depravatæ in ſtomacho ſordes primo excitare ſolent, quæ vel indigeſtæ ciborum reliquiæ in ventriculo ſtabulantes, vel a Lymphaticis, ſanguiferiſve ductibus derivatæ, aut a proximis inteſtinis per pylorum invaſæ, cum acido, aut acri ſulphureo, vel ſalſo quovis, aut nidoroſo ſapore vitiatæ ſint, ventriculi fibras moleſtare, ſæpeque pungere ſolent, ſicque ſpiritus ita irritant, ut illarum contractiones, & convulſiones, ex multiplicato ſpirituum appulſu, ocyter contingant, & inde vomitus emergunt. Non aliter adhuc Ventriculi phlegmones, aut quævis alia vehemens illius paſſio, effectus iſtos inducere ſueſcunt; quodlibet enim viſceris hujus nimis ſenſibile damnum ſpiritus in ipſa excubantes, ad ataxiam concitat, unde ventriculi everſiones, vomituſque excitantur. Cum vero Pylorus duntaxat tumore aliquo afficiatur, tunc occluſa chyli janua, per quam ad inteſtina deſcenditur, ciborum indigeſta moles a concitato ſpiritu per oeſophagum revertere cogitur. In Febribus autem Intermittentibus primo, quænam occaſio ſit, quæ crudis vomitibus paroxyſmi limina infeſtat, conjectari potius, quam determinare decet; plurimæ namque occaſiones in hoc caſu concurrere ſolent; omnium vero præcipua in duodeno inteſtino latitare arbitramur; cum in febris exordio bilis, & lympha pancreatis inibi effervefcendo, pylori januam ſæpius expugnent, ventriculum invadant, ibique turbas excitando, ſpirituum excubias ad inſenſum eliminandum determinet; ideo cum bilis triumphet, febres, tertianas vulgo dictas, inducit, vomituſque bilioſi circa ipſarum initium exonerantur. Cum autem lympha redundans bilem exſuperet, ventriculum invadendo, conſocias lymphas, quæ a conglomeratis glandulis ibi ſcatent, ſecum jungit, febrique quotidie recurrenti fomitem præbet, & in ipſius initio acidis vomitibus materiam ſuggerit. Quartanæ item vomitus ab eadem lympha ſumme acida, & viſcida dimanare arbitramur; hæc, inquam apyrexiæ tempore, a glandulis in ventriculo exſudans, cum chylo ſociata in venis rapitur, ubi febris fomitem perennat, reliqua vero viſcidior portio, accedente paroxyſmo per vomitum a concitato ſpiritu eliminatur; hæc demum in hiſce latebris indagandis, tutior ſemita nobis fuiſſe videtur. Sæpe etiam a ſex rebus non naturalibus abuſis varii vomitus fomites parantur, quos ſingulos *in febr. tractat.* jam expoſuimus. In Continuis denique maxime malignis, epidemiiſque febribus, ex veneficò miaſmate ut plurimum in primis viis adhuc divagante, vomitus excitantur;

tur; ideo ſæpius a valido Emetico cum deturbatum ſit, in ipſo exordio febres iſtæ ſedantur; quia venefica occaſione per vomitum eliminata, febris machinam concitati ſpiritus cito deponunt, fugato enim hoſte, ipſi facile quieſcunt.

Prognoſis. 6. Expenſis demum cauſis, Affectuum prognoſim inſequimur, at non vaſtam illius ſilvam, ſed præcipuas prænotiones tantum percurrimus. Primo itaque in febribus Vomitus criticos, tam integre morbum abſolventes, quam ſaltem imminuentes, ſalutares ſemper eſſe Hippocrates, & experientiæ denunciant. Symptomaticos autem, in cruditate promotos plus minuſve malos eſſe, ex vomitionum qualitate, vel quantitate dependet. Quamobrem, ſi per vomitum talia purgentur, qualia purgare oportet, ſæpius conferre, 1. *aph.* 2. docemur; aſt crudos ſuccos ut croceos, virides, plumbeos, ſimileſve ſinceros colores, & maxime cum omni ſeroſitate priventur, improbæ notæ nuncii ſemper ſunt; cæteris tamen pejores, nigræ picis ſimiles eſſe, idem 4. *aph.* 22. ac experimenta ſuadent; hos vomitus non ſemel vidiſſe memini, nec poſtridie vivos, talia vomentes inveni. Diſcernendum tamen eſt a ſanguine nigro atra hæc lues, quæ præ illo viſcidior, nigrior, piciſque modo luceſcens, ac fermenteſcens eſt, tantoque viru prædita, ut pelvim erodat, & muſcas interimat, ut non ſemel inſpeximus; a qua vero parte atrum hoc virus exundet, niſi ab intimo aliquo ſphacelato viſcere, non video; ſicque cum per vomitum, vel ſeceſſum atra hæc lues exierit, poſtridie mori debere, 4. *aph.* 23. docemur. Extra Febrem vero Vomitus ciborum diuturnus, nullumque ſedativum audiens, pylori tumorem ſcyrrhoſum ſæpe nunciavit; chyli autem Vomitus ventriculi, vel duodeni phlegmonem portendit; purulentus vero Vomitus ulcus in dictis partibus indicat. Vomitus item tempora Hippocrates haud neglexit, cum in æſtate facilius, quam in hyeme tolerari poſſe, 4. *aph.* 4. & 6 docuiſſet; ſic pariter Graciles (non vero Tabidos) minus quam Obeſos Vomitus lædere, ibidem inſinuat; contra vero non menſtruatis Mulieribus, pallidis Virginibus, ac lactantibus Pueris opportunus eſt Vomitus, cum in hiſce recrementorum ſaburram plurimum minuat; ſic item morbis nonnullis proficuus eſt, ut in Diarrhæis pertinacibus, quæ a ſtomachi lue oriuntur, *Vomitus ſuperveniens morbum ſolvit.* 6. *aph.* 15. Sanguinis demum Vomitus, licet mali ſemper ab *Hippocrate* 4. *aph.* 25. nuncupentur, cum ex ventriculi, aut pulmonum apertis vaſibus procedant; aliquando tamen proficuos eſſe poſſe obſervationes docent, ut ſupra *cap.* 8. *de Hæmoptiſ.* dictum fuit. Sic etiam in mulieribus, quæ proprios menſes per os aliquando excernunt, ſalutares eſſe, idem docet & experientiæ convincunt; Vomitus enim iſti in Mulieribus ex ſanguinis redundantia contingunt, ſic aliquæ ut novimus prius ex ore, poſtea ex utero purgantur, unde *Hippocrates* 5. *aph.* 32. docuit, *Mulieri ſanguinem vomenti, menſtruis erumpentibus ſolutio;* quod pro Junioribus ſatis, ſicque prognoſin abſolvimus, & ad Curationem deſcendimus.

Curatio primo in febribus. 7. Prima ergo medicationis inſtitutio eſt, quemlibet in Febrium limine apparentem vomitum, appropriato emetico ſecundare; cum & hoc remedium, & quo levari petat, indicante ſigno Natura oſtendat. Quamobrem tam proficuum eſt in nauſea, & vomitu, cum prohibentia non reclament, Emeticum propinare, quam pernicioſum ſit, abſque propriis ſignis illud exhibere. Hæc, inquam, mihi tuta medendi regula ſemper fuit, ut in curativis Febrium methodis antecedenti libro expoſitis, apparet. Ab hac tamen lege primo excluduntur vomitus illi, quos Febris, a ventriculi phlegmone orta, concitare ſolet; quia ſtomachi læſio, etſi vomitiones frequentet, diverſum ab emetico petit auxilium, cum vomitionum conatus phlegmonem exaſperare, mederi vero non poſſit; ideo in hoc affectu vomitus ſiſtendi potius, quam provocandi ſunt. Secundo in thoracis inflammationibus, & maxime pulmonum, licet vomitionis indicia ſuadeant, vomitum provocare tutum non eſt; nam quietem potius, quam violentam concuſſionem thoracis inflammationes expetunt, ut citius matureſcant; cum autem digeſta puris copia expectoratio-

tio.

tionem petit, tunc non omnino inopportuna emetica ſunt, quia, ut alibi diximus, expectorationem coadjuvant. Cautela vero iſta in hoc caſu non omnino vomitum prohibet, & maxime cum in harum febrium exordio tanta ſit ventriculi lues, ut expiatione indigeat; tunc enim emeticum mite propinare convenit, & poſtea paregoricum ſedativum exhibere. Tertio tandem in Gravidarum febribus nulla vomitus indicia exaudire intereſt; cum & perniciosum, ob abortus periculum, & incongruum remedium emeticum ſit; Harum enim nauſea, & vomitus, non proprie a ſtomachi labe, ſed ab utero ſæpius emanant, ideo compeſcendi, non promovendi ſunt. Sic pariter in morbis cæteris, quorum Vomitum per conſenſum alterius affectæ partis Natura frequentat, non provocare, ſed compeſcere oportet. In malignis autem Febribus, ſæpe a Vomitibus inſequutis, cum poſt emeticum pro exigentia exhibitum, vomitus haud compeſcatur, ſedantibus remediis uti convenit; venenatum enim miaſma ita ſtomacho ſæpe adhæret, ut ipſum exaſperare, vomitu vero expurgare non ſinat. In hoc caſu, febrem apprime conſiderare intereſt, nempe an colliquativam, aut coagulativam virulentiam oſtendat, cum eadem ſedantia utrique proficua non ſint, ad ſingula nunc deſcendimus.

In malignis colliquativis. 8. Cum ergo ex veneficis colliquativis febrem eſſe noſcamus, compeſcentia cum alexipharmacis appropriatis componere intereſt, ac ſequenti, vel ſimili modo præſcribere ex. gr.

℞. *Magiſt. ſolub. Corallor.*
Boli Armen. aa. drach. ſem.
Laudan. Cydoniat gut. x.
Syrup. Corall optim. unc. ſem.
Aqu. Portulac. Plantag. aa. unc. i.
M. & cochl. ſum. & veſper. repet.

Externe vero ſuper os ventriculi hæc vel ſimilis applicetur, videlicet.

℞. *Succ Cydonior. Menth. aa. unc. i.*
Bol. Armen. Terr. ſigill. aa. dr. ij.
Maſtich. acet. roſ. ſolut. drach. iij.
Balſam. Peruv. drach. ſem.
Bull. parum, & f. linim. utend. ut ſupra.

vel ℞. *Pulpæ Cydon. ſub ciner. coct. unc. ſem.*
Ol. Maſtich. Meſue drach. ij.
Croc. Orient. contuſ. drach. i.
M. f. linim. ſimil. utend.

Hæc in Colliquativa Febre cum cæteris *antec. lib cap.* 7 conciliari debent. *Vomitum in coagulativis.* In Coagulativa vero febre Vomitus difficilius compeſcitur; diutius enim ſedantibus reſiſtere, ſæpe obſervavimus; ideo efficacioribus uti convenit, ut ex. gr. ſequens eſt.

℞. *Aqu. Menth Meliſſæ aa. unc. i.*
de Cinamon. unc. ſem.
Tinct. Anodyn. Ludovic.
Terr. Sigillat aa ſcrup. ij.
Ol. Macis deſtillat. gut. iij.
Syrup. de Cortic. Citr. unc. ſem.
M. & man. ſumat. ac veſper. repet.

Externe item vel Emplaſtr. de Theriac. vel ſtomachal. Craton. aut ſequens utilis erit.

℞. *Carannæ in ol. Maſtich. ſolut. unc. ſem*
Macis Nuc. moſch. pulv. aa. drach. ij.
Croc. orient. pulver drach. i. ſem.
M. f. l. a. Emplaſt. ſtomach. apponend.

Hæc vel ſimilia in Coagulativis febribus, quæ nimio ardore non accenduntur, pertinaces Vomitus ſedare ſæpe vidimus. Cum autem febris ardor vehementior excandeſcat, ut in nonnullis Coagulativis aliquando inſpeximus, tunc ſequentibus uti conſuevi, ex. gr.

℞. *Aqu. Papav. errat. Menth. aa. un. i.*
Succ. Cydonior. Citri aa. unc. ſem.
Tinctur. Succin ſcrup. ij.
Laudan Cidon. Liquid gut. x.
Syrup. Coral optim. unc ſem.
M. Mane ſumat, & veſper. repet.

At Emplaſtrum in hac febre ſuperius datum ex pulpa Cydoniorum, ol. Maſtichin. & Croco orientali contuſo proficuum erit. Hæc demum in febribus ad Vomitum compeſcendum ſæpius proficua fuere.

Vomitus extra febrem. 9. Extra febrem vero Vomitus, & Nauſea pro vario fomite, differentes methodos exigunt. Primo igitur affectus hoſce, cum a ventriculi ſorde inducantur, Emeticis apprime oppugnare convenit, ut illuvies illa, quæ ſtomachum ad convulſionem cogit, prorſus eliminetur. Emetico autem cuique ſordi appropriato uti eſt opus; omnium vero baſis crocus metallorum vario modo paratus eſſe debet, quo facilius, & ef-

efficacius ventriculi lues eliminantur, ut *libr. 2, part. 2. capit. 6. de purg.* dictum fuit. Singulis ergo præcipuis, in Juniorum gratiam, proprium auxilium innuere ſaltem duximus. Primum ergo ſit bilis exuberantia, & volatilitas, quæ non raro pylorum expugnans, ac ventriculum invadens, aſſiduis vomitibus Patientes exagitat. Hujus ergo remedium appropriatum eſt; primo Emeticum, quo invaſum ventriculum expietur, ad hoc opus ſequens, vel ſimile opportunum eſſe poteſt: ex. gr.

Primo bilis redundantia.

℞. *Seri Caprill. deſtill. lib. ſem.*
Syrup. Emetic. ex Croc. metall. unc. i.
M. ſumat. tempor. vomit.

Poſt decentem vomitionem ſequenti, vel ſimili paregorico utatur; videlicet

℞. *Seri Caprill. deſtill. unc. iij.*
Sal eſſential. Abſinth. drach. ſem.
Magiſt. ſolubil. Corall. ſcrup. i.
M. & cochleat cito ſumat.

Altera die redundantem bilem per catharſin eliminare intereſt, ad quod opus Rhabarbarata omnia primas tenent, quæ non ſemel tantum, ſed per dies aliquot continuare intereſt; hanc lineam Infuſiones Rabarbari complere poſſunt, per dies octo circiter quotidie ſumptæ, poſtea catharticum lene ex Syrup. Roſar. ſolut. addito Rhabarb. pulver. drach. i. exhiberi debet, vel aliud ſimile, ut ex. gr.

℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhabarb. unc. iij.*
Sal. eſſential. Salviæ ſcrup. ſem.
Extract. Rhabarb. ſcrup. i.
Tartar. Vitriolat. gr. viij.
M. f. Pot. purg. poſt duas horas
℞. *Seri Caprill. depurat. lib. i.*
Spirit. Salis dulcif. gut. x.
M. ſumat pro dilut.

Poſt dicta eliminantia, ſpirituum ſedantibus, ac ventriculi tonum roborantibus uti convenit, in qua claſſe undique plura extant auxilia, nos autem ſequentia, vel ſimilia pro hac exigentia in uſum vocamus, ex. gr.

℞. *Aqu. Menth. Salviæ aa. unc. i.*
Vitæ Matthiol. unc. ſem.
Elixir propriet. Helmont. drach. i.
Magiſt. Solubil. Corall. ſcrup. ij.
Syrup. de Cortic. Citr. unc. i. ſem.
M. & cochleat. utat.

item ℞. *Pulp. Cydon. coct. unc. ſem.*
Croc. orient. contuſ. drach. i. ſem.
Balſam. Peruvian. drach. ij.
M. f. linim. ſtomach. applicand.

Hæc demum pro bile corrigenda, ſatis eſſe poſſunt.

10. Cum vero Vomitus plurimum pertinaces a viſcida ventriculi ſorde oriri dignoſcantur, licet non tam facili marte ſubigantur, propria tamen remedia ſæpius audiunt; ideo ſequentia perſæpe utilia, pro initiatis ſaltem, hic recenſere ducimur. Primo itaque viſcidam luem, tenaciter ventriculo inhærentem, ſenſim ſed fortiter evellere convenit, ut vitale pabulum, inibi parandum, non depravetur. Ad hanc opem Emeticum apprime ſe offert, ſequenti, vel ſimili modo præſcriptum, ex gr.

Vomitus a viſcida ſorde.

℞. *Aqu. Menth. Card. ben. aa. unc. ij.*
Oxymell. Scyllit. unc. ſem.
Tartar. Emetic. officin. gr. x.
M. f. Emetic. pro Doſ.

Emeticum hoc per tres vices repetere convenit, duobus diebus intermediis vacuis relictis, in quibus ſequentem mixturam viſcidum attenuantem mane ſumat.

℞. *Tartar. Martial. ſcrup. ſem.*
Antim. diaph. Corn. Cerv. philoſ. aa. ſcrup. i.
Sal. Abſinth. drach. ſem.
Aqu. Card. ben. Betonic. aa. unc. i. ſem.
Syrup. de Cort. Citr. unc. i. M. pro Doſi.

De ſero item hora ſaltem poſt brevem cænam ſequentem bolum ſumat, videlicet.

℞. *Tart. martial. Antimon. diaph. aa. ſcrup. i.*
Confect. Alcherm. complet. q. ſ.
ut f. Bolus pro una Doſ.

Altera die poſt ultimum Emeticum aliquod lene Catharticum, ad primas vias expiandas, ac periſtalticum motum reſtaurandum, præſcribi debet. ex. gr.

℞. *Caſſiæ recent. extract. unc. i.*
Rhabarb. pulver. drach. ſem.
Tartar. Vitriolat. ſcrup. ſem.
M. f. Bolus purg. pro Doſ.

Expeditis his omnibus, ad ventriculum roborandum deſcendere eſt opus, ad quam exigentiam omnia aromatica, cum ſedantibus fæderata proficua eſſe ſolent, ex. gr.

℞. *Aqu.*

℞. *Aqu. Menth. Meliſſ. aa. unc. ij.*
de Cinamom. deſtill. unc. i.
Extract. radic. Tormentill. drach. i.
Sal. eſſential. Abſinth. ſcrup. ij.
Spirit. Maſtich. gut. x.
Syrup. Corallor. optim. unc. i. ſem.
M. & cochleatim tota in die ſumat.

In hujus uſu per 8. dies perſeverare oportet, ut innatus ventriculi tonus reſtauretur. Sordes tandem, cujuſvis generis ſint, quæ ſtomachi œconomiam pervertant, vomituſque pertinaces inducant, Emeticis primo eliminare, poſtea concitatos ſpirituum impetus compeſcere convenit; ad hoc opus laudan. Cydoniat. primas tenet, quod cum aromaticis fæderatum, intentam metam attingit; methodum vero curativam, ex duobus ſupra datis exemplis, Initiatus quiſque invenire poterit.

Ceteri Vomitus. 11. Cum vero ex Ventriculi tumore, vel inflammatione vomitus oriatur, tunc non Emeticum, quod huic noxium eſt, ſed appropriata ſuppurantia remedia, alibi expoſita, ad uſum vocare convenit, ut citius quo poſſit, tumor ſuppuretur. Cum denique ſanies ex vomitu appareat, tunc præ cæteris Balſamum ſulphur. antimon. ad gutt. aliquot in vehiculo appropriato, cum celebri Sylvio exhibere convenit, quod auxilium tumoris mundificationem, & partis conſolidationem cito promovet; vehiculum vero idoneum, aliaqu ſimul fæderata remedia ſequenti modo componi poſſunt. ex. gr.

℞. *Aqu. Hyperic. ex tot. plant. deſtill. unc. ij.*
Syrup. de Symphit. Fernel. unc. i.
Tinctur. flor. Hyperic. drach. ſem.
Balſam. Sulphur. antimoniat. gut. xv.
M. & cochleat. tota in die ſumat.

Cæteri demum Vomitus non Idiopatici, ut Veteres dicunt, ſed Sympatici, ſeu per conſenſum alterius partis, vel ex alieno morbo producti, ut ex calculo, colica, ileo, ſcorbuto, ſimilibusque affectionibus, non propriam, directamque curationem, ſed primarii morbi remotionem expetunt; ſemper enim, donec illi vigent per fæderatos nervos, communeſve tunicas ventriculus compatitur; evulſa ergo radice, hoc improbum ſtomachi germen cito per ſe areſcere cogitur. Supereſt demum ſelectiora remedia more noſtro colligere, ut ſequitur:

APPENDIX.

Primo igitur, quæ Vomitum adjuvant, ſeu ſtomachi ſaburram eliminant, ſequentia eſſe poſſunt, (licet per me a Tartaro Emetico, ſyrupo ex croco metallorum parato, & ab Oxyſaccharo emetico raro diſcedam) videlicet.

Emetica Selectiora.

Aqu. Formicarum Batei
Bolus ad vomitum DeKers.
Calix Regul. Antimon.
Cataplaſm. emetic. Haneman.
Croc. metallor. vario modo infuſ.
Emeticum inſigne Zuvelfer.
Eſſent. Emetic. Glauber.
Oxyſacchar. emetic. Salæ.
Potio emetic. Sydenham.
Syrup. emetic. ex croc. metall. parat.
Spiritus Nicot. ſimplex, & compoſit.
Spiritus Panchymagog. Kyperi
Tabell. Emetic. Batei
Tartari Emetic. vulgar. & ſolubil.

Vomitum Sedantia.

Acetum Abſinthi, aliud Zedoariæ, aliud Tormentillæ.. &c.
Aqu. Cinamom. ſimpl. & Cydoniat. alia Zedoar. aniſat. Aqu. Maſtichin. Mynſicht, & Zuvelfer. Aqu. Vitæ Matthiol. &c.
Aurum potabil. Londin. aliud fictit. Prævotii ex terr. ſigill. & ſpir. Vitriol. Vener. parat.
Balſam. de Peru, & Opobalſam. verum.
Bolus Armena, & illius Magiſter. ac Spirit.
Conſerv. Menth. Abſinth. ac Roſar. vetus, & vitriolat. Confect. Zingiber. Mynſicht.
Cydonia mala, & omnia ex illis parata.
Elixir Proprietat. Paracel. ac vulgare.
Eleoſacchar. Cinamom.
Eſſent. Catechu liquid. P. A. R. alia Agendorn.
Extract. Radic. Zedoar. Tormentill. &c.
Laudanum Opiat & Cydoniat. Laudan. Aromatic. Dolei

Oleum

Oleum Nuc. Moſch. expreſſ. ac deſtill. Ol. Cinamom. Caryophyll. Menthæ, &c. deſtillat.
Pulvis ſtomach. Poteri, Mynſicht. &c. Philonium Roman. Theriac. &c.
Sal eſſential. Abſinth. Menth. Salviæ &c. & illar. ſalia lixivial.
Spirit. Menth. & ſpir. Maſtich. ſpir. Theriacal. camphorat. Spirit. Vitriol. ſimpl. & Narcot. ut & Spir. Vitriol. Vener. &c.
Succolatæ potus, & rotulæ illius condit.
Syrup. de Menth. ſimpl. & compoſ. Syrup. Cydonior. Syrup. Granator. Syrup. de Caſſia lign. Mynſicht. Julap. ſtomach. Donzell.
Terra Sigillat. ac illius Magiſter. & Spiritus.
Tinctur. Caſſ. lign. Mynſicht. Tint. Martis adſtringens. &c.

EXTERNA.

Balſam. Peruvian. Balſam. Proprietat. Donzell.
Ceratum ſtomach. Prævotii
Emplaſtr. ſtomach. Craton. aliud. Zuvelfer. aliud Barbett. de Caranna; aliud de Cruſta panis Montagn.
Ol. Nuc. moſch. expreſſ. Ol. Abſinth. Menth. &c. Ol. Stomachic. Ser. Duc. Etruriæ

CAP. XIV.

De Cardialgia.

Deſcribitur. I. NOn Cordis, ut Auſonia vox exprimit, ſed ſtomachi proprius dolor Cardialgia eſt; ſic a Veteribus nuncupatus, non quia cor per ſe tantum, ſed quia per conſenſum ventriculi patientis præcordia omnia compatiuntur; inveteratum ergo vocabulum, univerſali placito firmatum, acerbam hanc ſtomachi vexationem primario exponit. Eſt igitur Cardialgia, ſeu Cardiogmus, vel Cardiaca paſſio, (quæ nomina idem exprimunt) eſt, inquam, triſtis, acerboque gradu moleſta, Ventriculi paſſio, in illius orificio ſiniſtro defixa, morſumque tantum ibi aliquando patitur, ut nec tolerari, nec vivere, ſed cum morte luctare Patienti videatur; hujus pediſſequa gravia ſymptomata ſunt, ut vehementes, ſed inanes vomitus, frigidi ſudores, cordis palpitationes, reſpirandi anguſtiæ, ac lipothymiæ, ſyncopesque ſæpius invadunt. Cauſæ occaſionales hujus cardiacæ paſſionis in illarum indagine explicantur; Cauſa vero immediata Spiritus impetum faciens eſt, qui ab infenſa occaſione, ſtomachi fibras erodente, concitatus, vehementi niſu ipſam eliminare nititur; hinc ab intima ſpirituum exploſione fibrarum convulſiones ſpaſmodicæ, ac ab extraneo mordicante intolerabiles eroſiones moliuntur; ſicque a duplici cruciatu impenſa ventriculi paſſio emergere noſcitur. Hæc, inquam, Cardialgiæ deſcriptio eſt; illius vero differentiæ pene magis & minus diſcriminantur; variæ namque occaſionales cauſæ, a quibus hæc paſſio provocatur, contingenter tantum ipſam plus minuſve acerbam reddere ſueſcunt, cum majori, vel minori ſtimulo ſpirituum excandeſcentiam provocent. Hic igitur conflictus in ſiniſtro ventriculi orificio, vulgo ſuperiori dicto, acerrime concitatur; rectores enim hujus officinæ Spiritus, per nervos a ſexto pari in ſtomachum deſcendentes, ibique ad primum vitæ munus exercendum invigilantes, contra quodcunque infenſum omni conatu inſurgendo, ſpaſmodicam fibrarum convulſionem ita excitant, ut invaſos hoſtes toto niſu a ventriculo eliminent; hoc demum cardiacæ paſſionis initium eſt, infra pro viribus clarius exponendum. *Differentiæ & pars affecta.*

Diagnoſis. 2. Diagnoſtica hujus paſſionis ſigna per ſe perſpicua ſunt; dolor enim in vehementi Cardialgia ſæviſſimus circa os ventriculi ita excruciat, ut ſæpe in agone poſiti, cum morte certare Patientes videantur, & revera cum reſiſtentiæ vitales non ſatis validæ ſint, in ſyncopen, & inde ad lethum ducuntur; dolor vero paſſionis hujus, licet ad æſofagum uſque interdum accedere, vel ſpinales vertebras occupare videatur, partes tamen illæ non morbi ſedes ſunt, ſed ad compatiendum cum ſtomacho advocantur, iiſdem enim nervis, vel eadem tunica cum ipſo communicant; ideo quo magis illius orificium ſpaſmodica

dica pœna cruciatur, eo etiam dolor vel retro, vel ſurſum extenditur; nunquam vero deorſum, unde Periti Colicam a Cardialgia diſcernere aſſolent; cum illa ad umbilicum, vel ad renes ſæpe deſcendat, iſta vero ſurſum ut diximus conſcendat, nec unquam cum veris Colicæ ſignis indicia propria confundat; hujus enim quaſi pathognomonicum ſignum eſt acutiſſimus ſtomachi morſus, cujus acerbum cruciatum tota ſecum thoracis regio compatitur; Cor enim primo palpitationem, & inde lipothymias, ac interdum ſyncopes perferre cogitur; Pulmo item libera reſpiratione privatur, & quaſi Aſthmate convulſivo afficitur, cum pneumaticis organis proprium ventriculi ſpaſmum communicatum eſſe, comperiatur; ſic pariter ſpinales vertebras, imo etiam ſcapulas eodem ſpaſmo affici, ſæpe vidimus; nec æſophagus ab hac vexatione immunis eſt, cum aſſidua vomituritione ſemper exagitetur; convulſus enim ſtomachus, ad vomendum mordacem hoſtem, inaniter defatigat; ultimo tandem ſudores circa thoracem, non raro frigidi, manat, & tunc extremorum refrigerationes, funeſtum ſæpe caſum, minantes apparent. Hæc demum ſæviſſimæ Cardialgiæ ſigna ſunt; quæ non tamen ſic acerba ſemper vexare ſolet; cum a differenti cauſarum violentia plus minuſve intolerabilis ſæpe ſit, in ſequentibus notum erit.

Cauſarum indago. 3. Potiſſimæ igitur Affectus hujus Cauſæ concitati ſpiritus ſunt, qui per innumeros nervulos ventriculi orificium ſiniſtrum circumeuntes, ad exquiſitum ſenſum ibi exercendum ita invigilant, ut noxium quodlibet nullo modo tolerare patiantur; ideo partem iſtam a Sanioribus anticardium, ſeu ſcrobiculum cordis nuncupatur, non quia cordis ſedes ibi ſit, cum in ventre ſuperiore degat, ſed quia quaſi ſcrobus eſt, in quo vitæ radices primo nutriuntur; hinc æque Serenus cecinit.

Qui ſtomachum regem totius corporis eſſe,
Contendunt, vera niti ratione videntur.

Ac revera ſtomachus recte valens, tota vitalis machina integrum ſervat gubernium, cum vero langueat, tota cum illo ſubvertitur. Hoc, inquam, præ aliis affectibus Cardiaca paſſio demonſtrat, quæ ſola univerſum vitæ regimen cito devaſtat; & qui demum hanc ſtragem inducunt, concitati ſpiritus ſunt; ipſi ut diximus, per infinitos nervorum ramulos in ſiniſtro ventriculi orificio contextos, perpetuo excubantes, cum inſenſum quodvis illud invadere ſentiant, omnes ipſius fibras contractione ſpaſmodica convellunt, ut invaſum hoſtem a propriis finibus eliminent; nec ſoli tamen hoc prælium abſolvunt, cum ipſorum tumultus ab infimo ventre ad cerebri ſolium aſcendens, novam ſpirituum turmam advocet, unde vehementius concitatio creſcit, ſtomachi ſpaſmus augetur, impenſique dolores, ex mentis aſſenſu, inſurgunt, totaque ſuprema thoracis regio, in illorum conſenſu fæderata, ſubvertitur; & hinc palpitationes cordis, lipothymiæ, ac Syncopes, reſpirationis anguſtiæ, vertebrarum dorſi convulſiones, ſudores circa thoracem, ac extremorum refrigerationes, perſæpe oriuntur. Atrox autem conflictus iſte in ſiniſtro ventriculi orificio, quod ſtomachum Anatome vocat, primo incipit, & ultimo abſolvitur; devicto enim invaſore lædente, ac ex quavis dato aditu tandem eliminato, ſpiritus ab ipſo concitati quieſcunt, ſicque hæc acerba univerſalis procella, ad priſtinam vitæ tranquillitatem reducitur. Præcipua ergo Cardialgiæ cauſa demum expenſa, illius concitationis occaſiones indagare adhuc ſupereſt.

4. Lues ergo, quibus ad exploſionem concitantur Spiritus, varias, ac plurimas eſſe, Praxis edocuit; omnes vero ſub unico mordicantium titulo amplectuntur, quatenus orificii ſiniſtri fibras vellicant, mordent, ac erodunt, ſicque ſpirituum excubias ad vehementes impetus concitare, natæ ſunt; plus minuſve tamen læſivo morſu moleſtant; ac magis etiam vel minus a differenti ſpirituum diatheſi tolerari ſolent, cum varia ſæpius in plurimis Enormontica ſyſtaſis inveniatur, ut alibi ſatis expoſitum fuit. Inter lædentes ergo non infima Bilis eſt, cum plus æquo ad volatilitatem exaltata ſit, unde mordocior effecta, febres plurimas de tertio in tertium recrudeſcentes moleſtat; cum *Occaſionales cauſæ.*

per pylorum irrumpens, ad ſtomachum, volatilitate ſua ducta, aſcendat, ibique fibras, nervoſque mordere ſueſcat; qua moleſtia concitati ſpiritus ſpaſmodicam contractionem inibi ſuſcitant. Pejus malum a Bile illa, quam Veteres æruginoſam dixerunt, ſæpe inducitur, hæc enim, cum ad ſtomachum aſcendat, nervos illius, fibraſque nondum mordicare, ſed corrodere ſolet; unde major ſpirituum excandeſcentia, & acerbiores dolores excitantur. Lympha item, a nimio acri ſale vitiata, cum ex duodeno in ſtomachum, vel ex ventriculi glandulis redundet, ut in malignis febribus interdum contingit, vehementem ſpirituum concitationem, acerbamque cardialgiam ſuſcitare ſolet. Eandem paſſionem excitant ventriculi Flatus, ſeu acris aura ex indigeſtionibus evaporans; æmulat pene iſta aerem illum, qui in pneumatica exantlata machina ex fructibus erumpit, cum animalculis veneficam eſſe, pluries compertum ſit; ita pariter & iſtam, quæ ex ciborum corruptela evaporat, (flatus nomine indicata) virulenta quadam infectione ſæpe tinctam eſſe, Scorbutici, ac Hypochondriaci ſuadent; quibus ob dictam occaſionem præcordiorum anxietates familiares eſſe, & aliquando Cardialgias pati, obſervatum eſt. Vapor ergo vel fumus ex ciborum recrementis, in ventriculi fundo corruptis, ad ſtomachum aſcendentes, cum acri virulentia infecti ſint, illius orificium mordicare, & cardiacam paſſionem inducere apti ſunt. Vidimus olim helluonem, qui dentibus cibum triturare, voracitate ſeductus, neſciebat, ſæpe atroces cardialgias pati, demumque per ipſam interiiſſe. Venena item aſſumpta, eandem paſſionem, ſæpiuſque lethalem inducere, nemo ignorat. Vermes tandem, non raro ex corrupto ciborum ſeminio progeniti, vel ex inteſtinis per pylorum ad ſtomachum reptantes, ut in nonnullis verminoſis febribus obſervavi, cardiacæ paſſionis occaſiones eſſe ſolent. Nec ultimo reticere decet, Calculos in ventriculo genitos Cardialgias inducere poſſe; caſum talem ſub celebri Malpighio in nobili Matrona vidiſſe memini; hæc, inquam, per annos plurimos continua ciborum inappetentia, & vomitu inani vexata, feroci demum cardialgia perempta fuit; hujus cadavere filiorum aſſenſu inſpecto, ex ventriculo ſex calculi avellana majores extracti fuere, duos in ſtomachi ore, a continuo vomendi cònatu illuc ductos, quatuor in ventriculi fundo, tenaci limo inviſcatos invenimus. Caſus iſti licet rari nonnullis obvii fuere, præ aliis *vid. Bauſchium*, qui quatuor ſimiles ventriculos calculis obnoxios deſcribit, *Ephemer. med. phyſic. tom. 2. obſerv.* 181. Hæ demum Cauſæ occaſionales ſunt, nunc ad Prognoſin luſtrandam deſcendimus.

5. Cum ſiniſtrum ventriculi orificium exquiſito ſenſu polleat, (nervos enim magnos a ſexto pari deſcendentes recipit, qui per os ſtomachi primum plurimis ramulis inſeruntur, unde magna ſpirituum copia redundare, ac præcipuum ſenſationis organum effici debet) ideo in hac parte dolorem impenſum excitari poſſe, lipothymiæ, & ſyncopes, Cardialgiam inſequentes convincunt. *Prognoſin.* Hinc ſequitur, quod non parvi momenti quamlibet cardiacam paſſionem exiſtimare convenit; ut ergo ad ſingulas deſcendamus, primo in febribus hujus prænotiones inſequimur; in qua linea *Hippocrates* 4. *aph.* 65. docuit, *in febribus circa ventriculum & fortis æſtus, & cordis morſus vel dolor malum*; plus minuſve perniciosum pro cauſæ modo, & occaſionis ſævitia, ſymptomatumque apparatu dignoſcere decet; in febribus enim tam malignis, quam verminoſis, Cardialgias cum ſyncope fæderatas, periculoſas ſemper fuiſſe, ac ſæpe lethales obſervavimus. In illis vero tam continuis, quam intermittentibus, quæ a bile non æruginoſa fomitem habent, cum minori periculo, & abſque acerbis ſymptomatis cardiacæ paſſiones invadere ſolent; quas vero ab æruginoſa bile ductas vidimus, ſæva ſæpe ſymptomata ad lethum uſque Patientes duxerunt. Periculoſæ item ſunt febres, quas viſcida, vel acris lympha inducit, hæc ſæpius ab acerbis ſymptomatis comitantur, cum viſcida lues difficillime a ſtomachi orificio divellatur, acris vero acerbius mordicet, unde in utroque caſu, & ſpirituum concitatio major, & impenſum ſtomachi ſpa-

ſmum ſimul emergunt. Extra febres vero vario ſæpe modo Cardialgia moleſtat, raro autem funeſto charactere ſignatur; in Scorbuticis, Hypochondriacis, ac Hyſtericis paſſionibus pari ſæpe acerbitate, diſpari vero duratione invadunt, in aliquibus raro & ex adaucta occaſione inſurgunt, in aliis vero periodice quaſi recurrunt, omnes vero iſtæ non tam duro lapillo ſignantur; cum ſæpius obſervaverim, emetica, vel anodyna facile audiviſſe, nonnullas vero male curatas in quartanas febres degeneraſſe, cum maxime viſcida ſtomachi lues, non ſatis purgata, cardialgiam produxerit. A vermibus vero cardiaca paſſio inducta, diſpari modo abſolvitur; vomitus enim, cum pauci vermes ſint, morbum ſedat; cum autem magna lumbricorum copia ſtomachum invaſerit, funeſtum eventum ſæpe minitatur. Sic pariter a calculis, licet raro in ſtomacho genitis, cardialgia emergens, raro quidem curationem audire poteſt. Aliæ demum ab aſſumptis venenis maxime corroſivis inductæ, nondum raro, ſed abſque ſpe, mederi ſolent; a venenis vero non corroſivis, ut olim a venenatis fungis vidimus, ortæ cardialgiæ, properis emeticis aſſumptis, non arduo marte curantur.

Curationis appropriatæ regulæ. 6. Hujus medela a febribus auſpicari debet, & ut illarum ſymptoma primo compeſcere. Iſtarum ergo cardiaca paſſio, cum in malignis febribus ut plurimum a venefico miaſmate inducatur, a duplici remedio ſedari poterit, nempe vel emeticis, vel Opiatis; Emeticis vero, cum in febris exordio cardialgia emergat, tunc ex Croco metallorum vomitorium aliquod exhibere eſt opus, quo ventriculum, a venefico irritante liberatum, febremque cito ſedatam, pluries vidimus. Cum autem adulta jam febre hoc ſymptoma ingruat, ab emeticis abſtinere, & ad compeſcentia deſcendere convenit; in hac vero linea primo perpendere intereſt, quod ſi nimis progreſſa febris ſit, ut coctionis opus imminere poſſe videatur, tunc opiata noxia eſſe, Peritus quiſque dignoſcit; ideo in hoc caſu ad alexiteria, quæ ſine violentia ſpirituum concitationem ſedare poſſunt, confugere eſt opus, quibus Laudan. opiat. gr. i. tantum addi

Syſt. Medic. Roſetti.

poterit. Item cum nimis excandeſcens febris Naturæ vires debilitaſſe, apertis ſignis oſtendat, nec in hoc caſu opiatis uti, opportunum erit, ſed alexipharmaca, ut nunc diximus ad uſus vocare convenit. Tertio demum cum ſedantibus uti conveniat, cum febris conditione iſta componere oportet; non enim quæ in Colliquativa proſunt, etiam in Coagulativa febre utilia ſunt; ideo cuique proprium auxilium præſcribere, Prudentis erit; Pro Junioribus vero ſequentes formulas innuere ſaltem proficuum eſt.

In febre Colliquative. 7. In Colliquativa ergo febre, cum Cardialgia ferocire videatur, vireſque adhuc conſtantes ſint, ſequentibus auxiliis uti poteſt, videlicet

℞. *Aqu. Cord. Saxon. frigid. unc. ij.*
de flor. Aurantior. unc. ſem.
Sulphur. Antimon. fixi Ludov. ſcrup. ſem.
Confect. Hyacinth. complet. drach. i.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xv.
Syrup. Corallor. optim. unc. i.
M. & cochleat. intra horam ſumat.

Cum autem vires dejectæ ſint, vel ſigna coctionis imminere credantur, ſequenti potius uti convenit.

℞. *Aqu. Flor. Camomill. deſtill. unc. ij.*
Card. Saxon. frigid. unc. i.
Sulphur. Antimon. fixi Ludov. ſcrup. ſem.
Cryſtall. præparat. drach. i. ſem.
Tinctur. Anodyn. Ludovic. gut. iij.
M & utatur ut ſupra.

Emplaſtrum item vel linimentum anodynum ſequenti, vel ſimili modo paratum ſuper os ventriculi applicare adhuc convenit. ex. gr.

℞. *Ol. Maſtich. deſtillat.*
Camomill. deſtill. aa. ſcrup. ſem.
Flor. Hyoſciam. alb. pulveriſ. ſcrup. i.
M. exacte & os ventric. inungat.

vel ℞. *Pulp. Cydonior. contuſ. unc. i.*
Flor. Camomill. pulveriſ. drach. ij.
Spec. Requiei Nicolai drach. iij.
Aceti Roſat. q. ſ. ut f. Emplaſtr. ſtomach.

In febre Coagulativa. 8. In febre vero coagulativa, quæ ſæpe nullum, vel parvum incendium oſtentat cum Cardialgia invadat, quod raro contigiſſe obſervavi, differentibus remediis uti convenit; primum ſequens vel ſimilis mixtura utilis erit.

Bbb 2 ℞. *Aqu.*

℞. *Aqu. de ſucc. Menth. unc. ij.*
de Cinamom. unc. ſem.
Diaſcord. Fracaſt. Elixir. Menth. aa. drach. i.
Laudan. Cydoniat. ſcrup. ſem.
Syrup. de Cinamom. unc. ſem.
M. & cochleat. intra horam utat.

Externe vero ℞. *Fol. Abſinth. Menth. aa. manip. ij.*
Flor. Camomill. Meliloti aa. pug. ij.
Semin. Myrtillor. Aniſ. aa. unc. i.
Aqu. & Vin. aa. q. ſ. coqu. ad tert. pro fotu.

item ℞. *Pulp. Cydonior. contuſ. unc. ſem.*
Mellis Menthæ unc. i.
Flor. Camomill. contuſ. drach. iij.
Ol. Aneth. Camomill. q. ſ. ut f. Emplaſtr.
poſt fotum Ventricul. apponend.

In febre verminoſa. 9. Cum autem Verminoſam febrem Cardiaca paſſio invadat, vomitum promovere primo eſt opus; nec ullam ex *ſupra datis nu.* 6. cautionibus in hac urgentia obſervare intereſt; hoc enim auxilio, vermes revocando, ſymptomatis occaſionem, & febrem ſimul recedere, ſæpe obſervavimus; Emeticum vero in hoc caſu proficuum, ſequens eſt.

℞. *Ol. Amygd. dulc. recent. unc. iv.*
Syrup. Emetic. ex croc. metall. unc. i.
M. & propin. vomit. expectand.

Poſt decentem vomitum, maxime ſi verminoſa ſordes revocata ſit, Paregoricum ſequenti, vel ſimili modo paratum, præſcribi debet.

℞. *Aqu. Hyperic. Rut. capr. aa. unc. i. ſem.*
Diaſcord. Fracaſt. drach. i.
Corn. Cerv. philoſ. calcin. drach. ſem.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xij.
Syrup. flor. Perſicor. unc. ij.
M. & cochl. tota intra hor. ſumat.

Cum autem febris ardens ſit, ſequenti potius, vel ſimili uti convenit, ex. gr.

℞. *Aqu. Rut. Capr. Acetoſell. aa. unc. ij.*
Confect. Hyacinth. in compl. drach. i.
Magiſt. ſolub. Corall. gr. xv.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xv.
M. & utatur ut ſupra.

Externe adhuc. ℞. *Ol. nucleor. Perſic. expreſſ.*
Nuc. Moſchat. expreſſ. aa. dr. ij.
Balſam. Peruv. nigr. drach. i.
M. f. liniment. ſtomach.

at in febre ardenti ℞. *Succ. Cydonior. expreſſ. unc. ſem.*
Amygd. amar. expreſ. drach. ij.
Pulv Lumbric. terr. drach. i. ſem.
M. pro linim. ut ſupr. utend.

10. In febre demum Intermittenti cum Cardialgia invadat, niſi coctionis ſigna criſin imminere promittant, emeticum appropriatum hæc paſſio poſtulat; proprium ergo cuique fomiti aptum ſeligere convenit; ideo primum cum bilis exuberantia febrem, & cardialgiam inducere noſcatur, tunc emeticum opportunum ſequens eſſe poteſt. *In febre intermittenti.*

℞. *Aqu. Cichor. Portulac. aa. unc. ij.*
Oxyſacchar. Emetic. unc. i.
Sal. Abſinth. eſſential. drach. ſem.
M. & pro Emetico utat.

Cum autem Viſcida lues febrem foveat, tunc ſequenti appropriato utimur.

℞. *Syrup. Emet. ex Croc. metall. parat. unc. i.*
Oxymell. Scyllitic. unc. ſem.
Syrup. de cort. Citr. unc. i. M. f. Emetic.

Abſoluto vomitu ſedativum aliquod, febriſque conditioni appropriatum exhibeatur, ex. gr. in febre a bile promota, ſequens, vel ſimile proficuum erit.

℞. *Aqu. Cichor. Plantag. aa. unc. ij.*
Sal. Abſinth. eſſential. drach. i.
Magiſt. ſolub. Corall. ſcrup. i.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xij.
M. & cochleat. tota in hora ſumatur.

Externe vero ℞. *Pulp. Cydon. contuſ. unc. i.*
Mell. Menthæ unc. ſem.
Succ. Abſinth. expreſſ. drach. vi.
M. f. Cataplaſm. Ventric. applic.

In febri vero a viſcida lue ducta, ſequentia opportuna eſſe poſſunt.

℞. *Aqu. Abſinth. Menth. aa. unc. ij.*
Diaſcord. Fracaſt. drach. i. ſem.
Elixir. Menth. drach. i.
Tinct. Anodyn. Ludov. gut. x.
M. & utat. ut ſupra.

Externe item ℞. *Ol. Nardin. Meſue unc. ſem.*
Expreſſ. Nuc. Moſchat. drach. ij.
Balſam. Peruv. nigr. drach. i.
M. f. liniment. ſtomach.

11. Cardialgiæ demum extra febres invadentes, ex hactenus dictis, riteque ad opus vocatis, facile mederi poſſunt, *Cardialgiæ extra febrem.*

ſunt, licet plures, & a differenti fomite inductæ ſint; aliæ namque a Flatibus, aliæ a bile regurgitante, multæ a vermibus, demum a viſcida illuvie, ſimilibuſve recrementis in ventriculo quavis cauſa ſtagnantibus, & ad ſtomachum exaltatis; nec minus atroces cardialgias inducunt Tumores, vel Inflammationes, aut Calculi, ſimilesque introſumptæ, varioque modo pungentes, aut mordicantes extraneæ res, quibus omnibus appropriatam curationem digerere nimis longe a pomæriis noſtris deduceret, aliquod ſaltem cuique aptum remedium innuere, non reluctamur. Pro Flatibus ergo primum dignoſcere intereſt, an ex fæcibus inteſtinorum, quod ut plurimum contigit, ad ſtomachum aſcendant, an vero in ipſo ventriculo ab ingeſtis, vel indigeſti producantur. Si primum carminativum Clyſma potiorem medelam affert, poſtea ſequentem vel ſimilem flatus diſcutientem mixturam propinare convenit, videlicet.

A Flatibus curatio.

℞. *Aqu. Camomill. deſtill. unc. ij.*
de Cinamom. unc. i.
Ol. Nuc. Moſch. expreſſ. drach. i.
Aniſ. Cumin. deſtill. aa. gut. vi.
Tinctur. Anodyn. Ludov. gut. xij.
M. & ſenſim tota ſumatur.

externe item ℞. *Ol. Nardin. Meſue unc. ſem.*
Aniſ. Carv. deſtill. aa. drach. ſem.
Balſam. Peruvian. nigr. drach. i.
M. f. linim. ſtomach. ſæpe repetend.

Ambo hæc auxilia in altero caſu, nempe cum in ipſo ventriculo flatus gignantur, proficua etiam ſunt, neque hic emeticum, aut Clyſma per ſe proprie utilia eſſe dijudico, niſi cum flatus ab hiſce remediis ad inteſtina depulſi, inibi tormina concitaſſent, tunc Clyſma diſcutiens opportunum erit.

A Viſcida illuvie.

12. A bile vero, & a vermibus, ſtomachum invadentibus, iiſdem prorſus auxiliis *num.* 9 *&* 10. ſupra datis, occupatus ventriculus redimi poterit. A viſcida vero lue Cardialgia inducta, licet antecedenti numero aliquid proprium habeat, quia ſæpe contumaciſſima eſt, aliquid adhuc efficacius expetit. Ideo primum auxilium emeticum eſt, maxime cum prohibentia non renuant, quod efficax, ac replicatum eſſe, tenace Viſcidum exigit; ſequenti ergo, vel ſimili modo præſcribi poterit. ex. gr.

℞. *Aqu. Menth. Meliſſæ aa. unc. ij.*
Tartar. Emetic officinar. gr. xij.
Oxymell. Scyllitic. unc. ſem.
M. f. Emet. alternis diebus ter repetend.

Die intermedianti vacua, ſequentem mixturam horis quatuor ante prandium aſſumat,

℞. *Aqu. Menth. Meliſſ. aa. unc. i. ſem.*
Tartar. Martial. optim. drach. ſem.
Extract. Ammoniac. reſinoſ. ſcrup. ſem.
Ol. deſtill Camomill. gut. vi.
M. utat. pro Doſi.

Cum vero validum prohibens vomitum tolerare nequeat, tunc a nunc data mixtura auſpicandum eſt, cui tamen Laudan. Cidoniat. Liquid. gut. x. addere, ac per tres dies continuare intereſt, poſtea die quarta ſequentibus pilulis, quæ a Catholicis Poterii parum diſcedunt, Patiens utatur, videlicet.

℞. *Aloes ſuccotrin. unc. ſem.*
Myrrhæ elect. drach iij.
Gum. Ammon. Maſtich. aa. drach. ij.
Croc. Orient. drach. ſem.
Reſin. Mechoac. drach. i.
Syrup. de Abſinth. compoſit q. ſ.
M. exacte f. Pilul. quar. Doſ. drach. i.

Hæc, inquam, per tres vices aſſumi debent, præmiſſa ſemper ſupra data mixtura trium dierum. Hac enim methodo contumaciſſimas ab hac lue ortas Cardialgias non ſemel expugnatas vidimus; ad Ventriculum tandem roborandum Coccholatam de mane, de ſero autem ſequentes rotulas præſcribere eſt opus, videlicet.

℞. *Sal eſſential. Abſinth. drach. ij.*
Ol. deſtill. Macis, Aniſi aa. gut. xv.
Sachar. qu. ſ. ut f. Rotul. Doſ. ſcr. ij.

13. Cardialgiæ item a ſtomachi inflammatione inductæ, iiſdem pene remediis, parum pro exigentia variatis, *cap. de Thoracis inflammat. expoſ.* curari poſſunt. Quæ autem ab aſſumptis Venenis ortum ducunt, emeticum apprime, & illico exigunt; paregoricum vero, ac alexiterium pro veneni ſpecie varianda ſunt, cum propria cuique ſpecifica facilius audiant; horum autem nume-

Ceteræ demum Cardialgiæ.

numeroſam ſeriem brevitas noſtra deſcribere haud patitur; ad hoc tamen opus præ aliis magnus *Sennertus tom. 2. cap. de venen.* videri poteſt, qui proprium cuique veneno antidotum exponit. A calculis demum in ventriculo genitis Cardialgiæ productæ, ardue nimis curantur; rari enim caſus iſti, aliquando tamen viſi, a diuturna, & invincibili Anorexia, perpetua, & inani vomituritione, ac intima plus, minuſve gravanti ventriculi moleſtia, tuto aliquando conjectari poteſt; huic vero dicatum remedium fortis vomitus eſſe poterit, quem croc. metallor. infuſio promittere ſolet; verum cauto ſemper conſilio præſcribendum eſt; cum autem vomitus proficere non poſſe dignoſcatur, tunc ad auxilia in ſequentibus *cap. de lithiaſ.* expoſita pro calculi attritione confugere eſt opus, quæ facilius in ſtomacho, quam in renibus calculos extenuare poſſunt; ſed ad alia Cardialgiæ remedia deſcendere nunc intereſt.

APPENDIX.

Anodyn. ſpecificum Paracelſi.
Antimon. diaphor. officin. & ſolubil.
Aqua Camomill. deſtill. ex tot. plant. & ex florib. ſol. Aqu. Cinamom. deſtill. Aqu. Hyſſop. Aqu. Menth. Aqu. Vitæ Matthioli. &c.
Balſam. Peruvian. Balſam. Vitæ Rolfing.
Decoct. Camomill. in vino. Decoct. Nucis Moſchat. in vino. &c.
Elixir Aurantior. Elix. Citri. Elixir Menth. Elix. Proprietat. Helmont.
Eſſent. Anodyn. tartariſat. Maeſt. Eſſent. Camomill. Michaelis
Extract. Sedativ. Cnoeffel. Aliud Granor. Quietis ejuſdem.
Laudan. liquid. Helmont. Laud. Cydoniat liquid. & ſolid. Laud. Quercetan. Laud. Opiat. univerſal. Tilingi. Laud. ferment. Langellott. Laud. ſine Opio Batei.
Magneſia optime parata. Magnes. Saturnin. meteoriſat Poterii.
Ol. Saphirin. ex florib. Camomill. Ol. deſtill. Menth. Ol. deſtill. Aniſi, & Carvi. Ol. Nucis Moſchat. expreſſ. & deſtill. Ol. Macis. Cynamom. &c.
Pilulæ de Cynogloſſ. Aliæ de Styrace Sylvii, aliæ Catholic. Poterii.
Pulvis Pannonic. rubeus Pulv. Anticardialg. Batei, ſtomachic. ejuſdem.
Sal Corallor. & illius Magiſterium.
Spirit. Aniſi Spir. ſtomach. Mynſicht. Spir. Vitriol. narcotic.
Stomachic. Ludovic. Michael. Poterii Quercetani
Syrup. de Menth. major. & minor. Syrup. Cydonior. de Hyſſop. Myrtin. &c. Syrup. Corallor. Perlar.
Tinctur. Martis alkalin. Boylei. Tinct. Mart. cum ſucc. pomor. extract.

Externa demum auxilia *capit. antec. de Vomit.* relata, hic quoque proficua eſſe poſſunt; ideo morbi hujus finem ponimus, & ad alterius initium accedimus.

CAP. XV.

De Singultu.

I. AFfectum hunc, quo magis obvium, eo plus abditum, & per opiniones vagantem, expendere nunc aſſumimus. Singultus ergo varia ſæpe facie larvatus, & nunc (ut ſic loquar) in comica, nunc item in tragica ſcena apparens, ſeu nunc optime ſanos, & nunc graviter ægrotantes invadens, in illis levem moleſtiam, in iſtis funeſtum ſæpe eventum denunciat; ideo varias Doctorum opiniones hactenus defatigavit; illius enim cunabula varia, cauſasque diſtantes, proprio cuique placito deſcripſiſſe legitur; verum de his infra. Nunc primum pro noſtro ſenſu ſingultus deſcribitur; quod ſit Vehemens Spirituum impetus per nervos, & muſculos pneumaticos dilabens, eoſdemque per intervalla convellens; unde aeris exitus impetuoſius exploditur. Non vero ad hanc affectionem definiendam, irritantem materiam advocamus; cum non ſemper neceſſaria, ſed contingens tantum aliquando adeſſe poſſit; ideo non intima ſemper cauſa, ſed occaſio duntaxat, quandoque muſculos pneumaticos moleſtans, dici poterit, ut infra clarius explicabitur. *Deſcriptio.*

2. Pars affecta in ſingultu pneumatici muſculi proprie ſunt, qui a ſpiri- *Pars affecta.*

tuum

tuum exploſione per intervalla contracti, ſingultire cogunt; licet enim infimi ventris regio ad violentam concuſſionem in Singultu deducatur, non ideo ventriculus proprie affecta pars dici debet; motum enim illum diaphragma ſolus, a vehementi ſpirituum impetu deorſum impulſus, inducere ſolet, quod certe primum anatomicæ inſpectiones oſtendunt, in qua re audiatur ſaltem præ cæteris celebris *Sylvius*, qui ſic loquitur *lib.* 1. *Praxeos medic. c.* 23. *n.* 8: *Diaphragma in aperto brutis adhuc viventibus abdomine, vi ſatis magna verſus ventriculi regionem contrahi, tactu non minus, quam viſu percipitur*; hæc contractio diaphragmatis deorſum in qualibet inſpiratione ſemper fit, ac multo magis in ſingultu, qui primo a vehementi, ſubitaque aeris Inſpiratione incipit, & a forti expiratione abſolvitur. Ventriculus ergo in hoc affectu nil aliud patitur, niſi quod a diaphragmatis preſſione vexatur; poteſt bene ex oppoſito ad ſingultum excitandum occaſiones ducere, ut infra videbimus. Neque diaphragma ſolum, ut Plurimi ſentiunt, unica pars affecta eſſe poteſt; cum hæc vehemens inſpiratio a pneumaticis muſculis omnibus æquo ſimul concurſu peragi debeat, quorum quolibet feriante, ægre nimis, & nunquam ſatis inſpiratio, ac expiratio ſuccedant. Omnes ergo muſculi reſpirationi ſervientes, a violento ſpirituum appulſu cum impetu in momento contracti, partes affectæ veriſimilius eſſe videntur.

Diagnoſis. 3. Diagnoſticis ſignis, ut noſcatur, Singultus non indiget, omnibus enim obvius eſt, licet occaſiones, & cauſæ, quæ illum inducunt, non facile dignoſcantur; nimis quidem diſpares illius invaſiones, nimiſque diſtantes ipſius fomites ſunt; cum ſanos æque ac Febrientes invadat, in illis aliquando moleſtus, ad voluntatis nutum ſedari tamen poteſt; in iſtis vero nec a voluntate compeſcitur, nec ſine infauſta nota recedere ſolet; ſic pariter fomites varios perſæpe oſtentat; nunc enim a ventriculo quavis noxa vexato, nunc ab hepate inflammato, nunc ab ileo inteſtina ſubvertenti, & nunc ab alia cruciata parte ſæpius emergere ſolet; imo & non raro a quavis nervuli, etiam a thorace remoti, læſione, cum ſpaſmo fæderatus invadere continua praxis inſpicit. Tot ergo illius fomites eſſe poſſunt, quot nervi per univerſum corpus diſtributi, & a quovis infenſo irritati, talem ſpirituum acoſmiam, ad convulſionem, & ſingultum ſuſcitandum aptam, pati poſſe obſervantur. Verum ex qua læſa parte ſingultus inducatur, propriis ſignis indiget, ut tuta illius curatio inſtituatur; hæc tamen indicia, nec brevi calamo deſcribi, nec intra pomæria noſtra comprehendi poſſunt, ideo pro nunc Medentis peritiæ relinquuntur. Aliqua tamen præterire non decet; & primo in febribus veneficis cum ſingultus immineat, præcedere ſolent capitis dolores, vigiliæ, deliria, & convulſiones incipientes, cum quibus ultimo ſingultus fæderatur; in acutis vero ſimplicibus poſt diuturnas vigilias non raro ipſum exurgere vidimus. Extra febres autem cum contingens ſit, ſine præviis ſignis invadit, brevique moleſtat; cum vero habitualis, contumaciſque morbi naturam induat, tunc anorexiæ, ac vomituritiones aliquando præcedunt, ſæpeque convulſiones, ac lipothymiæ ipſum ſequuntur.

Cauſæ proximæ indago. 4. Cauſa tandem proxima ſingultum efficiens, quo magis nota, minus perpenſa videtur; qui enim Ventriculum, quique Diaphragma convulſum pro legitima ſingultus Cauſa determinant; ſicque concuſſa viſcera, non vero Spiritum ipſa convellentem inculpant; quaſi dicant, muſculi per ſe tantum, & abſque impellente ſpiritu, convulſiones inſtituunt, adeoque ab inſtrumentali medio, non ab Agente proprio depravatam actionem petere videntur. Sed quiſque ſuam currat viam, nos vero illam, quam tutiorem invenimus, proſequendo, dicimus, quod vehemens ſpirituum animalium in pneumaticis muſculis exploſio, per ſe ſola, & abſque irritante materia ſæpe, ni ſemper, ſingultum efficere poſſit; non enim ad hanc impulſionem irritantium ſtimulo indiget, quia ſæpe ſine ipſis ſingultus inſurgere obſervatur, cum vere, ac proprie arbitrarius affectus ſit, a nulla provocante lue dependens. Novi enim Nonnullos, qui ſibi pro arbitrio ſingultum concitabant, & compeſcebant; quod

quod aperte ſuadet, voluntarium hoc opus eſſe, cum excitari, ac ſedari, pro arbitrio poſſit; hoc adhuc in me ipſo, ſingultui facile obnoxio, ſæpe comperior, captus enim ab ipſo, cum firmiter ſingultire nolim, illico quieſcit; in plurimis item aliis, diu ſingultientibus, hanc moleſtiam ſedare mihi contigit, illorum mentem ad aliquod ſibi gratum, vel ingratum divertendo, ſicque ſpiritus a vitiato impetu alienando, quod non contigiſſet, ſi ſemper a vellicanti ſtimulo ſingultus duceretur, quia tandiu produceretur affectus, quandiu illius provocatio perſiſteret. Non tamen inficior, poſſe aliquando talem in thorace, aut ventriculo, vel aliunde irritationem contingere, ut pneumaticos muſculos, & diaphragma ſpeciatim ad hunc affectum diſponat; quod autem ſine illa ſingultiri nequeat, & ut intima cauſa per illam definiri ſingultus debeat, hoc, inquam, per me ut falſum judicium emendare ſuadeor.

Prophaſes Cauſæ. 5. Occaſiones demum, quæ ſpiritus animales, ad hunc affectum inducendum, concitare ſæpe ſolent, plurimæ eſſe poſſunt. Et primo certum eſt, quod poſt profuſas hæmorrhagias ſingultus aliquando excitatur, quod infauſtum nunciavit *Hippocrates* 5. *aph.* 3 *Ubi ſanguis plurimus fluxerit, Singultus, aut convulſio ſuperveniens malum*. Sic poſt Hypercatharſin, in Senibus maxime, affectus iſte contingere ſolet, quem pariter malum dixit 7. *aph.* 43. *Si Senioribus ſupra modum purgatis Singultus ſupervenerit, non bonum*. Similiter hepatis inflammationem ſingultus ſubſequitur, ut Ipſe docuit 5. *aph.* 59. *Hepati autem inflammationem patienti, Singultus advenit*. Sic item a Vomitu ſingultus excitari 7. *aph.* 3. pariterque ab Ileo 7. *aph.* 10. induci poſſe, Idem, & experientia docent. Omnes tamen iſtas viſcerum affectiones vario modo a plurimis ſingultum inducere judicatur; per me autem non aliter percipere poſſum, niſi quod nervi per dicta viſcera diſtributi, morbum in illis inductum male perferant, ſenſuque acerbo ita irritentur, ut ſpiritus in ipſis vigentes, ad excandeſcentias inducant, quibus ſemel concitatis, varia ſymptomata, & frequenter Convulſio, & ſingultus excitantur. Notum enim eſt, quod non morbi tantum, qui circa thoracem emergunt, ſed & in extremis corporis partibus, nervis inibi læſis, dicti affectus exurgere ſæpe ſolent; plures caſus, in hac linea noti jam ſunt, pluresque & nos vidimus, quorum duos innuere ſaltem decet; Primus ſit Comes quidam, qui ob nervi puncturam in pede ſiniſtro convulſionem, & ſingultum contumacem paſſus eſt. Alter Matrona fuit, quam ob punctum ab imperito Chirurgo in brachio nervum, iiſdem ſimul ſymptomatis affectam vidimus; horum primus evaſit; altera vero ſingultiendo deceſſit. Caſus ergo iſti, ſimileſque plurimi, Practicis ſæpe obvii, facile oſtendunt, quod nondum viſcera circa thoracem, ſed & partes ad ipſo remotæ, cum in nervis lædantur, ſingultum inducere æque poſſint. Qua certitudine affatim ſuademur, quod eodem prorſus modo, quo Pes, Brachium, Hepar, & Inteſtina, ita Ventriculum, & Diaphragma Singultui occaſiones eſſe poſſint, quatenus in ipſis, cæteriſque corporis partibus, ob quamlibet nervorum irritationem, ſpiritus in ipſis ad exploſionem concitentur. Sic & in febribus, maxime malignis, ſingultus emergens, nullam aliam cauſam præter Spirituum concitationem agnoſcit, quæ cum Naturæ tolerantiam excedat, pneumaticos etiam muſculos, ſicuti cæteras corporis partes exagitare ſolet; notum enim eſt, quod ſæpe Singultus cum Convulſione, Delirio, Anorexia, inteſtinorum profluvio, pluribuſque aliis ſymptomaticis ſociatus apparet, unde in illa univerſali vitalis machinæ agitatione, etiam pneumatici muſculi pati poſſunt: ſic in hiſce caſibus recte ſingultus malum ab Hippocrate nuncupatur; quia illius emergentia, in hoc caſu ſaltem, univerſam corporis exagitationem denunciat. Singultus demum extra febres, vel a ſolo inordinato ſpirituum impetu, vel adhuc a quavis occaſione, quæ Spiritus in diaphragmate vigilantes, ad concitatos motus provocet; prior facile compeſcitur, altera vero, utpote a morbido ſtimulo inducta, niſi ille ſileat, concitati ſpiritus nunquam compeſcuntur; quod tandem de occaſionibus ſatis.

Pro-

Prognoſis. 6. Prognoſin audiendo, Singultum in febribus emergentem, infauſtum nuncium ſæpius eſſe cenſet, verum non ſemper; cum febrium ſtadia, & conditiones cum ipſo conferre primo deceat. Nam ſicut in cruditatis ſtadio invadens, Naturæ labores, viriumque jacturam portendit; ita in ſtadio coctionis illius victoriam nunciare ſolet; determinatam enim Criſeos, & triumphi diem acerba ſæpe ſymptomata præcedunt, ut 2. *aph.* 13. habemus, quæ ſpirituum niſus hoſtis domitores certo denunciant; in conditionibus autem febris infauſtum ſæpe ſingultum contigiſſe obſervavimus. In Tertianis enim emergens, triſtis eſt nuncius, cum poſt ipſum ſimplices duplicari, & duplices continuas fieri contingat, ut frequenter inſpeximus; Quartanas item, cum pertinaciter frequentaſſent, contumaciſſimas evadere ſæpe vidimus; Malignas demum quo tempore ſingultus infeſtat, ſemper infauſta nunciare ſolet, maxime ſi cum illo convulſio, & delirium fæderantur; tunc enim excandeſcentem ſpiritus impetum, varias partes cum periculo vexantem oſtendit; & ſi cum dictis adhuc dyſenteria emergat, deſperata ſæpe res eſt. Cum item poſt aliorum morborum exacerbationem, cum febre vel ſine ipſa, Singultus appareat, ſemper nigro lapillo ab Hippocrate ſignatur; ita ſi poſt hypercatharſin inſurgat, ut 5. *aph.* 4. docetur; vel poſt inſignes hæmorrhagias, ut 5. *aph.* 3. invadat; ſimiliter cum inflammationes, ut hepatis, 5. *aph.* 59. vel inteſtinorum, ut in ileo, 7. *aph.* 14. comitari contingat, ſemper cum in hiſce morbis, vel poſt ipſos invadens, malum omen denunciat. Non ſemper tamen improbus eſt, cum ſolitarius excitetur, ſic moleſtus, ſed facile compeſcitur, cum a ſolo ſpirituum vitio inducatur; pertinacior vero eſt ille, qui a viſcida lue, in ſtomacho radicata fovetur; pejor qui a nervorum punctura ſtimulatur; peſſimus tandem eſt, qui a venenis aſſumptis contingere ſolet, cum veneni violentiam ſpiritus jam peſſundaſſe, concitatus in hac pugna ſingultus per ſæpe denunciet.

Curatio in febribus malignis. 7. Curationis methodus perſæpe, & maxime cum febrium Symptoma Singultus ſit, varia indicatione dirigitur; hæc enim affectio cum per muſculos pneumaticos a concitato ſpiritu inducatur, illorum defectus Febrium diſparitates revelare æque poſſunt. Vehementes ergo febres Enormonticam exploſionem indicare, mites vero malignæ languentem ſpirituum impetum exponere ſueſcunt; ideo pro diverſo ipſorum ſtatu, differentem etiam curationem expetunt. Cum itaque vehemens febris ſit, vigiliis, deliriis, ac ſingultu ſociata, vehementem etiam impetum facientis concitationem oſtentat, qua excitatus cum cæteris ſingultus, pro ſui medela, illius cauſam compeſcendam eſſe indicat; & hanc pro viribus ſatis in febris vehementis Curatione jam expoſuimus; ideo nil ultra innovare ſingultus iſte nos cogit. Cum autem moleſte nimis vexando, Æger, vel Aſſidentes ad aliquod præſcribendum me inducant, ſequentem tunc mixturam, vel ſimilem inſcribere ſueſco, videlicet.

℞. *Aqu. Pap. errat. Acetoſ. aa. unc. i ſem.*
Magiſter. ſolubil. perlar. drach. ſem.
Tinctur. anodyn. Ludovic. ſcrup. i.
Syrup. Corallor. optim. unc. ſem.
M. & cochleat. intra hor. ſumat.

Item cum in Maligna etiam, ſed muta, mitique Febre hoc ſymptoma ingruat, tunc ſpirituum oppreſſionem denunciat, qui a virulenta ſorde magna in parte abſorti, cæterique agitati febrem languidam, convulſionem, & ſingultum ſimul excitant. Noſcimus enim in hac miti febre a lethifero viru depreſſum Enormon eſſe, ideo depurativam ſui machinam delaſſati ſpiritus languido niſu in virulentum hoſtem pellere nituntur; illorum ergo ſuppetiæ a ſpirituum languore indicantur; quibus reſtaurati, ac roborati ſpiritus, & febris in infenſum victoriam, & ſymptomatum compeſcentiam ſimul promittunt. Auxilia vero cum propria *lib. de febr. Coagulat.* expoſita ſint, ne palidoniam canamus, hic reticemus; pro acerbo autem ſingultu ſedando, datis ibi remediis, ſequentem mixturam addi poterit.

℞. *Aqu. Card. bened. unc. ij.*
de Cinamom. cydoniat. unc. i.
Sal. volatil. oleoſ. noſtri ſcrup. ij.
Tintur. anodyn. Ludov. gut. vi.
Syrup. Corallor. optim. unc. i.
M. & cochleat. interdiu ſumat.

Hæc demum in Malignis, Peſtiferiſque febribus ſatis eſſe poſſunt.

In febribus benignis. 8. In Acutis vero continuis, ac Intermittentibus ſingultus invadens, levem timorem inducere ſolet; & maxime cum poſt coctionem inſurgat, quia inſenſæ luis domitricem Naturam ſemper denunciat. Ante coctionem vero nimis caute illius compeſcentiam exquirere intereſt; ſæpe enim ex Naturæ niſu oriri ſolet, cum infenſam ſordem ſubigere, coctionemque parare nitatur; & tunc opiatis, ac ſedativis uti, intentam victoriam ſpiritibus eripere eſſet. Ideo cum nec nimis contumax, nec ultra tolerantiam moleſtus ſit, tutius erit, patienter illum perferre, cum brevi, apparente coctione, ſingultus evaneſcat. Si autem diutius, & ſupra vires exagitet, tunc ſaltem Opiatis dimiſſis, unum, vel alterum cataplaſma, pro febris conditione, ſic præſcribi poteſt, videlicet in ardenti febre ab acri lue inducta ſequens utile eſt.

℞. *Fol. Menth. Meliſſ. aa. manip. ij.*
Flor. Roſar. Borag. aa. pug. ij.
Sem. Aniſ. Fœnicul. aa. unc. i.
Aceti acerrim. q. ſ.
M. & bull. ad med. conſumpt.

Hoc decocto calenti duplicatis lineis ſtomachus foveatur, & pro exigentia replicetur. In febre vero non ardenti ab acida ſorde provocata, ſequenti utatur.

℞. *Bacc. Juniper. Laur. aa. unc. ſem.*
Fol. Menth. Abſinth. pulver. aa. dr. iij.
Semin. Carvi, Aniſi aa. drach. ij.
Cinamom. pulver. drach. i.
Pulveriſ. omnib. cum Aceto q. ſ.
M. f. Catapl. calid. ſtomach. applic.

Et hæc tandem in febribus opportuna eſſe poſſunt.

Extra febres. 9. Variæ pariter Occaſiones, etiam ſine febre ſingultus contumaces provocare ſæpe ſolent, quarum præcipuas ſaltem tangere, appropriatiſque remediis expugnare, adhuc ſupereſt. Affectio tamen iſta Symptoma potius, quam morbus eſſe videtur, & ſic ut febris comitem hactenus inſpeximus; aliorum vero morborum ſymptoma (ut cum hypercatharſin, vel hæmorrhagias profuſas, aut viſcerum inflammationes, vel Ileum, aut vomitus contumaces, alioſve morbos inſequatur) nullam medelam hic petit; morbis enim, quos comitatur, curatis, ipſe ſimul recedit. Cum autem ob morbidam occaſionem ſolitarius invadat, & morborum more pertinaciter moleſtet, tunc propriam curationem exigit, quam brevi calamo nunc aggredimur. Primo itaque cum ſtomachum, ut ſæpe contingit, ſordes, aut flatus occupent, illiuſque paſſiones diaphragmati moleſtæ ſint, ex hac irritatione facile ſingultus exurgit, & donec a proprio cruciatu ventriculus non redimatur, pertinaciter ſæpe ſingultus perſiſtit. Stomachus ergo iſtius occaſio eſt, quo tandem expurgato, ſingultus compeſcitur; ad illius itaque lues tuto eliminandas, dignoſcere primo intereſt, quænam illius culpa eſſe poſſit, nempe an Verminoſa, vel Humoroſa ſit. Si Vermes vellicantes, & mordicantes, ſtomachum infeſtant, ſequentia opportuna eſſe poſſunt, & primo *a Sorde in ſtomacho moleſta.*

Primo a vermibus.

℞. *Mercur. dulcific. gr. x.*
Diagrid. optim. ſulphurat. gr. vi.
Sal. Abſinth. eſſential. gr. viij.
Syrup. Flor. Perſic. q. ſ. ut f. bol. pro Doſ.

Sumat jejuno ſtomacho, & poſt horam ſequentem hauſtum bibat.

℞. *Aqu. Portulac. deſtill. unc. ij.*
Syrup. Flor. Perſic. unc. i.
M. & ſumat, & poſt tres horas comedat.

His ergo auxiliis pro exigentia replicatis, a vermibus expiatus ventriculus, corroborari adhuc petit, quod in ſequentibus exponere non neglleximus. Ad alias item ſtomachi lues accedendo, etiam noſcere primo decet, an eam Acrem vel Acidam eſſe, a propriis indiciis deducatur; ideo primum ſi Acida, vel congrumata, aut in tenacem Viſcidum congeſta ſit, emeticum ſequens neceſſarium erit, videlicet.

Secundo ab Acida lue ac Viſcida.

℞. *Tartar. Emetic. Officin. gr. x.*
Oxymell. Scyllitic. drach. vi.
Aqu. Cinamom. Cydoniat. unc. ſem.
Card. bened. Salviæ aa. unc. ij.
M. f. Emetic. pro una Doſ. pro exigent. replicand.

Altera die ab Emetico, cum repetere ſit opus, ſequentem mixturam præparantem aſſumere Patiens debet, quatuor horis ante prandium.

℞. *Aqu. Salviæ, Card. bened. aa. unc. ij.*
de Cinamom. Cydoniat. unc. ſem.

Sal.

Sal. Abſinth. eſſential. gr. x.
Antimon. diaphoret. drach. ſem.
Syrup de Card. bened. unc. ſem.
M pro Doſ. matutin. per tres dies reſumend.

Tertio ab Acri ſorde. Quarta die ſupradatum Emeticum repetatur; ſicque & expiatum ſtomachum, & ſingultum ſedatum pluries vidimus. Cum autem ab Acri mordicante lue ventriculus moleſtatus, ſingultum occaſionaliter, & per conſenſum provocet; tunc nunquam Emeticum proficuum eſſe credimus; cum concitatum acre virus, cardialgias atroces excitare ſoleat; Ideo nil aptius eſſe ſuadeor, quam Ol. Amygd. dulc. recent. unc. iv. vel v. quod mordaces ſuccos retundere, & ſubducere ſueſcit; quibus vero dictum oleum non arridet, ſequentes, vel ſimiles Pilulæ utiles erunt. ex. gr.

℞. *Pilul. de Cynogloſſ ſcrup. ij.*
Maſtichin. Drach ſem.
Extract. Rhabarb ſcrup. i.
Ol. expreſſ. Nuc. Moſch ſcrup. ſem
Syrup. Violar. q ſ ut f Pilul. pro Doſ

Hiſce ſuper bibat Seri deſtill. lib. ſem. Has ergo Pilulas unica vice ſumptas, & ſtomachum expurgare, & ſingultum ſedare, non ſemel vidimus.

Quarto a flatibus. 10. Singultus vero a Flatibus in ventriculo turgentibus, provocatus, non nimis arduo labore ſæpe ſedatur; non raro etiam contumaces ſunt, ut in Hypochondriacis apparet, hos vero moleſto ſingultu vexatos nunquam inſpexiſſe memini; cum potius in Epigaſtrio, quam in Ventriculo ipſorum flatulenta minera deliteſcat. Ad flatus ergo ſtomachi diſcutiendos, ſequentia proficua ſunt, videlicet.

℞ *Diaſcord. Fracaſtor. drach i.*
Eſſent. Aniſi ſcrup ſem.
Spirit. Nitri gut. iv.
Aqu. Cinamom. cydoniat. unc. i.
M. & cochleat. tota ant prand ſumat.

De ſero autem, cubitum iturus, unam ex ſequentibus rotulis ore teneat, & liquide deglutiat.

℞. *Eſſent. Aniſi ſcrup ſem.*
Ol. deſtill Carvi, Cumin. aa. gut. vi.
Macis pulveriſ ſcrup. i.
Sacchar. q ſ. ut f. Rotulæ pond. ſcrup. i.

Ventriculi corroboratio. 11. Expiato demum a ſupra dictis culpis Ventriculo, illius corroboratio alteram paginam tenet; hæc autem originali vitio, ad quod ventriculus inclinat, proſpicere primo debet. Verum determinata cuique auxilia hic exponere parum refert, cum ad minima deſcendere Peritus quiſque non ignoret; pro Junioribus ſaltem genericum remedium, quo ſtomachi tonum, a quavis injuria vitiatum, reſtaurare poteſt, innuere non dimittimus, hujus ergo cenſus ſequens, vel ſimile erit.

℞. *Aqu. Menth. deſtill. unc. ij.*
de Cinamom. Cydoniat. unc. i.
Stomachic. Ludovic. drach. ſem.
Sal Abſinth. eſſential. ſcrup. ij.
Syrup Corallor. optim. unc. i.
M. & tota ante cibum cochleat. ſumat.

Hoc idem peragit in aſſuetis matutinus Coccholatæ potus, qui ſtomachum æque reficit, & corroborat. Pro minoris fortunæ Viris ſequens ſaltem utile eſt.

℞. *Aqu Menthæ unc ij*
Diaſcord Fracaſt. drach. i. m. & propin.

12. Cum autem nulla irritante ſorde *a Spiritu concitato.* a mera Spirituum acoſmia Singultus excitetur, ut non ſemel vidiſſe memini; ſolis compeſcentibus ſedari poſſe, obſervavimus. Inter cæteros caſus, duo ſaltem innuere decet; primus fuit Vir quidam ex vehementi iracundia per biduum a Singultu vexatus; Alter ex nimio coitu per hebdomadam integram a convulſione, & ſingultu cruciatus. Iſti ergo ſequentibus ſpiritus concitatos ſedantibus remediis illico a vexatione redempti fuere; primo ab iracundia agitato hanc mixturam præſcripſi.

℞. *Aqu. Portulac. unc. ij.*
Menthæ unc i.
Confect. Hyacinth. drach. i.
Magiſt ſolubil. Corallor. ſcrup. ij.
Tinctur. Anodyn. Ludov gut. xv.
M. & cochleat. tota ante cibum ſumatur.

In Altero a nimio coitu acerbum ſingultum excitatum ſequenti auxilio ſedatum ocyter vidimus.

℞. *Aqu. Menth. odorat. unc. ij.*
de Cinamom. cydoniat. unc. j.
Confect. Alcherm. complet. drach. i.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xij.
Syrup Corallor. optim. unc. i.
M. & ſimiliter ut ſupra utatur.

Cæteræ tandem minoris momenti pro-

phaſes quomodo ad curationem reduci poſſint, ex hactenus dictis facile colligitur; ideo hanc ſcenam claudimus, & more noſtro ad remediorum collectionem deſcendimus.

APPENDIX.

Cum ut jam diximus, Symptoma frequentius, quam proprie morbus Singultus ſit, & ut ſymptoma, ſupradatis remediis æque parere debeat; quæ vero, cum morbus ſit, auxilia expeti poſſint, ſequentia eſſe videntur.

Et primo inter Purgantia, cum Vomitoria indicentur, omnia Emetica anteced. cap. 13. in appendic. expoſita ſatis eſſe credimus. Cathartica item ſequentia eſſe poſſunt, nempe

Pilul. de Cynogloſ. Pilul. Maſtichin. Pil. de Aloe roſat. cnm Laudan. &c.

Sedantia vero ſunt primo

Aqu. Serpill. Mynſicht. cum flatus Singulti occaſio ſit. Aqu. Jugland. Plater.

Aqu. Cinamom. Aniſat. & Cydoniata. Aqu. Nervina Timæi &c.

Bolus contr. Singult. Timæi. Alius Ettmuller.

Cruſtac. omnia, ut Corn. Cerv. uſt. Ebor. Corall. &c.

Elixir. Proprietat. Paracelſ. Helmont. Donzell.

Eſſent. Caſtor. Extract. Zedoar. & Theriacal. &c.

Julapium Foreſt. contr. Singult. Aliud Tulpii.

Laudanum omnis generis, quod proprie in ſingultu directum auxilium eſt.

Semen Aniſi. Carvi. Cumini, ac illorum Eſſent. Spirit. & Oleum deſtillat.

Externa vero ſunt. Cataplaſm. ad ſingultum Mynſich. aliud Timæi ex ciner. Querc.

Empl. Michaelis. Fotum Fonſecæ ex aceto & Caſtoreo. Aliaque ſimilia.

CAP. XVI.

De Cholera.

I. HOrrendum malum Choleram eſſe, nomen ipſum, & effectus exponunt; nullum in homine ſuccum excandeſcentis Choleræ ferociorem inveniri, Hippocrates, & Experientia teſtantur. Hujus ergo nomen huic morbo Vetuſtas dedit, cum aptius toxicum, a quo tot clades dimanant, non inveniſſet. Verum etſi aliquando, non ſemper tamen cholera, ſeu bilis excandeſcens, in hoc Affectu culpanda eſſe videtur; cum plures Occaſiones aliæ, inſonti adhuc bile, hoc malum provocaſſe, ſatis compertum ſit. Quidquid vero de cortice, ſeu de nomine dicant, parum refert, intimum autem illius eſſe Medicinæ ſcopus eſſe debet; ad ad hunc igitur accedendo, dicimus ergo, Choleram eſſe Spirituum a prementi ſtimulo concitatam excandeſcentiam, a qua ventriculus, & inteſtina evertuntur, nocenteſque ſuccos ano, & cato eliminare coguntur. Tanta enim eſt expulſionum violentia, quanta ſpirituum eſt provocata acoſmia, quæ quidem nondum primas vias evertit, ſed & intimam vitæ arcem ſubvertit; unde febres non raro acutiſſimæ horrendis ſymptomatis comitatæ inviſuntur; ut ſpaſmodica præcordiorum tormina, & anxietates, animi defectiones, gelidos ſudores, pulſus interceptos, aliaque funeſta ſymptomata, quæ univerſalem ſpirituum exorbitantiam oſtendunt. Ideo cum malignarum Febrium comes Cholera ſit, illarum longe pejor, citius quam Febris vitam perdere ſueſcit. Hæc morbi natura eſt; Differentiæ vero ab *Hippocrate* 4. *de rat. vict acut.* in humidam, & ſiccam diſcriminantur; humidam nunc deſcripſimus; ſicca vero ab eodem *citat. loc. text.* 103. ſic exponitur. *Arida Cholera ventrem inflat, ſtrepitum excitat, dolores tum laterum, tum lumborum infeſtat, alvus nihil dejicit, ſed cohibetur.* Iſta vero pro gradu intentionis variare ſolet, cum haud nimis violenta Hypochondriacos, & Scorbuticos moleſtare ſueſcat; cum vero acerba

Nominis expoſitio.

Deſcribitur.

Differentiæ.

acerba ſit, vel Colicam, vel Tympanitim inducit. Differentiæ adhuc aliæ a Recentioribus deſcribuntur, acutam nempe, & acutiſſimam, quæ unico die interimit, & hanc malignam, & epidemiam ſæpe eſſe, obſervatum eſt; differentiæ vero iſtæ ſecundum magis vel minus atrocem Choleram diſcriminant, quod pro nunc ſatis ſit.

Partes affectæ. 2. Partes in hoc morbo affectæ primæ viæ propria ſunt, potiſſimæ tamen inteſtinum duodenum, & ventriculus, in quibus præcipua ſubverſio incipit, & abſolvitur. Nec cum Aliis, per opiniones vagantibus, intima etiam viſcera, ut cor, & pulmo, in hoc affectu cruciati, illud per lypothymias, iſte per anxioſam reſpirationem, affectas partes nuncupare audeo; cum in hoc caſu etiam fluida ipſa, utpote male affecta, ſeu quodam viru infecta, & per varias vias in duodenum, ac ventriculum ſuccos pene virulentos exonerantes, ut bilis, & ſuccus pancreaticus, ac ſanguifera vaſcula, affectæ partes nuncupari deberent, quod certe improprium eſſe conſidero; cum cor, & pulmones, licet aliquando in hoc morbo detrimentum patiantur, non proprie tamen Choleræ caſtra ſunt, in quibus hoſtiles ſucci colluctentur, proprie vero in univerſali ſubvertione ipſi quoque compatiuntur. Adde inſuper, quod hæc viſcerum paſſio non ſemper, ſed aliquando tantum, cum nempe acutiſſimus hic morbus ſit, contingere ſoleat; ſemper vero in quavis Cholera primæ viæ ſubverſæ conſpiciantur, ideo iſtas proprie partes affectas nuncupare ſuadeor.

Diagnoſis. 3. Diagnoſtica indicia duplicem morbi hujus faciem apprime oſtendunt, altera nempe imminentem, & altera præſentem deſcribunt. Imminentem ſupponunt primo vel lubricos in Diæta errores, vel purgantia ferociora, aut venena introſumpta, vel febrem ardentem, aut malignam, vel aeris conſtitutionem, ad hunc morbum inducendum, diſpoſitam, vel tandem vehemens aliquod animi ſcelus, ferocemque paſſionem, quæ ſpirituum excandeſcentiam inducat; horum igitur aliqua præcedente, cum ventris tormina, præcordiorum anguſtiæ, abdominis diſtentiones, ructus nidoroſi, vomiturītiones vehementes, ſimileſque primo invadentes paſſiones, horrendum hunc morbum imminere prænunciant. Præſentem vero, licet omnibus notum, pro illius tamen diſparitate differentibus ſignis detegitur. Cholera enim ſimpliciter Acuta, febrium acutarum aliquando ſocia, ultra laborioſas vomitiones, & dejectiones, ventriſque tentiones, ac tormina, nullum funeſtum ſignum ſecum ducere ſueſcit, diuturna vero ſæpius eſt, ut ad dies plures producatur, decedens vero mitiorem febrem perſæpe relinquit, ac interdum inexpectata coctione febrem abſolvit. Acutiſſima vero Cholera, malignarum febrium comes, non quidem hac ſimplici ſcena perſolvitur, cum ſæpius ni ſemper tormina impenſa, ſpaſmodicæ jactationes, contractioneſque ſuræ ſpeciatim, ſudores frigidi, pulſus deperditiones, animi deliquia, fætidæ, ac intenſæ coloratæ dejectiones, funeſti ipſius comitatus eſſe ſoleant, nec diu furores iſti perdurare poſſunt; per horas enim vel intra diem ad ſummum, cum ſedari nequeant, ægrum de medio tollere ſueſcant. Vidimus olim Anno 1711. in ardenti Auguſto veneficas hoc morbo ferocientes febres, populariter graſſare, paupereſque plurimos ſine auxiliis vitæ, ac miſeriæ terminum intra diem poſuiſſe, diviteſque nonnullos, ſub imperito judice, eadem ſententia damnatos; hæc demum morbi Prognoſin abſolvunt, nunc ad cauſas deſcendimus.

4. Perſpicuos Choleræ impetus, primas vias ſubvertentes ab Enormontica provocata excandeſcentia manare, ſatis ſuademus; non enim aliter noſtra viſcera vellicantes ſucci convellunt, niſi quod in ſtomacho, ac in inteſtinis gravantes, & mordicantes, ad ſpaſmodicas contractiones illorum fibras inducunt; hæc autem fibrarum convulſio, a nullo alio immediate procedit, niſi a ſpiritu animali, in illis perpetuo excubante, ac illarum motus promovente; iſti ergo nocentes morſus audiendo, ocyter ad exploſivos impetus concitantur, ſicque fibras ita convellunt, ut primæ viæ ſubverſæ, ano, & cato moleſtos ſuccos eliminent. Non ergo ut vulgus credit, & medentes conſentiunt, pro- *Cauſarum indago.*

priæ,

priæ, proximæque hujus morbi cauſæ mordaces ſucci eſſe poſſunt, cum nil aliud quam ſtimuli propriè ſint, motores intimos ad impetum concitantes, ut exploſivo niſu fibras convellant, primaſque ſic vias, vitiato periſtaltico motu, cito ſubvertant; ſoli enim nocentes morſus nec fibras contrahere, nec primas vias evertere apti ſunt, quod ſaltem in cadavere notum eſt, cujus intima viſcera, ab eodem ſucco irritata, imo & lacerata, nullum tamen motum, nullamque nec ſurſum, nec infra ejectionem promovent; qui motus, ſicut & cæteri ſolis ſpiritibus dati ſunt, ad quos tantum ſpectat, omnes viventis machinæ impetus exercere. Dicamus ergo & recte, quod unica, & immediata Choleræ cauſa nimia ſpirituum excandeſcentia eſt; occaſionalis vero fomes quidquid contingenter illorum impetus concitare poteſt. Modum item hujus cauſæ præterire, non decet, cum ex illius notione veram Choleræ cauſam ab irritantibus occaſionibus magis diſcernamus. Notum ergo primum eſt, quod cum ſtomachi, vel duodeni fibræ a quovis mordaci ſucco acriter moleſtentur, illico ſpiritus in illis vigentes, illaſque moventes, ad irregulares impetus concitantur, quæ ſpirituum commotio per undulationem quandam, ad illorum tribunal, cerebrum nempe, aſcendens, novæ ſpirituum turmæ ad læſam partem demittuntur, ibique facto noviter impetu, ita ſimul exploduntur, ut læſas fibras convellant, unde cum impetu ſuſque deque infenſæ ſordes eliminantur. Item notum eſt, quod irrequieti ſpiritus a propria concitatione non diſcedant, motuſque convulſivos diutius producant, & licet depulſis infenſis, nulla irritatio audiatur, non facile compeſcantur, adeo ut nutritios partium ſuccos, a vaſculis illuc ducentibus delatos, impetu confuſo eliminent; unde tanta ſæpius materiæ vaſtitas ano, & cato effunditur, quæ ultra limites lædentem ſordem excedunt. Hi caſus ergo, Practicis ſæpe obvii, facile oſtendunt, quomodo vera Choleræ cauſa ab irritanti occaſione diſcerni debeat.

Occaſiones expenduntur. 5. Ad Occaſiones demum accedendo, perpendere primo intereſt, quod cum morbus iſte Febres varias vel excitet, vel inſequatur, ab his ergo exordiendum eſſe, Inſtituti petitio eſt. Febres ergo, quas vel ſuſcitat, vel comitatur continuæ ardentes, ac veneficæ ut plurimum eſſe ſolent; in his ergo Cholera, quovis modo invadat, prophaſes plurimas ſui nutrices reſpicit, inter quas Errores in victu primam lineam occupare, *lib. Epidem. & de Vict. rat. acut. Hippocrates* docuit. Proximiores vero in hac linea errores Fructus horei, ſine moderamine abuſi, æque culpantur, hi enim præ cæteris cibis, ſuccos facile fermentantes, recrementaque corrupta in primis viis primo congerunt, quæ ventriculi, & inteſtinorum fibras effervеſcendo corrodunt, unde ad illorum eliminationem ſpiritus concitant. Hæc vero illorum noxa tunc major eſt, cum epidemica temporis conſtitutio fructus, & olera, vel rubigine afficit, vel infenſo æthere inficit, aut vermiculis corrumpit, quæ infectiones a Peritis obſervatæ deſcribuntur; unde in his annis Æſtate, ac Autumno ex fructuum ingeſtione, ardentes, malignæque Febres Dyſenteriis, Vomitibus, Choleriſque ſociatæ populariter invadunt; ſic item alii enormes in victu errores eandem tragædiam ſæpius ducunt. Nec temperantia in victu ab hoc atroci morbo omnino eximere ſufficit, cum nempe acria effluvia per aerem vagantia, choleræ ſeminium per inſpirationem intrudant, ut epidemiæ morbi hujus conſtitutiones, paſſim ab aliis, & a nobis inviſæ perſpicue demonſtrant. Verum non ab ingeſtis duntaxat, ſed ab ingenitis, adhuc plurimas Choleræ occaſiones emergere, obſervationes oſtendunt. Primos, vulgi ore culpatos ſuccos illos eſſe noſcitur, qui per diverſas vias in duodenum deſcendunt, Bilis nempe, & pancreatica Lympha, quorum quilibet, cum acri viru inficiatur, in duodeno illapſus, æquo vehementius effervеſcendo, inteſtini fibras mordicant, ſicque violentas periſtaltici motus everſiones provocare ſolent; bilis vero frequentius, cujus aſſidua vellicatio inteſtinorum motum ad fæces eliminandas continuo ſtimulat, cum autem acri ſale, vel volatiliori ſulphure turgida ſit, acrior, vel æruginoſa effecta, fibras

undi-

undique mordicando, ita ſpiritus concitat, ut nunc diarrhæas, nunc dyſenterias, & nunc choleras inducant. Omnium pejores demum Sanguinis culpæ ſunt, cum nempe ſal volatile acre in illius maſſa exaltatum, ardentes, malignaſque colliquativas febres primo ſuſcitat, & inde in Sanguine circulans, cum bile ſibi conſimile unitum, ac in hepate cum illa cribratum, ad duodenum deſcendens, eandem ibi Choleræ ſcenam agit. Glandulæ pariter omnes a ſanguine ſic infecto idem virus attrahunt, & partibus, quas incolunt, hoc venenum diſtribuunt; unde tot varia ſymptomata in his febribus emergunt; & hinc Choleræ fomites a ſtomachi, & inteſtinorum glandulis ſimiliter propagantur. Accidentales demum Choleras ab excandeſcenti paſſione, vel a vehementis purgantis, aut veneni aſſumpti virulentia ortas, plurimas fuiſſe, obſervationes paſſim docent.

Prognoſis. 6. Poſt Choleræ cauſas illius Prognoſin inſequimur, hæc, inquam, communi placito inter acutiſſimos affectus non ultimam Choleram numerat, & recte quidem, quia nondum ante Quartum, ſed in ſecundo, imo & primo invaſionis die non raro necare ſolet; præcipites ergo morbi hujus impetus a pluribus circumſtantiis prænoſcere intereſt; & primo ab Enormontica concitatione, hæc enim quo vehementior erit, eo majus periculum minitatur; cum excedenti gradu excandeſcentes ſpiritus raro, & ſæpe nunquam ſedari poſſint, quin ad extremam conſumptionem præcipites ferantur. Secundo a febre, quam vel excitant, vel inſequuntur, quæ cum vel ardens, vel maligna ſit, pericula duplicat, cum & in ſanguine, & in ſtomacho venenum ferociendo, perdite ſæpius de vita, & pugna decernat. Tertio ab excretionibus adhuc pericula noſcuntur, iſtæ enim cum nimis fætidæ, ac ſincero colore, maximè livido, aut nigro tinctæ ſint, majus adhuc malum in olla deliteſcere prænunciant, ſæpius enim intimam viſcerum corruptelam denunciaſſe, Anatomicæ inſpectiones invenerunt. Quarto demum ab aliorum ſymptomatum ſocietate ultima prænotio deſumitur; ſic enim cum ſudoribus maximè frigidis, cum ſingultu, & convulſionibus, cum pulſu intermittente, vel deperdito, & cum animi defectionibus Cholera fœderatur, extremam cladem ad fores eſſe, acerba hæc ſymptomata certum faciunt. Hac ergo ſincera graphide pernicioſa cholera deſignatur; cum autem a non excedenti ſpirituum impetu, nec a maligna febri, nimiſve acuta ducatur, nec item cum dejectionibus improbis, acerbiſque ſymptomatis ſociata ſit, mitiora certamina tentare, æque promittit. Veruntamen incertas ſemper acutorum morborum prænotiones eſſe, Hippocrates monuit; ideo nec deſperandum, cum dicta pericula emergant, nec fidendum, cum a miti morbo cito ſurgere obſervamus, cum lethales hic recidivas, ex minimo errore ortas, non ſemel inſpexerim. Si autem ſine febre, ac ſine deſperatis ſymptomatis, Cholera ingruat, mitiora promittit, cum a repletionum onere Natura levari velle, tuto denunciet, verum & hic adhuc caute ſemper in hoc morbo mercare intereſt.

7. Curatio tandem diſpares intentiones apprimè reſpicere ſolet; interdum enim cum acuta febre, ſæpe etiam cum maligna, & aliquando abſque ulla morbus hic ingruit, ſicque differentes expetit curationes, hac itaque omnes brevi ſaltem greſſu luſtrare convenit, ac propriam cuique methodum tribuere. Et primo cum in acuta febre Cholera invadat, conſiderandum eſt, an in illius initio, an ſero circa febris vigorem ut ſymptoma ingruat? Si primum nempe quod ſimul, & ſemel Cholera, & febris emergant; tunc ſuſpicari tuto decet, febrem hanc, a tam ſævo ſymptomate concitatam, non acutam duntaxat, ſed acutiſſimam eſſe debere, adeoque non ultra, ſed citra quartum diem abſolvi poſſe; quare celerrime extremas anchoras ponere, imminens periculum, ac præceps occaſio requirunt. Cum ergo ex pulſu vehementi, ex impenſo æſtu, & ſiti, corporis jactationibus, capitiſque dolore, ardentem febrem Cholera ſuſcitaſſe dignoſcatur, ad ebullientem ſanguinis ardorem minuendum, & concitatos ſpiritus refrænandos, ut præſentaneum auxilium Venæ ſectio inſtitui de-

Curationis intentiones variæ.

Curatio in febre acuta.

debet; hos enim fluidorum tumultus, qui cito de vita deliberant, non niſi per phlebotomiam apprime, & non parum mitigari poſſe, notum eſt. Nec dejectiones, vomituſque frequentes, nec imminens virium jactura, ab hoc remedio manum ſuſpendant; cum promptum hoc auxilium & ſanguinis fervores, & ſpiritus effrænes, a quibus proxima clades minitatur, cito tutoque compeſcat; Quamobrem, poſt quatuor ad ſummum horas, in quibus ano, & cato exonerata Natura ſit, tuto phlebotomia uti, & ad ſeptem ſanguinis uncias circiter limitare intereſt.

Emetici uſus. 8. Poſt phlebotomiam ad Naturæ motus cum moderamine adjuvandos, cito deſcendere convenit, & primo provocatos vomitus conferenti emetico ſecundare eſt opus, maxime cum errores in victu præceſſiſſent, ac non ſatis per ſe ſola Natura exonerari poſſit; ideo ne tempus, & vires inutiliter conterat, citiuſque ab irritanti moleſtia ſublevetur, leni emetico illius niſus coadjuvare, eſt opus. Nec mirandum eſt, quod emeticum ſuadeam, ubi vomitum ſedantia omnium ſuffragio expetuntur; noſco enim, quod donec in ſtomacho hoſtilis irritatio perſiſtat, noxia potius quam utilia quælibet opiata ſint; ac item innumeris experimentis dignovi, quod poſt emeticum lene utilius & promptius compeſcentia remedia ſtomachus audiviſſet. Itaque mediam horam poſt venæ ſectionem ſequenti modo emeticum præſcribi poterit.

℞. *Oxyſacchar. Emetic. Salæ unc. ſem.*
Aqu. Plantag. Portulac. aa. unc. ij.
Succ. Granator. ſubacid. unc. i.
M. & tepid. exhibeatur.

Vel cum celebri Practico Sydenhamo pulli brodium bibat æger, in quo tamen folia portulacæ, & plantaginis coquantur, cum in hoc caſu & Choleræ, & febri proficua ſint. Denique poſt competentem vomitum, cum ſatis exoneratum ventriculum eſſe conjiciatur, paregoricum aliquod appropriatum exhibere oportet, ut concitatos impetus cohibeat, viriumque vigorem præſervet, in qua linea ſequens vel ſimile proficuum erit.

℞. *Aqu. Menth. Portulac. aa. unc. ij.*
Confect. Hyacinthin. complet. dr. i. ſem.
Nitri corallat. optim. drach. i.
Laudan. Cydoniat. liquid gut. xv.
Syrup. Perlar. optim. unc. i.
M. & cochleat. intra horæ quadrant. ſumat.

Poſtea cibo tenui utatur, & poſt cibum ad alteram ſedantis mixturæ doſin ſimiliter uſurpandam confugiat; de ſero tandem poſt juſculum ſequentem opiatam ſumat.

℞. *Conſerv. Roſar. veter. unc. ſem.*
Nitri Corallat. ſcrup. ij.
Confect. Hyacinth. complet. dr. ſem.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. viij.
M. f. Opiat. utend. ut ſupra.

Hæc ergo methodus, cum Cholera, & febris ardens ſimul exordiantur pro prima die ſatis eſſe poteſt, cum in uſu noſtro, paucis aliquando pro circumſtantiis, & exigentia variatis, raro inſufficientem fuiſſe comperti ſimus; reliqua item curatio ex infra dicendis innoteſcet, nunc ad caſum alterum deſcendimus.

9. Cum autem Febri jam adultæ, ſeu poſt varias illius periodos, ut proprium ſymptoma, Cholera inſurgat, differenti methodo uti oportet. Apprime vero perpendendum eſt, an in Cruditatis, vel in Coctionis ſtadio intempeſtive ingruat; hæc enim tempora varium adhuc artis opus requirunt. Et primo cum matura Coctione repente hoc ſymptoma invadat, Criſin quandam eſſe poſſe, *lib. Epidem. Hippocrates* docuit; adeoque ſi ſuſque deque talia purgentur, qualia purgari oportet, nempe digeſta jam, & concocta, conferre quidem 1. *aph.* 2. nos inſtruit; ſicque inſpectare duntaxat, nihilque innovare, 1. *aph.* 20. præcipitur. Inſpectare, inquam, an perfecta, vel imperfecta hæc criſis evadat; prima enim cum per ſe morbum integre abſolvat, nullam artis opem amplius exigit; Altera vero cum haud perfecte morbum definiat, ſed tantum imminuat, artis ſuppetias poſtulat, ut depurationis inceptum opus perficiat; has vero pro exigentia contribuere, Medentis penſum eſt, ut per eaſdem vias, quas conferentes Natura elegit, morbi reliquias deturbare non negligat; quæ enim poſt judicationem relinquuntur, recidivas facere ſemper, 2. *aph.* 12. æque admonemur. Auxilia vero, quæ in hoc caſu

Ut febris ſymptoma.

In ſtadio Coctionis.

caſu defatigatam, & inertem Naturam coadjuvant, cum nota cuique ſint, hic omittimus.

In ſtadio cruditatis. 10. Contra vero cum in Cruditatis tempore Cholera emergat, nempe poſt quartam diem, nullo coctionis indicio deſignatam, vel quod pejus poſt ſeptimam in morbi cruditate perſiſtentem; tunc enim jactam ſalutis aleam portendere ſolet; equidem cum febris ardens vitale theſaurum nimis jam depauperaſſet, horrendum hoc ſymptoma, ad extremas virium reliquias diſſipandas, invadit. Quamobrem cum tempus adhuc alicujus medelæ ſit, celerrimè quidem pereunti ſuccurrere, vitæ pericula expetunt. Primo itaque, cum major choleræ impetus per vomitum ferocire videatur, vomitorium leniſſimum ex pulli brodio, cum *perito Sydenhamo*, vel ex ſero caprillo in copia, & frequenter propinare fas erit, ut hoc demulcens auxilium vomendi conatus moderetur, vomitiones facilitet, ne vires ex nimio niſu proſternant, ſimulque Bilis irritans, quæ ſæpius in ardentibus hiſce febribus choleram inducit, commodiori, ac demulgenti vehiculo ano & cato eliminetur; hoc ergo auxilium ſæpius, & per plures horas, pro exigentia, & conferentia repetere intereſt. Cum denique ventriculum ſatis exoneratum eſſe, dijudicetur, ne vires dilabantur, ad paregoricum appropriatum confugere oportet, ideo ſequenti, vel ſimili uti poterit.

Vomitum ſecundare, & compeſcere.

℞. *Aqu Plantag. Portulac. aa. unc. j. ſem.*
Cordial. Saxon. frigid. unc. j.
Confect. Hyacinth. complet. drach. ij.
Magiſter. Solubil Corallor.
Terræ ſigillat. optim aa drach. ſem.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xx.
Syrup. Granator. acid. unc. j. ſem.
M & cochleat. intra mediam horam ſumat.

Poſt dictam mixturam cibo tenui, ſed grato Patiens reficiatur, & poſt horam circiter alteram ſimilem mixturam eodem modo ſumat, & alteram ſimiliter de nocte, ut hoc pluries replicato auxilio choleræ furores imminuantur, vireſque, vitaque ad coctionis opus protrahantur. Nec tanta Laudani repetita doſis pavidos horreſcere debet; cum hic certe congruat illud *Hippocratis* 1. *aph.* 6. *extremis morbis extrema remedia optima ſunt*. Morbus enim effrænis, præceps, ac indomitus ocyter ad lethum ducere nititur, ideo validiſſimo, ac ineluctabili fræno indiget, ut a præcipiti impetu detineatur; hanc ergo curativam methodum proficuam ſæpius compertus ſum, cum ferociores morbi hujus niſus per vomitum exercebantur.

11. At ſi cum fluidiori evacuatione, ventriſque torminibus choleræ furores per ſeceſſum magis vergere ſueſcant, tunc ad clyſteres leniter detergentes, & dulcificantes recurrere convenit, quorum primi ex ſimplici brodio pulli, & pedum vervecis confecti ſint, quibus ter in hora replicatis, ad alios efficaciores ſequenti, vel non diſſimili modo præſcriptos accedimus, videlicet *Seceſſum lenire, & adſtringere*

℞. *Seri Caprill. unc. viij.*
Succ. Plantag. Portulac. aa unc. j.
Sevi Cervin. unc. j. ſem.
M. & coque parum, & poſtea adde
Mellis Violat. unc. ſem. & f. Clyſter.

Cum autem dolores plus urgeant, ſeri loco, lactis chalybeati eadem doſi utatur, & loco Mell. Violati, Laudani Cydoniati liquidi gut. xx. addantur; horum ergo quatuor intra duas horas applicentur, nec clyſmatum tempore ſupra data per os auxilia dimitti debent, ut per utramque viam ferociſſimus morbus ſubigatur. Cum denique, Deo favente, auxilia dicta ferocem choleram expugnaſſe comperiatur, ac adſtringentibus tandem uti oporteat, ſequens, vel ſimile clyſma proficuum erit.

℞. *Radic. Tormentill. Biſtort. aa. unc. j. ſem.*
Fol. Plantag Portul. aa manip. ij.
Flor. Roſar. rubr. Balauſt aa. pug ij.
Aqu. Fabror. vel calybeat. lib ij.
M & coqu ad tertiam in Colatur. unc. vij.
Diſſolv Mucilag. ſemin Cydon unc ij.
& f. Clyſter pro una Doſ.

12. Topica pariter, Stomacho, & Abdomini apponenda, cum in hoc morbo plurimum conferant, auxiliaque introſumpta non parum coadjuvent, minime negligenda ſunt; & licèt practi- *Auxilia externa.*

cum axioma ſit, *Impura corpora nec balneanda, nec fovenda eſſe*; in hoc caſu tamen proxima vitæ diſcrimina regulæ huic exceptionem faciunt. Primum itaque linimentum hoc, vel ſimile ſtomacho applicari poteſt.

℞. *Acetiroſac. Aqu. roſac. aa. unc. ij.*
Bol. armen. Maſtich. pulver. dr. j. ſem.
Santal. citrin. pulver. drach. j. ſem.
M. bulliant parum, cum refrig. adde
Confect. Hyacinth. compl. drach. ij.
Croc. orient. pulver. drach. ſem.
M. f. linim. tepid. utend. ut ſupra.

Totam pariter hypogaſtrii regionem, maxime cum acuta tormina, frequenteſque dejectiones moderari, opus ſit, ſequenti mixtura inungere convenit.

℞. *Cerat. Santalin. unc. j. ſem.*
Sevi Cervin. Suill. aa. unc. ſem.
Olei Cydonior. Myrtill. aa. unc. j.
M. liquef. omnia, poſt adde
Croc. orient. pulver. drach. j.
Et f. Unguent. utend. ut ſupra.

Hæc denique methodus proficua eſt, cum cholera in febre acuta pro vario invaſionis modo emergere ſoleat; nunc ad alteram horridiorem illius faciem inſpiciendam, & pro viribus emendandam, accedimus.

Cholera in febre maligna. 13. Funeſtum ſæpius eſt, cum non acutam, & ardentem febrem, ſed mitem potius, & malignam horrendum hoc ſymptoma comitetur; tunc enim veneficum deliteſcentem, & utramque labem producentem, fomitem pulſus, ac virium dejectiones apprime oſtendunt. Quamobrem ambo ſimul, maligno veneno tincta, ſymptoma nempe, & febrem appropriatis remediis expugnare cito convenit; ocyter enim hoc toxicum in ſanguine: & in primis viis ferociendo, vires, vitamque proſternere minitatur. Itaque primum, phlebotomia dimiſſa, cum nec a viribus toleretur, nec a febre miti expetatur; ad choleræ impetus ſecundandos, & inde facilius compeſcendos, properare eſt opus; ideo pro priori ſcopo emeticum ſic præſcribi poterit, videlicet

℞. *Syrup. emetic. ex Croc. metall. parat. unc. j.*
Aqu. Menth. Card. bened. aa. unc. ij.
de Cinam. Cydoniat. unc ſem.
M. f. Emetic. pro una Doſ.

Hujus ope ſatis abſoluta, ex pulli brodio hauſtum tepidum propinare convenit, & cum vomendi conatus adhuc inſiſtant, Emeticum alterum priori ſimile repetere, pariterque poſt horæ quadrantem largum juſculi hauſtum exhibere intereſt, ut toxicum in Stomacho ferocientem, eliminare aſſequamur; (venefica enim lues in pauco ſæpius humore deliteſcere ſolet) cum autem ſatis exoneratum ventriculum eſſe, conjiciamus, inanes inde vomitus, ab excandeſcenti ſpiritu ductos, compeſcere, vires ſimul ſervare, æquum erit; ideo paregoricum hic appropriatum illico præſcribere decet, videlicet

℞. *Aqu. Menth. Scabioſ. aa. unc. ij.*
de Cinamom. Cydon. Theriacal. aa. unc. ſem.
Terr. ſigillat. Tinctur. Bezoard. aa. drach ſem.
Laudan. cydoniat. liquid. gut. xij.
Syrup. Corallor. optim. unc. j ſem.
M. & cochleat. tota inter horam ſumatur.

Hæc ergo methodus, vel pro circumſtantiis non nimium diſſimilis eſſe poteſt, cum choleræ impetus per ſuperiora ferocire ſueſcant.

14. Cum autem vehementiores impetus per inferiora duci, ſævaque ventris tormina moleſtare comperiantur; tunc poſt reiteratas a Natura dejectiones, clyſteres lenientes anodynos, leniterque adſtringentes ad manum vocare, opportunum erit; in qua methodo a Peritioribus edoctus, plurimiſque fauſtis experimentis innixus, pavidas aliquorum reflexiones non audiens, hanc medendi legem ſuadere, non ambigo. Primo itaque in hoc caſu clyſteres ſequentes, vel ſimiles præſcribere convenit, ex. gr. *Cum per inferiora vergat.*

℞. *Decoct. Capit. & Pedum Vervec. unc. viij.*
In his diſſolv. Butyr recent. unc. j.
Theriac. junioris drach. iij.
Et f. Clyſter, tepid. utend.

vel ℞. *Lact. Vaccin. chalybeat. unc. viij.*
Succ. Plantagin. recent. unc. j.
Diaſcord. Fracaſt. drach. iij.
M. f. clyſter utend. ut ſupra.

Alterutrum ergo pro circumſtantiis tandiu repetere eſt opus, donec ad adſtringentia validiora deveniendum ſit, quo-

quorum opportunitatem morbi hujuſce ſtatus determinare poſſunt, quos ex moderato choleræ impetu, febris conditione, ac venefici fomitis imminutione, peritus Medens dignoſcere facile poterit. Cum ergo adſtringens clyſma opportunum ſit, ſequens, vel ſimile proficuum erit, ex. gr.

℞. *Radic. Tormentill. Biſtort. aa. unc. j. ſem.*
Fol. Querc. Burſ. paſtor. aa. manip. j.
Flor. Balauſt. Cynosbat. aa. pugil. j.
Pedum Vervec. num. iv.
Aqu. Fabror. q. ſ.
M. & coqu. ad mediam
Colatur unc. viij in ea diſſolv.
Ther. junior. Sevi Cervin. aa. un. ſem.
Et f. Clyſter tepido utend.

Abdominis inunctiones pariter, maxime cum tormina urgeant, ex ſevo Cervino, Theriaca recenti, & Oleo Cydoniorum mixtis, applicari poterunt; & cum adſtringendi opus ſit, ſequenti, vel ſimili utatur.

℞. *Ol. Maſtich. Myrtbill. aa. unc. j.*
Santal. citrin. Bol. armen. pulver. aa. drach. j.
Succ. recent. Cydon. acid. unc. j. ſem.
Terra Vitriol dulcis drach. ij.
M. pro Inunction.

Hæc autem hactenus expoſita morbi hujus remedia, cum febrium, quas comitatur, curationibus conferri primum, & componi debent; choleram enim compeſcere velle, & ſanguinis commotiones abſque fræno relinquere, periti Medentis non eſt, ideo unum facere, & alterum non omittere, æquum erit; & hæc demum in hac linea ſatis.

Cholera ſine febre a Veneno. 15. Choleræ item ſine febre invadentes, pro varia illarum occaſione differentem etiam curationem expetunt; has denique brevi ſaltem greſſu percurrere ſupereſt. Primo igitur choleras ab aſſumpto veneno emergentes, emeticis apprime ſtomachum ab invaſo viru expurgare, poſtea compeſcere convenit; pro prima intentione ſequens Emeticum utile erit, videlicet

℞. *Tartar. emetic. officin. gr. x.*
Aqu. Card. bened. Mentb. aa. unc. ij.
de Cinam. Cydoniat. unc. ſem.
Diaſcord. Fracaſtor. drach. j.
M. f. Emetic. pro una Doſ.

Hoc per tres vices in die replicari debet, ut toſſici læſiones præcaveantur; per vomitum enim prorſus eliminatum venenum, facile ſupereſt primarum viarum impetus compeſcere, quem ſcopus ſequens, vel ſimilis mixtura conſequi poterit, ex. gr.

℞. *Extract. Tormentill. Scordii aa. drach. j.*
Magiſter ſolubil. Corallor. drach. ſem.
Sal. Abſinth. eſſential ſcrup. ij.
Diaſcord. Fracaſtor. drach. j. ſem.
Aqu. Card. bened. Portul. aa. unc. ij.
de Cinamom. Cydoniat. unc. j.
Spirit. Theriacal. campb. gut. xij.
M. & cochleat. tota in die ſumatur.

Poſtea ad compeſcendos impetus, ac toxici reliquias per alvum eliminandas, Catharticum aliquem præſcribi debet, & ſpeciatim Flores Caſſiæ cum Rhabarbaro, & Diagrydio: poſtea die altera ſequenti roboranti & compeſcenti auxilio uti convenit, videlicet.

℞. *Eſſent. Mentb. Terr. ſigillat. aa. drach. j.*
Magiſt. ſolubil. Corallor. drach. ſem.
Aqu. Cinamom. cydoniat. unc. j.
Laud. cydon. liquid. gutt. xv.
M. & cochleat. ſumat.

16. Altera a redundanti Bile excitata cholera non nimis arduo curatur, *Cholera ex bilis redundantia* cum viam, per quam magis concitati impetus vergere obſervantur, appropriatis auxiliis providus Artis motus ſecundare ſtudeat; ut ſi per ſeceſſum, quod ferociente bile ut plurimum contingit, frequentiores impetus appareant, tunc lenem chatarſin promovere, æquum & ſalutare eſt, ad quem ſcopum attingendum, Infuſ. Tamarind. & Rhabarb. in ſero caprill. opportun erit, quod bis, vel ter pro exigentia repetere convenit. Interdiu vero aliqua mixtura fervidam bilem compeſcens præſcribi poteſt, ex. gr.

℞. *Aqu. Plantag. Portulac. aa unc. ij.*
Magiſt. ſolubil. Corall. drach. ſem.
Cryſtall. montan. præp. drach. j.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xv.
Syrup. Granator. acid unc. j.
M. & cochleat. tota interdiu ſumatur.

Altera die cum bilis impetus perſiſtant, ſupra datum chatarticum repetere eſt opus, & ſic pariter tertia die, cum expetatur; nonnullas enim hujus ge-

neris pertinaces choleras non niſi poſt tertium purgantem expugnatas vidimus; quotidie pariter ſupra datam mixturam ſumat, qua etiam diutius uti poterit, ut ſtomachi tonus integre reſtauretur. Cum autem per vomitum bilis furores magis irrumpere videantur, tunc illius impetus haud cohibere, ſed leniendo, & diluendo imminuere, ac exitum facilitare apprimè convenit, ad hoc opus brodium pulli, vel ſerum lactis in copia ſumptum, & per integram diem continuatum, ſatis erit; aliud enim emeticum noxium eſt, cum & morbum exaſperare, & vitæ pericula tentare poſſit. Demum poſt diurnam vomitionem de ſero ſequentes pilulas ſumat.

℞. *Extract. Tamarindor. drach. j.*
Rhabarbar. drach. ſem.
Diagryd. ſulphurat. gr. iiij.
Syrup. de Cichor. cum rhabarb. q. ſ.
M. f. pilul. parvæ pro una Dos.

Has pro exigentia altera, vel tertia die replicare oportet, interdiu vero per dies plures ſupra data mixtura ſedativa Patiens utatur.

Cæteræ choleræ. 17. Cæteræ demum choleræ, ut ab hypercatharſi, vel a fructibus horeis abuſis, aut a vermibus provocatæ, facile ex dictis compeſci poſſunt; quid vero cuique appropriatum ſit, innuere ſaltem convenit; & primo choleram ex Hypercatharſi ortam, ſola Theriaca recenti ad drachmas duas, in vino generoſo hauſta, non ſemel curatam vidimus, optima item diæta reficienti ſimul adhibita. A Vermibus item inductam choleram ſequentibus ſedatam ſæpe inſpeximus; primo bolum ex Mercur. dulcif. gr. x. Diagryd. ſulphurat. gr. vj. ſyrup. flor. perſic. q. ſ. ut f. bolus; ſeſquihoram poſt ipſum ſyrup. flor. Perſic. unc. v. ſumat, ſicque cito plures liberati ſunt; in ſtomacho demum roborando, & a vermium ſeminio expiando, ſequens opiata proficua erit, videlicet

℞. *Conſerv. Menthæ Roman. unc. iij.*
Sal. Abſinth. eſſential. drach. j.
Tinctur. Santonic. drach. ſem.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. ſem.

Hæc, inquam, per dies octo quotidie quatuor horis ante prandium continuari debet. Cholera demum a fructibus horeis provocata, curativam methodum pene ſimilem illi, quam *antec. num.* 16. expoſuimus, petere decet, cum bilis fervores, & corrupti ſucci effervescentia non diſſimilem curationem audiant. Quod autem appropriatum auxilium huic eſſe videtur, ſequens ſedativa Opiata eſſe poteſt, videlicet

℞. *Conſerv. Betonic. Menth. aa. un. ſem.*
Cryſtall. montan. præp. ſcrup. ij.
Extract. Coral. cum ſucc. Limon. fact. drach. j.
Bol. Armen. Terr. ſigillat. aa. dr. ſem.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. xx.
M. f. Opiat. pro duabus Doſ.

Hæc autem veſperi ſeſquihora ante brevem cœnam aſſumi debet, ac per dies octo circiter quotidie continuare. Hiſce demum auxiliis hactenus datis choleræ curationis limites ponimus, & ad reliqua ſelecta remedia enuncianda, ſolito more deſcendimus.

APPENDIX

Auxilia, quæ ſequuntur, varias intentiones adimplent, alia enim ano vel cato purgant, alia intimos impetus compeſcunt, alia dolores ſedant, & alia demum adſtringunt, ac viſcera roborant; quæ omnia confuſe poſita, Periti memoriam excitant, ut cuique indigentiæ appropriatum remedium ſeligere poſſit, & primo

Aqu. Menth. Portulac. Plantagin. Aqu. de Cinamom. cydoniat.
Aqua Maſtichin P. A. R. alia Zuvelffer.
Aqu. Panis Erneſti.
Confect. Hyacinthin. complet. confect. Zingiber.
Conſerv. Menthæ, Conſerv. Balauſtior.
Cryſtall. montan. & ejus præparat.
Croc. Orient. Croc. Martis adſtringent.
Diaſcord. Fracaſtor.
Elect. Pliris. Arcont.
Elixir Abſinth. Cnoffelii.
Elixir Menth. Salæ.
Eſſent. Menth. Eſſent. Catechu.
Eſſent. Theriac.
Eſſent. anodyn. Wedelii.
Laudan. Nepent. Quercet. Laudan. Cydoniat. liquid. & fix.
Magiſter. Smaragd. Corallor. Perlar.
Ocul. Cancror. &c.

Ol. Nuc. Moſchat. expreſſ. & deſtill. Ol. Maſtich. deſtill. Ol. Calam. aromat. deſtill. Ol. Abſinth. deſtill. Ol. Menthæ deſtill.
Pilul. Maſtichin. Conciliator. Pilul. de Cynogloſ. Nicolai, Pilul. Diaſcord. Sylvii.
Sal eſſential. Abſinth. Sal fix. Menthæ, Sal Corallor.
Spirit. Maſtich. per Vitriol narcot. & ſimplex, Spirit. Terræ ſigillat.
Stomachic. Ludovic. Poterii, Michael. Quercet. Batei.
Succus Menth. Portulac. Granator. Ribium, Berberum, &c.
Syrup. Menth. Granator. Papaver.
Syrup. Corall. Perlar. Syrup. Maſtich. Grulingii.
Syrup. Emetic. ex Croc. metallor. parat. aliaque plurima, ut
Tartar. Emetic. Oxyſacchar. emetic. infuſ. ſingular. Zuvelffer. &c.
Theriac. Androm. & ejus extract. & Spirit. Theriac. Cæleſtis.
Tinctur. Martis ſtyptica, Tinctur. Sulphur. Vitriol.
Tinctur. Corallor. genuina.

E X T E R N A.

Cataplaſm. anodyn. Cnoffelii.
Emplaſtr. ſtyptic. Mynſicht. Emplaſtr. ſtyptic. & anodyn. Dolei.
Emplaſtr. Stomachic. Craton. aliud ſtomach. regium Zuvelffer.
Aliud anodyn. Barbet. & alia demum, quæ Cap. de Anorex. & Vomit. in illius appendice notavimus.

C A P. XVII.

De Alvi Fluxibus.

1 Concitatos Naturæ niſus, ano, & cato vergentes, jam expendimus; nunc item dejectiones, quæ per inferiora tantum exploduntur, conſiderare adhuc ſupereſt; in hac ergo linea omnes alvi fluxus comprendere duximus, cum omnes in eadem expulſione, plus minuſve vitiata, convenire noſcantur. Hæc, inquam, inteſtinorum Effluvia diverſis nominibus indicantur, nempe Diarrhœa, Dyſenteria, Cæliaca paſſio, & Lienteria, quibus excretas ſordes differentes exponuntur. Ad ſingulorum ergo deſcriptionem accedendo; primo *Diarrhæa* illa dicitur, quæ copioſas fæcum, humorumque variorum, non ſanguinis, dejectiones frequentat, ob inteſtinorum irritationem inducta. *Dyſenteria* vero eſt frequens alvi cruenta dejectio, ac plus vel minus torminoſa, cum inteſtinorum exulceratione, unde Teneſmus, & inflammationes non raro inſequuntur. *Lienteria* item eſt indigeſta, crudaque aſſumptorum dejectio, in qua præter oris triturationem, alimenta, ob abolitam chylificationem, inconcocta cum fæcibus eliminantur. *Cæliaca* demum *paſſio* dicitur, cum confectus ex cibo Chylus, & a recrementis non ſeparatus, una cum ſordibus, per alvum effunditur. De *fluxu hepatico*, utpote Vetuſtatis commentum, verba facere haud convenit, cum poſt detectam fluidorum circulationem, hoc effatum hepatis vitium evaneſcere debeat; per me arbitror hunc fluxum vel ad ſeroſam Dyſenteriam, vel ad hæmorrhoidum fluorem pertinere, cum nempe ſanguis nimio ſero redundet. Hæc demum de alvi fluxibus Deſcriptio eſt; Differentiæ vero in ſequentibus diſcernuntur, cum Diagnoſes exponantur. Partes autem affectæ inteſtinorum fibræ ſunt, a quibus periſtaltici motus perficiuntur, ac depravantur, cum plus æquo, ac ſpaſmodica ſæpe contractione afficiantur. Succi enim acres, hinc inde acerbo morſu lædentes, fibrarum motores ſpiritus ad exploſivos motus concitant, ac per eaſdem ſpaſmodice contractas, periſtalticos motus ſollicitant, ut infenſos, ac mordaces ſuccos eliminent; fibræ igitur a duodeno uſque ad anum huic læſioni ſubjacent; ac a lædenti ſucco mordicatæ, & a concitato ſpiritu vehementius contractæ, dolores magis, vel minus atroces pro ſpaſmi modo percipere ſolent. Non ergo cum nonnullis Practicis etiam ventriculus pars affecta dici poteſt; cum ipſe licet aliquando hiſce fluxibus arma cudat, nunquam tamen in his morbis ipſe patitur, ſuæ namque in digerendo culpæ aliquorum fluxuum occaſiones ſunt, quas efficit ipſe,

Affectiones iſtæ deſcribuntur

Differentiæ & partes affectæ.

ipſe, non patitur; ideo fontem potius quam alveum, ſeu ſubjectum ventriculum in his affectibus dici poſſe arbitramur.

Diagnoſis primo Diarrhææ. 2. Horum Morborum Diagnoſis varia eſt, prout alvi ſordes, & excernendi modos differentes eſſe noſcimus; ſingulos ergo, cum propria cuique ſigna ſint, ſigillatim expendere convenit. Et primo Diarrhææ ſigna, licet per ſe manifeſta videantur, lumine tamen aliquo indigent, ut in medico foro notiora fiant. Peritiores ideo, ut hujus morbi fomites diſtinguerent, curationiſque pericula evitarent, quaſdam quaſi illius differentias poſuere, ut cum in biliofam, vel ſeroſam, aut viſcidam, vel in malignam, & epidemicam, Diarrhęam diviſerunt. Has ergo differentias propria cuique ſigna diſcernere adjuvant; primum ergo bilioſæ ſigna excretæ ſordes produnt, quæ flavo colore impenſe tinctę egeruntur, adſunt item circa dextrum hypocondrium tentiones, & murmura, ſæpeque calor, & dolor, ob nimium acrem per choledochum effuſam bilem. Seroſam vero Diarrhæam aquoſæ ſordes per ſe primo deſignant, cujus prægreſſa indicia fuere, vel aquæ ingurgitatio nimia, vel pluvioſa conſtitutio, aeriſque diuturna humiditas, vel corporis perſpiratio ad plures dies præpedita, aut nimia diuque protracta urinæ ſuppreſſio, quæ ſingula ſeroſam in ſanguine, alicubi tandem exonerandam, colluviem adaugent; hæc vero hujus indicia, & propha ſes medentibus inſerviunt. Viſcidæ item Diarrhææ, quas pituitoſas Veteres nuncuparunt, ex alvi dejectionibus deſignantur, limum enim tenax, viſcidum, quod expurgatur, huic Diarrhææ nomen dedit; cavendum tamen, ne cum purulenta ſanie confundatur, quæ vel ex viſcerum ulceribus, vel ex Pleuriti, & Pneumonia non raro egeritur. In hac linea etiam dejectiones plurimæ obſervantur, vario charactere ſignatæ, ut pingues, cretaceæ, oleoſæ, tenaces, ac ſimiles, quæ a varia ſucci pancreatis, & bilis diatheſi, & conflictu exoriuntur, quæ omnes a permixtis, confuſiſque ſignis indicatæ, ſigillatim deſcribi nequeunt; in incertis enim quid tutum determinare, cautus nemo audet. Diarrhæa demum maligna a ſignis veneficæ febris primo dignoſcitur, ac interdum ab epidemia conſtitutionem, quam vel aer infectus, vel fructus virulenta rubigine depravati ſæpius inducunt; ut plurimum ergo colliquativa Diarrhæa vel Hecticam, vel Phthiſin confirmatam, aut veneficam colliquativam febrem comitatur, cujus præcipuum præ cæteris ſignum celerrima corporis extenuatio eſt; hæc demum morbi, & cauſarum ſimul indicia eſſe poſſunt. Præcedentia vero imminentis Diarrhææ ſigna, licet non ignota ſit, ut plurimum ſequentia eſſe ſolent, videlicet ſtomachi, & inteſtinorum turbulentiæ, abdominis tentiones, ac tormina, lumborum gravedines, & inde inappetentia, ſitis, ac totius corporis inquietudines, quorum aliqua ortam jam Diarrhæam perpetuo comitantur.

3. Dyſenteria item non ſemper ſimilis comperitur, cum nunc cruentam, nunc mucoſam, & nunc malignam, & epidemiam inviſere contingat; ideo illius varietas diſpari charactere deſignatur, ad has ergo accedendo; primo cruentam indicat ſanguineus fluxus, qui ſtercoraceas ſordes longe ſuperat, interdum etiam ſimplex ſanguis, modo liquidus, modo grumeſcens dejicitur, qui ſi abſque torminibus, cæteriſque hujus morbi ſymptomatis excernatur, proprie Dyſenteria non eſt. Mucoſam vero craſſa, viſcida, & quaſi mucilaginoſa recrementa denunciant, quæ vel ſola, vel cum fæcibus, vel cum ſanguine mixta excernuntur, & hæc ut plurimum cum Teneſmo fœderatur. Veneficam demum, & Contagioſam indicant primo, Aeris conſtitutio maligna, quæ plurimos hoc morbo inficit, ac interimit; ſecundo Febres veneficæ colliquativæ, quæ in inteſtinis vaſorum ora facile aperiunt; tertio dejectiones varii coloris, graviſque fętoris, ac acerbis torminibus ſociatæ; hæc proprie differentiarum ſigna ſunt. Imminens vero Dyſenteria vario ſæpe nuncio indicatur, ut plurimum tamen ventris murmura, & dolores, lumborum gravedines, totiuſque corporis laſſitudines, & anxietates præmittit. Præſentem autem denunciant crudæ in- *Dyſenterię ſigna.*

prin-

principio, & ſeroſæ quaſi dejectiones, poſtea cruentæ, vel mucoſæ, & cum convulſivo ſpaſmo inteſtina cruciantes, quod ſi dolor ſupra umbilicum epigaſtrium verſus ferocire audiatur, tunc inteſtina tenuia morbi ſedem figunt; ſi verò in hypogaſtrio, & ad pubem uſque tormina mitiora faſtidiant, tunc inteſtina craſſa morbi fomitem nutriunt; dolor vero licet continuo moleſtus ſit, circa dejectiones tamen impenſo cruciatu vexare ſolet, unde virium languor, vigiliæ, ſitis ardens, præcordiorum anxietates, ani prolapſus, & teneſmus inducuntur. Cum vero majora vaſcula corroſa ſint, copioſum ſanguinem effundunt, ac inde ramenta, ſeu inteſtinorum carunculæ deponuntur, unde inflammatio ſæpe, gangrenaque conſequitur. Modus item dejectionum pro morbi ſede primaria variare ſolet; cum inteſtina tenuia laborent, ingraveſcente dolore, non ſtatim dejectio ſequitur, nec ſincerus ſanguis ſed confuſus cum fæcibus excernitur, cum longius diſtet ab ano pars, a qua ſanguis dilabitur; contra vero cum craſſa inteſtina inficiantur, quæ ab ano minus diſtantes, illico poſt levem dolorem ſincerum ſanguinem ſæpius expellunt, cum in breviori lapſu nec remorari, nec cum fæcibus confundi poſſit. Signa demum, quæ ſalubriter morbum abſolvi denunciant, ipſius aperta declinatio indicare ſolet, in qua dejectiones nec ita torminoſæ, nec tam frequentes ſunt, fæceſque haud cruentæ, ſed concoctæ, vel ſanorum non valde diſſimiles apparent, febris item, & ſymptomata miteſcere oſtendunt, quæ omnia & Naturam victricem, & vitalem æconomiam cito reſtauratam promittunt.

Lienteriæ ac Cæliacæ ſigna. 4. Lienteriæ demum, ac Cæliacæ paſſionis ſigna per ſe nota videntur; cum enim ex frequenti dejectione aſſumpta cibaria nihil a proprio eſſe immutata excernantur, Lienteriam eſſe denunciant. Cum vero digeſta jam, & in chylum traſmutata, fæcibus permixta prodeant, Cæliacam paſſionem indicant: hæc, inquam, perſpicua utriuſque producta exponunt. At non ſatis adhuc illorum eſſe noſcitur, niſi & ſigna cauſarum, quæ diſpares curationes ſuggerunt, etiam dignoſcantur. Itaque Lienteria, quæ febre acuta, præcordiorum anxietate, ac ſtomachi dolore comitata inſpicitur, a ventriculi ulcere, vel inflammatione, aut ſcirro exoriri videtur; quæ vero ſine dictis ſignis emergit, vel a ventriculi, fermentorumque inertia producitur, vel a pylori enervato orificio, ex quo ingeſti cibi, antequam digerantur, ad inteſtina deſcendunt, & ſic indigeſti bilem, ſuccumque pancreatis eludunt. Cæliacæ demum cauſas produnt, vel chylifera vaſcula infarcta, quæ cum chylus penetrare nequeat, per inteſtina dilabi, & cum ſordibus per anum abſcedere cogitur; vel nimia bilis acrimonia, cujus mordacitate laceſſita inteſtina, chylum, & fæces ſimul per anum explodunt.

5. Ad propriam horum Fluxuum, proximamque cauſam inveſtigandam accedimus, in cujus indagine non nimium fatigari debemus; cum ex dictis *antec. cap.* ac alibi paſſim, affatim conſtet, omnem inteſtinorum motum, naturalem ſcilicet, ac præter naturalem ab animali ſpiritu induci debere; ſicut enim placida periſtaltici motus undulatio, ita & concitata inteſtinorum fluctuatio ab eodem impetum faciente ſpiritu duci, & produci debet; non ergo, ut vulgus cenſet, hoſce fluxus ab irritanti quovis titulo materia proxime, ac immediate manare æque dicimus; cum irritans aculeus inteſtina pungere, & dilaniare poſſit, ſed concitatiorem illorum motum producere, ſolius impetum facientis munus eſt. *Cauſæ proximæ indago.* Nil enim aliud irritans materia peragit, quam inteſtinorum fibras pungere, vel mordicare, qui morſus ad læſam partem copioſiores ſpiritus advocat, quorum appulſus fibras contrahit, & convellit, unde periſtaltici motus cum impetu, & dolore ſollicitantur, ſicque dejectiones frequentare coguntur. Hæc itaque legitima motrix, & efficiens cauſa eſt; occaſiones item, quæ hoſce inteſtinorum tumultus immediate provocant inquirere adhuc ſupereſt, maxime quia ab illarum differenti ſtimulo diſſimilis curativa methodus indicatur; quare primum omnes Diarrhææ fomites, ut ordine quodam incedamus, exponere convenit.

6. Diar-

Diarrhææ occaſiones. 6. Diarrhæa ergo pro vario recrementorum apparatu, differentes occaſiones denunciat, alia enim billioſa, alia ſeroſa, alia ſtercoracea, quarum alia maligna, & epidemia, alia vero critica tam in febribus, quam ſine illis, ut infra videbimus; omnes igitur brevi tamen greſſu perluſtrare convenit; & primo Bilioſam diarrhæam bilis excandeſcentia ſæpius provocat; hæc enim cum nimis attenuata, nimiſque mobilis ſit, cito fæces ſolvit, & ad craſſa inteſtina ſecum rapit, quod ſi fervida, & acris ſit, quod a proprio ſulphure plus æquo volatili habet, inteſtinorum fibras mordicat, ſicque ſpiritus concitat, qui fibras convellendo, periſtalticos motus ſollicitant, unde fæces bile tinctæ cum impetu, ac dolore per anum prorumpunt: Seroſæ vero Diarrhææ contingunt, cum vel pancreatis lympha, vel ſanguinis ſerum nimium redundet vel acri ſale abundet; varia tamen hujus vitia differentes Diarrhæas inducunt, ſimplices nempe, vel colliquativas, aut peſtilentes; ſimplices primo tunc provocat, cum ſerum in ſanguine, plus quam oportet, excreverit; ad hujus augmentum conſpirant, diuturna urinæ, aut perſpirationis ſuppreſſio, quæ ſerum per renes, vel cutim eliminandum, in ſanguine retinet; ſic item Aeris nimium diuturna humiditas, vel prolixæ aquarum ingurgitationes, quæ plus æquo ſeroſam diatheſin in ſanguine promovent; hæc ergo ſeri exuberantia, cum per arterias, ad inteſtina vergente Natura, effundatur, ſimplices Diarrheas, & ut plurimum criticas, provocare ſolet. Cum autem acres ſales in ſero ſanguinis turgeant, colliquativas Diarrhæas facile provocant, ut in Hectica, & Phthiſi confirmata, ac in Colliquativis febribus perſæpe apparet, maxime in Æſtatis fine, Autumnique principio; in æſtu enim Caniculæ prava terræ effluvia ſubtiliantur ita, ut in ſchemata veneni cudantur, quæ cum ſanguinem invadant, illum ocyter colliquare ſolent, unde ſæpius in Autumno epidemii colliquativi fluxus populariter graſſantes inſpeximus. Hic quoque pondus addunt Fructus horei, ab ardenti Sirio acri miaſmate infecti, qui frequenter abuſi, ebullientes efferveſcentias in primis viis accendunt, & cum pravo chylo ad ſanguinem inflammandum ducuntur; unde malignæ febres atrocibus Diarrhæis comitatæ paſſim debaccantur. Hæc demum pauca lumina occaſionales Diarrhææ cauſas dilucidare poſſunt.

Dyſenteriæ occaſiones. 7. Dyſenteriæ pariter ob enunciatas occaſiones non raro invadere obſervantur; interdum enim a mera ſpirituum concitatione, ac ſæpe a bilis, vel lymphæ culpa, interdum a fructuum vitiato ſucco, ſæpeque tandem a virulenta aquarum, vel aeris inquinatione excitantur; priores fomites endemias, poſteriores vero epidemias Dyſenterias inducere poſſunt. Primo itaque fluxus plurimos abſque ſollicitante lue a mera ſpirituum excandeſcentia promotos inviſimus, quos opportunis opiatis facile obtemperaſſe obſervavimus. Fortiter enim concitatum Enormon (ut in febre ardenti dignoſcitur) cum ad inteſtina vergat, illa primo convellere, unde ſpaſmodica tormina inſurgunt, poſtea ſanguifera vaſcula diſſilire poteſt; (ut in quavis hæmorrhagia notum eſt) unde ſanguinis fluxus emergit, qui ſedato ſpiritu illico quaſi compeſcitur; non ſemper ideo in quavis Dyſenteria inteſtinorum exulceratio, vaſorumque corroſio æque ſuſpicanda eſt, quæ ſæpe non facilem curationem audiunt. Difficilior vero Dyſenteria eſt, quæ ab acri bilis, vel ſeri ſanguinis vitio provocari ſolet; hæc enim infenſæ lues per inteſtina ferocientes, eandem primo ſcenam agunt, quam *in antec. num.* 6. deſcripſimus; cum vero acerrimo ſale turgeſcant, nondum fibras vellicare, ſed vaſorum oſcula irrumpere nituntur, ſicque ſanguinis effuſiones, ſeu Dyſenteriæ inducuntur. Fluxus denique, maligno charactere ſignati, populariter debaccantes a virulenti ſeminio producuntur, cujus venenum inteſtina corrodit; arteriolas dilacerat, & ubi ulcus fit, non raro ſpacelum irruiſſe, anatomicæ inſpectiones teſtantur; hujus autem ſeminii fomites vel in Aeris infectione, vel in terræ Fructibus, venefico ſucco nutritis, aut in putreſcentibus aquis ut plurimum deliteſcunt.

8. Lien-

Lienteriæ ac Cæliacæ occaſiones. 8. Lienteriæ tandem, ac Cæliacæ paſſionis cauſæ differentes, a dictis eſſe noſcuntur; & primo Cæliacam paſſionem inducunt chylifera vaſcula, quovis obice clauſa, quæ chyli aditum prohibendo, una cum fæcibus præcipitare cogunt. Altera hujus paſſionis cauſa bilis eſt, quæ cum æquo fervidior fit, ita duodeni fibras primum, & inde cœteras mordet, ut periſtalticos motus concitati ſpiritus ſollicitent, ſicque nocentes ſimul, ac utiles ſuccos præcipiti impetu eliminent; unde præripitur chylo in lacteis vaſculis ingreſſus, ac violenter cum recrementis ſuis fertur ad anum. Contra item contingit, cum bilis haud fervida, ſed invalida, acutis nempe ſalibus deſtituta craſſoque ſulphure condita ob illius inertiam chylum a recrementis ſeparare nequeat; tunc enim major chymi pars cum fęcibus confuſa, per alvum excernitur; ſicque bilis debitum medium non tenens, ſed ad vitioſa extrema declinans, nunc nimis fervida, & nunc prorſus iners, Cęliacæ paſſionis cauſa eſſe poteſt. Lienteriæ demum a pluribus, diverſis ab hiſce principiis induci ſolent; etenim vel ab obtuſo digeſtionis fermento, quod in ſtomacho cibaria cruda relinquit, vel a viſcida ſtomachi colluvie, quæ fermentorum acceſſus prępedit, ac enervat; vel a relaxato pylori orificio, quod non adhuc digeſtum cibum ex ventriculo abſcedere ſinit; vel a tumore, aut ulcere, ſtomachi tonum evertente, infauſta hęc affectio dimanat; a quolibet enim dictorum vitio ita primæ digeſtionis penſum invertitur, ut inde cruda penitus, dentibus tantum triturata cibaria ex depravato ventriculo ad inteſtina deſcendant, ac excitatis inibi turbis, ſpirituumque impetu concitato, Lienteriæ fluxum inducere ſueſcant.

Prognoſis primo Diarrhęæ. 9 Horum denique affectuum Prognoſin inſequendo, a Diarrhęa primo initium facimus; hęc, inquam, vel Critica, vel Symptomatica, vel Epidemia venefica eſſe ſolet. Critica primum proficua ſemper eſt, ſi qualia purgari oportet, concocta nempe, per ipſam purgentur; ſic enim Naturam victricem oſtendit, cum nondum acutas febres abſolvat, ſed & morbis aliis terminum ponat, ut divinus Senex nos docet; ſic Leucophlegmatiam 7.*aph.*30. ſic Opthalmiam 6.*aph.* 17. ſic Hydropem 6.*aph.*14. ſic Surditatem 4 *aph.*28. ſic difficilem dentitionem 3.*aph.* 25. ſic demum alios plures, ſuperveniens Diarrhęa quaſi critica, vel plane abſolvit, vel ad convaleſcentiam reducit. Hos enim, ſimileſque morbos, cum Natura debellare decernat, illorum fomites, vel per arterias, vel per ſibi notas vias ad inteſtina deponit, & ſic morborum domitrices Diarrhęas inſtituit. In febribus pariter hos fluxus coctionum probitas, ægrorumque levamen ęque criticos eſſe denunciant; contra vero Symptomaticæ Diarrhęæ, non a Natura victrice, ſed laceſſita inductæ, ſępius infauſtæ cenſentur; ſpiritus enim ferocientes, non ſine probi, ac improbi ſucci eliminatione, viriumque deperditione, crudos, ac irritos fluxus hoſce moliuntur; ideo nec conferunt, nec tolerantur, cum deſperati motus iſti Naturæ damna non compenſent, ſed augeant. Hoc primum eliminatæ fęces oſtendere ſolent, quarum magis infauſtas deſcripſit *Hippocrates libr.* 2. *prognoſt. tex.* 20. *&c. Materia pauca, glutinoſa, alba, ſubpallida mala eſt; exitioſa vero eſt nigra, pinguis, livida, æruginoſa, fætida;* in quo cenſu omnes intenſe coloratas fęces improbas eſſe, experientia etiam docet. Secundo modus ipſe excernendi ſuas etiam pręnotiones indicare ſolet, quas non neglexit prælaudatus *Magiſter ibi tex.* 14. *Si liquida dejectio ſit, eam ſine ſtridore, nec cumulate, & paulatim deſcendere expedit, frequens enim deſidendi labor, vigilias inducit; cum vero affatim, ſæpeque æger dejicit, ne animus eum deficiat, periculum eſt.* Hæc ergo omnia in acutis mala, in veneficis vero febribus pejora ſunt; cum colliquativæ febris pediſſequam Diarrhęam funeſtam ſæpius fuiſſe compertum ſit; in coagulativis vero aliquando criticam, & proficuam evaſiſſe, a nonnullis, & a nobis pariter viſum eſt, hæc tamen rara quidem avis fuit; quia coagulatum ſanguinem arduo negotio per criſin Natura ſolvere poteſt, colliquatum vero, ac in vappam quaſi diſſo-

diſſolutum redimere, pene impoſſibile eſt.

Dyſenteriæ prognoſis: A cauſa. 10. Dyſenteriæ prognoſis, cum præ cœteris fluxibus difficilior ſit, illius cauſam, & occaſiones, Circumſtantias, & Symptomata ſimul gradatim conſulere oportet. Cauſa primum, ut diximus, ſpiritus impetum faciens eſt, cujus vehementes niſus periculoſum hunc fluxum propellere ſæpe ſolet; quanto enim impetu mordicatas fibras convellat, dolores atroces affatim oſtendunt; hæc vero de hujus cauſæ prænotione pro nunc ſatis ſint. *Ab occaſionibus.* Occaſiones item inteſtina mordentes, quo fortius ſpirituum excandeſcentiam ſollicitant, eo periculoſiorem morbum provocant; cum a mordicanti lue corroſa inteſtina, & a vehementi ſpirituum impetu convulſa, facilius dilacerari, ac ulcere peſſimo affici poſſint; occaſiones ergo plus minuſve lædentes nunc prænoſcere convenit. Et primo bilis exuberantia, nimiſve acuta mordacitas æque culpatur, ejus ledendi ferocitas, ſi cum ardenti, vel maligna febre ſociata ſit, praviſque ſymptomatis fœderata, vitæ pericula minitatur; duplex enim febris, & bilis incendium per inteſtina furentem, illorum inflammationem moliri poſſe, æque ſuſpicatur. Non minus periculoſa eſt, a pravis eduliis, aut a corruptis aquis orta Dyſenteria; quoddam enim virulentum ſeminium ab his cauſis morbus iſte deſumit, quod a populari infectione, interituque præcipiti denunciatur. Hoc item contingit, cum a veneficis effluviis aer contaminetur, non enim minus dictis funeſtas Dyſenterias induxiſſe, pluries obſervatum eſt. Populares denique Dyſenterias minus infauſtas, a fructibus horeis ductas, diu vagaſſe, non ſemel inſpeximus, in qua infectione, qui remedia non contempſerunt, omnes convaluere; quoſdam enim gradus leſionis fomites iſti poſſident, quibus plus minuſve atroces Dyſenterias moliuntur. Circumſtantiæ ſimiliter diſpares eventus promittunt, ut plurimum, plus minuſve graves comperiuntur. *A circumſtantiis.* Dyſenteria primo, quæ ſine febre invadit, parum infauſta eſt; niſi in progreſſu accedat, & excandeſcat febris, quia tunc a tacito fomite molitum jam eſſe inteſtinorum phlegmonem aperte denunciat; cum autem mitis febris emergat, (niſi maligna ſit, quod aliquando contingit) tunc Naturæ motus eſſe ſolet, ut ſibi conſueta febris machina morbi reliquias ultimo niſu eliminet. In Hyeme item, & Vere non adeo periculoſæ, ut in Æſtate, ac Autumno Dyſenteriæ ſunt; ſic in calidis regionibus magis ferocire, ætateſque fervidiores atrocius afficere ſueſcunt; unde merito *Hippocrates* 1. *aphor.* 2. *In perturbationibus ventris, & regiones, & tempus, & ætates, & morbos inſpicere*, Medentibus præcipit. Item ſi ſuperiora inteſtina afficiuntur, majora quæ infimis pericula minitantur; ſymptomatis enim acerbioribus tenuia ſubjecta ſunt, utpote nerveis fibris, arteriiſque pluribus contexta, ideo difficilius præ craſſis curationem audiunt; unde vulnus, vel ulcus in aliquo inteſtino tenui *lethale eſſe*, 6. *aph.* 18. docemur. *A fœcibus.* Ex Fœcibus item prænotio varia deducitur; naturales primo dejectiones, cum vegeto ſanguine mixtæ, mitem morbum ſæpius oſtendunt, cum vero nimis a naturalibus diſtent, ut cruentes, ſeroſæ, vel mucoſæ, vel virides, aut nigræ, impenſeque fœtidæ, peſſimæ certo ſunt; at ſi cum ipſis *veluti carunculæ excant lethale eſt*, 4. *aph.* 26. indicat enim nondum inteſtinorum epidermidem corroſam, ſed intimiorem illorum membranam abraſam, cujus fruſtula dejectæ carunculæ ſunt, unde ulcus, maxime in tenuioribus inteſtinis, ſæpius incurabile evadit. *A ſymptomatis.* Symptomata demum ultimam præſagiorum lineam ponunt; primo igitur ſi cum diuturno vomitu Dyſenteria invadat, & in progreſſu cum ardenti ſiti, aut cibi faſtidium copuletur, *malum, & pejus eſſe*, 6. *aph.* 3. docemur; peſſimum item eſt, cum convulſio, ſingultus, & delirium accedant, maxime ſi ani ſphinctere paralyſi affecto, injecta clyſmata non retineantur; lethale tandem erit, ſi quieſcente dolore, reliqua cum febri ſymptomata magis ingraveſcant, jam ſphacelatum inteſtinum eſſe portendit.

Lienteriæ ac Cœliacæ prognoſis. 11. Lienteriæ demum, ac Cæliacæ paſſionis Prognoſin a differentibus cauſis petere convenit; utrique tamen com-

commune eſt, quod cum diutius protrahantur, vitalis reſtaurationis fontem divertant, ac univerſalem primo atrophiam, & inde mortis periculum inducant; cum enim chyli reparatione ſanguis privetur, vita, quæ per ipſum nutritur, perire certo debet. Particularis vero Lienteriæ prænotio plus vel minus infauſta, a majori, minorive ſtomachi, ac digeſtionis everſione dependet; mala primum Lienteria eſt, quæ a vitiato ventriculi fermento, aut a viſcido limo ſtomachi rugas infarciente, derivat; pejor quæ a relaxato pylori orificio, cum hujus culpæ non tam facile corrigantur; peſſima demum quæ a ſtomachi phlegmone, vel ulcere producitur, cum prius vita perire poſſit, quam ad digerendum aptus ventriculus reſtituatur. Bonum vero eſt, ſi poſt diuturnam lienteriam *ructus acidus fiat, qui prius non erat*, *ut* 6. *aph.* 1. notatur; fermentum enim a quavis cauſa enervatum, opportune reſurgens, digeſtionis opus tuto perficere promittit. Cæliaca vero, præ nunc dicta, pejor affectio eſt, maxime ſi ab infarctis chyliferis ductibus procedat, arduum enim eſt, illorum obſtructionem reſerare; & cito tabes, & mors inſequuntur, prius quam illorum oſcula ab arte aperiantur; chyli enim annona deficiente, vitæ metropolis in Maraſmi ditionem cito cadit. Minus vero malum eſt ſi a fervida bile Cæliaca paſſio ducatur; illius enim exorbitantia facile ab arte provida temperatur, nec ſæpe continuo, ſed alternis diebus hæc affectio recrudeſcere ſolet; cum bilis excandeſcens faſtis, nefaſtiſque diebus obſequatur. Pejus tamen eſt, cum a bile inerti chylus a ſordibus ſeparari nequeat, cum non parvi momenti ſit, bilem ad debitum acumen reſtituere; hęc demum prognoſis fuit, nunc ad Medelam accedimus.

Curationis monita. 12. Priuſquam curationis leges audiantur, prænotandum eſt, quod motus iſti per inteſtina furentes, vel irritatam, vel vincitricem Naturam oſtendunt; ideo Artis auxilia interdum petunt, & aliquando recuſant. Cum enim a domitrice Natura critico impulſu Diarrhœæ, vel Dyſenteriæ ducantur, non auxiliatricem, ſed ſpectatricem artem petere 1. *aph.* 20. docemur; hæc tamen regula in hiſce fluxibus maxime ſuam exceptionem admittit; non enim ſemper æquali niſu hanc victoriam Natura explet, cum ſæpe vel a nimio impetu, vel tardo greſſu ducta, hoſtis eliminationem vel præcipitet, vel retardet; ideo utrumque defectum corrigere, Artis eſt. Primum ergo cum inceptam criſin ſegniter nimis morbum abſolvere velle dignoſcatur, ne diutius remoratæ ſordes alias læſiones in inteſtinis moliantur, propriam manum cum Natura fæderare 2 *aph.* 12. medens ſuadetur, ac promptas ſuppetias per eandem viam, quo Natura vergit, dirigere, 1. *aph.* 21. ſancitur; primo tamen criticam Diarrhęam, & maxime Dyſenteriam æque noſcere intereſt, ac illarum molimina æqua lance perpendere; nec ſemper arbitraria curatione (ut non ſemel vidimus) omnes, & in quovis tempore fluxus Braſiliana radice tentare, & compeſcere velle, quod ſæpius Empyricum periculum eſſe ſuademur, imo & Naturæ niſus divertere, ſordeſque ad novas turbes excitandas in viſceribus retinere; ſed de hac vulgari contentione adhuc infra ſermo erit. Alterum denique extremum, cum nempe ob immoderatos impetus, in fluxus excitandos, effrænis Natura deſcendat, tunc ne vires ultra tolerantiam profundat, Ars moderatrix illius vim in vitium haud vertere ſinat, motibuſque furentibus indere frænos prompta ſollicitet; hoc tamen auxilium caute præſtare debet, ne criſeos impetum omnino cohibendo, recidivis occaſio relinquatur. Nec diſſimili cautione, cum fluxus iſti ſymptomatici emergant, artis auxilia præſtare convenit; tunc enim & prævidens, & prudens Medicus eſſe debet, cum & prænoſcere oporteat, quantas vires in his motibus laceſſita Natura dilapidare poſſit, quod a diuturno præviſo illius niſu, non arduo deduci poteſt; & provide opportunis remediis uti, quæ a moleſtante lue ſine noxa Naturam relevent ita, ut in hoſtem eliminandum vitale theſaurum inaniter non profundat; genericis cautionibus præmiſſis, ad ſingularia deſcendimus.

13. Ut ergo Diarrhæam curandam appri-

Curatio Diarrhœæ in ejus initio. apprime exponamus, ejuſdem in vario ſtatu differentias prænoſcere convenit; primo nempe ſi ipſius, & febris ſimul idem initium ſit; ſecundo ſi adultam jam febrem Diarrhæa inſequatur; tertio tandem ſi venefico charactere ſignatur; hæc enim diſpares illius invaſiones diverſam methodum curativam indicant; ideo ut appropriata remedia ſingulis tribuantur, primam illius contingentiam nunc expendere aggredimur. Itaque cum febris & Diarrhæa eodem momento inſurgant, adeo ut febris occaſio potius quam illius productam appareat, ſi cum ipſa ſimul vomituritiones, cibi faſtidium, præcordiorum anxietates, ſimiliaque invadere videatur, purgationem ano, & cato inſtituere, cito tutoque intereſt. *Vomitorium cum ſit indicatum.* Quare in ipſo febris initio indicatum a dictis ſignis emeticum præſcribere eſt opus, ut infenſa lues, quæ adhuc ventriculum occupare oſtendit, prompta vomitione cito per conferentem viam eliminetur. Emetici vero formulæ in qualibet febre antecedenti libro expoſitæ hic etiam opportunæ ſunt, ſic propria paregorica ibi notata, cum expetantur, ad uſum vocare convenit; plurimum enim ad ſimiles Diarrhæas compeſcendas, promotam vomitionem, cum indicata fuit, contuliſſe, diuturna experientia nobis oſtendit; veruntamen cum apertis ſignis haud petatur, vomitum hic provocare, nec utile, nec æquum eſt.

Chatarſis appropriata. 14. Cum vero emeticum vel non indicetur, vel tolerari nequeat, quid movendum ſit, irritata Natura indicat; equidem ſpirituum impetus, ut lædentem ſordem eliminet hypogaſtrii regionem impenſis motibus agitat; ideo & illius niſus coadjuvare, & ab his confiniis moleſtam luem depellere tuto convenit, quod ſi non ſubito aſſequimur, nimiam ſaltem lædentis irritationem imminuere ſortimur; ad hunc ergo ſcopum attingendum, ſequens vel ſimile chatarticum opportunum eſt.

℞. *Rhabarb. electt. Drach. j. ſem.*
Tamarindor. Drach. vj.
Infund. in Aq. Plantag. q. ſ.
Expreſſion. unc. iv. adde
Syrup. Roſar. ſolutiv. unc. iij.
M. f. Potio cum regimin. ſumend.

Hæc vel ſimilis Potio purgans, tam in bilioſa, quam a putreſcentibus eduliis orta Diarrhæa utiliter in hac urgentia præſcribi poteſt. In ſeroſa vero ab acri lympha inducta, niſi Colliquativa ſit, ſequenti potius uti convenit.

℞. *Jalapp. Rhabarb. aa. Drach. j. ſem.*
Infund. in ſero lact. Caprill. q. ſ.
Expreſſion. fort. unc. iv. adde
Syrup. Flor. Acaciæ laxat. unc. ij.
M. f. Potio leniter purgans.

Poſt quodlibet horum lenientium horis circiter duabus libram unam ſaltem ſeri caprilli depurati propinare oportet, ut acres ſuccos inteſtina moleſtantes, copioſe diluantur, ſicque dejectiones compeſcantur, ac imminuantur.

15. Altera die ad abſorbendas mordaces ſordes, ſequentes, vel ſimiles, pro fomitis conditione, mane ac veſperi propinatæ mixturæ opportunæ ſunt, ac per dies aliquot pro exigentia illas continuare convenit. *Abſorbentia, & ſedantia.* Prima ergo ſequens, vel ſimilis Diarrhæam reſpicit, quam edulia facile putreſcentia induxerunt.

℞. *Aqu. Tormentill. Plantag. aa. un. ij.*
Diaſcord. Fracaſt. Drach. j ſem.
Antimon. diaphor. ſcrup. ij.
Corn. Cerv. uſti Drach. j.
Terr. ſigillat. vitriolat. ſcrup. j.
Laudan. Cydoniat. liquid gut. vj.
M. pro Doſ. matut. de ſero replicand.

Sequens vero Diarrhæam ab accenſa Bile promotam tutius compeſcit., videlicet.

℞. *Aq. Portulac. unc. ij.*
Succor. Berber. Ribes aa. unc. j.
Cryſtall. præpar. drach. ſem.
Eboris uſti drach. j.
Syrup. Cydonior. unc. j.
M. pro Doſ. repetend. ut ſupra.

In ſeroſa demum ab acri lympha inducta Diarrhæa ſequenti vel ſimili mixtura uti poterit.

℞. *Aqu. adſtringent. noſtræ unc ij.*
Antimon diaphor. drach. j.
Corn Cerv. philoſ. calcin. drach. ſem.
Theriac. recent. drach. j.
Syrup. Granator. acid. unc. j.
M. pro Doſ. & utito ut ſupra.

Aquam adſtringentem noſtram ita confectam volumus, videlicet.

℞. *Alumin. uſt. pulver. unc. j.*
Succ. Limon. acerrim. unc. iv.
Aqu. Tormentill. Plantag. aa. lib. ſem.

Diger.

Diger. omnia per diem, poſt. filtret.
Doſ. unc j. ad ij.

Has ergo, ſimileſve Mixturas cum febris curatione componere intereſt, ut ſicuti ambo ſimul emerſerunt, ſimul etiam abſolvantur; ſemper tamen ad febris vigorem, & ad illius coctionem oculos habere oportet, cum hæc proprie remediorum omnium, & præcipue adſtringentium uſum vel petere, vel non indigere oſtendat; ſed in hoc caſu ſatis, nunc ad alium deſcendimus.

Diarrhæa critica. 16 Cum autem adulta jam febre Diarrhæa inſurgat, noſcere primo expedit, in quo febris ſtadio, cruditatis nempe vel coctionis, fluxus iſte ſe prodat; diſpari enim modo, pro differenti illius conditione, artis opem repoſcit; primo itaque ſi peracta coctione Diarrhæa invadat, tunc criticum motum eſſe, arbitrari decet, quod ex dejectionibus facile dignoſcitur, cum talia purgari, qualia conveniunt, inſpiciatur, concocta nimirum, & conferenter depulſa, & ſub hac conditione ſalutarem Diarrhæam noſcere, ac ſpectare, nihilque innovare, arti præcipitur; cum ſi perfecta ſit, unica ſæpius dies morbum abſolvere ſueſcit. Verum cum non raro imperfecta Criſeos molimina comperiantur, tunc defatigatæ Naturæ auxiliator Medens proſpicere, artiſque ſuppetias per eandem viam, quo ipſa vergit dirigere debet, ut morbi reliquiæ, ne recidivam pariant, citò tutoque ſimul eliminentur. Ideo in hoc caſu, cum tardam Diarrhæam morbum imperfecte judicaturam eſſe noſcatur, inſtitutas dejectiones ſecundare, lenientique Cathartico defeſſis Naturæ conatibus auxiliari tenemur; ad hunc ſcopum pro exigentia vel clyſteres lenientes, vel potiones, aut pulveres purgantes in brodio, vel Caſſia recenter extracta, aut quid ſimile, quod primarum viarum motum ſollicitent, æque, & ſatis erit. Interdum adhuc contingit, quod criſes (maxime in diebus non inæqualibus inſtitutæ) imperfectiſſimæ comperiantur; ita ut prima criſeos die concoctæ ſordes appareant, ſequentibus vero crudæ, ac reviviſcente morbo, ſymptomata eadem, ut prius caput attollant. Tunc coctionis opus inceptum, vel ab inerti Natura neglectum, vel a pertinaci lue repulſum, morbum non abſolvit, ſed recrudeſcere patitur; ideo digerentibus, *ant. num.* 15. expoſitis, uti convenit, quibus & inerti Naturæ auxiliatur, & contumax lues æque ſubigitur; ac ſi opportunum, pro varia febris indole, videbitur, ſequenti, quam nunc inſequimur, curatione aggredi poterit.

17. Cruditatis ſtadium proſequendo, ſi ferociente jam febre, poſt dies aliquot alvi fluxus invadant, ut ſymptomaticos, ſeu irritos Naturæ motus conſiderare oportet; nec intempeſtivæ dejectiones iſtæ conferre, nec diu tolerari poſſunt, cum non paucam virium ſtragem inducere ſueſcant. Itaque irritantem ſtimulum cito cohibere, Spirituſque laceſſitos, & concitatos placare, ac a deſperatis motibus revocare fas eſt; ne cum improbis, nondum ſeparatis ſuccis, probos etiam, & utiles, imo & vires ſimul profundat. Has vero indicationes cum febris medela una ſimul componere intereſt; alteram enim ſine alterius reſpectu nunquam tuto curare aſſequimur. Quamobrem in quavis febre Diarrhæa contingat, curativam febris illius methodum nec interrumpere, nec immutare decet; ideo cum in ſtadio cruditatis præparantia, ſeu ad coctionem diſponentia remedia, quæ febris expetit, propriis locis expoſita ſint, cum illis, inquam, Terræ ſigillatæ, vel quid ſimilis, ac Laudani Cydoniati liquidi proprias doſes componere convenit; pariterque clyſteres dulcificantes, & anodynos interdum uſurpare, ac inunctionibus, vel emplaſtris adſtringentibus hypogaſtrium illinire, proficuum erit. Item ſi febris ardens ſit, (quarum genus ut plurimum alvi fluxus infeſtant) potationes in ipſis, ad impenſam ſitim reſtinguendam, largiter præſcriptas, vel minuere, vel in ſequentem, aut ſimilem potius commutare, fas eſt, ex. gr. *Diarrhæa ſymptomatica.*

℞. *Seri Lactis deſtill. lib. ij.*
Tinctur. Anodyn Ludov. gut. xx.
Spirit. Vitriol. dulcif gut. xv.
M. pro quatuor potiuncul.

Item

℞. *Semin Cydonior. decort. drach. iij.*
Corall. rubr. præp. Drach. ij.
Spirit. Salis coagulat. drach. ſem.

Gum.

Gum. Tragacant. Sacch. aa. q. ſ. & ſ. Rotulæ ponder. drach. ſem.

Harum una inter diſtantes potationes, ad faucium humectationem ſervandam, ſitim, & fluxus compeſcendos, uti poterit. Cum autem nimiam ſeroſi laticis copiam profuſam eſſe, ut in ardentibus febribus contigiſſe inſpeximus, tuto dignoſcatur, ſeveram in potu manum relaxare, ac invito fluxu, reſtaurationis compenſum copioſiores hauſtus, vel frequentiores concedere expetit; magis enim urget, deperditum in ſanguine ſerum compenſare, quam Diarrhææ furores pertimeſcere; hanc vero legem moderari, Peritus quiſque poterit. Cætera tandem auxilia, ut clyſteres anodyni, & adſtringentes, ventriſque inunctiones *antec. cap.* 16. *de choler.* expoſita ſunt, quæ hic denuo recinere odioſa palinodia vetat.

Malignæ Diarrhææ curatio. 18. Hactenus benignam, ut dicunt, Diarrhæam expendimus, nunc item Malignam relevemus oportet. Cum itaque veneficæ febris ſymptoma hunc alvi fluxum invadere contingat, ut plurimum funeſto colliquationis charactere ſignatum ferocire inſpeximus; ideo & febris venenum, & ſymptomatis furorem validis remediis ſimul expugnare, fas erit. Primo igitur ſi in febris exordio Diarrhæa emergat, eodem pene modo, quem *cap.* 7. *de febr. veneſ. colliquat. num* 7. expoſuimus, hic quoque curationem auſpicari expedit; ibi ergo prima febris die, cum Diarrhæa inſurgat, lenem catharſin inſtitui debere docuimus, purgantiſque formulam dedimus, qua & hic, vel una ex ſequentibus uti poterit. *In febris initio emergens.*

℞. *Galred. Cydonior. unc. ſem.*
Extract. Rhabar. drach. ſem.
Tartar. Vitriolat. Scrup. ſem.
Aqu Portulac. Plantag. aa. unc. ij.
M. f. Potiuncul. pro Dos.

vel ex bolo ℞. *Extract. Rhabarb. drach. ſem.*
Magiſter. Ialapp. gr. xij.
Spirit. Salis coagulat. ſcrup. ſem.
Syrup. Roſar. ſolut. q. ſ. ut f. bol. pro Dos.

Duabus horis poſt quodlibet dictorum purgantium libram unam circiter Seri caprilli deſtillati, cum gut. x. Spiritus Vitriol. dulcific. ſumere præſcribatur, decentique regimine Patiens gubernetur. Hac ergo tempeſtiva purgatione malignas hujus generis Diarrhæas plures in ipſis cunabulis extinctas vidimus; turgens enim venenum iſtud in primis viis ferociens, niſi ocyter eliminetur, cito quidem perditos fluxus inducere molitur. *Medicari ergo in valde acutis, ſi materia turgeat, eadem die: tardare enim in talibus malum eſt.* 4. *aph.* 10. Reliqua item curatio eodem *cap.* 7. *num.* 7. deſcripta, integre ad uſum vocetur.

19. Non pari autem methodo uti poteſt, cum adulta jam febre Diarrhæa invadat; tunc enim ultra primas vias luem hanc invaſiſſe, ac proprias in Sanguine radices jam fixiſſe, furentis febris conatus affatim oſtendunt; ideo a purgantibus catharticis divertere, & a febris curativa methodo minime diſcedere oportet; mixturam vero *ſup. dict. cap.* 7. *num.* 15. deſcriptam, pro Diarrhææ petitione, ſequenti modo præſcribere convenit. *In febris progreſſu invadens.*

℞. *Aqu. Tormentil. Plant. aa unc j. ſem.*
Cordial. Saxon. frigid. unc. j.
Sulphur. Antimon fixi Ludov. gr. viij.
Cryſtall. ex Nitro, & Corall. parat. drach j.
Spirit. Salis coagulat. Scrup. ſem.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. x.
M. f hauſt. pro Doſ.

Potus pariter in febris ardore ad ſitim extinguendam ibi conceſſus, ut *antec. num.* 17. immutatus, vel dimidiatus permitti poteſt, quod idem de rotulis ibi notatis intelligi debet. Externa vero auxilia, quæ haud parum hic proſunt, non negligenda ſunt, in quorum linea Inunctiones primo leniter adſtringentes ſequens, ac ſimiles eſſe poſſunt.

℞. *Ol. Maſtich. Myrtill. aa. unc. j.*
Nuc. Moſchat. expreſ. drac j. ſem.
Theriac. Androm. recent. drach. ij.
Unguent. Roſar. Omphacin. unc. j.
M. f. linim. quo ſæpius abdomen inungat.

Clyſmata item, licet in Diarrhææ principio noxia videantur, in illius progreſſu ſæpius utilia ſunt; poſſunt itaque confici ex lacte chalybeato, ſucco plantaginis, & diaſcordio, vel theriaca; quod ſi ex nimio febris ardore coagulationis ſuſpicionem lac præbeat, illius vice Decoctum capitis, & pedum vervecis,

vecis, vel quid ſimile ſuſtitui poterit; in deſperata demum Diarrhæa colliquativa Clyſter incraſſans, & adſtringens, quem *cap. 8. de febr. Hectic. n. 18.* jam dedimus, proficuus erit.

Dyſenteriæ curatio. 20. Expedita Diarrhææ medela, Dyſenteriæ curationem nunc proſequimur, quæ ſemper cum febris conditionibus componi debet; cum enim vel Acutæ, vel Malignæ, aut Peſtilentis febris ſymptoma ſit, a vario illarum ductu ſemper dirigitur, & ideo non eandem, ſed diſparem curativam methodum exigit; quamobrem ut opus æque perſolvamus, ad ſingula deſcendere convenit. Primo igitur cum Acutam febrem Dyſenteria comitetur, perpendere oportet, an cum ipſa ſimul exordiatur, ac utriuſque initium unicum ſit; an vero per initiatam, auctamque febrem ex tempore inſurgat; diſpares enim in principio ſaltem curativas leges circumſtantiæ iſtæ requirunt. *Cum febre acuta invadens.* Primo itaque cum ambæ ſimul eodem tempore emergant, perpendere oportet, an Vomitum, vel Catharſin, aut ambo etiam, ſic petentibus ſignis, inſtitui debeant; plurimum enim confert in Dyſenteria ex putreſcentibus eduliis invaſa, primas vias ab efferveſcenti ſorde fœdatas expiare, antequam ſanguinem pleniori toxico inficiat. Stantibus ideo vomitus indiciis, Emeticum apprime, poſtea Catharticum eodem pene modo, quo *antec. num. 13. & 14.* ſupra uſi ſumus, hic etiam præſcribere eſt opus. Inſuper ſi febris expetat, Phlebotomia non dimittatur; plurimum enim & iſta confert, ad morbi hujus ferociam minuendam, ac ad minitatam inteſtinorum inflammationem evitandam, hoc, inquam, ex aliorum, noſtriſque diuturnis obſervationibus affatim conſtat. Omnia ergo dicta in primo hujus curationis initio, & juxta indicantium petitione determinare intereſt.

Appropriata remedia. 21. Præmiſſis Univerſalibus auxiliis, ad appropriata remedia, quæ febrem, & Dyſenteriam præcipue reſpiciunt, deſcendimus. Primo igitur concitatam ſpirituum acoſmiam compeſcere convenit, ſicque febris excandeſcentiam, ac ſpaſmodicam inteſtinorum contractionem, & tumultus moderari affequimur, unde doloris fomes, & ulceris occaſiones æque adimuntur. Ad hoc opus ergo appropriata remedia, quæ ſalinas corroſivas particulas abſorbent, & invertunt, ac ſpirituum exorbitantiam compeſcunt, una ſimul componere eſt opus, ut ambo fœderata, & febris, & dyſenteriæ occaſiones divertant, in hunc finem ergo ſequentes mixturæ conſpirant, & primo in dyſenteria a corruptis eduliis orta, ſequens, vel ſimilis proficua eſt.

℞. *Aqu. Tormentill. Baccar. Sambuc. aa. unc. ij.*
Corn. Cerv philoſoph. calcinat. dr. ſem.
Magiſt. ſolubil. Corall. rubr. ſcrup. ij.
Diaſcord Fracaſtor. drachm j.
Laudan Cydoniat. liquid. gut. xv.
Syrup. de Roſ. ſicc unc. ſem.
M pro uno hauſt veſper. replicand.

In Bilioſa vero dyſenteria ſequens, vel ſimilis appropriata eſſe poterit.

℞. *Aqu Plantag. Portulac. aa. unc. ij.*
Cryſtall. præp C.C uſti aa. drach. j.
Nitri Corallat. optim. drach. ſem.
Laudan Cydoniat. Liquid. gutt. viij.
Syrup. Corall optim. unc. ſem.
M. & utat. ſimilit. ut ſupra.

In Mucoſa, & cum Teneſmo fœderata Dyſenteria ſequens proficua erit.

℞. *Aqu. Bacc. Sambuc. unc. ij.*
de Cinamom. deſtill. unc. j.
Extract. Tormentill. Rhabarb. aa. drach. ſem.
Tinctur. Anodyn. Ludovic. gut. x.
Syrup. de ſucc. Card. bened. unc. j.
M. & propina ut ſupra.

Hiſce demum auxiliis reliqua in febris curatione præſcripta confœderari eſt opus, ſicque non nimis arduo morbum hunc abſolutum ſæpe vidimus. Cum autem Carthartico aliquo opus ſit, præ cæteris Mannam ſeligere conſulo, quia & benignum leniens eſt, & inteſtinorum ulcera præcavet, hanc vero ad unc. ij. quotidie in appropriatis diſſolvere convenit, quod ex nunc datis facilè colligitur. Hæc demum remedia, ſicut & ſequentia, uſque ad perfectam Coctionem continuari debent.

22. Externa pariter, quæ in hoc ſtadio exquiri poſſunt, auxilia negligere haud convenit; in quorum cenſu primo Clyſteres detergentes, & anodyni, unctiones, fomenta, & Cataplaſmata *Externa remedia.*

leniter

leniter adſtringentia, doloremque ſedantia, computantur, quorum formulas in Juniorum gratiam infra dabimus. Primò igitur Clyſmata non ſemper in qualibet Dyſenteria cum nonnullis proſcribi debent; cum non ſemper noxia, imò ſæpius proficua in hoc affectu eſſe, longa experientia docuerit. Dignoſcendum ergo eſt, cum fluxus iſte clyſteres reſpuat, ut non cæca, ſed æqua deliberatione vel noxios depellamus, vel utiles approbemus; tunc certo in Dyſenteria nocent, cum inteſtina tenuia magis afficiantur; quia morbi focum clyſteres non attingunt, ideo damnum potius, quam levamen ingerunt, cum irritata inteſtina magis irritare, fluxumque exaſperare, non relevare poſſint; atſi craſſa magis affecta ſint (quod ex ſignis *antec. num.* 3. datis, facile noſcitur) abſtergentia primo, ſimulque anodyna, demum adſtringentia, & conſolidantia Clyſmata non infimam curationis paginam implent. Enematum ergo formulas pro his urgentiis aptas, undique invenire facile eſt, at in Juniorum gratiam aliquas innuere ſaltem convenit. Abſtergens ergo, & anodynum clyſma in principio præſcribendum, ſequens, vel ſimile erit.

℞. *Fol. Camomill. Parietar. aa. manip. ij.*
Flor. Camomill. Verbaſc. aa. pug. j.
Semin. Papaver. utriuſq. unc. ſem.
M. coqu. in Lact. vaccin. vel Decoct. hordei q. ſ.
Colatur. unc viij. adde
Mell. Roſat. colat. unc. ij.
Vitell. Ovorum num. ij. & f. Clyſter.

Incraſſantis Clyſmatis formulas *antec. num.* 19. innuimus. Adſtringentis demum *cap.* 16. *de Choler. num.* 11. etiam notavimus, quibus vel ſimilibus hic etiam uti proderit. Inunctiones item Fomenta &c. quæ leniter adſtringant, doloreſque compeſcant, ſequentia eſſe poſſunt ex gr.

℞. *Ol. Cidonior. Maſtic. aa. unc. j.*
Nuc. Moſch. expreſ. drach. iij.
Sevi Hircin. colat. unc. j.
Theriac. Androm. recent. drach. ij.
M. f. Linim. ſæpius repetend.

Cum vero atroces dolores perſiſtant, inter Inunctiones fotum anodynum, & Cataplaſma imponere adhuc poterit, quarum formulæ innumeræ ſunt, ſequentem vero pro Junioribus indigitamus.

℞. *fol. Hyoſciam. Plantag. aa. m. j.*
flor. Camomill. Melilot. aa. pug. j.
Semin. Aneth. contuſ. unc. ſem.
Aqu. Fabror. q. ſ. ut fiat Decoct.
Colatur. tepid. tot. Abdom. foveat.

Cataplaſma poſt fotum applicandum fieri poteſt, ex. gr.

℞. *Remanent. Decoct. ſuprad. unc. ij.*
Sevi Hircin. Ung. roſat. aa. unc. j.
Balſam. Peruvian. drach. ij.
M. & tepid. applicet.

23. Hæc ergo rite uſurpata remedia optatam opem ſæpius conferre poſſunt; verum quod omnibus expertis auxiliis palmam diripit, unicum Antidyſentericum eſt, Braſilis Radix Ipecacuanha nuncupata, a Luſitanis nobis evecta, famigeratum hodie Dyſenteriæ remedium celebratur. Cum autem plures hujus radicis ſpecies confuſim adducantur, cæteris Cinerei coloris præferri debet, cum aliæ paucam opem conferre ſoleant. Item illius vulgaris exhibendi modus haud ſemper tutus eſt; cum enim nullo febris reſpectu ſervato, empyrico ritu in vino generoſo infuſam aſſumi præcipiatur, non ita ſemper prodeſſe, ſed ſæpe lædere poteſt; Quamobrem febris conditiones perpendere primo, ac innocenti vehiculo auxilium tantum, ut conferat, præſcribere intereſt. In ardentibus ergo febribus hoc ſymptoma comitatis, in aquis Tormentillæ, vel Plantaginis infundere, & propinare, æque contuliſſe obſervavimus. Tertio item non ſine aliqua leni purgatione præmiſſa, tuto ſemper hoc remedio uti poſſumus; ideo in ardenti febre Caſſiam cum Rhabarbaro, in miti vero Mannæ potionem præmittere ſueſco. Quarto demum in acutis febribus poſt coctionem Dyſenteria invadens, non ſemper, nec illico Ipecacuanhæ remedio cohiberi debet, ſæpius enim criticus vere motus eſſe ſolet, quem ſuo juri relictum febrem cito abſolviſſe, non ſemel inſpeximus; qui vero ipſum dicto remedio coercuerunt, chronicum inde, ac periculoſum ſæpe morbum curare coacti ſunt. Hæ demum cautiones tutum ſemper hoc Braſilianum auxilium confirmabunt.

Braſilis radix recte uſurpanda.

24. Ha-

Dyſenteria peſtilens. 24. Hactenus pro Dyſenteria, ut acutarum febrium ſymptoma curationem direximus, nunc difficiliori ductu eandem, ut Malignarum febrium comitem, inſequimur; hanc, inquam, horribilem, ſæpeque lethalem fuiſſe, pluribus annis graſſantem jam vidimus, viditque ſuo tempore *Hippocrates*, quam ita deſcripſit. *Fit autem hic morbus laborioſus, & lethalis; nam colliquato jam corpore, & ventre omnino exulcerato, nulla vitæ ſpes ſupereſt, lib. de affection. num.* 24. Tanti morbi fomites ſunt lixiviales acerrimæ, corroſivæque particulæ, quæ ſanguinis texturam ſolvendo, & colliquando, liberam ſpirituum exploſionem concitant, ſicque ab illorum impetu, & a corroſiva lue tenuiores inteſtinorum arteriæ facile diſſiliunt, unde ſanguinis fluxus oritur, & inde a corrodentibus illius moleculis inteſtinorum eroſiones, ulceraque lethalia cito inducuntur. Quare primum Curationis principium erit, veneficam hanc ſanguinis infectionem alexiteriis antacribus domare, ut ferocem morbi fomitem, antequam totum virus exerat, enervare aſſequamur. Indicationes ergo, quas *cap. 7. de febr. veneſ. coagul. num.* 5. expoſuimus, hic quoque inſequi convenit; cum ex ejuſdem febris veneno, morbus iſte foveatur; methodum itaque illam ſervare intereſt, & cum Dyſenteria emergat, mixturam *inibi num.* 9. datam, hoc urgente ſymptomate ſequenti modo commutare eſt opus, ex. gr.

℞. *Aqu. Tormentill. Acetoſell. aa un. ij.*
Sulphur. Antimon. fixi Ludov. gr. xij.
Liquor. Terræ ſigill. gut. xx.
Confect. Hyacinth. incompl. drach. j.
Syrup. Corallor. optim. unc. j.
M. & eodem ibi dato modo utatur.

Liquor Terræ ſigillatæ ex Hoffmanno fit. ℞. Terr. ſigillat. minut. contuſ. q. v. affunde Spir. Vitriol. digere, & abſtrahe; iterumque affund. & abſtrahe; indeque ter repete, & videbis materiam coagulari in lapidem, quem pulveriſa, & ſolve in Cella in liquorem. Hoc ergo inſigne remedium eſt, quod in veneficis coagulativis febribus, Dyſenteria ſociatis, incomparabile ſemper fuiſſe, compertum habeo. Ab hac igitur mixtura bis in die repetita non facile diſcedo; aliquando etiam, cum præceps fluxus urgeat, Antidyſenterici Braſiliani doſin unam hiſce intermediam præſcribo. Periculoſum enim febris hujus ſtadium brevi limite clauditur, at Dyſenteriæ ſtrages, niſi cito expugnetur hoſtis, diutius perſtant, harum vero remedia ex ſequentibus nota fient. Cum dictis demum integram curationem, *eodem cap. 7. num.* 10. expoſitam fæderare convenit, ut & præcipitem febrem, & pernicioſum ſymptoma fauſte tandem abſolvere aſſequatur.

Dyſenteriæ malignæ Curatio. 25. Cum autem non Peſtilentem, ſed Malignam duntaxat febrem Dyſenteria inſequatur; Indicationes *eodem cap. 7. num.* 15. *&c.* jam poſitas, apprime præmittere convenit; & cum in ipſius febris curſu Dyſenteria invadat, tunc mixturam in *eodem num.* 15. præſcriptam ſequenti modo ad opus aptare convenit.

℞. *Aqu. Acetoſ. Plantag. aa. unc. ij.*
Sulphur. Antimon. fixi Ludov. gr. viij.
Liquor. Terræ ſigillat. gut. xv.
Laudan. Cydoniat. Liquid. gut. viij.
M. f. hauſt. pro una Doſ.

Exhibitionis vero tempus pro ſymptomatis urgentia præſcribi debet. Potum quoque inibi ob ardentem ſitim permiſſum, pro Dyſenteriæ febriſque modo, nec omnino inhibere, nec largiter concedere oportet; hic pariter eandem regulam *ant. num.* 17. præſcriptam ſervare decet. Contra vero cum nec a febris ardore nimio, nec ab excedenti ſeroſo fluxu ſanguinei laticis conſumptio timetur; tunc a potationibus ægros divertere, ſitique in faucibus extinguendæ conſulere, ſic poterit, ex. gr.

℞. *Aqu. Acetoſ. Succ. Granator. acid. aa. unc j.*
Mucillag. ſemin. Cydonior. drach. vj.
Spirit. Sal. coagulat. ſcrup. ſem.
M. f. Eclegm. ſenſim lambend.

In hiſce tandem, ſimilibusve auxiliis perſeverandum eſt, donec febris abſolutio emergat, cujus terminum quartamdecimam diem non exceſſiſſe, pluries inſpeximus; quo habito, ad Dyſenteriæ reliquias emendandas, ſequentibus uti ſupereſt.

Curatio poſt febrem 26. Abſoluta, vel ſatis moderata jam febre, Fluxum denique, ſi perſiſtat, libera methodo ſiſtere, ac inteſtinorum ulcera, ſi adſint, conſolidare oportet;

cum abſorto jam veneno, vitioſas dejectiones corrigere, ſtrageſque ab ipſo inductas reparare conveniat. Has ergo intentiones ut aſſequamur, primo ſequens, vel ſimilis mixtura bis in die repeti debet, ex. gr.

℞. *Aqu. Tormentill. Conſolid. min. aa. unc j. ſem.*
Liquor. Terræ ſigillat. gut. xv.
Eſſent. Croci oriental. gut. x.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. viij.
M. utat. pro una Doſ. de ſero repet.

Per diem vero ſequens

℞. *Aqu. Conſolid. minor. unc. iij.*
Extract. Symphit. major. Tormentill. aa. ſcrup. ij.
Eſſent. Croc. oriental. gut. xij.
Syrup. de Nuc. moſch. unc. ſem.
M. & cochleat. utat.

Internis auxiliis externa quoque componere eſt opus, in quorum cenſu tam Clyſmata, quam inunctiones *antec. num.* 19. *dat.* hic etiam proficua ſunt; cum autem validiora expetantur, ſequentia, vel ſimilia eſſe poſſunt, videlicet.

℞. *Succ. Plantag. Alumin. imbibit. un. j.*
Sevi Hircin. Caprill. aa. unc. ſem.
Theriac. Androm. recent. drach. iij.
Ol. Nuc. Moſch. expreſſ. drach. ij.
M. exact. pro Abdom. liniment.

vel ℞. *Fol. Querc. tenerior. q. ſ.*
Radic. Tormentill. contuſ. unc. j.
Alumin. uſt. & pulver. unc. ſem.
Aqu. Fabror. vel Acet. acerrim. q. ſ. m. & coqu.
Decoct. tepid. Abdom. foveat.

Clyſter item

℞. *Rad. Symphit. major. Tormentill. aa. unc. ij.*
Coqu. in lact. chalybeat. q. ſ.
Colatur. unc. vij. adde
Sevi Hircin. recent. unc. j.
Balſam. Peruvian. drach. iij.
M. f. Clyſter adſtring. & conſolid.

Similiter ex Decocto Equiſeti pratenſis cum Sevo Hircino, & Balſamo Peruviano egregium eſt. His tandem Dyſenteriæ curationem abſolvimus: Diæta pariter dictis auxiliis correſpondere debet; & ſicuti vigente febre, a præſcripta propriis locis recedere non decet, ita poſt ipſam pleniorem victum concedere pro exigentia convenit; ad hanc opem Oryza cum lacte cocta, Caro Vervecis, & Pulli junioris, Columbi turriani aſſati, &c. poſt paſtum Diacydonium ſequenti modo compoſitum utile erit, videlicet.

℞. *Diacydon. ſimpl. cocti lib. ſem. cui adhuc calenti adde*
Extract. Rad. Symphit. major.
Tormentill. aa. drach. iij.
Nuc. Moſch. Cinam. pulver. aa. drac. j.
M. fundant. in Scatul. & ſervet.
Doſ. drach. ij.

Pro potu demum donec Vinum concedi poſſit, decoctum album Sydenhami, quod ex C. C. raſura, & mica panis fit, appropriatum erit.

27. Lienteriæ curatio a differentibus occaſionibus diſpari methodo indicatur; plura enim ſunt, quæ hunc morbum inducere ſolent, ut ſtomachi digeſtio depravata, ventriculi inflammatio, demumque illius, & pylori relaxatio; ſingulis ergo propriam medelam tribuere convenit; & primo cum a depravata digeſtione Lienteria emergat, fomitem, a quo vitiatur, per faciliorem viam eliminare eſt opus. Quare ſi viſcidus limus ſtomachalis fermenti activitatem retundat, ſicque digeſtionis opus depravetur, Emeticum aliquod apprime exhibere intereſt, ex. gr. *Lienteriæ curatio.* *A viſcida lue orta.*

℞. *Aqu. Menth. Scabioſ. aa. unc. ij.*
Oxymell. Scyllitic. unc. ſem.
Tartar. Emetic. officin. gr. x.
M. f. Emetic. pro Doſ.

Hoc autem, vel ſimile pro exigentia replicari debet, donec ab invaſa lue ventriculus redemptus ſit, quæ intentio poſt tertiam emetici exhibitionem aſſequi poteſt. Poſt ipſum inſuper hujus viſcidi ſcaturiginem, lympham nempe vitiatam, emendare convenit, in qua linea plura hinc inde, & præcipue in Quartanæ curatione appropriata non pauca inveniri poſſunt, præter illa etiam ſequens in hoc caſu proficuum fuiſſe pluries comperti ſumus, videlicet.

℞. *Aqu. Card. ben. Scabioſ. aa. unc. ij.*
Rob. Iuniper. Fecul. Aron. aa. Scrup. j.
Sal. Abſinth. eſſential. drach. ſem.
Cinamom. pulver. ſcrup. ſem.
M. & cochleat. tota in hor. ſumat.

vel ℞. *Sal. Abſinth. eſſential. drach. j. ſem.*
Ol. Cortic. Aurantior.
Cinamom. deſtill. aa. gut. vj.
Sachar. q. ſ. ut f. Rotul. Doſ. ſcrup. j.
Mane, & ſero, ac interdiu ſumend.

Cum

Cum alterutro auxilio diebus aliquot continuare intereſt, donec viſcidam lympham correctam eſſe, primaſque digeſtiones rite perfici poſſe, ex tutis indiciis noſcamur. Devicta demum hac Lienteriæ cauſa, ad frequentes alvi dejectiones compeſcendas, dum adhuc perſiſtant, eadem Diarrhϙæ curatio hic etiam opportuna eſſe poterit; cum fluxus iſti in eodem inteſtinorum vitio convenire, ſatis noſcatur.

A ventriculi relaxatione. 28. Cum autem a relaxato Ventriculi tono, ejuſque janitore Pyloro recluſo Lienteria prodeat, quod ex debilitati ſtomachi ſignis, alibi expoſitis, non arduo dignoſcitur, tunc ejuſdem tonum appropriatis auxiliis reſtaurare primo, & inde frequentes dejectiones compeſcere oportet; hunc ſcopum ergo ſequentia facile attingunt.

℞. *Aq. Menth. Salviæ aa. unc. ij.*
de Cinamom. unc. ſem.
Sal. Abſint. eſſential. ſcrup. j.
Stomachic. Poterii ſcrup. ſem.
Syrup. Corall. optim. unc. j.
M. & de mane cochleat. ſum. & veſper. repet.

Externe autem

℞. *Balſam. Peruvian. drach. j. ſem.*
Ol. Nuc. Moſcat. expreſſ. drach. ſem.
Extract. Abſinth drach. ij.
M. & tepid. ſtomach. illinat.

Hæc auxilia ſine forti adſtrictione ſtomachi, & Pyloris fibras relaxatas ad naturalem tonum reducere apta ſunt.

A fermenti defectu. Cum autem fermenti defectio acida magis auxilia petere conjiciatur, tunc ſequens replicata mixtura proficua erit.

℞. *Vini Granator. ſubacid. unc. iij.*
Stomachic. Ludovic. ſcrup j.
Extract. Ligni Aloes drach. ſem.
Liquor. Terr. ſigillat. ſcrup. ſem.
Syrup. de Agredin. citri unc. j.
M. & cochleat. ſum. & veſper. replic.

Externe vero ℞. Micam panis optim. fermentat. imbib. Vino Malvatico bullienti, & calida ſtomacho apponatur, pulvere Nucis moſcatæ inſperſa.

A Lympha corroſiva. 29. Diſparem curationem Lienteria petit, cum ab acri, & corroſiva lympha excitetur; hæc enim vel ſtomachi ulcera, vel phlegmones inducere apta eſt. Noſcimus primo ventriculum inflammatum eſſe, ex febre acuta inflammatoria, ex dolorifica intumeſcentia ſub coſtis nothis, vel infra, & demum ex conſuetis ſymptomatis, phlegmonem membranoſæ partis conſequentibus; hęc inquam, inflammatio primę digeſtionis officinam evertit, unde cibaria nec digeri, nec retineri in ſtomacho poſſunt, ſicque indigeſta excernuntur. Hujus ergo curatio a primario morbo, ſeu a ventriculi phlegmone dirigi debet; cum ſtomacho ab inflammatione redempto, ocyter digeſtionis opus reintegretur, & lienteria evaneſcat. *A ventriculi phlegmone.* Cum vero phlegmonum curatio hujus loci non ſit, ad ea, quæ *cap.* 10. *de inflammat.* expoſita ſunt, hujus etiam medelam reducitur; quæ vero ſpeciatim in hoc caſu prodeſſe poſſunt, reticere non decet; primo igitur ſequens mixtura proficua erit.

℞. *Aqu. Plantag. Papaver. errat. aa. unc. j.*
Succ. Cancror. fluviatil. unc. ſem.
Magiſt. Dentis Apri ſcrup. ij.
Eſſent. Sanguin. Hirci ſcrup. j.
Syrup. Papav. Erratic. unc. ſem.
M. & cochleat. tot. mane ſum. et veſper. repet.

Externe item

℞. *Aqu. ex florib. Sambuc. unc. iij.*
Succ. Cancr. fluviatil. unc. ij.
Ovorum album. probe quaſſat. unc. j.
M. ſatis, & cum hac mixt. ventr. fove.

Reliqua demum auxilia *cit. cap.* 10. *de inflam.* extenſa, hic quoque pro morbi modo ad uſum vocare convenit. *A ventriculi ulcere* Ulcus demum ventriculi doloribus, ac ſordibus illius tonum ita evertit, ut nec cibos retinere, nec illos digerere aptus ſit; ideo cruda, & qualia ex ore cibaria deſcendunt, per inteſtina labuntur, & dejiciuntur. Hujus curationem duplex intentio dirigere poteſt; prima eſt, ulcus mundificare, altera illud conſolidare. Ad primam ergo, ex. gr.

℞. *Radic. Ariſtoloch. rotund. unc. j.*
Fol. Marub. Plantag. aa. manip. j.
Flor. Hyperic. Roſar. rubr. aa. pug. j.
Aqu. font. q. ſ. m. & coqu. ad tertiam.
Colat. lib. j. adde Mell. roſat. ſimpl. unc. iij.

Hæc ergo decoctio tota intra diem ſumi debet, alteramque ſimilem, vel pro exigentia efficaciorem in die ſequenti repetere, & donec ulcus rite, & recte mundificetur. Demum ut conſolidetur, ſequens mixtura proficua erit.

℞. *Aqu. Symphit. deſtill. ex tot. plant. unc. iij.*
Extract. ſymphit. Quercetan. drach. j.
Balſam. ſulphur. terebinth. ſcrup. ij. M. & cochl. ſumat.

Hac mixtura tandiu uti oportet, donec ab apertis indiciis ventriculi ulcus conſolidatum eſſe dignoſcatur; & hæc demum ad Lienteriæ fomites eradicandos, ac ſtomachi tonum reſtaurandum, ſatis eſſe poſſunt.

Cœliacæ curatio. 30 Cœliacæ paſſionis curatio triplicem indicationem firmat; prima nimis mordacem, ac ferocientem bilem compeſcere, altera bilem inertem acuare; tertia infarctos chyli ductus aperire; ab his enim occaſionalibus cauſis hæc paſſio inducitur. Ut ergo ad ſingula deſcendamus, primo igitur cum bilis excandeſcentia chyli maſſam, cum ſordibus mixtam, per inteſtina præcipitet, ac eliminet, perpendere oportet, an illius violentia ſtomachi clauſtrum invadat, unde vomitionis indicia in morbi exordio appareant; quibus inſtantibus, appropriatum Emeticum præſcribere convenit; ad quod opus præ cæteris Oxyſacchar. emetic. Salæ ad unc. j. cum vehiculo proprio conveniens erit. Cum autem vomitionis indicia non adſint, relicto emetico, Catharticum lene ſeligere intereſt, quo exorbitans per inteſtina bilis eliminetur; hoc munus ergo ſequens cito, tutoque adimplere poterit, videlicet. *A bile excandeſcente.*

℞. *Tamarindor. drach. vj.*
Rhabarb. elect. drach. ij.
Infund. in Sero Caprill. q. ſ.
Expreſſion. unc. jv. adde
Syrup. Roſar. ſolutiv. unc. ij.
Aqu. flor. Citri q. ſ. ad grat. & f. Potio.

Duabus indechoris Seri Caprilli depurati libram unam circiter propinet, ut bilis reliquiæ facilius diluantur; altera item die, ad corrigendam illius ferociam, mixturam ſequentem, aut ſimilem mane, & veſperi per plures adhuc dies ſumat oportet, ex. gr.

℞. *Aqu. Portulac. Plantag. aa. unc. j.*
Totius Citri unc. ſem.
Acidum Tartar. aluminoſ. Rolfinc. ſcrup. j.
Nitri Corallat. drach. ſem.
Syrup. Granat. acidor. unc. j.
M pro Doſ. matut., veſper. repetend.

De ſero autem cubitum iturus Patiens, ad fluxum compeſcendum, ſequentem rotulam ſumat.

℞. *Liquor. Terræ ſigillat. gut. viij.*
Laudan. Cydoniat. Liquid. gut. vj.
Sacchar. in Aqu. Plantag. ſolut. q. ſ. ut f. Rotula pro Doſ.

Internis demum remediis externa quoque fœderare convenit, ad quod opus ſuccus Cancrorum fluviatilium, cum oleo Roſar. omphacino mixtus, totum abdomen fovendo, ſatis erit.

31. Cum autem ex oppoſito non excandeſcens, ſed torpida bilis, ob illius inertiam, chylum a fæcibus ſeparare nequeat, ſi nempe ſulphure obtuſo, ac ſalibus non acutis congeſta ſit, tunc ut acuatur ſequenti vel ſimili mixtura per dies aliquot uti convenit. *A bile inerti.*

℞. *Aqu. Menth. ſcabioſ. aa. unc. j.*
Elixir. Vitæ Matthiol. drach. ij.
Eſſent. Cinamom. drach. ſem.
Spirit. Sal. Armoniac. gut. x.
M. pro Doſ. matut., de ſero repetend.

Interdiu vero maxime poſt prandium ſequens pariter cochleatim ſumpta eundem ſcopum attingit.

℞. *Aq. Salv. Lavendul. aa. unc. j.*
Theriacal. unc. ſem.
Extract. Tormentill. drach. j.
Tinctur. Bezoartic. P. A. R. gut. xx.
Syrup. de Cinamom. unc. j.
M & cochleat. interdiu ſumat.

Denique cubitum iturus Patiens ſequentis Opiatæ unciam ſumat, videlicet.

℞. *Conſerv. Flor. Roriſmar. lib. ſem.*
Roſar. rubr. unc. iij.
Sal. Abſint. eſſential. drach. ij.
Extract. Tormentill. drach. iij.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. j.

Diæta pariter auxiliis hiſce reſpondeat; cibi ſulphure, & ſale acuto præditi ad menſam vocentur, vinumque pro conditione meracem bibere convenit.

32. Non nimis diſſimili methodo Cœliacam paſſionem, a chyliferis vaſculis infarctis ortam, compeſcere eſt opus; attenuantibus enim, ac aperientibus, limumque viſcidum inteſtinum duodenum maxime oppilantem, valide abſtergentibus uti vaſculorum obſtructio ſuadet; cum hæc paſſionis hujus cauſa ſit. Præmiſſis ideo Univerſalibus opportunis, ſpecifica tandem curatio ſequentibus auxiliis abſolvi niſi cito tuto ſaltem poterit, videlicet. *Ab infarctis chyliferis ductibus.*

℞. *Aqu.*

℞. *Aqu. Salv. Lavend. aa. unc. j.*
Theriacal. camphorat. unc. ſem.
Extract. Tormentill. drach. j.
Tinctur. Bezoardic. P. A. R. gut. x.
Syrup. de Cinamom. unc. j.
M. pro Doſ. matutin. Veſper. repetend.

Interdiu vero ſequentem cochleatim ſumere convenit, ex. gr.

℞. *Aqu. Salviæ unc. j. ſem.*
Lavendul. compoſ. Schroder un. j.
Elixir. Vitæ Matthiol. unc. ſem.
Confect. Diacinamom. Mynſic. drach. j.
M. & cochleat. intra horas 4. ſumat.

Demum cubitum iturus ſequentis opiatæ vel ſimilis unc. ſem. aſſumat, ex. gr.

℞. *Conſerv. Flor. Roriſmar. lib. ſem.*
Cardamom. Cubebar. aa. unc. ſem.
Zingiber. condit. drach. ſem.
M. f. Opiat.

His ergo auxiliis chyliferis vaſculis ab infarctu redemptis, paſſio iſta decedit; ad fluxus reliquias demum compeſcendas, DiarrhϾ curatio ſatisfacere poterit. Hæc denique remedia, pro ventris dejectionibus vitiatis tuto corrigendis, brevi calamo expenſa, ſat eſſe poſſunt; plura vero qui cupit, ſequens copiam affundit.

APPENDIX.

Cum plures morbos ſimul caput hoc ambiat, ne confuſa remediorum ſylva Juniores ſaltem ad errandum conducat, ſingula ſub ſingulis morbis remedia ſelectiora exponere, tutius erit; ideo primum

PRO DIARRÆA.

Acetum chalybeat. cum vitell. Ovi toſto mixtum.
Alumen febrifug. Mynſicht.
Aquæ deſtill. ex ſucco Tormentill. Plantag. Portulac. Aqu. Styptica Batei.
Balſam. Peruvian. intus, & extra proficuum.
Bolus Armena, & illius præparata.
Conſerv. Conſolid. major. Conſerv. Roſar. vetuſta.
Cornu Cervi uſti, & philoſoph. præparat. Corall. rubr. præparat.
Decoct. lign. Lentiſci, Decoct. Maſtich. Dec. Gran. Juniper. Dec. Album Sydenhami.
Eſſent. Theriacal. Extract. Tormentill. Nuc. Moſchat.
Fructus Cydonior. Myrtillor, Sorbor. Meſpilor. &c. Gelatin. Corn. cerv.
Hæmatites natural. & artificial. ex Sacchar. Saturn. & Vitriol. Martis parat.
Laudan. omnia, & præcipue Laud. Cydoniat. fixum, & liquid.
Macis, & illius præparat. Miva Cydonior. cum adſtringentib. mixta
Nux moſcat. & illius præparat.
Pilul. de Cynogloſſ. Rhabarb. ſimpl. & torrefact.
Serum lactis chalybeat. Sevum Hircin.
Spiritus Salis coagulat. Sulph. Vitriol. anodyn.
Syrup. Corallor. Syrup. chalybeat. corallat. Batei.
Terra Lemnia. Terr. Catechu. Terr. ſigillat. & earum præparat.
Theriaca recens propter opii vim, Tinctur. Roſar. Batei.
Tragea Granor. Actes, melius cum pulver. Tormentill. parata.
Trochiſc. de Spodio P. A. R. Externa remedia in ſequentibus nota fient.

PRO DYSENTERIA.

Aqu. Bacc. Sambuc. Burſ. paſtor. de Cinamom. cydoniat. Plantag. Tormentill. &c.
Bolus Armen. & ejus præparat. Butyr. Ceræ Batei.
Corn. Cerv. uſti, & philoſoph. calcinat.
Cranii human. violent. mort. interempt. vel ejus Uſnea.
Croci martis adſtring. & Cryſtall. præparat.
Decoct. ad Dyſenter. River. Sydenham. Junghen.
Electuar. dyſenteric. Cnæffelii, aliud Sennert.
Eſſentia Catechu liquid. P. A. R. alia ſicca Hagendornii.
Extract. Satyrion. aliud Tormentill.
Fungus Melitenſis coccineus.
Gelatin. Corn. Cerv. & Priapi Cerv. vel Ceti
Hepar Viperæ pulver. cum Theriac. recent. mixt.
Hæmatites natural. & efficacius artificial.
Ipecacuana radix Braſil. inſtar omnium auxilior.

Liquor

Liquor. Stypticus Bucretii, alius Junghen.
Magiſter. Corallor. aliud Smaragdor.
Nux Moſchat. & ejus præparat.
Oleum Martis, Ol. Hypnotic. Zuvelff. Ol. Myrtill. aliud Oliban. deſtill. &c.
Pilul. Dyſenteric. Screte, aliæ Sennert.
Pulvis ad Dyſenter. Hoffmanni, alius Langii, alius Junghen, alius Granor. Actes. &c.
Radix Symphit. major. Tormentill. Pimpinell. ac præ omnib. Braſiliana Radix.
Sacchar. Saturni. Sanguis leporin. Helmont. & ſanguis Agni &c.
Syrup. ad Dyſenter. Pantaleon. Syrup. de Roſ. ſiccis, Corallior. Myrtinus &c.
Terra Vitriol. dulcis, Terra ſigillat., Terra lemnia &c.
Tinctur. Sulphur. Vitriol. Clauder. Tinct. Corallior.
Trochiſc. de Carabe P. A. R. aliis de Spodio Meſue.

EXTERNA.

Clyſteres plurimi ad varias intentiones compoſiti, quorum innumeræ formulæ, noſtram brevitatem excedentes, paſſim undique pro qualibet exigentia præſcripti, apud Practicos inveniuntur. Sic pariter linimenta ex oleis ex. gr. Oleum Cydonior. Ol. Myrtillor. Ol. Nuc. Moſcat. & Macis tam expreſſ. quam deſtill. Ol. Maſtich. infuſ. & deſtill. Ol. Abſinth. Balſam. Peruvian. & Tolutan. ſicut, emplaſtr. plurima & in ſpecie Emplaſtr. corroborat. Fernel. Emplaſtr. anodyn. Barbett, Cataplaſm. anodyn. Cnæffel. Saccul. anodyn. & adſtring. in teneſm. Ettmull. Liquor ſtiptic. Vveberi. Suffitum ex Zingiber. Bartholin. cæteraque plurima pro variis intentionibus opportuna. Pro LIENTERIA, & CÆLIACA paſſione nil aliud addere, eſt opus; cum ex hactenus dictis, propria remedia facile quiſque ſeligere poterit, multa pro Lienteria *cap.* 16. *de Cholera* proficua eſſe poſſunt, ut omnia illa, quæ ſtomachum roborare ſolent, quæ vero fluxum firmant, ibi, & in hoc capite, affatim expoſita ſunt. Sic pariter ad Cæliacam paſſionem compeſcendam, quæ ſupra expendimus, ſatis eſſe poſſunt; ideo remediorum in hiſce urgentiis farragini terminum ponimus.

CAP. XVIII.

De Ictero.

1 INtimæ corporis depravationes hactenus perſolvimus, nunc item ad illas, quæ nondum internas, ſed & externas partes, peripheriam nempe, occupant, Deo duce, tandem accedimus, quarum varia phænomena extra conjecturas omnium oculis explicantur; patent enim hinc inde per cutim affixa, intimæ ſordis indicia, productisque variis abditam læſionem exponunt; alia namque cutim vario livore maculant; alia item in tubercula elevant; & alia demum illius conſiſtentiam, ſeu continuum dilacerant; quæ, inquam, omnia ſingulatim, propriiſque capitibus expendere, ac decenti curatione abſolvere, nunc aggredimur. Primo igitur, a ſimplicioribus exordiendo, cutaneus affectus, ſola fæditate inficiens, Icterus nempe ſe offert, qui & Regius morbus, & Arquatus, ac Aurigo nuncupatus fuit, quibus nominibus pro varia illius infectione diſpari charactere affectum hunc varium deſcribere ſtuduerunt. Hic ergo ab impuro, multiſque recrementis fædato ſanguine in ſingulis partibus (quas perluit, ac nutrit) ut propriæ luis veſtigium diffunditur, & imprimitur, unde maculatam cutem, imo & ſolidas omnes, tam intimas, quam extimas corporis partes flavo, vel livido, aut atro colore ſordeſcere inſpicimus. Hinc a Veteribus in Flavum, Praſſeum, & Nigrum Icterum diviſum fuiſſe legitur, ac Recentiorum obſervationes etiam Viridem inviſiſſe deſcribunt, & nos item in Moniali nunquam menſtruata lividum purpureſcentem olim inſpeximus. Variæ tamen hujus affectus diſparitates contingenter tantum, non vero ſpecifice, ut dicunt, differentem eundem oſtendunt; cum ab unica ſemper ſanguinis dyſcraſia æque, dimanent, ac parum diverſa methodo omnes curentur. Simili differentia diſtinguuntur Icteri Symptomatici, & Critici, ac ſine febre per ſe morboſi, pluſque minuſve cronici, cum ab eadem ſemper cauſa magis, vel minus fædata promanent.

Deſcriptio

Differentiæ.

2. Par-

Partes affectæ. 2 Partes affectæ Fluida , & Solida ſimul eſſe dignoſcuntur , inter fluida ſanguis apprime, qui fluidorum omnium fons eſt, ob illius infectiones præcipua pars affecta dici debet; cum ab ipſo in caſu præſenti ſolidæ partes omnes , quas nutrire tenetur , propria fæditate inficiantur; quomodo vero, & a quibus polluatur, in cauſarum indagine notum erit . Solidæ item partes ideo male affectæ dicuntur, quia in ipſis cum improbo nutrimento ſordes proprias deponit; ſanguis itaque pollutus, partes omnes, quas perluit, fædare certo debet. Non enim , ut vulgus credit, in ſola cute fædum colorem ineſſe, cum interni muſculi, ac intima omnia, ut ubi ſanguis permeat, imo & adhuc oſſa eadem ſorde inquinata , anatomicæ inſpectiones in Ictericis cadaveribus multoties inviſiſſe, certo pateat.

Diagnoſis. 3. Proprium Icteri ſignum cutis externæ Flavus , vel Lividus , aut Nigricans color oculis exhibet, ideo viſibilis morbus eſt , ac nemini abditus ; non omnibus tamen illius aggreſſionis ſigna perſpicua ſunt, cum non uno ſimul impetu, nec abſque prævenientibus indiciis, notus fiat. Senſim enim primo ſæpius emergit, ac ejus exordium oculi adnata tunica flaveſcens oſtendit , hinc ungues, & artus vitiato colore afficiuntur , ac demum per univerſam cutim fæda labes effunditur. Signa item, quæ Icterum ſæpius præcedunt, non ſemper eadem ſunt, aliquando enim membrorum laxitudines, vel pruritus cutaneus, interdum lumborum dolores, oris amaritudo, vel ſitis, ſæpe alvi ſtipticitas, & anorexia. In febribus vero emergens; ſi cum ipſa ſimul invadat, illius prænuncii ſunt , oris amaritudo , præcordiorum anxietates, maxime cum bilis Icteri , & Febris fomes ſit ; ac ut in *Coac. præn. n.* 3. notatur , *lumborum, lateriſque dolores adſunt*. Si vero poſt adultam jam febrem Icterus exurgat, vel criticam deſpumationem eſſe contingat, febris conditiones illius diagnoſin deſignant; ſi enim in cruditatis ſtatione appareat , ipſum præcedunt craſſæ , ac turbidæ ſemper urinæ, nullam hypoſtaſin deponentes, nimiæque corporis jactationes, membrorumque puncturæ, ultimo tandem adnata oculi tunica flaveſcere incipit, ſenſimque cutis vitiato colore fædatur; interdum etiam alvus adſtricta eſt, fæceſque duræ, & albicantes dejiciuntur, cum maxime bilis fluxus per inteſtina deficiat; contra item diarrhæa moleſtat, cum nimis mordicantes ſucci primas vias perturbent. Denique ſi poſt coctionem Icterus appareat, & non ſenſim, ſed affatim erumpat, uriniſque craſſis , quæ cum ſedimento lateritio clareſcant, ſociatus ſit , criticam ſanguinis depurationem oſtendit, quam prompta conferentia pene ſemper inſequitur; hæc ergo Diagnoſis eſt, nunc Pathologiam inquirimus.

4. Icteri Cauſas inter ambiguitates vagari , ardua illius indago hactenus compulit; plures enim ipſius origines varias quidem, & ab inveſtigatis differentes proſapias oſtendunt, cum non ſemper ab unica bile labes iſtæ manare poſſint. Profecto alius certo Icteri fomes eſt, qui a venenato Animalium morſu producitur; alius item qui a vehementi animi concitatione inducitur; alius pariter qui a Menſium , vel Hæmorrhoidum, aut ulcerum ſuppreſſione dimanat ; & alius demum qui ab infenſis eduliis aſſumptis originem culpat ; ſic nec idem ſemper eſt, nec ab eodem fomite ducitur, qui cum febre varia ſociatur, neque ſemper eadem culpa gignitur, qui vel ſymptomatico, vel critico impulſu in febribus a ſanguine depellitur; cum non ſemper Flavum, ſed & Viridem, & Lividum, & Praſſeum, & Purpureum, & Nigrum in medico foro viſum ſit . Quamobrem ſolam bilis redundantiam tot ſcenas agere, & ad dicta omnia rite, ac recte explicanda ſatis eſſe poſſe, nemo cordatus annuere unquam poterit; alias ergo Icteri ſcatebras præter bilem inveſtigare eſt opus, quæ magis morbi hujus diſparitates explicare aptæ ſint, & cum a ſanguine diſcedere deceat , quia ſine dubio ab illius fonte dimanat, in ipſo veras Icteri cauſas indagare intereſt. *Cauſarum indago.*

5. Scimus itaque ab *Hippocrate* primum, & inde a chimica, & mechanica Analyſi ſatis, ac tutius edocti ſumus, quod in ſanguinis maſſa, innumera particularum varietas, *& copia omnigenas facultates habentia* , ut idem loquitur *Hippocrates*, gliſcunt , & coaleſcunt; *In ſanguine varii fomites.*

quarum

quarum redundantiam inſenſibilis etiam corporis perſpiratio facile comprobat, cujus unius diei effluvium alvi, & urinæ quindecim dierum fæces ſuperare, *Sanctorii Statica* notum fecit; quod pariter in urina ipſa, quæ a ſanguine cribratur, plurima contentorum ſaturatio aperte demonſtrat. Hæc, inquam, ſine dubio in ſanguinis maſſa exiſtens, varia particularum farrago, cum pro ingenito, ac proprio cuique ſtimulo, ac motu exaltentur, & congerantur, *per ſe ſtantes lædunt*, cum *Hippocrate* loquor; læſio autem eſt, ſanguinis puritatem fædare, illius conſiſtentiam, ac nexum inſitum pervertere; ſic Naturam ad intentam depurationem perpetuo ſtimulare, ut extra ſanguinis clauſtra exaltatam, noxiamque luem tandem eliminet, quod certo aſſequitur, cum ad cutim, ac alibi extra ſanguinem, devictam labem, ut in Ictero, deponat. Variæ igitur in ſanguinis maſſa infenſarum molecularum commixtiones, ac læſiones, contingere poſſunt, quæ ad provocatam illarum deſpumationem Naturam ſollicitent; unde & varii etiam, pro ipſarum conditione colorati, ac plus minuſve contumaces Icteri emergunt.

Cauſæ remotæ. 6. Cauſas demum remotas, quæ dictas molecularum exaltationes, & congeſtiones promovent, proprieque in Icterum inducendum conſpirant, brevi ſaltem calamo nunc innuere convenit. Primæ igitur, & potiſſimæ in primis viis arma cudere ſolent, in ſtomacho nempe, & circa inteſtinum duodenum. Stomachus apprime hujus mali præcipua ſcatebra eſſe poteſt; cum illius fermenta, quovis modo vitiata, cibi digeſtionem haud recte perficiant; prima enim coctio non rite abſoluta, reliquas digeſtiones ſemper eludit, ſicque cruda chyli maſſa ad fædandum, non inſtaurandum ſanguinem ducitur. Item etſi ſtomachus proprium penſum integre peragat, chymumque perfecte concoquat, in duodeno tamen, cum vel bilis, vel lympha pancreatis depravata ſint, altera non minus neceſſaria digeſtio & depuratio non perficitur. Bilis culpa primum vel quia per choledochum non ſatis deſcendit, vel quia excedens in duodeno turbas excitat; primo modo cum hepar a quavis culpa, ut a glandulofa concretione, vel a tumore aliquo, &c. bilem cribrare nequeat, vel ipſo inſonte, veſicæ biliariæ lapilli, aut congeſtum limum illius ad inteſtina deſcenſus omnino prohibeant; ſicque deficiente in duodeno bile, Chyli maſſa nec a propria fæce ſeparatur, nec illius balſamico ſulphure imbuitur; ideo ad ſanguinem fædandum impurus ducitur. Hoc idem pariter contingit, cum bilis nimis fervida in inteſtinis turbas concitet, vel contra cum prorſus iners, ad depurandum impar ſit; utroque enim modo, vel impurus chylus, vel cum furenti bile mixtus, cum ſanguinem attingat, illius puritatem defædat. De lymphæ vitiis tam pancreatis, quam lacteorum ductuum (per quos uſque ad ſubclaviam venam chylus duci, ac perfici adhuc debet) dijudicandum eſt; his enim quavis labe vitiatis, chylum ad hæmatoſin ineptum relinquunt, unde ſanguis ab ipſo non reſtauratur, ſed deturpatur; ſicque Icteri labes in illius fluido exaltata luxuriat. Hæc demum potiſſimæ hujus phænomeni occaſionales cauſæ ſunt; plures tamen aliæ bilis, & lymphæ depravationes ad ipſum inducendum conſpirare ſolent, quas vel minus frequentes, vel minus probabiles, brevitas noſtra neglexit.

7. Alii adhuc, ſed remotiores Icteri fomites paſſim obſervantur, quorum præcipuos recenſere convenit. *Aliæ remotiores.* Et primo conſuetæ hæmorrhagiæ, Uteri nempe, Hæmorrhoidum, aut Narium diuturna ſuppreſſio, quæ ſuperfluam maſſam ſolito more minuendam, & depurandam, non expurgat, ſi recrementoſum onus Naturam gravare ſolet, unde tot morbi, & inter hos Icterus, ex hiſce retentis dimanant. Alter fomes eſt Animi paſſio vehementer concitata, quæ vel bilem excandeſcere, vel Spiritus opprimere, ut diuturnæ triſtitiæ ſæpe ſolent; unde ab his depreſſis non irradiata maſſa, liberum particulis motum relinquit, ut illarum exaltationes, & congeſtiones facile inſurgant, ſic Icteri fomes cito paratur. Alius item a cyſtide fellea, ex quovis infarctu præcluſa, ut a lapillis, vel a limo tenaci, qui bilis deſcenſum ad inteſtina prohibeat, unde in ſanguine aucta, & exuberans, vehementes febres, Ictero ſociatas, inducere ſueſcit;

hoc

idem hepatis tumores, ac inflammationes, rectam bilis a ſanguine cribrationem præpedientes, ſæpius adigunt. Nec minus atroces Icteros Fonticuli clauſi, ac ulcera (in tibiis præcipue manantia) incaute occluſa, induxiſſe, obſervationes fatentur; novimus & nos nobilem Virum, qui fonticulum per ſex annos æque purgantem, tolerare nequiens, cum illum occluderet, poſt viginti dies Ictero nigro contumaciſſimo correptus fuit; ſanguinis enim recrementa, clauſo ad exitum oſtio, in ipſo retenta, pertinacibus Icteris fomitem ſuggerunt. Sic pariter poſt Viperæ morſus, haud integre curatos, lividi, ac nigricantes Icteri emerſerunt, cum venenum a ſanguine non prorſus expulſum, novas turbas in ipſo concitando, Naturæ niſus ad cutim detrudere compulit. Similes demum Prophaſes, cum ſanguinem vel fædare, vel illius particulas a nexu ſolvere, ac exaltare, & congerere aſſequantur, Icteros varios, differenti labe ſignatos, in fluidis moliri ſolent.

Prognoſis. 8 Prognoſin pariter a differenti cauſarum læſione petere convenit. Bilis primo nimis viſcida, vel ab acida pancreatis lympha nimis incraſſata, validis remediis contumacius reſiſtit; ſimiliter ab hepatis infarctu productus Icterus, ut in illius tumore; maxime Scyrrho, vel a veſſicæ biliariæ calculis difficillime abſolvitur, ſæpeque ad Hydropem terminaſſe, obſervatum eſt; & cum remediis cedere videatur, ob contumacem hepatis obſtructionem, vel ſæpius recidivare, vel alio deſperato morbo vitam abſumere ſueſcit. Icteri vero, qui a recrementis aliis inducuntur, pro varia coloris intentione diſpari modo abſolvuntur; lenis enim flavedo facile, intentior vero difficile, lividi tamen difficilius remediis obediunt; nigrum denique Icterum, maxime in diuturnis Quartanis a forti acido promotum, funeſtum ſæpe fuiſſe, obſervatum eſt. In cœteris vero acutis febribus, cum ante ſeptimum, ſeu ante coctionem ſymptomaticus invadat, malum nuncium eſſe, 4. *aph.* 62. docetur; contra vero cum poſt coctionem critico niſu ducatur, bonum eſſe *niſi dextrum ilium obduruerit* 4. *aph.* 64. denunciatur; ſic item *Morbo regio laborantibus ſi fiat hepar durum malum* 6. *aph* 42. eſſe dicitur. Aphoriſmi vero iſti, maxime primus, a plurimis non ſine aliqua ratione ut ambigui contemnuntur; cum experientia teſte, Icterum ante ſeptimum in acutis febribus invaſum, non malum, ſed proficuum fuiſſe, pluries compertum ſit; ideo hujus doctrina fallere videtur. Veruntamen abditam illius veritatem *Hippocrates ipſe lib. de vict. rat. in acut. num.* 54. apertam facit. *In febre bilioſa ante ſeptimum diem, cum rigore morbus regius accedens, ſolvit febrem, verum ſine rigore ſi accedat, extra temporis occaſionem, perniciosus eſt.* Ecce quomodo ante ſeptimum, & bonum, & malum Icterum contingere poſſe, divinus Senex declarat. Cum enim a recta criſi depulſa labes ſit, (plures namque acutæ febres in ſeptimo, & ante perfecte judicantur) tunc Natura victrix ab intimo ſanguine ad extra illius ſordem expellit, quam rectam eliminationem cutis rigor indicat; cum autem rigor iſte Icterum non inſequatur, infauſtum ſignum eſt, ſymptomaticus, non criticus motus eſſe poteſt. Ideo ſancitur *lib. de Judic. num* 9. *Regius morbus, & ſingultus, ſi quinta die in febribus ardentibus accedat, lethale eſt.* Noſcere demum convenit, quod *lib Coac. præn. num.* 1. ſcribitur: *E regio morbo abunde colorati moriuntur, alba vero alvi egeſtio in his præcedit;* impenſi nempe in Ictero colores, maxime plumbei, virides, aut nigri, periculoſi ſemper ſunt; ſed circa prognoſin hæc ſatis ſint.

9. Ad Curationem deſcendendo, Icterus ut febrium ſymptoma primo ſe offert, ac cum febris conditionibus conferentes indicationes expetit; ideo in illis inſtitutam curativam methodum, ab invadente ſymptomate, cum leve ſit, parum aut nihil immutare ſuademur; cum rite curata febre, hæc etiam affectio ſimul cum ipſa evaneſcat. Pertinacem vero Icterum, quem profundæ vel in viſceribus, vel in ſanguine radices fovent, appropriatis remediis, perſequi cogimur, quæ pariter cum febris conditionibus componere intereſt, ne ſymptomatis curam inſequendo, ad pejora pericula febrem inducamus. Primo *Curatio in febribus.*

itaque cum Bilis vel viſcida nimis, vel grumeſcens attenuanda, vel Hepatis infarctus referandi ſint; quæ vitia ut plurimum febres mites concitare ſolent, ad hos fines aſſequendos, ſequentia remedia opportuna eſſe poſſunt: ex. gr.

In febre mitiori.

℞. *Aqu. Chelidon. major.*
Centaur. minor. aa. unc ij.
Extract. lign. Saſſafr. drach ſem.
Marubii ſcrup ij.
Sal. volatil oleoſ. noſtri ſcrup. j.
Syrup. Card bened. unc. j.
M. & cochleat. ſumat.

vel ℞. *Extract. Centaur. minor.*
Lign. Saſſafr. aa ſcrup ij.
Magiſter. Milleped. drach ſem.
Syr. Card ben. q ſ. ut f. bol. pro ij. Doſ

Quarum una mane altera veſpere ſumatur, quibus ſuperbibat ſequentem hauſtum.

℞. *Aqu. Marub Abrotan. aa. un j ſem.*
Spirit. Salis volatil dulcif. gut. viij.
M. & pro una Doſ. ſumat.

Vel pro Pauperibus

℞. *Myrrhæ ſelect ſcrup ij.*
Lumbric terr pulveriſ. drach. j.
Cum Syrup aliquo f boli pro ij. Doſ.
Quibus ſuperbibat Juſcul. Cichor
Ac mane, & veſper. per dies plur. repet.

In febre vehementi

10. Cum autem in ardenti febre Icterus appareat, nullaque coctione præventus ſit, tunc ut ſymptomaticum, non vere criticum illum noſcere, & curare convenit; methodum vero in febre ardenti poſitam continuare intereſt, illique ſequentia, vel ſimilia addi poſſunt, videlicet.

℞. *Aqu. Fragar Taraxac. aa. unc. ij.*
Cordial. Saxon frigid. unc. ſem.
Tinctur. Croc oriental. gut xv.
Sulphur. Antimon fixi Ludov. gr. x.
Magiſter. Milleped. drach ſem.
Syrup. Corall. optim. unc. ſem.
M & propin. pro Doſ.

Vel ex Bolo

℞. *Sulphur. Antimon. fixi Ludov. gr. x.*
Nitri corallat. drach ſem.
Tartar Martial.
Tinctur. Croc. aa. gr. xij.
Succ. Fragar q. ſ. ut f. bol. pro Doſ.

Cum autem catharſin ſtimulare oporteat hiſce datis adde

Extract. Rhabarb. martiat. ſcrup. j.

Si vero Sudorem coadjuvare ſit opus adde

Bezoartic. Martial. ſcrup. ſem.
Vel Extract. Saſſafr. ſcrup j.

Pro ſiti demum ſedanda, Emulſionibus in Aqu. Fragar. & Cichor. factis adde

Semin. Aquileg. drach ij.
Magiſter. Milleped ſcrup j.

Icteri nigri curatio.

11. Icterum Nigrum omnibus aliis contumaciorem eſſe, illius pertinacia, quæ ſæpe remedia eludit, facile oſtendit. Hujus invaſiones cum febre, & ſine ipſa contingunt; febres vero, quas vel ut ſymptoma comitatur, vel ut criticus depulſus abſolvit, Coagulativæ, aut Quartanæ ſæpe ſunt. Cum ergo poſt tutas coctiones critico Naturæ niſu extra ſanguinem detrudatur; *neque movere, neque novare aliquid, ſive medicamentis, ſive aliter, irritando, ſed ſinere*, 1. *aph.* 20. recte præcipitur; cum Natura per ſe ſola morbum judicaſſet, ac abſolviſſet; ideo Icterum talem, etſi nigerrimum, illius victoriæ ſignum eſſe dignoſcimus. Contra vero cum in ſtadio cruditatis appareat, certum atrocis, & ambiguæ pugnæ vexillum, inordinatos Impetum facientis conatus oſtendens, eſſe ſignificat; ideo omnes Artis ſuppetias hoc ſigno expetit, ne percitæ ipſius vires tandem ſuccumbant. Curativam tamen febris methodum, quam hoc ſymptoma inſequitur non immutare, ſed validum aliquod Ictero appropriatum remedium cum illa componere intereſt; ad quod opus unam vel alteram ex ſequentibus mixturis proficuam fuiſſe, pluries obſervavimus, videlicet.

℞. *Aqu. Centaur. minor.*
Chelidon. major. aa. unc. ij.
Tinct. Rhabarb. martiat. ſcrup ij.
Sal. Volatil. Oleoſ. noſtri gr. xv.
Extract. Marubii drach. ſem.
Spirit. Sal Armoniac. gut. viij.
M. & cochleat. intra horam ſumat.

vel ℞. *Aqu. Geniſt. Marub. aa. unc. ij.*
Sal volat. Oleoſ. noſtri gr. xij.
Tinctur. Martis tartariſ. gut. xx.
Extract. lign. Saſſafr. drach. ſem.
Spirit. Urinæ per fermentat. fact. gut. vj.
M. & ſimilit. utito.

Vel ex Bolo

℞. *Sal. volatil. Oleoſ. noſtri gr x.*

Extract.

Extract. Centaur. minor ſcrup. j.
Martis dulced. ſcrup. ſem.
Syrup. Card. ben. q. ſ. ut f. bol. pro Doſ.
Cui ſuperbibat
Aqu. Centaur. minor.
Chelidon. major. aa. unc. ij.
Spirit. ſal. volat. dulcif. gut. viij.

Extra febrem. 12 Extra febrem vero cum Icterus niger invadat, ultra nunc data remedia, alternis diebus uſurpanda, ſequenti etiam Decocto quotidie per plures dies uti convenit.

℞. *Radic. Rubiæ tinctor. Centaur. minor. aa. unc. j. ſem.*
Fol. Chelidon. major. Centaur. min. aa. manip. ij.
Flor. Geniſtæ Centaur. minor. aa. pugill. ij.
Cortic. Tamariſc. Sambuc. aa. unc. j.
Cinamom. Croc. orient. aa. drach. ſem.
Conciſ. & in nodulo m. infund. in
Vini generoſ. & Aqu. Chelidon. aa. lib. iv.
Diger. loc. calid. per duos dies; poſt. coque,
Demum coletur, Doſ. hujus unc. iv. man. & veſper.
Seſquihora ſaltem ant. cibum.

Hujus uſu ſimul cum ante dictis auxiliis plures Icteros nigros cito debellatos vidimus. Contumacioribus vero ſequentem bolum addimus, videlicet.

℞. *Extract lign. Saſſafr. ſcrup. j.*
Martis dulcedin. gr. viij.
Liquor Myrrhæ ex Ovi album ſtill. q. ſ.
Ut f bol. deauret., & ante Decoct. mane deglut.

His omnibus hactenus datis remediis, rite ac recte appropriatis cœteri etiam ſine febre invadentes, Icteri demum curari poſſunt; Illi vero a venenato fomite inducti, ut a Viperæ morſu &c. conſumpto tandem propriis alexipharmacis veneno, facile & ipſi evaneſcunt; poterit tamen alexiteriis dictis extractum aliquod antictericum addere, ut extract. Centaur. minor. Chelidon. major. Marub. & ſimilia. Quibus vero in hac linea poſita jam auxilia ſatis adhuc non ſunt, ad ſequentia recurrant.

APPENDIX.

Antictericum Geſneri a Vvillis commendatum.

Apozema Icteric. Sylvii de le Boë.

Aquæ deſtillatæ Abſinthi, Centaur. min. Chelidon. major. Fragar. Geniſt. Hyperic. Marrubii, Aqu. contra Icter. Timei, Aqu. Acidul. mineral. & artefactæ.

Balneum ad Icterum diluend. Mynſicht. Alterum ad idem Vvedel.

Bezoar oriental. & occidental. Bezoartic. chymic. omnia.

Conſerv. Flor. Geniſtæ, Flor. & Fol. Hyperic. Flor. Calendul.

Crocus orient. & ejuſdem præparat. Crocus Martis aperitiv.

Extract. Centaur. minor. Extr. Marrub. Extr. Saſſafr. Extr. Rhabarb martiat. Extr. Diacitr. P. A. R. Extr Mart. cum ſucc. pomor. Extr. Icteric. Batei.

Decoct. Centaur min. Ruland. Aliud Fragar. Hartman. Aliud Hyperic. Stock Decoct. antícteric. Lindan. Aliud aperitiv. majus P. A. R. Aliud Lumbric terr. Aliud Icteric. Vvedelii, Aliud Icteric. Batei.

Infuſ. Rhabarb. in Aqu. Centaur. min. vel Marrub. &c. pro ſolutivo; ſic Infuſ flor. Pomor. ſylveſtr. in vino pro eadem intentione; item Infuſ. Icteric Foreſti, Infuſ. Chalyb. Geſneri, Infuſ. Auri Poterii, &c.

Lapis fulminar. Lap Ceraunius, Lap. in cyſtide fellis repertus, & maxime Tauri, qui pulveriſ. & in Aqu. Marrub. vel Centaur. &c. bibitus ſpecific. eſt.

Magiſter. Millepedum, Magiſt. Tartar. martial.

Oleum deſtill. lign. Juniper. deſtillat. Succin.

Pilulæ Ictericæ Vvillis, Pilul. Gummoſ. S. Cloſſ.

Potio Icterica Matthioli, Pot. ex Milleped. Vvilliſii.

Pulvis Cachetic. Quercetan. Pulv. contra Icterum Timei, Alius Langii, Alius Donzel. Alius Dolei, Alius Icteric. Batei.

Sal Abſint. eſſential. Sal fixum Chelidon. Centaur. Cuſcut. Tamariſc Sal ex Stercor. Aſini debito tempore, & modo factum Sal volatil. Tartar. volatil. Lumbricor. terræ &c.

Specificum ad Icterum Michaelis. Specif. aliud Hartman.

Spiritus Salis coagulat. Spirit. Urinæ per fermentat. fact. Spirit. Lumbr. teſt. Spirit. Armoniac. volatil. Spirit. Tartar. volat. Spir. Aperitiv. Penotti.

Syrup. Bizantin. ſimpl. & compoſit. Meſue. Alius de Lupulo ejuſdem. Syrup. Centaur. minor. Alius Marrubii. Alius de cichor. cum rhabarb. Nicolai. Alius Lumbricor. Batei.

Tartar. martial. Tartar. vitriol. antimonial.

Tinctur. Croci orient. cum ſpirit. urinæ parat. Tinct. Rhabarb. martial. Tinct. lign. Colubrin. Tinct. Martis tartariſat. Tinct. flor. Aquilegiæ. Tinct. Aperitiv. Mœbii, &c.

Tragea hepatica Quercetan. Alia ſtercorum ejuſdem.

EXTERNA.

Aranea avellanæ incluſa, pro amuleto.

Balneum ad Icterum diluend. Mynſ.

Cataplaſma Joelis, pedum plantis applicat.

Ex Urina Ægri, & farina tritic. panis factus, & Cani vorand. dat. Boyle.

Tinca piſcis umbilico, vel hypochondr. dextro appoſita, donec moriatur.

CAP. XIX.

De Petechiis.

Morbi nomina, & novitas. 1 CUtaneæ in Veneficis febribus ingruentes Efflorefcentiæ iſtæ, variis hinc inde nominibus per Doctorum paginas divagantur. Alii enim Exanthemata, & Puſtulas; Alii Vibices, & Lenticulas; Nonnulli Peticulas, vel Puncticulas; Plurimi tandem Petechias nuncuparunt; a quo titulo febres veneficæ, maculis hiſce ſignatæ, Petechiales dictæ fuerunt. Scrupuloſa enim Vetuſtas, (quæ futili ſubtilitate minimas etiam febres proprio nomine diſcriminare ſategit) petechiales iſtas diſcernere, & quid petechiæ fuiſſent, decernere neglexit. Hæc, inquam, Plurimorum querela eſt, inter quos Contagiorum peritus *Fracaſtorius* ignotam Priſcis hanc Febrem fuiſſe, ſuiſque temporibus tantum divulgatam eſſe ſcribit, *lib.2. de contag. morb. cap.6.* Verumtamen etſi Galenus, cæterique ante ipſum, Hippocrate excepto, non niſi Exanthematum, Puſtularum, ſimiliumque vocabulis cutaneas in febribus efflorefcentias explicaverint; *Aetius* tamen (altero poſt Galenum ſeculo medicinam faciens) deſignatis, propriiſque Recentiorum terminis Petechias deſcripſit, *Tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 29. In febribus a pravis humoribus ortis, excitatos Vibices culicum morſibus ſimiles obſervavimus.* Hanc eandem ſimilitudinem & *Hippocratem* uſurpaſſe legimus *lib. 5. de morb. popul. num. 33. Euphranoris filio puſtulæ velut culicum morſus, &c.* Verum de nomine, ac novitate morbi hujus, quidquid alii contendant, ut inſulſa, & inutilia diſſidia litigioſis relinquimus, & ad Affectum hunc deſcribendum deſcendimus. Petechiæ igitur cutis maculæ ſunt culicum, vel pulicum morſibus ſimiles, a concitato ſpiritu ex defædato ſanguine ad peripheriam expulſæ, cujus comitia & febris venefica, & acerba ſymptomata extant. *Deſcriptio.*

Differentiæ. 2 Differentiæ vero ab illarum vario colore deſumi poſſunt; cum non ſemper eadem facie inſpiciantur, nec ab unica labe ſignatæ producantur. Sanguinis enim variæ, diverſaque lue infectæ particulæ ſunt; quæ ipſius ſordem ferentes, invaſæ virulentiæ conditiones oſtendunt. Aliæ igitur flaveſcentes, aut virides, aliæ purpureo lividæ, vel puniceæ, ac aliæ omnino nigræ inviſuntur, quæ omnes colorum varietates propriam veneficæ febris conditionem, fomitiſque virulentiam exponunt, ut infra notum fiet. Altera differentia ab illarum eruptione determinatur, nempe ſi ante, vel poſt Coctionem appareant; tunc enim vel Symptomaticæ, vel Criticæ ſunt, & ſic malum, vel bonum omen denunciant, ut in prognoſi videbitur. Partes demum affectæ, ſi oculis creditur, cutis panniculi eſſe videntur; Mens autem ratione, ac anatome ducta, profundius penetrando, omnia intima viſcera eadem labe fædata eſſe dignoſcit; cum ſordidus in hoc affectu ſanguis, nondum cutim, ſed *Partes affectæ.*

corpo-

corporis partes omnes, quas perluit, propria labe uſurpet, maculaſque ſimiles per intima viſcera cum ſucco nutritio deponat. Veruntamen qui phænomenon hoc mature perpendit, externas maculas iſtas intimioris originis merum indicium eſſe dijudicat, ac ſanguinem, a quo ſcatent, veram illarum ſcaturiginem, veramque partem male affectam, infectamque eſſe dignoſcit; cum proprie hujus contaminati fontis ſtillæ hæc maculæ ſint; ideo recte ſanguinem affectam partem, cutim vero partem infectam eſſe dicimus.

Diagnoſis. 3 Diagnoſticis ſignis, ut innoteſcant, Maculæ iſtæ uon indigent, cum apparentes dignoſcantur, nec ſignum aliud præter intimum venenum per ſe produnt; ideo ipſæ proprie ſigna potius ſunt, febris conditiones, & veneni gradus denunciantes. Ne tamen cum aliis exanthematis confundantur, illarum figura ſphærica eſſe, illarumque extenſiones pulicum morſus adæquare debent, colores autem varios pro venefici fomitis conditione oſtendere; quo enim ad nigrum magis vergunt, eo validius toxicum in ſanguine prævalere demonſtrant; mitiuſque venenum oſtendunt, cum magis a nigro recedant; ſic pariter diſtinctas virulentiæ affectiones, ac læſiones exponere ſueſcunt; Flavas enim, & Viridiuſculas coagulati ſanguinis indicia fuiſſe, puniceas vero & nigras colliquati cruoris ſigna extitiſſe, non ſemel, nec falſo conjecimus; cum priores in febre miti, alteras in vehementi venefica mihi ſæpius inſpicere contigiſſet. Non tamen perpetua hæc regula eſt, cum pro vario figenti, vel colliquanti in febribus iſtis veneno, interdum variare obſervavi. In peſtiferis enim coagulativis, quæ ſummam ſanguinis congeſtionem inducunt, etiam lividas, nigraſque Petechias aliquando inſpexi; ac etiam in colliquativis mitioribus, quæ non ocyter ſanguinem diſſolvunt, flavas, & viridiuſculas maculas non ſemel obſervavi. Variæ namque illarum coloris diſparitates a ſanguinis conditione, ſeu ab illius plus, & minus everſa textura omnino pendent; cum nigræ ſummam illius deſtructionem, aliæ vero minorem ipſius læſionem in cuti deſcribant, ſicque intimi veneni gradum, & ſanguinis depravati diſparitates exponunt.

4 In Cauſis demum inveſtigandis, ſemitam noſtram ſatis tritam æque proſequimur; dicimus ergo Effloreſcentias omnes, maximeque Petechias ab impetum faciente ſpiritu ad peripheriam propelli. Non enim, ut Aliqui ſentiunt, ſolus Circulationis curſus per ſe tantum has labes in cuti relinquere poteſt; cum nec ſymptomaticæ, nec criticæ in febribus impulſiones, ac expulſiones iſtæ abſque aliquo determinato, ac intimo niſu rite, ac recte explicari poſſint. Circulatio enim perpetuo, & ſine requie univerſam vitæ machinam circumeit, ſemperque ſanguinis ſordes, cum fædus ſit, ſecum ducit; ideo ſemper, non aliquando proprias lues in cuti deponere deberet, ſicuti perſpirationis effluvia perpetuo per ipſam eliminat; cum autem non ſemper, ſed quandoque, ac in febribus tantum effloreſcentiæ iſtæ in cuti appareant, nempe cum critice, vel ſymptomatice ad ſummum deturbantur; ergo ab aliquo intimo conatu ad peripheriam impelluntur. Certum enim eſt, quod niſi Natura, ſeu impetum faciens ſpiritus per depurativam febris machinam ſanguinis lues a maſſa ſecernere, ac præcipitare nitatur, proprioque vel irritationis, vel abſolutionis impetu ductus, hoſtilem ſordem a ſanguine depellere moliatur, nulla toto morbi tempore Petechia in cuti appareat; cum ergo emergere obſerventur, cenſeri tuto debet, quod intimus impetum faciens vel ab acoſmia (ſi ante coctionem) vel a criſi molita (ſi poſt coctionem) maculas iſtas propellere nitatur; unde immediatam, & unicam hujus expulſionis cauſam Enormonticum niſum eſſe tuto cenſetur.

Cauſarum indago.

Cauſa proxima ſpirituum niſus.

5 Non ita ſuperfluum erit, contra Nonnullos nimis rigidos, ex ipſa praxi hanc veritatem firmare; ſeu a circumſtantiis paſſim in hac linea emergentibus, propriiſque auxiliis pro urgentia uſurpandis, communem hunc ſenſum (ſi paucos excipias) etiam confirmare. In Petechialibus ergo febribus contingit ſæpius, quod ſpirituum impetus ante coctionem langueſcat, ac veneni vigor in ſanguine creſcat, unde petechiæ, ab irritato ſpiritu jam exploſæ, iterum ad centrum

Confirmatur.

centrum reducantur. In hoc ergo caſu quod aptius auxilium Ars provida in uſum vocat, quidque in hac urgentia efficacius, quam bezoardicis fixis, & volatilibus repetitis enormonticos niſus excitare, ut retroceſſam labem concitatus iterum ad cutim depellat. Fluxum hunc & refluxum tandiu ſæpe prorogatum vidimus, donec e continuatis cardiaco-bezoardicis auxiliis corroboratum Enormon veneficum hoſtem ſubjiciendo, coctionem perfeciſſet; criticoque impulſu morbum, & petechias judicaſſet. Nemo ergo Cordatus inficiabitur, dictas Artis ſuppetias nil aliud agere niſi Naturæ, ſeu impetum facientis ſpiritus energiam excitare, ut a virulenta lue ſe expediat, illamque ſubigat, ac a vitæ clauſtris per conferentem viam, ocyus quo poſſit, eliminet. Non enim in viventi machina purgantia quælibet, cum ſanguinem attingant, illum depurare, noxiam in ipſo ferocientem luem ſubigere, ac eliminare moliuntur, quod opus Naturæ non purgantis eſt proprium. Nil ergo peragunt, niſi vitales impetus excutere, ac provocare, ut noxiam luem ſubjiciant, præcipitent, & a maſſa depellant. Concludamus itaque, quod ſanguinis depurationes omnes, per quaslibet vias ductæ, nec ab illius circulatione, nec ab opportunis auxiliis, ſed ab ipſo ſemper impetum faciente ſpiritu proprio ſponte, vel remediis coadjuto, promoveantur, ac perficiantur.

Cauſæ Occaſionales. 6 Cauſæ demum Occaſionales ex dictis jam *lib.* 1. *de febr. in ſpec.* in hac Petechiali febre duplici veneno concurrere ſueſcunt; Figenti nempe, ſeu coagulativa, vel diſſolventi, ſeu colliquativa virulentia; licet vero ſub utroque veneno Petechias emergere contingat, ſæpius tamen Colliquativas febres, quam Coagulativas frequentaſſe vidimus; cum in colliquato ſanguine impetum faciens ſpiritus effrænis motibus concitatus, facilius in cutis rete ſanguinis labes impellat, quæ ob acre toxicum, quod in his febribus illius maſſam colliquat, & contaminat, nigræ, vel lividæ ſæpius obſervantur; color vero liveſcens, & ater rarò in aliis Coagulativis febribus apparet; cum in iſtis congrumatus hinc inde ſanguis, ſpirituum impetus paſſim coerceat, ac præpediat, unde nec tam rapido incurſu illius maſſa commovetur, nec vehementes febres ſub hoc veneno excandeſcunt, nec tam frequentes petechiæ in hiſce inviſuntur. Quovis denique modo ſanguis a dictis toſſicis diſſolvatur, diſgregatæ illius particulæ, & ut lædentes a veneno infectæ, per diſſolutam maſſam libere vagantes, ut lædentes, ab Enormontico niſu, febris machina utendo, ad peripheriam pelluntur, & in cutis panniculo tandiu implicatæ figuntur, donec Natura vel per ſe, vel Artis ope munita, criſin promovens, illas eliminet, & morbum abſolvat.

7 Prognoſeos fauſtæ vel funeſtæ notiones a Petechiarum eruptione deducuntur, nempe ſi ante, vel poſt coctionem appareant; primo modo, in cruditatis tempore, ſeu ante judicationem erumpentes, malum ſemper omen prænunciant; cum ſpirituum acoſmiam, irritoſque illorum conatus, ac vires inaniter perditas æque deſcribant. In hoc enim cruditatis ſtadio, intime cum ſanguine mixtum, integriſque adhuc viribus invaſum venenum viget; ideo impetum facientis niſus in hac expulſione haud conferenter defatigantur, unde languentes vires, & ad hoſtem ſubjiciendum, ſeu coctionem inſtituendam impares, venefico tandem prævalenti cedere cogitur; equidem in morbi pugna oportet primò infenſam luem ſubigere, ut tuto poſtea eliminari patiatur. Ideo cum a matura coctione maculæ iſtæ ad cutim ducantur, bonum ſemper omen præſagiunt; ſubactum enim, ac præcipitatum venenum, tuto facilique labore ad peripheriam impellitur, & a ſanguinis clauſtro eliminatur; cum omnes poſt coctionem inſtitutæ deſpumationes fauſte ſemper abſolvantur. Non rarò item contingit, quod poſt prima coctionis rudimenta petechiæ appareant; ac ad intima retrocedant, tunc inceptæ coctionis ambiguam abſolutionem portendunt, cum venenum haud ſatis devictum, caput iterum attollere pugnamque ferociorem integrare poſſe, æque timendum eſt; in veneficis enim morbis, cum ſanguinis depuratio ad integrum abſoluta non ſit, nullam pro certo ſecuritatem promittit; *Prognoſis.*

cum

cum autem Artis auxilia facile audiant, citoque ad cutim redeant, æque ſperare licet. Hæc demum quoad Petechiarum tempeſtiva, vel intempeſtiva emergentia ſatis eſſe poſſunt. Quod item ad illarum plus minuſve infauſtum colorem ſpectat; adhuc pauca ſatisfaciunt; effloreſcentiæ igitur iſtæ quo lividiores, & copioſiores erumpunt, eo deteriorem ſanguinis labem exponunt; nigræ namque, vel purpureo-lividæ, maxime in cruditatis ſtadio apparentes, ſanguinis conſiſtentiam pene everſam denunciant; ſicuti minus malum minus atri colores promittere ſolent, excipe tamen impenſe flavas in ardentibus febribus apparentes, quas nigris pejores fuiſſe, non ſemel obſervavi.

Curatio. 8 Harum denique Curationem, ultra remedia illa, quæ in febribus, quas Petechiæ invadere poſſunt, expoſita fuere, nil aliud opportunius expetere poſſe, dignoſcimus. Si enim in venefica Coagulativa febre maculæ iſtæ appareant, indicationes ipſæ, ipſaque remedia, quæ *cap.* 6. *de venef. coagul. febr.* dictata ſunt, etiam in hac emergentia totum opus abſolvere poſſunt; cum figentem in ſanguine virulentiam diſſipare, ac a torpido veneno ſideratos ſpiritus, ut veneficam luem ad peripheriam propellant, concitare, ſatis inibi appropriatis auxiliis conſultum ſit. *In febre coagulativa.* Quod autem ibi deficere poteſt, unica contingentia eſſe videtur, nempe cum in hac febre Petechiæ jam erumpentes, extemplo retrocedere conſpiciantur, (quod in hac febris ſpecie, ob ſpirituum niſum a coagulis præpeditum, facilius quam in colliquativis febribus contingere ſolet) tunc ergo mixturam in eodem *cap.* 6. *num.* 8. *de bezoard.* uſu præſcriptam, adhuc efficaciorem ſequenti, vel ſimili modo reddere convenit, ex. gr.

℞. *Aqu. Card. bened. Scorzon aa. unc. j. ſem.*
de florib. Aurantior. unc. j.
Sal. volatil. oleoſ. noſtri ſcrup. ij.
Extract. Saſſafr. Drach. ſem.
Corn. Cerv. philoſ. calcin.
Antimon diaphor. aa. drach. j.
Spirit. Theriacal. camphorat. gut. xx.
Syrup. de Meliſſ compoſit. unc. j.
M. pro duab. Doſib.

Hanc mixturam eodem ibi præſcripto modo quotidie propinare intereſt, ac apparentes denuo maculæ ab ejuſdem uſu non deſiſtere, imo in pertinaci affectu ter in die ipſam exhibere fas erit, donec non amplius expetatur.

9 In Colliquativis vero febribus ſi Petechiæ appareant, ut plurimum poſt quartum diem erumpere ſolent, cum in his frequentius, ac citius quam in Coagulativis febribus emergant. *In febre colliquativa.* Pro curatione igitur præmiſſis primo remediis, quæ *cap* 7. *de Colliquat. febre* præſcripta fuere, ad appropriata deſcendendo, mixturam *ibi num.* 13. *in ſudor. deficient.* præſcriptam propinare, vel ſi cruditatis ſtadium tam validam prohibeat, nec febris ardor illam tolerare poſſit, ſequentem, vel ſimilem mitiorem adhibere debet.

℞. *Aqu. Boragin. Scabioſ. aa. unc. ij.*
Sulphur. Antim fixi Ludov ſcrup ſem.
Corn. Cerv. philoſ. calcin. Drach ſem.
Syrup. Corall. optim. unc. ſem.
M. pro Doſ. matut de ſero repetend.

Sequentes item regulæ *eodem num.* 13. deſignatæ, hic quoque non negligantur, & cum opus petat, ad uſum vocentur. Quibus tandem ſymptomatis hujus curationem abſolvi poſſe tuto fidimus. Non hic denique more noſtro remediorum Appendicem adnectimus, cum ſymptoma iſtud a febris, quam ſequitur, curatione omnino pendeat; ideo nullum proprium (præter ſanguinis depurationem, quam febris machina perficere ſolet) ſibi adſciſcit remedium; ſanguinis enim ebullitiones intra decentes limites ductæ, petechiarum deſpumationem tuto ſemper abſolvunt.

C A P. XX.

De Morbillis, & Purpura.

1 NOn hic, & nunc de his affectibus implicatam opinionum ſylvam percurrere Inſtituti brevitas patitur; nimis enim undique pullulant Purpuræ, ac Morbillorum quæſtiones, Medentumque diſſidiorum ſemina; Alii græcam dicunt eluſiſſe ſolertiam, ſolumque Recentiorum acumen Veterum ſæculis incognitos hoſce morbos detexiſſe; Alteri adhuc antiquitus non extitiſſe *Morbi hujus opiniones.*

iſſe contendunt, noſtriſque temporibus tantum emerſiſſe arbitrantur, quaſi vel ſæpe novos noſtra germinet terra morbos, vel ſæpius ex altero orbe infectiones inauditas ducantur Plurimi tandem morbos iſtos in differentes propagines diviſerunt; aliud namque Morbillos, aliud Purpuram, itemque Rubeolam, ac Roſaliam aliud eſſe opinati ſunt. Nos vero, dum Hippocratis lumine deſtituimur, liberam philoſophandi arenam ingrediendo, ac cæterorum inutiles argutias vitando, diuturnis experimentis ducti, tuto cenſemus, quod varia morbi hujus nomina, non differentes affectiones, ſed unicum morbum exponunt, qui licet diverſo ſæpe apparatu comitatus invadat; non ſpeciem, ut dicunt, ſed circumſtantias immutat. Sicuti Variolæ ſemper ipſæ ſunt, licet benignæ, aut veneficæ graſſentur; ita hæc affectio, & benigna, & venefica ſemper ipſa eſt, licet non eadem quo ad contingentias eſſe videatur. Quamobrem Febres iſtas, quas noſtra ætate Purpuratas dicunt, eaſdem eſſe inter ſe ipſas, nec niſi nomine a Morbilloſis diverſas; ſic pariter nec Rubeolam, nec Roſaliam alienum morbum indicare arbitramur; quas autem contingentes differentias affectio iſta patiatur, infra videbitur. His ergo præcognitis, Morbum hunc deſcribimus, quod ſit cutanea efflореſcentia, rubris, variæque figuræ maculis ſignata, cum pruritu, cutis aſperitate, ſed ſine continui ſolutione moleſta, ob acrem luem ab intimo niſu extra ſanguinem eliminata; quæ affectio cum ardenti febre, acerbiſque ſymptomatis contingere ſæpe ſolet.

Deſcriptio

2 Differentiæ vero praxi utiliores ſequentes ſunt; primo quod Purpuratæ febres & benignæ, & veneficæ, plus minuſque deleteriæ, ſæpe obſervantur; ſecundo quod Morbillorum emergentiæ diſpares ſunt, interdum rari apparent, & ſic ad morbi terminum uſque ſine augmento perſiſtunt, ſæpe adhuc in febris ſtatu, & in veneficis maxime, ſic maculæ ampliantur, ut univerſali quaſi Eryſipelate corpus totum, vel ſaltem partem aliquam integre defædent, quæ Morbillorum redundantia plurimam in ſanguine luem cumulatam oſtendit. Tertio tandem quod differentes ut plurimum, & ſine determinata figura maculæ iſtæ prorumpunt; nunc enim quaſi rotundam, ſed amplam, & nunc vario modo dilatatam formam exprimunt, quæ diſſimiles apparendi facies morbum hunc in differentes affectus dividere, anſam præbuere; futiles vero, & ad praxin inutiles ſubtilitates illæ Initiatos ſaltem confundunt magis, quam inſtruant. Partem denique affectam cutis panniculum eſſe, omnes vident; an vero internæ corporis partes, & viſcera etiam eodem rubore afficiantur, æque ſuſpicari licet; eadem enim ratio militat in hoc affectu, quam ſupra de Ictero, & Petechiis expoſuimus, & infra de Variolis repetere, opus erit. Deſpumationes enim iſtæ, extra ſanguinis clauſtra depulſæ, nondum ad cutim tantum, ſed ubicunque arteriarum oſcula proprium fluidum deponunt, æquali modo effunduntur. Propriam vero partem ab his ſordibus affectam ſanguinem eſſe, *antec. cap.* dictum eſt.

Differentiæ.

Pars affecta.

3 Diagnoſis demum ad morbi hujus notionem lumina propria ſuggerit, ut & imminentem, & præſentem, & declinantem dignoſcamus. Et primo imminentem affectum, cum epidemia hujus conſtitutio ſit, prænunciant Anorexiæ, Vomitus, Viriumque ſubitus lapſus, hinc febris vehemens ſine frigore invadens, convulſivis motibus, deliriiſque ſociata, excandeſcit, ac pro epidemiæ tenore, corporumque diſpoſitione, vel difficilis reſpiratio, vel alvi fluxus exagitant; circa quartum tandem purpureæ plus minuſve copioſæ maculæ apparent, quo tempore primum morbi ſtadium abſolvitur. In altero autem, ſeu in morbi vigore, quod a quarto uſque ad ſeptimum percurrit, febris & ſymptomata vehementius moleſtant, ſitis accenditur, reſpiratio imminuitur, deglutitio præpeditur, hæc præcipue cum in thorace morbi tragædia peragatur, cum vero in inteſtinis, tunc abdominis tormina, alvi fluxus, lumborumque ardores excruciant, hinc maculæ tanta fertilitate propagantur, ut in plurimis univerſum corpus eryſipelate quadam circumſcribatur, quo tempore ita exacerbantur omnia, ut ſæpe mortem inducant. Cum vero lethum evitetur, ac ultimum declinationis ſtadium morbus

Diagnoſis

bus currat, omnia in melius vertuntur, febris enim miteſcit, ſymptomata placantur, cutiſque quaſi ſquammata, ſenſim propriam fæditatem deponit, ac aſpera jam ſuam lenitatem recuperat; ſicque morbus quartadecima tandem abſolvitur. In Puerulis item, quos non raro epidemia iſta trucidat, propria Morbillorum ſigna innuere adhuc convenit; imminentis morbi hujus, cum graſſatur, indicia ſunt, primo cibi faſtidium, inſueta mæſtitia, & luctus, ac decumbendi propenſio, inde febris ardens abſque frigore invadit, ac æquali æſtu ad quartum uſque percurrit, cujus comites ſunt tremores, pavores, convulſiones, ac epilepſiæ ſimiles inſultus, & hinc circa tertium, & quartum macularum irruptiones ſequuntur, ac in deſperato caſu adhuc petechiæ morbillis permiſcentur; qui vero evadunt, poſt ſeptimum melius habent.

Cauſa, & fomites. 4 Antequam propriam hujus morbi cauſam attingamus, occaſiones proximas, quæ illam ad impetus provocant, noſcere primo intereſt. Proprios ergo hujus affectus fomites tenuiſſimas volatiles, ac ſumme acres, ideoque veneficas particulas eſſe, certo credimus; iſtæ, inquam, cum per quamlibet viam ſanguinem invadant, irrequietis illarum motibus ipſius conſiſtentiam ſubvertere, texturam diſſolvere, totamque maſſam colliquare aptæ ſunt, corroſiva enim virulentia præditæ vegetam ſanguinis conformationem in ſeroſam illuviem extenuare nititur, ut jam *lib.2. cap.7. de venef colliqu.febr.* dictum fuit; Hoc præcognito, ſatis etiam ibi, ac alibi paſſim notum fecimus, quod contra quodlibet, & ſpeciatim contra hoc acre toxicum, ne ſanguinem pervertat, Natura inſurgere ſueſcit, cum ſpirituum impetum ad infenſi veneni exploſionem impellat; propria enim jura tueri ſemper, tot enormonticos motus abunde oſtendunt; at non ſemper tamen intentum ſcopum aſſequitur, cum interdum vel prævalens hoſtis, vel ſæpius ipſius niſus acoſmia ductus, non conferenti molimine invaſum venenum aggrediatur, ſicque aut ab illius virulentia opprimitur, aut vix, & cum virium jactura laborioſam refert victoriam; hæc inquam in hoc præcipue, ſicut in cæteris veneficis morbis, paſſim contingere, tutæ obſervationes convincunt. Acutiſſima enim febris hæc purpurata eſſe ſolet, cum circa quartum diem, non expectata coctione, veneni ſtigmata in cuti Natura deponat. Spirituum enim impetus, feroci acoſmia concitatus, virulentam luem anomalis motibus aggreditur, & quo poteſt a ſanguine depellit, ſicque vel cum virium jactura ſymptomatico impulſu, vel cum victoria critico demum niſu veneficum hoſtem a centro ſanguinis ad peripheriam eliminat; cum vero ad laborioſam pugnam impares vires ſint, ſub præpotenti veneno vitalia jura relinquunt, & ſic a duplici furore ſanguinis ſtrages peraguntur; a proximo enim hujus morbi fomite, acri nempe veneno, illius maſſa colliquatur; & a feroci ſpirituum impetu, impari niſu concitato, omnino diſſolvitur; hic vehementis febris ductor, & productor, illud infecti ſanguinis origo funeſta.

5 Cognitis demum cauſis, morbi Prognoſin audire ſupereſt; hæc ergo ut in veneficis omnibus, ita in hac pariter febre periculoſum eventum, & ſpem ambiguam denunciat; acutiſſimus enim, & fallax morbus eſt, cum ante ſeptimum ſæpe interimat, & poſt doloſam declinationem affectus lethales interdum a tergo relinquat. Plures equidem poſt abſumptos morbillos, in Phthiſin, vel Hydropem incidiſſe, obſervationes referunt; hæc ut plurimum contingunt, cum poſt levem expulſionem febres, & ſymptomata inopinate miteſcant, & ſic tacita metaſtaſi molita, ægros decipiunt, dum venenum ad tempus in viſceribus claudunt, ut muto greſſu pedetentim propriam exerat virulentiam. Quamobrem cum poſt quartum cum levi expulſione febris, & ſymptomata evaneſcant, niſi in integrum vitalis œconomia ad ſua munia poſt decimam diem reſtituatur, ſuſpecta res eſt; venenum enim in intimis abditum pejorem morbum moliri, certo portendit, quod ſæpe febricula poſt decimum invadens, facile oſtendit, in quo tamen eventu ſumma peritia requiritur, ut omnes morbi hujus præteritæ, præſenteſque conditiones æque diſcernantur. Contra vero cum febris vehemens, ſævis ſociata ſymptomatis, ad ſeptimum, vel ultra percur- *Prognoſis.*

rat, ac morbillorum copiam ſimul propellat, abſolutaque criſi, omnia in melius procedant, morbum fauſto judicio abſolutum eſſe denunciat. Si autem poſt ſeptimum, & poſt plenam eruptionem, febris diutine ingraveſcat, ambigua, & ſæpe deſperata res eſt; implacabilem enim ſpirituum acoſmiam in hac febre compeſcere, ardue nimis aſſequitur, & cum ad decimum quartum auxiliis ſedantibus non obediat, extrema luditur alea, ſanguinem certo colliquatum jam eſſe, non ambigitur. Vomitus demum, vel Diarrhæa, ſi eruptionis tempore invadat, morbillos ad intima revocat, cum oppoſitæ motiones Naturam confundant, ſimulque infringantur. Diuturna item Anorexia poſt eruptionem invadens, & maxime ſi cum difficili reſpiratione ſociata ſit, non ſatis depulſum venenum ſæpe denunciat; ſic pariter Vigiliæ poſt morbi ſtatum, ſeu vigorem pertinaciter moleſtæ nervoſum genus etiam hac infici labe portendunt, & has in phrenitim non raro devolutas inſpeximus. Septies hactenus populariter graſſantem hunc morbum inviſimus, ſemperque ocyter acutiſſimorum more de vita decertaſſe, nimiſque in plurimis arduam curationem audiviſſe obſervavimus.

Curationis cautiones. 6 Curatio demum inter oppoſitas indicationes vagari videtur; prima enim intentio eſt, Naturæ niſus ad veneni exploſionem ſtimulare; altera vero ejuſdem ferocientem impulſum intra moderationis limites cohibere. Equidem duplici, ac utroque funeſto periculo affectus iſte duci ſolet, acerrimo nempe veneno, & Enormontica concitatione; primum cum altera quaſi clavum clavo pellitur, ſed ambo vulnera figunt lethalia. Qui ergo ſpirituum impetum in hac febre ſollicitat, mortem interdum accelerat, & qui non æque ſollicitat, ſub veneno vitam ſuffocari ſinit. Inter hæc pericula ergo medium tenere tutum erit; nempe venefici hoſtis eliminationem promovere, concitatam vero Eliminantis acoſmiam æquo fræno moderari. Hæc, inquam, conſulto præmiſimus, ut nonnullorum imperitiam (qui fundentibus bezoardicis abſque cautione, & cum detrimento in hac febre ſæpius utuntur) tutius dirigere aſſequamur. Scire igitur intereſt, quod non minus a concitato ſpirituum impetu, quam a venefica infectione vitæ diſcrimina imminent; ideo cauta methodo incedendum, & quo tutiori remedio venenum eliminandum, ſpirituumque immoderatum impetum dirigendum eſſe videtur, æque proſpicere intereſt; ad has ergo metas aſſequendas, ſequentibus auxiliis tutam viam facere, pluribus experimentis compertus ſum.

7 Præ cæteris primum vehemens febris curationi ſe offert, quæ cum ſemper in hoc affectu ex colliquatione ſit, eandem ideo methodum, quam *lib. 2. cap. 7. de venef. colliq. febr.* dedimus, æquo jure admittit. Iiſdem ergo reflexionibus, quas eodem *cap. 7 num. 9 peſtilent. curat. uſque ad* 14. expendimus, hic quoque uti oportet; cum eaſdem ponderationes, quas de varia ſudoris contingentia ibi expendimus, ad diverſam etiam morbillorum eruptionem æque, & recte aptari poſſit, eademque auxilia, cum eadem methodo ibi præſcripta, hic quoque adamuſſim conveniant; omnia enim illa in utroque caſu proprias indicationes conferunt, nempe & venenum ad cutim explodendum, & Enormonticum niſum ferocientem moderandum, vel inertem excitandum, æque directa ſunt; ideo in hoc morbo curando, præter illa nil aliud, niſi aliquam reflexionem addere, eſt opus. *Primo febris curatio.* Interdum ergo contingit, quod ante, vel poſt ſeptimum purpureæ maculæ (abſque certo maturitatis indicio, ac ſine ullo per aliam conferentem viam critico motu) langueſcente febre, ſubito evaneſcant; tunc ne aliquam in viſceribus metaſtaſim Natura moliatur, (ut in nonnullis, qui in hoc caſu alia remedia ſpreverunt, contigiſſe obſervavi, quorum alii Phthiſin, alii pectoris Hydropen paſſi ſunt) tunc, inquam, præter auxilium diaphoreticum, in dicto *cap. 7. num.* 13 *pro ſudor. defic.* expoſitum, quod ſumme validum in hac urgentia erit, ſequentem etiam, vel ſimilem mixturam, ad uſum vocare oportet, videlicet.

℞. *Aqu. Scabioſ. Scorzoner. aa. unc. ij.*
de flor. Aurant. unc. ſem.
Sulphur. Antimon. fixi Ludov. ſcrup. ſem.

Corn.

Corn. Cerv. philoſoph. calcin. Drach. ſem.
Syrup. Card. bened. unc. j.
M. & cochleat. interdiu utat.

Quod ſi febris his auxiliis excitata, circa nonam diem vehemens reſurgat, nec morbilli, nec ſudores appareant; æque tunc perpendere intereſt, an illius vehementiam moderari, vel omnino compeſcere, aut in ſuo curſu relinquere deceat, donec ſui ſtadii metam, ſeu decimam quartam diem, vel adhuc ultra, cum aliqua criſi attingat; in hoc enim caſu, graſſantis morbi virulentiam, febris concitationem, cruditatis, vel coctionis tempora, & maxime Patientis vires, cæteraque adjacentia ponderare eſt opus, ex qua recta lance curativa deliberatio æque pendet.

Tarda illorum excretio. 8 Altera reflexio eſt, ſi nempe non poſt quartum, (ut hujus febris mos eſt) ſed in ſeptimo, vel poſt ipſum Morbilli appareant; tunc primo noſcere intereſt, an in cruditatis, vel in coctionis ſtadio tarda hæc eruptio contingat. Si primum, funeſtum ſæpe ſignum fuiſſe, pluries inſpexi; cum hæc remorata exploſio, non domitricis, ſed oppreſſæ Naturæ, extremique ipſius niſus indicium ſit; ideo providi medentis erit, febris conditiones, Patientiſque vires apprime perpendere, & ſi febris, vireſque langueſcant, quod ſæpe ſæpius in hoc caſu contingit, ſequenti vel ſimili auxilio utraſque pro viribus reſtaurare, ocyter, tutoque intereſt; videlicet

℞. *Aqu. Borag. Card. bened. aa. unc. ij.*
de Flor. Aurant. unc. ſem.
Sulphur. antimon. fixi Ludov. *gr. xv.*
Corn. Cerv. philoſ. calcin. Drach. j.
Confect. Alcherm. complet. Drach. ſem.
Syrup. de Meliſſa compoſ. noſtri unc j.
M. & cochleat. tota mane ſumat. & veſper. replicet.

Hoc auxilio in caſu iſto difficili per dies aliquot uſurpato, plures ab imminenti letho redemiſſe obſervavi, cum in undecimo ad ſummum & coctionem, & morbillos ad maturitatem duxiſſet, pauca vero hujus mixturæ, pro circumſtantiis variantibus permutare ſuevi. Reliqua demum curativa methodus *ex dict. cap. 7.* facile deduci poteſt. Altera contingentia paucam reflexionem exigit; cum enim poſt coctionem tarda licet Morbillorum eruptio appareat, debilis & defeſſæ, ſed tandem victricis Naturæ indicium eſt, quæ non celeriter, ſed lente, ac laborioſe virulentam luem ſubjicere potuit; ideo ipſius molimina blandis bezoarticis ſecundare oportet, ut ſalutis opus denique perficiat.

9 Tertia reflexio ultimam morbi hujus contingentiam reſpicit, nempe cum poſt plenam morbillorum eliminationem, ac maturitatem, vehemens adhuc febris, acerbaque ſymptomata in dies perſiſtant. Hunc ergo febris exceſſum vitiatæ Naturæ potius, quam ſubacti veneni reliquiis, denuo per febrem ſubjiciendis, attribui debere ſuadeor. Verum ne in ambiguis decipiamur; febrem hanc ultra debitum ferocientem, non prorſus compeſcere, ſed mitigare ſaltem tutius erit; ne ſi aliquid veneni adhuc in ſanguine ſubigendum ſuperſit, cohibita omnino febre, in maſſa, ad novas turbas excitandas, relinquatur; at quod urgentius eſt, ne vitiata ſpirituum concitatio, diu ferociente febre, ſanguinis texturam diſſolvere, & colliquare nitatur, maxime cum animi defectus, vel acuta deliria, impenſaque ſitis in febris vigore, ut non ſemel vidimus, fortius ingraveſcant. In hac ergo urgentia ſpirituum acoſmiam moderari eſt opus, ad quem ſcopum ſequens, vel ſimilis mixtura opportuna erit, videlicet: *Febrem ferocientem ſedare.*

℞. *Aqu. Acetoſ. Fragar. aa. unc. ij.*
Cryſtall. ex Nitro, & Corall. parat. Drach. j.
Tinct. Anodyn. Ludovic. gut. xij.
Syrup. de Acetoſit Citri unc. j.
M. pro Doſ. mane, & veſper. repetend.

Hæc ergo una cum aliis auxiliis, *dict. cap. 7. num. 17. pro pertinac. febr.* expoſitis, juxta exigentiam confœderare adhuc oportet; demumque omnia hactenus perpenſa, pro vario febris hujus regimine ſatis ſint.

10 Verum nec urgentia in hoc morbo ſymptomata muto tranſcurſu dimittere, æquum eſſe videtur, cum ab inſtituta Morbillorum curativa methodo deviare ſæpe cogant; urgentiora vero ſunt Vomitus, Diarrhea, & faucium ſtrangulatio, quæ ſymptomata cum ante quartum appareant, proptam mor- *Vomitum ſedare.*

billorum eruptionem ſemper inhibent, & ad ſeptimum, ac ultra, protrahunt, vel vitæ pericula inducunt; cum ad oppoſitos impulſus raro, & ſæpe nunquam ſalubriter Natura ducatur. Ideo irritationis motus hoſce cito compeſcere fas eſt, ut expedita veneni depulſio per ipſos non præpediatur. Primo Vomitus ſe offert, qui ſi ſtomachi luem aliis indiciis denunciat, leni aliquo emetico illum expiare apprime convenit, ex. gr.

℞. *Tartar. Emetic. Officinar. gr. viij.*
Sal. Abſinth. Drach. ſem.
Aqu. Menth. criſpæ unc. iij.
Syrup. de Agred. Citr. unc. ſem.
M. f. Emetic. pro Doſ.

Stomachi revocata lue, ſtatim vomitiones compeſcere intereſt, ad quod opus ſequens, vel ſimile ſedativum opportunum erit, videlicet.

℞. *Aqu. Menth. odorat. unc. ij.*
de Cinamom. cydoniat. unc. ſem.
Sal. eſſent. Abſinth. ſcrup. ij.
Terr. Sigillat. optim. Drach. ſem.
Laudan. Cydon. liquid gut. viij.
Syrup. Myrtillor. unc j.
M. & cochleat. mane ſumat. & veſper. repet.

Os item ventriculi oleo Nucis moſchatæ, cum Balſamo Peruviano mixt. illinire convenit, vel linteolum duplicatum, ſucco Menthæ madefactum, & ovi albumine illitum, ac Thuris, & Maſtich. pulvere aſperſum, ſuper os ventriculi tepefactum apponere, quod præſentaneum ſæpius per ſe tantum fuiſſe, compertum habeo. Hæc demum omnia una cum febris curatione, *dicto cap 7.* expoſita; pro exigentia componere, periti Medentis eſt opus.

Diarrhœam ſedare. 11 Diarrhœa pariter, cum ante morbillorum eruptionem, aut in illorum ſtadio contingat, ſemper noxia eſt; ideo citius quo poſſit, compeſcenda erit; non vero purgantibus, quæ cutaneam eliminationem anteverterent, ſed ſedantibus clyſmatis uti, opportunius erit; cum non niſi ab univerſali ſpirituum concitatione periſtaltici motus everſiones iſtæ proveniant; ſi autem a procatharticis cauſis illuvies aliqua in inteſtinis ineſſe prænunciatur, ac ſignis propriis indicatur, tunc primo aliquo leniter purganti clyſtere uti decet, & poſt decentem purgationem, aliquo ſedanti utatur, & pro exigentia etiam repetatur, ex. gr.

℞. *Lact. vaccin. chalybeat. unc. viij.*
Succ. Plantag. recent. unc. ij.
Diaſcord. Fracaſtor. Drach. ij.
Ol. Maſtich. Myrthill. aa. unc. j.
M f. Clyſt. ad opus repetend.

Similiter abdominis unctiones ex Ol. Maſtich. Myrthill. cum ſucco Cydon. acidor. mixt. ter quaterve in die replicentur. Item interna remedia cum opus ſit, non negligantur, in qua linea ultra *ſupradat. num.* 10. ſequens, vel ſimile proficuum erit, videlicet.

℞. *Aqu. Plantag Portul. aa. unc ij.*
Maſtichin Mynſicht. unc j.
Extract. Tormentill Drach ſem.
Croc. Martii ſtyptic. ſcrup j.
Laudan. Cydoniat liquid gut. viij.
Syrup. Corallor optim. unc j.
M pro Doſ. matut veſper. repet.

De ſero item cubitum iturus Patiens ſequentem opiatam ſumat, videlicet.

℞. *Conſerv. Roſar. vetuſt Drach iij.*
Terr. ſigillat. optim. Drach. ſem.
Extract. Tormentill ſcrup ij.
Laudan. cydoniat. liquid gut iv.
M f Opiata pro una Doſ.

12 Denique nec difficilem in hoc affectu reſpirationem, gutturiſve ardorem, vel tumorem negligere oportet; tam acerbo enim cruciatu in hujus morbi ſtatu hæc paſſio ingraveſcit, ut quaſi Anginoſos nec deglutire, nec reſpirare poſſe, Patientes inſpexerim, unde ſuffocatos decedere pueros nonnullos vidimus, adultos item ob nimiam ſpirandi anguſtiam, ſtrangulatos eſſe, clamare audivimus. Symptomatis hujus furores tandiu ſæviunt, donec morbilli, in faucibus tumeſcentes, detumeſcant, quod circa quintam, & ſeptimam diem abſolvitur, maximè cum acutiſſimorum ſtadium morbus iſte percurrat. Hoc ergo tempore, ut ab anguſtiis ſubleventur ægri, remedia ſequentia, vel ſimilia illis exhibere convenit, ex. gr.

℞. *Aqu. Portull. Plantag. aa unc. ij.*
Lactis Caprill. unc vj.
Sal. Prunell pulver. Drach. iij.
Syrup. Violar. unc. ſem.
M. & tepefact. gargariſetur.

vel ℞. *Aqu. Spermat. Ranar. unc ij.*
Succ. Cancr. fluviat. unc iv.

Syrup.

Syrup. Papav. errat. unc.j.
M. & ſimiliter utito.
vel ℞. *Aqu. deſtill. ex Caſſia unc.vj.*
Sal Prunell. pulver. Drach.ij.
M. & Pueri deglutire poſſunt.
Item pro Linctu.
℞. *Aqu. Fragar. Plantag. aa. unc.j.*
Spec. Diatragac. frigid. Drach.ij.
Sacchar. Penidior. unc.ſem.
Syrup. Papav. errat. unc j.
M. & lambend. ſæpius utito.

Sed hæc tandem pro Juniorum exemplo ſatis ſint. Cætera vero ſymptomata, quæ ſæpe in hoc affectu emergunt, ut morbillorum exploſioni minus reſiſtentia, ac alibi ſatis expenſa, hic reticere convenit, cum in propriis locis illorum urgentiis jam conſultum ſit. Neque hic ſolito more Appendicem adnectimus, cum Bezoardica, & Diaphoretica remedia paſſim undique data, facili negotio ad hoc opus etiam revocari æque poſſit.

CAP. XXI.

De Variolis.

Variolarum principium ambiguum 1 HAnc pariter morboſam, Græcis ignotam, Variolarum proſapiam, primoque ab Arabibus inſpectam fuiſſe, vulgo jactatur. Iſti vero, cum illarum fomitem, & cauſam a mundi exordio exiſtentem culpaſſent, omneſque ab utero matris hac infici labe, crediſſent, mirum proinde eſt, quod vel inviſæ Græcis variolæ fuiſſent, vel ſolum illorum temporibus nocendi primordia ſumpſiſſent; nec minus a vero diſtat, quod ad virilitatem, & ſenectam uſque (ut in plurimis contigiſſe patet) veneficum illarum ſemen innocuum in ſanguine latitare potuiſſet; quæ certo futile hoc Arabum inventum eſſe, facile oſtendunt. Magis itaque veritati conſonum, ac experimentis comprobatum, eſſe videtur, quod epidemiæ Variolæ, ut plurimi contagioſi morbi, annorum periodis claudantur, ac per longas aliquando ſileant ætates, donec novis aſtrorum influentiis, ac ſimilibus excitatis terrarum effluviis, iterum reſurgant poſt ſecula. Quamobrem omnes per noſtras ætates populariter graſſantes morbos, oblitis jam temporibus viguiſſe, vel ſaltem ſine populari ſtrepitu nonnullos affeciſſe, non immerito arbitraverim. Sicque Olympiadum ætatibus Petechias, Morbillos, Variolas non penitus inviſas fuiſſe, licet nec tam ſævo apparatu, nec tanta infectorum ſtrage, ſæviſſe crediderim. Profecto vetuſta illa Exanthematum, Ecthymatum, Eczematumque vocabula, cutaneas in febribus effloreſcentias varias græca voce loquentia, ſimiles, & forſan iſtos affectus exponunt; nec aliud quidem quam Petechias, Morbillos, & Variolas Exanthemata illa fuiſſe, quas ipſe *Galenus lib.*5. *de method. medend. cap* 12. *circ. finem pag m.* 34. his verbis expoſuit. *Iis puſtulæ, quas exanthemata vocant, nigræ toto corpore multæ apparuerunt.* (ecce Petechiæ) *Aliis quidem, quibus exulcerata ſumma pars fuit*, (ecce Variolæ (*decidit ipſa ulceris cruſtula, quam Ephelgida nominant, ac poſt duos dies circiter ad cicatricem pervenit. Aliis quibus ulcerata ſummitas non eſt* (ecce Morbilli) *exanthema ipſum aſperum erat, deciditque veluti ſquama quædam, &c.* Quis ergo dictos cutis affectus, Galeni tempore inviſos, negare poterit? Hunc autem textum ſi Arabes non neglexiſſent, vanam Inventorum gloriam haud occupaſſent; liberam vero cuique opinandi poteſtatem relinquimus, & ad morbi hujus naturam, & circunſtantias exponendas accedimus.

2 Quid ergo proprie hic ſit, & quomodo ſæviat, affectus, primo expendere oportet; varia enim ſemper hujus infectionis tragædia differentes de illius indole, & cauſis pathologias firmare, Doctores induxit. Profecto ſi Cauſa exquiritur, inter Veterum, ac Recentiorum controverſias ambigitur, & an ex ingenito cuique ſeminio, an vero ex externa contagione prorumpat, hinc inde opinatur; item ſi effectus perpenduntur, haud tuto deprehenditur, quomodo ex eadem influentia graſſante, non eadem in omnibus virulentia, & ferocitate ſæviat; nec in qualibet illius durationis periodo ſimilia ſymptomata ducat; nec quare plurimos inter atroces paſſiones fato cedere cogat, alios vero ſine moleſtia, & cum placida purgatione ſan- *Variolarum determinata ſententia.*

ne ſanguinem ab hoc viru expiare ſinat. Hæc omnia ergo Infectionis hujus diſcrimina, vel varia iſtius contagii ſemina plus minuſve nocentia culpare, vel idem veneficum ſeminium non in omnibus æqualiter ſævire poſſe, ſed ab affectis corporibus læſionis normam deſumere, plane indicant. Quid quid ergo de ingenita omnibus variolarum radice futiles Arabum opiniones reclament, unam vel alteram ex nunc propoſitis judicationibus, vel utraſque ſimul determinare ſuademur. Quamobrem integrum Variolarum productum, varioſque læſionis gradus a contagione ſollicitante primum, & inde a ſanguinis intima, plus minuſve reſiſtenti textura, ac a ſpirituum niſu magis etiam, vel minus valido, intruſum venenum eliminante, oriri poſſe arbitramur. His ergo poſitis, affectum hunc ita deſcribimus; Variolæ ſunt puſtulæ, ab intimo ſpirituum niſu extra infecti ſanguinis clauſtra, impulſu plus, minuſque valido, expulſæ. Cum hoc autem ſpirituum niſu, vario impetu concitato, creſcit ſimul, decreſcitque febris, cujus gradus inſequendo ſymptomata ingraveſcunt, & minuuntur. Si demum ſanguinis deſpumatio, ob Enormonticum languorem non rite procedat, emergentes Variolæ vel non intumeſcunt, vel tumentes non maturantur, ſed areſcendo evaneſcunt; ſicque venenum retrocedens, interimit. Hanc ergo veram, pro noſtro ſenſu, morbi hujus naturam, & conditiones eſſe, tuto arbitremur.

Deſcribitur morbus.

Ejus differentiæ.

3. Expoſita morbi indole, illius differentias ſimul expendere ſupereſt, cum variæ illius facies, ne decipiant, diſtinctam notionem petant. Harum ergo præcipuæ duæ tantum ſunt, Benignæ nimirum, quæ cum modico incommodo abſolvuntur; alteræ vero Malignæ, quæ ſummis cruciatibus ſæviunt, ſemperque periculoſæ, ac ſæpe lethales experiuntur. Priores ergo abſque gravi moleſtia rubris primo maculis, paucis vero, & raris emergunt, & inde ad puſtularum formam cito intumeſcunt, ac purulentæ in ſtatu matureſcunt, demumque areſcentes decidunt, & quia veneficæ non ſunt, nullum ſui veſtigium in cuti relinquunt; hæc tandem febriculam inſenſibilem ſecum ducunt, & in pueris præcipue, qui ſine decubitu edendo, ludendo, alacriterque vita fruendo, Variolas abſque incommodo perferre ſolent. Contra vero Malignæ, quarum ſævitia omnem tolerantiam proſternunt. Has, inquam, differentes febres comitantur, aliæ vehementer ſanguinem commovent, aliæ item ſub horrendis ſymptomatis minus æquo accenduntur, & aliæ demum æquo vehementius excandeſcunt, omnes vero fluidorum ebullitionem concitando, infenſam luem deſpumare intentant, ut illius eliminationem conſequantur.; vario tamen eventu, nam in prioribus recta pugna viget, ſæpiuſque victoria Naturæ paratur; in ſecundis vero febris machina langueſcendo, venenum præpollens triumphare ſæpe ſolet; in tertiis demum ſanguinis ebullitio præceps, nondum infenſæ luis, ſed propriam ſimul everſionem intentat. Differentiæ item aliæ ab ipſis Variolis deſumuntur; multæ enim Diſcretæ, ſeu ab invicem ſeparatæ ex cute pullulant, alteræ vero Confluentes, ſeu congeſtæ ſimul, & in una baſi conglutinatæ ſurgunt, quæ præ alteris noxiæ magis comperiuntur; verum de his omnibus in ſequentibus clarior ſermo erit.

Partes affectæ.

4. Affectæ partes, quæ oculis primo patent, cutis denſa, & epidermis ſunt, ſed intima viſcera, quæ abdita non apparent, Variolis item infecta, anatomicæ inſpectiones perſæpe detexerunt; inflammatum enim in externis partibus corpus, intimos etiam phlegmones viſcera devaſtaſſe primo indicat; cum fons ille fedus, a quo hæc lues externæ dimanant, intimas omnes partes, quas pleniori fluido perluit, primo contaminaſſe, demonſtret. Hoc inquam indicant, reſpiratio difficilis, quæ in hujus morbi exordio plurimos cruciat, anhelituſque fætidus, qui ſæpius ex ore prodit, quæ certo pulmonem, ac thoracem ſimul hac lue infectos eſſe, externis ſignis oſtendunt; & hoc item confirmant tabes, hydrops, aliique funeſti morbi, ad quos terminos ducuntur ſæpius illi, quorum Variolæ non æque, recteque ad cutim eliminatæ ſunt; ſed quid ultra ratio fatigat, ubi tot anatomicæ inſpectiones oculis ipſis hanc veritatem ſatis demonſtrarunt. Hæc omnes tamen

tamen de ſecundario, ſeu de conſequenti partes affectæ dicuntur, cum de primario, & ut propriam originem, ſanguinem eſſe, nemo peritus ignorat; fluida enim omnia ab hoc veneno male affecta, primoque infecta ſunt, quæ cum undique viventem machinam uſque ad extimam cutem continuo perluant, proprium ſuccum probum, vel improbum partibus quibuslibet, pro illarum tono, & exigentia communicant; ideo potior pars affecta in hoc morbo ſanguis ipſe hac venefica lue infectus eſſe certo dignoſcitur.

Diagnoſis. 5 Diagnoſis demum nos docet, morbum hunc acutiſſimum eſſe, cum in quarto ut plurimum, qui primus puſtularum emergentium dies eſt, inceptam jam Criſin Natura oſtendere ſueſcat; quamobrem pleno impetu prima, ſecunda, & tertia die contra veneficam luem Enormonticus niſus pugnare, perſpicuis ſignis, vehementi nempe febre, plurimo, acerboque ſymptomatum ſatellitio comitata, aperte noſcitur. Ideo Affectum hunc difficilem, ac in exordio, augmento, & termino ſemper diſſimilem, in quolibet ſui ſtadio propriis ſignis exponere, opportunum erit. In primo igitur indicia propria, quæ imminentem hunc morbum exponunt, *Signa primi ſtadii.* tria ſæpius fuiſſe, in Adultis ſaltem obſervavimus, capitis nempe, lumborumque dolores, irrequietæ corporis jactationes, & mentis alienationes. In peſtilentibus autem Variolis nulla jactatio, ſed virium jactura, membrorumque languores patientes proſtrabant; cœtera vero ſymptomata contingenter, & pro vario viſcerum apparatu, vel culpa, emergere ſolent; aliquando enim nauſea, vomitus, vel diarrhæa, ob vitioſam primarum viarum repletionem, aut ob concitatam ſpirituum excandeſcentiam, ſub morbi initio apparent; ſæpe narium, vel uteri hæmorrhagiæ, quæ febris vehementiam imminuunt; non raro ſyncopes, vel lypothymiæ maxime in peſtilentibus recurrunt; ſic reſpiratio difficilis, anhelituſque coactus, circa quartum præcipue, ob variolas in thorace, & pulmone primo erumpentes; hinc oris ardor, faucium inflammatio, ſitis ardens, oculi coruſcantes, aut lacrimantes, aurium tinnitus, vel ſurditas, facies rubeſcens, aut livida; hæc, inquam, modo hunc, modo alium ægrotantem invadunt, pro diſpari corporum diſpoſitione, ſanguiniſque infectione variantia. In nervoſo item genere ſævior tragædia peragitur, atroces enim vigiliæ, aſſidui tremores, convulſivi motus, & epileptici, maxime in pueris, excandeſcunt. Hæc demum omnia, vel plura ſimul, fatalem illam ante criſin pugnam, in qua Natura cum veneno dimicat, in primo nempe variolarum ſtadio, ſæpius oſtendunt; & niſi ſpirituum languor, vel toxici pertinacia diuturniorem luctam producere, criſinque ad ſeptimum vel adhuc ultra protrahere cogat, in primo triduo abſolvi ſemper inſpicitur.

6 Alterum Variolæ ſtadium ab illius eruptione ad matureſcentiam extenditur, in quo poſt inteſtinam pugnam, victoriæ initium, ſeu incepta criſis perficienda, ſe prodit. *Signa ſecundi ſtadii.* Quarta ergo die, ſubactum in ſanguine venenum ad cutim eliminatur, unde puſtulæ parvæ rubeſcentes, hinc inde diſperſæ per corporis ambitum, & præcipue circa pectus, & dorſum ſæpius erumpunt, ſenſimque pro veneni copia undique propagantur; hujus vero eruptionis indicium moleſtus cutis pruritus, ac punctionis acerba ſenſatio eſſe ſolet, cum nempe depulſum a Natura venenum cutim, & cuticulam perforare, ac extra corpus abſcedere cogitur; hæc ſæpius dicta die quarta erumpunt, ſequenti vero in tubercula exurgunt, ac in ſexta demum humore ichoroſo gravida intumeſcunt; quod triduum, cum perfecta criſis evadat, alterum ſtadium claudere ſolet. In hac ergo fauſta devicti veneni eliminatione febris, & ſymptomata ſimul acerbitatem dimittunt, ſæpeque omnino recedunt, vel ita ſaltem miteſcunt, ut præter Variolarum moleſtiam, facile tolerentur. Contra vero, cum Natura defatigata langueſcat, inceptam ſanguinis deſpumationem abſolvere nequit, tunc vel ambiguam victoriam prorogata poſt quartum Variolarum eruptio demonſtrat, vel dimiſſo certamine, hoſti virulento palmam cedit; in primo caſu imperfectam criſin, in altero nunquam perficiendam proſtrata Natura denunciat; in primo enim

æquali

æquali ſæpe niſu ambo decertant, & in altero præpotens venenum Naturam ſubigere ſolet. Signa prioris ſunt, 1. tarda Variolarum excretio, ſæpeque viciſſim prorogata ipſarum retroceſſio, & expulſio, 2. diuturna, & conglomerata repullulatio, ita ut plures ſimul in prioris puſtulæ baſi noviter exurgant; 3. febris continuo vehemens, ſævis comitata ſymptomatis, ac præcipue hæmorrhagiis narium, & uteri, quæ impenſam fluidorum concitationem oſtendunt; 4. cum victrix tandem Natura ſit, perfecta licet tarda veneni eliminatio, integraque Variolarum maturatio conſequitur. Proſtratæ vero Naturæ ſigna eſſe ſolent; 1. languida puſtularum excretio, modica intumeſcentia, minorque maturitas; 2. ſi aliquando tumeſcant, lividus in illarum baſi circulus, vel nigrum in apice punctum, puſtulæve liveſcentes apparent; 3. permixtæ inter Variolas petechiæ, quæ peſtilentem ſæpius indicant morbum, veneníque præpotentiam oſtentant; 4. ingens partis alicujus intumeſcentia præcipueque Capitis, cujus tumorem Hydrocephali magnitudinem, ſed livido colore tinctum, æmulari, non raro vidimus; hæc ergo omnia, vel plura ſimul funeſtam metam in hoc ſtadio portendunt.

Tertii ſtadii ſigna. 7 Tertii demum ſigna, pro varia morbi conditione duplicem viam fauſtam nempe, vel funeſtam ſequuntur; fauſtæ Variolæ brevi ſæpius abſolvuntur, cum a maturitate ad exiccationem felici greſſu procedant, quo, inquam, tempore, niſi error externus invaſerit, febris parva, vel nulla, nullaque ſæva ſymptomata ulterius exagitant, pertinax tamen pruritus, exiccantis eſcheræ culpa, læſam cutim diutine infeſtat, ac præter hujus moleſtiam, cætera proſpere ſemper uſque ad ultimam corporis mundificationem incedere ſolent. Funeſtæ autem Variolæ ad oppoſitam metam ducunt; vel enim pertinaciter reſiſtente veneno, extremis viribus Natura cum hoſte decertat; vel eadem proſtrata, inflictas a præpotenti toxico ſtrages perferre compellitur; in primo ſtatu diuturna pugna adhuc viget, in altero autem venefici hoſtis triumphum vitamque ſimul victa Natura deplorat. Signa prioris certaminis ſunt; 1. valida febris perſiſtens, ſęviſque ſymptomatis comitata; 2. recentium Variolarum continua eruptio, quas poſt vigeſimum diem adhuc irrumpere obſervavi, a quo diuturno certamine victricem aliquando evadere Naturam inſpexi, ſæpeque ſub alio morbo vel diu gemere, vel tandem ſuccumbere. In altero ſtatu, qui certam nunciat perniciem, ſigna ſunt; 1. vires omnino dejectæ, febris, pulſuſque languentes, ſęva nervoſi generis ſymptomata, ſenſuumque defectus; 2. nulla recens Variolarum eruptio, nec veterum maturatio, cum depreſſę, & exuſtæ, lividę, vel nigrę abſque ichore exareſcant, ſępius adhuc petechiis ſociantur, ac interdum a colliquativa diarrhęa, vel ab aliqua deſperata hęmorrhagia ultimo abſumuntur; ſicque prępotens venenum, vitæ ſolium irrumpens, cito patientem interimit. Hic vero ſigna Cauſarum, *ſequent. n.* 12. expoſita, conferantur.

Cauſarum indago. 8 Expoſita Diagnoſi, ad arduam cauſarum indaginem tandem accedimus, difficile negotium, undique ambiguum, & litigioſum aſſumimus; tota enim Medentum reſpublica in hoc apice diſcernendo, inteſtina ſeditione agitatur, & aliud Arabes, aliud Latini, aliudque Moderni contendunt; tot varię variis linguis repugnantes Cathedrę loquuntur, ut nemini fideli, veritatis cupidus acquieſcat; ſic altas radices Arabum opinio fundavit, ut prę-occupatos celebriores latinos illis hęrere, perlegatur. Verum inutilibus evitatis diſſidiis, noſtram, a ſanioribus non alienam opinionem exponimus, ac tuto dicimus primo; Variolas vulgo malignas, & vere virulentas intra contagiorum ſphęram comprehendi debere, propriaſque ſemper epidemię conditiones oſtendere, ac ex terrarum effluviis ſæpius exurgere, corporaque prædiſpoſita venenatis miaſmatis contaminare. Hoc apprime comprobat inquinamentum iſtud ab infectis corporibus perſpiratum, & a proximis inſpiratum, quod ſimilem morbum propagare ſolet, ut innumera experimenta, ſub Medentum oculis perſpicua ſatis oſtendunt. Hoc item confirmat nova illa Variolarum tranſplantatio, ad publicum uſum recenter inventa, quæ Variolarum pus a corpo-

corpore infecto, ad corpus integre ſanum trasferre ſolet, ut ſine vitæ periculo popularem contagionem mitioribus variolis affectum corpus evadat, de qua methodo, non quidem ſpernenda, in ſequenti curatione ſermo erit. Denique hoc idem concludit manifeſtum experimentum illud, Practicis notum, & a meipſo pluries inſpectum, quod ex terrore, & pavore non paucos, licet integre ſanos, & ab infectis accurate diſtantes, in variolas tandem incidiſſe, ac ab eadem graſſante lue uſque ad lethi limina ductos fuiſſe, demonſtrat. In hac linea unum præ cæteris funeſtum caſum recenſere decet; Nobilem quendam Juvenem annorum viginti octo, bis a Variolis dure vexatus, cum hanc luem per civitatem ferocire audiviſſet, ſummo terrore percitus, ad propria rura confugit, ubi poſt tridum febre, & Variolis ita correptus fuit, ut in ſeptima morbi die fatis cederet; pluresque Juvenes ab hoc caſu perterriti, febres, & Variolas aſſecuti fuere, licet hunc morbum in pueritia jam paſſi eſſent, ut ipſi Patientes dicebant. Caſus ergo iſti in plurimis epidemiis paſſim obſervati fuere, ut *lib. 2. de febr. cap. 3. num.* 8. notum fecimus. Hæc ergo omnia recte perpenſa, cordatos abunde ſuadent, quod Variolarum morbus, cum populariter graſſetur, æque, & proprie epidemius, ac peſtilens eſſe poſſit; quod pro primo cognito firmando ſatis eſt.

Ambiguæ origines rejiciuntur.

9 Hæc tamen tuta notio, in epidemiis affatim clara, non æque univerſam Variolarum ſphęram amplecti, & exponere apta videtur, cum dubia nonnulla ſuperſint, quæ ad Veterum opinionem comprobandam, occupatas mentes inducant. Verum ſicuti illa ſolvere, arduum non eſſet, ita futiles inquiſitiones iſtas (quæ nec illis, nec nobis in praxi favent, cum nullam diſtinctam cauſam, nullamque appropriatam curationis methodum indicare poſſint) curioſis indagatoribus æque dimittimus. Cenſemus tamen, nullum quovis modo implantatum Variolarum ſeminium in homine eſſe, ac ſilere tandiu poſſe, donec vel a propria, vel ab extranea concitatione ad nocendum excitetur; hoc enim Vetuſtatis effugium alibi ſatis confutavimus, cum de morbis hæreditariis ſermo fuit. Arbitramur autem in hoc caſu præcipue, quod Variolæ, extra contagioſam conſtitutionem emergentes, nil aliud niſi quaſdam Criſies eſſe, quibus ad ſanguinem depurandum, vel immutandum, Natura, ut ſepe ſolet, utatur; & ſicuti verno tempore, ad eoſdem fines aſſequendos, *impetigines, & vitiligines, & puſtulæ ulceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum morbi, ut 3. aph.* 20. notatur, ad cutim explodantur; ita pro eodem ſcopo, ac eodem Naturæ impulſu, Variolæ ad peripheriam eliminantur. Non ideo menſtruam hic ab utero contractam labem culpare, nec implantatam a paterno ſemine luem inquirere eſt opus, ut Variolarum extra contagia invaſiones explicemus, cum ignotam originem ad hoc phænomenon exponendum, effingere, Cordati non ſit. Concludamus itaque tutius, quod impuritates quaslibet, a quavis cauſa, & quovis tempore in fluidis ingeſtas (ut in Pueris a lacteis coagulis, in Juvenibus, Viriſque, ac Senibus ex prava victus regula, cæteriſve non naturalibus rebus abuſis inductas) Variolis hiſce, extra Epidemias emergentibus, ut proximos illarum fomites tribuere, nobis ſufficit; in cæteris vero a populari contagio productis, venenata miaſmata ſævire, illarumque originem eſſe *antec nu* 8. jam oſtendimus, cum revera ad eandem malignarum, vel peſtilentium febrium normam communicentur, eandemque pro ſanguinis ſtatu, & infectione inteſtinam luctam ob venenum moliantur, ac per cutaneam eliminationem, ut petechiæ, morbilli, parotides, & bubones, abſolvantur. Hos ergo in genere Variolarum fomites eſſe arbitramur; ſpecificos demum, qui magis in praxi exquiruntur, accurate indagare adhuc ſupereſt.

Specifici fomites.

10 Quid igitur, & quot etiam hujus morbi fomites ſint, & quomodo corpora inficiant, expendere, ſicuti nobis utilius eſt, ita non facile aſſequitur; variæ namque Variolarum facies Medentes eludere contendunt; cum aliæ mites, aliæ feroces, & aliæ ferociſſimæ, nullaque arte domabiles comperiantur, quæ invadendi, lædendique diſparitates, non unicam in omnibus, ſed differentes conſtitutiones oſtendunt; & certo quidem Variolę mites, quas per ſe tan-

tum Natura ſine inſigni moleſtia depellit, nullam, vel facile domabilem virulentiam exponunt; feroces vero, quę cum plurimo Naturæ, ac Artis laborè ad ſalutis metam ducuntur, forti veneno præditas eſſe demonſtrant; ferociſſimæ demum, quæ omnes Naturæ, & Artis conatus ſæpe deludunt, indomabili toxico munitas eſſe, dignoſcuntur. Sed nec iſtæ ſemper eodem veneno militant, cum illarum differentes febres, & diſcrepantia ſymptomata, effectuſque, ac ſtrages variæ, ab ipſis inductæ, diſparem virulentiam oſtentent. Non obſcure ſaltem ab illarum productis determinatum virus exponitur; in plurimis enim Acidum coagulativum præciſe quaſi culpatur, cum non niſi a figenti veneno febrem mitem, illiuſque propria ſymptomata, puſtulaſque non valde magnas, & diſcretas ut plurimum, produci, multis obſervationibus dignoſcamus. In aliis vero Acre colliquativum toxicum ex vehementi febre, acerbiſque ſymptomatis, ac puſtulis confluentibus, ſimulque congeſtis, non arduo nimis conjicitur; hæc tamen infra in cauſarum ſignis notiora fient. Sufficit hic nobis non unicum Variolarum virus, ut vulgus hactenus credidit, ſed duplicem, indigitaſſe, ut differentes hujus morbi læſiones, a diſpari veneno inductæ, ex propria cujuſque origine diſcernantur. Nunquam enim hircocervum illum, *Acidum acre* nuncupatum a plurimis, audire, & laudare potui, cum ab eodem corpuſculo glaciem, & ignem ſimul petere, nempe coagulare, & colliquare, non phyſica, ſed poetica hypotheſis certo ſit, ac pejus etiam, quam hircocervum fingere, ut æque alibi confutare ſtatuimus. Non ergo Acidum acre Variolarum fomes eſſe poteſt; ſed vel Acidum, vel Acre venenum, ſimplexque Coagulans, vel Colliquans, diſparem morbi hujus fomitem conſtituit.

Acidi veneficii ſigna.

11 Verum nec ſatis eſt, lues iſtas, vario modo lædentes, diſcernere, ſed & Naturæ, in illas pugnantis, conatus dignoſcere adhuc intereſt; cum enim ocyter nonnullos venenum iſtud interimat, alios ad vitæ pericula impellat, plureſque parum, ac leviter lædat, conjectari æque decet, quod in hoc, vel illo ſanguine, plus minuſve forti reſiſtentia munito, differentes læſionis gradus lues iſta infligere poſſit; non enim a ſola, variaque illius virulentia, quæ inæqualiter ſæpe corpora inficere ſolet, omnes illius læſiones deſumere convenit; cum adhuc ultra conſiderandum ſit, quid proprie hoc virus in tali, vel tali ſanguine, a diſſimili craſi conſtituto, agere per ſe poſſit? Varia enim ipſius conſiſtentia vario modo veneni vires ſuſtinet; poteſt ergo quantum hujus fluidi reſiſtentiæ permittunt; hanc reflexionem, quę valde ponderat, ſicuti antecedenti *lib.* 3. *num.* 8. docuimus, ita in hiſce caſibus etiam plurimis experimentis comprobatam paſſim inſpeximus; unde tuto deducimus, quod in hac pugna Venenum invadens, ac impetum faciens (cujus præſidio ſanguis tuetur, & viget) inæquali conatu ſæpius militant. Quo igitur validiori ſpiritu munitus eſt ſanguis, eo fortius invadentem hoſtem ſuſtinere, illius virulentiam ſubdere, ac eliminare potis erit. Contra vero cum debiles ſpiritus veneni hujus incurſum refringere, impares ſint, ſub deſperata pugna vel Natura cadit, vel diu certando, & periclitando, laborioſa victoriam tandem obtinet. Quale igitur, & quantum Enormonticum robur eſt, talis & pugna fervet, facilis cum validus ſit, aſpera cum ęque vigeat, invalida vero cum langueſcat. Hinc tuto deducitur, quod differentes Variolarum eliminationes ab intimo Spirituum impetu immediate procedant, prout plus minuſve præſtans ſit; & ideo Enormonticus niſus, vario licet modo febris machina utens, præcipua Variolarum cauſa dici debet; venenum vero, quod ſanguinem invaſit, occaſionalis origo nuncupari.

Vera cauſa exponitur.

12 Occaſiones demum iſtæ, cum duplicis generis ſint, ne ultra confundantur, illarum ſigna exponere adhuc ſupereſt; diximus ergo ſupra, quod & Acidum, & Acre virus Variolarum fomites eſſe poſſint, ideo ut tuto diſcernantur, illorum Diagnoſin etiam expendere ducimus. Signa ergo, quæ Acidum virus indicant, ſequentia ſunt; 1. Febris nec valde vehemens, nec minis ardens adultos moleſtet, cujus pulſus parvi ut plurimum, & inæquales ſemper ſunt; ſanguis enim coagulis multis infectus, cordis tranſitum, ac motum inæqualiter

ter præpedit. Urinæ vel ſanorum ſimiles, vel crudæ ſemper donec Variolæ maturescant, inſpiciuntur. Symptomata item acerba toto cruditatis, & eruptionis tempore, ſæpiſſime obſervantur, in adultis nempe lypothimiæ frequentes in febris vigore potiſſimum, in quo extremos niſus contra figentem toxicum Natura impendit, hinc præcordiorum anxietates, reſpirationis anguſtiæ, vomitiones, vel cardialgiæ frequenter invadunt; ſic item nervoſi generis ſymptomata multa ferocire ſolent, inter cætera motus, & ſenſus languores primam lineam tenent, ſepe adhuc deliria, ſæpiuſque coma vigil, vel ſomnolentus obſervantur. Variolæ demum ſæpius diſcretæ ſunt, & quæ non nimis ardue matureſcunt, ob figentem in illis Acidum virus, quod facile depulſam labem coagulat, nec foveas poſtea relinquunt, ſed in eſcheram illæſa cute demum cadunt. Supra dicta ergo omnia, vel plura ſaltem pro virulenti Acidi gradu plus minuſve acerba contigiſſe, in plurimis obſervavimus. Contra vero cum Acre virus Variolarum fomes ſit; tunc enim in adultis maxime, ac ætate florentibus febris ardens fervet, pulſus magni, ſæpiuſque vehementes, ſemperque celeres, & inæquales inveniuntur. Urinæ autem variæ pro veneni gradu inſpectantur, nunc enim croceæ, aliquando rubræ, ſæpeque ſubjugales apparent, cum ab Acri viru ſanguinis particulæ colliquatæ, proprio colore, ac turbatione ſerum inficiant. Symptomata item vehementia ſunt, vires præ primis ocyter dilabuntur, maxime in peſtilentibus Variolis prima ſæpe morbi die prorſus dejectas inſpeximus; hinc lypothymiæ, & ſyncopes in febris initio, ac ſtatu recurrere, deliriaque in phrenitim terminare non raro vidimus; ſæpe capitis, & lumborum dolores atroces excruciant, ſenſuumque hebetudines moleſtant. Variolæ demum nunquam ſub hoc veneno diſcretæ, ſed congeſtæ ſemper, & quæ ſero, vel nunquam matureſcunt, cum ad vigeſimum uſque diem ſæpius repullulare, ac non raro cum petechiis fæderatæ reſurgere ſoleant; in illis item, qui evadunt, fædas in cuti foveas relinquunt; Acre enim virus partem, quam invadit, abſumit, & corrodit.

Acris veneni ſigna.

Syſt. Medic. Roſetti.

13 Cauſis demum perpenſis, Prognoſin audire nunc intereſt; & primo plurima in hoc vario morbo ſimul concurrentia, ſingulatim ponderare convenit, nempe intimum vitæ conatum, a quo ingeſtum venenum in Variolis ad cutim eliminatur; fomites item venefici, qui varia pericula ducunt; tertio ſymptomata in hoc morbo plus minuſve ferocientia; quarto tandem Variolarum eruptiones variæ, quarum promptus, vel tardus progreſſus fauſtos, vel funeſtos eventus denunciat. Primum itaque validus vitæ ſpiritus facili pugna ab invadenti veneno ſe expedit; unde non nimium febris, & ſymptomata ſæviunt, ut in Variolis benignis dictis, quæ cito erumpunt, plenoque humore intumeſcunt, matureſcunt, & exiccantur. Cum vero invadens virus efferum ſit, ac Spiritus non impari vi reſiſtendo, invadentem infenſum repellere nitatur, tunc vehemens accenditur febris, ſævaque ferociunt ſymptomata, quæ tamen omnia, cum circa quartum, erumpentibus puſtulis, miteſcant, citoque ad maturitatem Variolæ perveniant, licet primum tridui certamen durum ſit, Naturæ victoria tamen tuta eſt. Contra vero cum poſt quartum, vel ſeptimum febris, & ſymptomata ſæviant, nullaque, vel pauca Variolarum eruptio procedat, ambiguos ex diuturna pugna eventus prænunciant; raro enim in hoc caſu veneni pertinaciam tam diu Natura ſuſtinere, ac raro illud ſubigere, & eliminare, potis eſt. Infauſtum ſimiliter indicat omen, cum poſt levem primi ſtadii pugnam in ſeptimo, vel undecimo, ardentem febrem, ſævaque ſymptomata ferocire, obſervetur; extremis enim viribus cum præpotenti veneno Natura pugnare nititur, quæ ſæpius ſub deſperato conatu ſuccumbere cogitur, cum raro in his caſibus tutam obtinuiſſe victoriam, obſervaverim. Fomites item venefici prænotiones varias ſuggerunt; Acidum enim vel Acre virus, cum intenſo gradu virulentum ſit, irreparabiles caſus inducere ſolet. Ab Acido primum repentinas fluidorum coagulationes, ac inopinas mortes pertimeſcere oportet; ſic die quarta cum pauca febre, ſed cum repetita ſyncope, in ipſa variolarum eruptione, pueros non-

Prognoſis.

Ab intimo ſpirituum conatu.

Ab Acri & Acido veneno.

pullos repente extinctos jam vidimus, quod tutum de peſtilenti virulentia judicium mihi fuit. Nec minus atroces caſus ab Acri toxico deducuntur; hoc enim colliquativum virus, cum extremo gradu veneficum ſit, repentino ſæpe ictu, vires proſternere, febres vehementes accendere, & vitam in ipſa Variolarum emergentia extinguere, non ſemel vidimus. Cum autem non tanta ferocia invadant, a ſeptima ad vigeſimam uſque diem ſæpius inter pericula vagantur, ſæpeque ſalutis metam attingunt, cum recto gubernio dirigantur.

A Symptomatis. 14 Symptomata pariter pericula multa denunciant, non omnia tamen; nam plura, quæ in primo Variolarum ſtadio ferociter ſæviunt, fauſtam Naturæ victoriam ſæpe portendunt, in hoc cenſu eſſe ſolent, capitis, ac lumborum dolores, deliria, & convulſiones, vigiliæque, ac ſitis ardens, quæ omnia, vel aliqua, ut Criſeos nuncia, fauſta ſæpe acerbitate moleſtant. Infauſti vero cenſentur Vomitus, & Diarrhœæ, quæ in ipſo primo triduo invadunt; cum Naturam ad cutim venenum eliminantem divertant, & ad alias vias inſtitutam criſin extorqueant, ſicque morbum vel lethalem, vel diuturnum, & periculoſum efficiunt. Eaſdem pariter everſiones inducunt. Ptyaliſmos, & Diabetes ſi ante quartum emergant; cum vero poſt quartum, ſeu poſt plenam Variolarum eruptionem, appareant, haud ſemper infauſta, ſæpeque opportuna ſunt, cum veneni, ad cutim deſpumati, reliquias per varias vias eliminare coadjuvent, ut paſſim compertum eſt; non autem commodum iſtud a quolibet alvi fluxu expectare convenit; nam quovis tempore, ſeu ante, & poſt eruptionem invadat, funeſtum ſemper fuiſſe, obſervatum eſt. Symptomata demum plurima, quæ poſt quartum, ſeu poſt Variolarum emergentiam, inſurgunt, infauſtos eventus ſæpius nunciaſſe vidimus; ſic primo nimia reſpirandi anguſtia, pulmones multis infarctos Variolis eſſe denunciat; unde ſilentibus hiſce, Phthiſis non raro emerſit. Item cibi faſtidium, & deglutitionis difficultas mali ominis indicia ſunt; cum infarcitis gulæ muſculis, neceſſaria refectio, viriumque reſtauratio præpediantur. Lypothymiæ pariter, & Syncopes, Convulſiones, & Deliria, in diuturniori morbo perſeverantes, triumphantis hoſtis vexilla ſæpe ſunt, cum maxime non proficuum, ſed deſperatum Naturæ certamen oſtendant. Peſſimæ adhuc ſunt hæmorrhagiæ, omnes, poſt diuturnum morbum emergentes, extremos enim Enormonticos furores denunciant.

15 Eruptionis tandem modus, cum varius ſemper ſit, differentes prænotiones indicare ſolet; primo igitur Variolæ cito erumpentes, recte matureſcentes, & in eſcharam decidentes, licet vehementes febres, ſævaque ſymptomata inducant, fauſte ſemper abſolvuntur; contra vero ſegniter emergentes, ac immaturæ, & abſque humore areſcentes, vel circa ſeptimum diem retrocedentes, indomitum adhuc venenum reſiſtere, ſæpeque morbos varios in viſceribus moliri, denunciant; ſic item concreſcentes multæ, ſimulque conglomeratæ, partem aliquam, & præcipue caput in tumorem elevantes, occulto marcore ſæpius interimunt; confluentes enim diſcretis Variolis pejores ſemper ſunt; item ſi ante maturitatem nimium intumeſcant, vel nigras in apice maculas, aut nigricantem baſin, vel viridem, lividum, nigrumve colorem prodant, nullam ſalutem promittere ſueſcunt; ſicque cum petechiis commixtæ, peſtiferum morbum denunciant, ac inſuperabili toxico ut plurimum enecant. Itaque ab hoc angue cavendum ſemper eſt, cum veneni ſpecimen prodat; quia licet tacite recedat, occultum virus a tergo ſæpius reliquiſſe, morboſque incurabiles ex virulento ſeminio poſt illas pullulaſſe, paſſim compertum eſt; & ideo providam, ac ſolertem expetunt curationem, ad quam nunc deſcendimus. *A Variolarum eruptione.*

16 Non infimam Curationis legem Diæta primo inſtituit, quam in hoc morbo violare, culpa mortalis eſſet. Sex ergo non naturales res diæteticum jus firmare ſolent. Aer primum in Variolis cujuſvis generis, & maxime malignis, temperatus ſemper eſſe debet; frigidus enim, docente ſtatica, perſpirationem prohibet, ac Variolarum eru- *Diæta.*

ptio-

ptionem inhibet, & quo plus friget, eo pejor eſt; arte ideo illius algorem moderari expedit, ne illarum egreſsum præpediat, venenumque in intimis figat. Sic item impenſe calidus aer, maxime cum Canis in Cœlo ardet, ſanguinis ebullitiones magis accendit, ſpiritusque ita diſſipat, ut illorum impetus (qui ſolus venenum iſtud ad cutim depellit) in expulſione langueſcat; ſæpius enim, plus in hoc morbo impenſus calor, quam frigus magnum lædere obſervavimus, nam hoc poros cutis conſtipando, Variolarum vias claudit, ille vero impellentem cauſam, ſpiritus nempe debilitando, enervat, ſicque majus malum ex hac parte, quam ex illa emergit; cum validi ſpiritus cutis repagula non arduo nimis irrumpant, langueſcentibus autem aperta periferia nil juvat. Itaque ne in extremo æſtu ſpiritus diſſipentur, aeris ardores pro viribus evitare, fas erit; & primo cubiculum in æſtate a Sole remotum eligere, lecti ſtragulas minuere, (a quibus nimium gravantibus etiam in hyeme corpus opprimi, ac perſpirationem præpediri, *Sanctorii ſtatica docet*) humum aqua refrigerare, ſimilibuſque domeſticis auxiliis uti; & hiſce præcipue, cum Acre virus morbi fomitem eſſe, conjiciamus; & hæc tandem de Aeris regimine ſatis, licet nunquam ſatis, cum hic ſolus vitiatus plurimos in hoc mormo interimat. Cibus item, & Potus non eodem regimine toto morbi tempore dirigi poſſunt, cum diſpares illius conſtitutiones differentes gubernium cuique proprium requirant. Primum ergo morbi ſtadium ab incipiente Criſi menſuratur, in quo Variolarum exploſio molitur, quod ut plurimum quatuor diebus abſolvitur; in quo tempore non niſi tenuem victum Natura toleret, ut vires tantum ſervet, & non opprimat; in hac ergo urgentia carnium juſcula, & lacticinia quæque vitare intereſt, ſed hordeaceis, vel avenaceis pro virulenti fomitis natura uti convenit. Ex. gr. cum Acre colliquativum virus Variolas inducat, ſequentem victum utilem fuiſſe, ſemper compertus ſum, videlicet in Juniorum gratiam.

℞. *Hordei mundi unc.iij.*
Succ. expreſſ. Rapar.
Aqu. Boragin. aa. unc.vj.
Cinamom. pulver. ſcrup j.
M. bulliant. ad mediam.
Colatur. cum expreſſ. man. & veſper. pro juſcul. utatur.

Cum autem Acidum virus Variolarum fomes ſit, ſequens proficuum ſemper fuit.

℞. *Avenæ mundat. unc ij.*
Semin. Aquileg. Napi aa. unc.j.
Cinamom. pulver. ſcrup.j.
Aqu. Card. ben Scorzon. aa. unc.vj.
M bull. ad conſumpt. tert. part.
Colatur. fortit. expreſſ. utatur ut ſup.

Aliquando etiam pro exigentia, cum nempe Variolæ ſegniter erumpant, omni juſculo proprium ſtimulum addere eſt opus, videlicet cum Acidum fomes ſit, Corn. Cerv philoſ. calcinat. ſcrup j. ad Drach. ſem. Cum vero Acre colliquans ſit, Oxitartar. optim. ſimiliter ſcrup. j. ad ij. Hic ergo tenuis victus mane, & ſero opportunis horis in primo Variolarum triduo ſatisfacere debet, pro gratificatione vero, vel pro virium petitione Juſculi pulli junioris unc.iij. addere æquum erit, cum noxa ſit, quæ facile toleretur. Potus vero, qui maxime in ardentibus febribus non niſi a Micidiariis prohiberi poteſt, neque Vinum, neque Aqua fontis eſſe debet, ſequens vero vel ſimilis opportunus erit, ex. gr.

℞. *Corn. Cervi raſpat. unc.iij.*
Ficuum pingu. unc.ij.
Semin. Aquileg. Napi aa. unc.j.
Aqu. fontis optim. lib.x.
M. & coqu. ad tert. & Colat. utat.

Hæ demum pro Cibo, & Potu toto expulſionis tempore miniſtrando, ſatis eſſe poteſt. In altero autem a Variolarum matureſcentia definito ſtadio, pleniuſculum Cibum vires, in criſi deperditæ, requirunt; ideo Juſcula Carnium; niſi abominentur, ac pulli alas tuto concedi poterunt, vini etiam cochleare unum, vel alterum in die, quod cauto Medenti relinquitur. Tertium denique tempus, cum nempe in eſcharam puſtulæ decidunt, ſenſim in die ad conſuetum Patientis alimentum accedere convenit, ut paulatim diſſolutas a morbo vires reſtaurare, corporiſque membra reficere, aſſequatur; & hic cibariæ legis terminus eſt. Cæteræ item

non

non naturales res ut Motus, & Quies; Somnus, & Vigiliæ; Excreta, & Retenta; ac Animi paſſiones debitam moderationem ſervare debent; quodlibet enim ex iſtis excedat, & maxime Adultorum pathemata funeſtum perſæpe morbi hujus finem imponunt.

Curationis cautiones. 17 Diæta demum expedita, Pharmaceutica, & Chirurgica curatio ſe offerunt; hic autem morbus acutiſſimus ſæpe eſt, cum ante quartum criticos niſus oſtendat, ideo auxilia iſta plurima & evacuantia præcipue, difficillime tolerat; ab illius enim principio, uſque ad integram puſtularum matureſcentiam, & non raro etiam ultra (nam in plurimis poſt primas jam marceſcentes Variolas, aliæ recenter emergunt) continua Criſi ducitur; ideo vel caute, cum urgeat, vel nunquam movere, aut improbe novare aliquid, Arte præcipitur, ſed quo Naturæ conatus vergere dignoſcitur, eo tantum, & pro exigentia opportunis remediis ſecundare permittitur. Non raro tamen intimi niſus vel nimis deſides, vel excandeſcentia ducti, aut ſegniter, aut ocyter nimis intruſum virus eliminare ſolent; & tunc providæ Artis munus eſt, vel inerti ſtimulos addere, vel præcipitanti frænum dirigere, ut veneni hujus eliminatio tutum exitum habeat; ſed hæc inquam, aliaque paſſim contingentia, in ſequentibus cautiora fient. Ad primum ergo Curationis limen accedendo, *Indicationes curativæ.* morbi hujus Indicationes curativas exponere intereſt, quæ triplicem intentionem, ad unicum ſcopum ordinatam, aperiunt. Prima ergo eſt, confligantem Naturam coadiuvare, ſeu per eandem viam, quo intruſum venenum expellit, artis auxilia dirigere. Altera virulentum hoſtem appropriatis alexipharmacis enervare, ut facilius ſubigi, ac eliminari poſſit. Tertia Variolas matureſcentes, omni cuſtodia ad ultimam puris, & eſcheræ productionem inducere, cutiſque tonum a corroſivis maculis ſervare. Prior itaque indicatio Spiritus propellentis impetum ita ſecundare ſuadet, ut vel in deſidis excitationem, vel in ferocientis moderationem incumbamus; Enormontic namque vires vel ad hoc opus deficere, vel exuberare ſæpe ſolent, ideo providæ Artis erit, quo urgentia petit, auxiliis opportunis occurrere, ſpirituum nempe ſegnitiem ſtimulare, vel ferociam dirigere; hoc enim expulſivum opus utroque vitio funeſtum ſæpius evadit. Altera indicatio edocet, intruſum venenum appropriatis alexiteriis oppugnare, quibus tamen ſic uti oportet, ut primam indicationem æque ſecundet, bezoardica nempe ſtimulantia in ſpirituum languore, vel ſedantia in efferitate præſcribere; has autem curativas indicationes Variolarum fomites, Acidum nempe vel Acre venenum, ſibi appropriatas adſcribunt, ut in ſequentibus notum fiet. Tertia demum per ſe clara, explicationem non petit.

18 His præmiſſis, ad particularem *Curatio ſpecialis.* curationem deſcendimus, quam varia hujus morbi tempora diverſam exigunt. In primo igitur ſtadio, quod principium, incrementum, et criſim tandem amplectitur, & circa quartum diem ſæpius abſolvitur; hoc, inquam, tempore ſanguinis commotio, ſpirituumque concitatio in tali æquilibrio ſuſtinenda ſunt, ut ad expetitam deſpumationem inepta non ſint. Ideo ut diximus præcipue in hoc ſtadio indicatio eſt, ut febris machina, quæ ſanguinis depurationem molitur, ita directa ſit, ut integre venenum eliminet, Variolaſque ad cutim erumpere cito cogat, ad quod opus fluidum deſpumandum nec nimis fervide, nec tepide nimis ebulliat; ideo primum & febrem ardentem, & vehementia ſymptomata pro viribus moderari, providæ Artis eſt munus. Ut his urgentiis ergo ſatisfiat, ex Chirurgiæ ſcrinio apprime Phlebotomia ſe offert; quæ tamen inter Practicos varia vota ſorti- *Phlebotomiæ uſus* tur, expetita enim prædicatur a pluribus, ut noxia item reprobatur ab aliis, ſuis quiſque præoccupatus judiciis, aliorum placita redarguit. Evitatis tamen more noſtro diffidiis, propriam tot annorum experimentis comprobatam ſententiam ponere, ac exponere ducimur. Dicimus ergo primum, Phlebotomiam expetitam, ac opportunam eſſe, cum in hujus morbi limine ſanguinis commotio excandeſcens, intra moderationis limites reducenda ſit. Item cum Acidum virus ſanguinis coagulationem moliri dignoſcatur, quod ex miti febre, ſympto-

ptomatiſque vehementibus abunde noſcitur; tunc minitatæ ſanguinis congeſtiones, ne facile inducantur, pro primo auxilio phlebotomiam ſuadent, ſed hæc præ aliis multis ſatis ſint.

Illius conditiones. 19 Reluctantes vero conditiones, quę venæ ſectionem in hoc morbo tolerare nequeunt, ſequentes ſunt. 1. Ætas tenera, quæ præ reliquis facilius Variolis ſubjacet, phlebotomiam pati nequit; nec nonnullorum fauſta exempla a Veteribus celebrata, ſatis ſuadent; cum pauci a tanto vulnere fortuito evaſi, innumeris aliis hoc indecenti remedio necatis, præferantur. Poſt duodecimum vero annum cum urgentia petat, venam ſecare, providum eſt, cum hoc expetitum remedium facilius hæc ætas perferat; ſi vero tutiores cucurbitulæ dignoſcantur, a phlebotomia diſcedere fas erit. Altera conditio morbi Tempus eſt; Exordiens enim expetitam phlebotomiam non recuſat, quam extra hæc limina raro permittere ſolet; adeoque prima die, vel ſecunda incipiente, cum in Adultis expetatur, venæ ſectio proficua erit, quam in tertio ſemper noxiam eſſe, nemo ignorat; cum in hac die ſuam Criſim Natura moliatur, ſæpiuſque ante quartum puſtularum eruptiones appareant; ideo non auxilium, ſed interitum phlebotomia induceret, cum ab incepta victoria Naturam diverteret. Verum conditio iſta non raro exceptionem patitur, nempe cum præſentibus, imo & matureſcentibus jam Variolis etiam die ſeptima, octava &c, ſi febris, & ſymptomata ſævire magis, quam miteſcere contingat, tunc venam aperire, per me non ambigo, ut importunam ſpirituum concitationem, ac implacabilem ſanguinis commotionem hoc præſentaneo remedio moderari non negligam. Sæpe enim obſervare contingit, quod omiſſa in his urgentiis phlebotomia, intempeſtivis hæmorrhagiis occaſionem dediſſet; quas eruptiones, a ſpirituum acoſmia inductas, paucis contuliſſe, plures vero enecaſſe, obſervavimus. Tanti ponderis eſt, implacabilem ſanguinis commotionem tempeſtive refrænare, cum poſſit; conditiones ergo iſtæ caute audire intereſt, quod idem de cæteris, quæ cucurbitulas, aut veſſicantia petunt, cenſendum, ut infra videbimus.

20 Expenſa demum phlebotomiæ urgentia, determinatam curationem aggredimur, prima ergo morbi die, cum Medens advocetur, ſi febrem ardentem inveniat, capitiſque, & lumborum doloribus corporiſque jactationibus ſociatam, communique, populariter graſſantem infectionem contagioſas Variolas imminere poſſe conjiciatur, tunc a phlebotomia curationem auſpicari expedit, ſanguinis vero mittendi quantitas, pro febris, pulſuſque vehementia, ętatiſque vigore ad uncias decem determinare poterit; in Pueris vero a duodecimo ad vigeſimum annum quinque, vel ſex, aut ſeptem ad ſummum uncias extrahere, quod idem in hoc caſu, ſi ſecunda morbi die vocatus ſit, illico de mane pręcipere convenit. In Peſtiferis vero, cum virium jactura prima die invadentibus, parca venæ ſectio ſufficit. Nec minus prompta phlebotomia eſſe debet, cum febris nec vehemens, nec ardens; ſæviſſimis tamen ſymptomatis comitata inveniatur, in hoc enim caſu febris languida a venefico figenti Acido præpeditur, ne excandeſcat, quod proximam ſpirituum in ſanguine fixationem minitatur; ideo ut fluidorum coagulationes vitentur, ſollicitam phlebotomiam celebrare intereſt. Poſt ipſam eadem pariter die, cum vomituritiones frequentes, aliave infarcti ſtomachi ſigna inſpiciantur, quod perſæpe in his caſibus me vidiſſe memini, Emeticum aliquod, ætati conferens exhibeatur; non tantum ut ventriculi ſarcina exoneretur, ſed ut vomitionis conatus cito compeſcantur; qui cum ſecunda, & tertia dię inſiſtant, Naturam a criſi divertere, certo poſſunt, ſicque vel lethalis, vel difficilior morbus evadit; ideo expedita poſt emeticum vomitione, ad paregoricum aliquod efficace confugere intereſt, ut ex. gr. ſequens, vel aliud ſimile; & primo in febre ardenti.

Curatio determinata.

Emetici uſus.

℞. *Aqu. Menth. Papav. errat. aa. unc. ij.*
Magiſter. ſolub. Corall. rubr. drach. ſem.
Extract. Croc. oriental. gr. vj.
Laud. Cydoniat. liquid. gut. xij.
M. & cochleat. intra horam ſumat.

Cum autem febris haud excandeſcat, ſed ab Acido veneno cohibita, muto quaſi

quaſi greſſu percurrat, tunc ſequens, vel ſimile paregoricum aptius eſt.

℞. *Aqu. Menth. Salv. aa. unc. ij.*
Diaſcord. Fracaſt. recent. Drach. j.
Sal. Abſinth. eſſential ſcrup. j.
Syrup. Cydonior. unc ſem.
M. f paregor. utend. ut ſupra.

Hæc pro adultis; Pueris vero ſequentia, vel ſimilia proficua eſſe poſſunt.

℞. *Aqu. Cinamom. cydoniat unc. ſem.*
Maſtichin. unc. j.
Eſſent. Catech. liquid ſcrup. j.
Syrup. Corallor. rubr. unc. ſem.
M. f. paregor. cochleat. ſumend.

vel ℞. *Aqu. Menth. Maſtichin. aa. unc j.*
Confect. Zingiber. Mynſ. Drach ſem.
Syrup Cydonior. unc. ſem.
M. & ſimilit. utito.

His ergo internis externa pariter auxilia componere eſt opus, quorum proficua nonnulla *antec. capit.* 20. *num.* 10. nunciata ſunt; ſemperque cavendum eſt ab emplaſticis, ac repellentibus, quæ Variolarum eruptionem præpedire poſſint, ne Charybdim vitando, in Scyllam incidamus. Symptomata demum reliqua, in hoc morbo ſæpius contingentia, ad capitis hujus finem exponenda, curandaque ſerventur.

Ardentem febrem minuere

21 Cum autem vomitis indicia morbi initium non infeſtet; lumborum vero capitiſque dolores, deliria ſæva, æſtus, ac ſitis, primam ſcenam agant; tunc Acre colliquativum toxicum tragædiam ducere, tuto conjicitur. Ideo poſt parcam phlebotomiam concitatum ſpiritum, & inde acerba ſymptomata, ut moderationis limites teneant, paulisper detinere, non prorſus compeſcere oportet; validam enim, ſed non excandeſcentem ſpirituum, ac ſanguinis commotionem imminens criſis repoſcit, cum fortis Naturæ impetus tuto venenum eliminet, illius vero acoſmia propriam potius, quam hoſtis perniciem moliatur. Ideo ut tuto niſu venenum Natura ſubigat, ac depellat, effrænes illius impetus ad congruos conatus moderari, Artis auxiliatricis eſt munus; ad hunc ergo ſcopum ſequens, vel ſimilis mixtura collimat, videlicet.

℞. *Aqu. Acetoſell. Fragor. aa. unc. ij.*
Cordial. Saxon frigid. unc. j.
Lapid. Prunell. optim. drach. j.
Magiſt. ſolubil. Corall. drach. ſem.
Syrup. de Agredin. Citr. unc. ſem.
Laudan Cydoniat. Liquid. gut. vj.
M. & cochleat. intr. hor. quadrant. ſumat.

Hæc ergo vel ſimilis in adultis prima die mane, & veſpere opportunis horis exhiberi poterit, ut alterius diei recrudeſcentia aliquatenus minuatur; pueris vero ætati conferentem illius doſim præſcribere convenit; cæteris autem a primo ad decimum annum ſequentem potius præbere ſueſco.

℞. *Aqu. Cord. Saxon frigid. unc ſem. ad j.*
Magiſt. ſolubil. Corall ſcrup. ſem. ad j.
Syrup. de Agred. Citr. dr. ij. vel plus.
M. & cochleat. exhib.

Vel juſculum pulli junioris, in quo Cryſtalli ex Nitro, & Corall. parati, ſoluti ſint, aut ſaltem lapid. Prunell. parum in eodem juſculo diſſolvatur. Hæc demum pro ardenti febre moderanda, pro nunc ſatis eſſe poſſunt, in ſequentibus item plura expenduntur.

Mitem febrem excitare.

22 Contraria prorſus methodo incedere intereſt, cum paucam in hoc morbo febrem, acerbis tamen ſymptomatis comitatam, invenire contingat; atrocia namque ſymptomata veneficum hoſtem in ſanguine baccantem, illius conſiſtentiam devaſtare; lentam vero febris machinam ab ipſo figente veneno Enormonticum niſum præpediri oſtendunt. Non ergo ſedantibus in hoc caſu, ſed ſpirituum ſegnitiem ſtimulantibus, ac ſanguinis fixationem fundentibus auxilijs uti neceſſum eſt; ſummo enim gradu veneficum Acidum fluidorum grumeſcentiam moliri, effectus ipſi ſuadent; hinc lypothymiæ, ſpirandi anxietates, vel coma vigil, aut ſoporoſi affectus, aliaque funeſta ſymptomata, languidam febrem comitantur; cum ſopiti a figenti toxico ſpiritus, vehementem ſanguinis commotionem excitare nequeant. Ideo remediis primo Enormonticum niſum promoventibus, & inde ſimul Acidum virus abſorbentibus ocyter uti fas eſt. Celebrata ergo phlebotomia, ſequentem, vel ſimili modo validam mixturam, ad dictos fines directam præſcribere oportet, videlicet.

℞. *Aqu. Scabioſ. Scorzoner. aa. unc. ij.*
de florib. Aurantior. unc. ſem.
Sal. volatil. Oleoſ. nri. ſcrup. j.
Antimon. diaphor. drach. j.

Con-

Confect. Alcherm. complet. dr. ſem.
Syrup. de Card. bened. unc. ſem.
M. pro Doſ. matutin. cochleat. ſumend.

Cum vero adhuc efficacior expeti videatur, huic addi poteſt, ſpirit. Theriacal. camphorat. gut. x. Hæc ergo mane, & ſero prima die opportunis horis repeti debet, ut ad hoc opus utilis æque ſit. Pueris vero a tertio uſque ad decimum annum, ſequens præſcribi poteſt. ex gr.

℞. *Aqu. Card. bened. unc. ij.*
Sal. volat. Oleoſ. gr. ij. ad iv.
Corn. Cerv. philoſ. calcin. ſcrup. ſem. ad j.
Syrup. de Scord. ſimpl. unc. ſem.
M. & utito ut ſupra:

Hæc demum varia, pro differenti Variolarum fomite aptata remedia primam curationis diem claudunt; non autem hic de benignis, vulgo nuncupatis, Variolis medicationem inſtituimus, cum hujus generis unica medicatrix Natura ſit, nulloque alieno auxilio indigeat, niſi externus error ejuſdem opus evertat, aut imperitus quiſque illius intentum extorqueat.

Secunda die. 23 Altera item die utriuſque febris progreſſus, ac ſymptomatum conditiones æqua lance perpendere oportet. Primo itaque febrem, ab Acri veneno ductam, ſi ex aſſumpto primi diei ſedativo paulum minuiſſe, illiuſque ſymptomata minus ferocire, inveniatur, idem pariter auxilium repetere, juvabit, laudano Cydoniato tamen dimiſſo; hac enim die ſpirituum impetum (niſi excandeſcat) ſopire, Artis crimen eſſet, cum utplurimum Natura, quæ cito venenum ſubigere, ac eliminare nititur, hac, inquam, die ad criſin moliendam, omnes conatus impendat; unde tertia, vel quarta Variolarum maculas, devictum venenum ferentes, ad cutim depellit. Satis ergo erit exitioſam febris excandeſcentiam, ſymptomatumque perniciem, extra periculum ductas, inſpicere, vehementiam vero febris non prorſus compeſcere, cum ad imminentem Criſin neceſſaria ſit, ſed intra moderationis, ac tolerantiæ limites continere ſufficit, ideo eandem mixturam, ſed ſine opio, hac ſecunda die ſemel tantum opportuna hora exhibere, adhuc eſt opus. Contra vero cum contumax febris, ac pertinacia ſymptomata, ſine modo, & cum vitæ periculo ſecunda die ferocius excandeſcant, ac effrænem ſpirituum acoſmiam oſtentent; tunc primo alteram venæ ſectionem, pro Naturæ tolerantia, repetere intereſt, vel ſaltem cucurbitulas ſcarificare oportet; & inde ſupradictam mixturam cum laudan. Cydoniat. gut. xij. bis in die repetere, eſt opus, donec exitioſa ſpirituum excandeſcentia moderationem addiſcat; urgentiori enim inſtantiæ primo ſemper occurrendum eſt, ac citiorem perniciem effrenata ſanguinis commotio, quæ illius colliquationem cito molitur, quam intruſum venenum minitatur. Facilius item erit, Enormonticum niſum, arte ſopitum, ad innatam energiam excitare, quam diſſolutum ab illius acoſmia ſanguinem reparare; hoc ergo primum facere, & alterum non dimittere, providæ Artis eſt munus; ad utrumque ſcopum Mixtura ſupradicta collimat, nempe ferocientem febrem refrænare, ac intruſum venenum enervare: ideo pro nunc in illius ope quieſcimus.

Febrem atrocem compeſcere

24 Alteram huic oppoſitam febris tragediam inſpiciamus oportet. Quid nempe ab exhibitis prima die fundentibus, motumque ſanguinis concitantibus, auxiliis lenta febris profecerit; ſi ergo hac ſecunda die ſenſim excitata, & exaucta inveniatur, ac ſymptomatum acerbitas non parum placata ſit, tunc iiſdem auxiliis etiam hac die inſiſtere convenit, ut depurativa machina proprium opus perficiat, plurimum enim intereſt, ut die iſta criſin moliri ſuſcipiat, ideo conſtanti niſu excitanda eſt. Si autem pertinax febris lentor nihil profecerit, ac iiſdem ferocientibus ſymptomatis comitata inveniatur; tunc de figenti veneno validius expugnando, ac ſpiritus ab illius virulentia ſolvendo, illorumque impetu concitando, ſollicitus Medens eſſe debet; hanc enim medendi, in hoc caſu tutiſſimam, pavidis, imperitiſque non æque notam methodum, ratio primum ſuaſit, ac innumera experimenta comprobarunt. In tertio equidem exauctam febrem, & ad criſin moliendam non imparem pluries vidimus; ſicque in quarto, vel quinto puſtulæ primo emerſerunt, quam eruptionem in cæteris, aliter curatis, vel nunquam, & cum *Pigram febrem excitare.*

cum pernicie, vel ultra ſeptimum, & cum dubia ſorte prorogatam fuiſſe, paſſim inſpeximus. In hac ergo urgentia, ut tutam criſin incitarem, mixturam prima die præſcriptam, ſequenti, vel ſimili modo in Adultis efficatiorem reddidi, ex. gr.

℞. *Aqu. Card ben. Scabioſ. aa. unc. ij.*
de Cinamom. unc. ſem.
Sal. volatil. Oleoſ. nri. gr. xxjv.
Antim. diaphor. Corn. Cerv. philoſ. aa. drach. j.
Confection. Alcherm. complet. ſc. iiij.
Spirit. Theriac. camphorat. gut. xv.
M. & cochleat. in horam ſumat.

Puerulis vero a primo, uſque ad xij. annum ſequentem præſcripſi.

℞. *Aqu. Scabioſ. unc. ij.*
Sal. Volatil. Oleoſ. gr. vj.
Confect. Alcherm. ſcrup. j.
M. & ſupra exhib.

Hiſce demum pro ſecunda die opportunis auxilis conferens Diætæ norma correſpondere debet, cujus regulas proprio loco expoſuimus.

Tertiæ diei Curatio. 25 Tertium denique diem, conſuetum criſeos tempus, ſpectabilem ideo, non medicabilem eſſe, cum Hippocrate cenſemus. Quamobrem Naturæ arbitrio, cum æque recteque diſpoſita ſit, ad integrum relinquere oportet, ut ſine repagulo veneni ſubactionem, & ad cutim depulſionem, ipſa perficiat. Probe igitur operantem Naturam obſequio quaſi venerari convenit, ac ſinere, & in hoc morbo maxime, in quo ut plurimum ſuas Criſes cito incipit, & abſolvit; probe igitur operatur illa, propriaque certamina recte digirit, cum hac die febris machinam fortius urgere, ſævisque ſymptomatis ferocire oſtendat; unde ad hæc compeſcenda, vel mitiganda, occurrendum non eſſe, peritus Hippocrates docuit, & paſſim experientia comprobavit. Veruntamen cum dubio marte Natura incedat, ſeu lenta febre, pugnaque longa certare velle, criſiſque ab hac die nimis diſtare noſcatur; providæ Artis tunc eſt, inertes, lentoſque ſpiritus ad exploſiones procurare, veneníque in ſanguine prædominium evertere, quos fines mixtura *antec. num.* 24. poſita una ſimul aſſequi poteſt; hæc enim mane, & veſperi conſtante ſumpta, ſpirituum impetum ad liberum in ſanguine motum excitat, & impellit, ac figentis acidi virulentiam abſorbet, & enervat; unde febris major oritur, & inde facilius criſis, ſeu puſtularum eruptiones, depulſo veneno, procedunt. Itaque cum in tertia nulla modo diſpoſita Natura, ad criſin inſtituendam, ex lenta febre eſſe dignoſcatur, concitativam antecedentis diei methodum proſequi expedit, ac tandiu continuare, donec impetum facientis victoriam puſtulæ ad cutim apparentes oſtendant, quæ Naturæ trophea primum pugnæ ſtadium abſolvunt.

26 In altero item Statu, qui a puſtularum eruptione ad integram illarum maturitatem percurrit, varia etiam methodo curativa uti oportet; cum differentes Variolarum conditiones per diverſos tramites medicationem conducant. Quarta igitur die, quæ ut plurimum principium eruptionis eſſe ſolet, excretionis modum, & puſtularum qualitatem, & copiam, febriſque, ac ſymptomatum pertinaciam, vel miteſcentiam perpendere, ſimulque omnia æque conferre intereſt; plurimum enim ad rem pertinet, impulſivæ machinæ modum, ac expulſionis eventum æqua lance ponderare, ut ſub æquali moderatione obſtringantur. Quamobrem ſi poſt conferentem Variolarum eruptionem, febris, & ſymptomata miteſcant, nihil in hac die innovandum, ſed fauſtum Naturæ opus proſequendum erit, adeoque ſequentem, vel ſimilem mixturam, quæ illius conatus ſecundat, cochleatim in die ſumendam, preſcribere, ſatis erit. *Secundi ſtadii curatio.* *Fauſtæ procedentes Variolæ.*

℞. *Aqu. de ſucc. Borag. unc. iij.*
de flor. Aurant. unc. j.
Extract. ſemin. Aquileg. drach. ij.
Syrup. Corallor. optim. unc. j.
M. & ut ſupra utatur.

Cibum pariter non ultra ita tenuem miniſtrare oportet, vini etiam granatorum ſubdulcis hauſtulum in die propinare adhuc permitti poterit, prout magis vel minus deperditæ vires in Adultis reſtaurandæ ſint; ſicque cæteræ Dietæ leges, ad puſtularum maturitatem coadjuvandam, obſervare, vitæ diſcrimina edocent; & ita per totum hoc tempus, donec tuta Naturæ molimina

ſa-

ſalutis integritatem promittunt, curativam, & diæteticam hancm methodum ſervare juvabit.

Febris vementiam frænare. 27 Cum autem febris vehementia, ſymptomataque acerba pertinaciter adhuc in quarto perſeverent, puſtularumque copia cum impetu erumpat; nimiam impetum facientis exploſionem, in ſanguine ab Acri toxico diſſoluto excandeſcentem, ſuſpicari æque poſſumus; ideo ne immodica ſpirituum concitatio proprium fluidum omnino diſſolvere, & colliquare conetur, citiuſque excidium a vitali motore, quam ab hoſte venefico inducatur, effrænes illius impetus cito compeſcere intereſt. Etſi enim ſollicita, & copioſa Variolarum eruptio cohibenda non ſit, modus tamen excedens reprobandus in hoc caſu, & compeſcendus erit; notum equidem eſt, Varioloſos plurimos, ob nimium ſanguinis non cito ſedatum incendium, phreneticos tandem e vita deceſſiſſe. Tanti ergo momenti eſt Enormonticam acoſmiam, nimiamque ſanguinis commotionem, pro Artis viribus, ad moderatos motus reducere, ne illius conſiſtentia omnino diſſolvatur; hunc igitur ſcopum ſequens mixtura pluries attigit, qua mane, & ſero, cum opus ſit, uti convenit.

℞. *Aqu. Acetoſell. Fragar. aa. unc. ij.*
Cordial. Saxon. frigid. unc. j.
Cryſtall. nri. ex Nitr. & Corall. parat drach. j.
Sulphur. Antimon. fixi Ludov gr. viij.
Laudan. cydoniat. Liquid gut. xij.
M. & cochleat. utere, ac veſper. repetat.

In hujus tandem uſu tandiu perſeverare eſt opus, donec febrem, & ſymptomata miteſcere, moderatoque Naturę niſu Variolas erumpere conſpiciamus; cum hoc auxilio proprias hic Diætæ leges componere convenit.

Febris ſegnitiem ſtimulare. 28 Contra vero cum pertinaciter in quarto lentam febriculam perſeverare, maculaſque raras, & paucas ad cutim emergere, ſymptomata vero plus ſemper ferocire, inſpiciatur; tunc de venefico figenti Acido, ſanguinem coagulante, ſpirituſque in ipſo abſorbente, ambigendum non eſt; ideo in illius virulentiam ſubigendam inſiſtere tandiu intereſt, donec enervatum virus a febris machina eliminetur. Hos fines, ut paſſim diximus, mixtura *antec. nu.* 24. expoſita, conſequi poſſumus, cum mane, & veſperi, donec febris excitata ſit, continuetur. Sæpius equidem deſperatas quaſi ſub hoc veneno Variolas, favente Deo, per hanc viam ad maturitatem, ſalutemque reduximus; quæ pericula tuta ratio ſuaſit. Nimia enim figentis Acidi virulentia, ſanguini congrumationem, ſpiritibuſque torporem, & repagula inducens, Naturæ vires ita proſternit, ut machinam cum impetu in hoſtem impellere, nec intruſum venenum ſubigere, ac eliminare, potis ſit; ſicque ſub tanti hoſtis præpotentia Enormontica virtus quaſi deviсta langueſcit, cum proprio elathere deprædati ſpiritus, ad ſuas expanſiones reſurgere nequeant, ſæpeque ſub figenti veneno ita torpeſcunt, ut niſi ſubleventur, omnino pareant. Sollicita ergo Artis manu ſpirituum vincula ſolvere, ac cito excitare, fas eſt, ut a præpotenti veneno redempta demum Natura hoſtis virulentiam ſubigat, & eliminet; quod ſi Ars auxiliatrix expetito auxilio jacentem relevare, non ſatagit, de vita omnino deſperatum eſt.

29 Variolarum tandem erumpentium ad maturitatem uſque progreſſum inſequi nunc convenit, quem ſi conferenti eliminatione Natura non abſolvat, Ars provida & promovere, & illius obices evertere tenetur; præcipuus enim hujus ſtadii finis eſt, integra veneni depulſio, perfeсtaque Variolarum maturitas, ad quæ aſſequenda ſequentia conducere æque poſſunt. Primo itaque cum parvulas puſtulas nec cito acuminari, nec ſatis intumeſcere conſpiciantur, ſanguinis deſpumationem ſegniter nimis ad cutim propellere, conjiciendum eſt; ideo ut excitetur ad opus, expulſivam Aquam ſequenti modo parandam præſcribere ſueſco. *Matureſcentiæ alterum ſtadium.*

℞. *Radic. Scorzoner Fænicul aa. unc. j.*
Fol. Card. ben. Scabioſ aa. manip. ij.
Flor. Aquileg. Calendul. aa. pug. j.
Semin. Napi Aquileg. aa. unc. j.
Cortic. Radic. Saſſafras. drach. v.
Contuſ. infund. per dies 2.
In Aqu. font. & Vin. malv. aa. Lib. v.
Poſt. deſtill. & Aqu. ſerv. uſui.

Hujus ergo Aquæ tres, vel quatuor coclea-

cochlearia pueris, adultis vero unc. ij. bis in die propinare convenit. Si autem febris jam ſiluit, vel mitis adhuc perſiſtat; mixturam *antec. num.* 24. datam cum hac aqua expulſiva componere eſt opus. Hæc ergo auxilia non dum ſegniter erumpentes, lenteque maturantes Variolas promovere, ſed & retrocedentes ad cutim revocare poſſe, innumera experimenta docuere; cum ipſis vero cucurbitulas ſiccas, aut veſſicantia coaptare, urgentia docebit.

Quæ puſtulas impediant. 30 Verum nec ſatis hæc auxilia ſunt ad hanc medelam perficiendam, cum ſæpe ab obice vario Natura diſtrahatur, ne puſtulas ad cutim depellat, aut depulſas ad maturitatem perducat; obices iſti, opus hoc præpedientes, plurimi ſunt, quorum præcipuos ſaltem curationis integritas depellere poſtulat; per ipſos enim periculoſas vias premere Natura cogitur, prompta vero Artis manus ad ſalutis metam periclitantem ducere ſæpius potuit; auxilia tamen, pro repaguli differentiis, varia etiam eſſe ſolent. Differunt equidem obſtacula iſta multiplici violentia, & tot ſunt, quot ſymptomata in hac Naturæ criſi emergunt, rectamque Variolarum expulſionem, vel maturitatem præpediunt. Inter hæc igitur primo

Cutis denſitatem temperare. Cutis denſitas ſe offert, quæ devictum venenum, & ad peripheriam depulſum, infarcti quavis de cauſa illius meatus, extra corpus eliminari obſiſtunt; ſic impulſum, & non extruſum virus, vel retrocedere, unde interitum, aut ſæviora ſymptomata inducere; vel cutaneos affectus, puſtulis hiſce deteriores, moliri ſolet. Cognita ergo hujus obicis cauſa, citius quo poſſit, depellere convenit; & primo cum borealis conſtitutio, quæ cutim denſat, veneni hujus eruptionem præpediat, non nimis ardue repagulum iſtud evertitur; frigidus enim aer proximo igne, calidis ſuffumigiis, moderatiſque culcitris temperari poteſt. Cum autem cutis denſitas, ut in Adultis pluribus, ab innata corporis conſtitutione proveniat, tunc partium frictiones, cucurbitulæ ſiccæ, ac ſpirituum aperientium inunctiones, maxime dorſi, & pectoris, utiles erunt; oleoſa vero linimenta evitare intereſt, cum damna potius, quam auxilia contuliſſe notaverim. Vidi olim, graſſantibus per civitatem Variolis, Juvenem robuſtum, in cujus pectore, ac dorſo quarta morbi die puſtulæ multæ apparvere, quinta die, ob pungentes dolores oleo amygdalarum dulcium a mulierculis inunctum, & per dies plures quotidie replicato, puſtulæ retroceſſerunt, & uſque ad nonum, in quo vocatus fui, miſerum juvenem pungentibus undique aculeis, febre vero lenta, ſed acerbo delirio agitatum inveni; de omnibus ergo a Chirurgo quodam informatus, oleoſam unctionem reprobavi, ac ſequentem præſcripſi.

℞. *Aqu. Abrotan. Aquileg. aa. unc. jv.*
Extract. Cortic. Saſſafr. drach. ij.
Spirit. Roriſmarin. gut. xxx.
M. & dorſum, ac pectus ter in die inung.

hoc auxilio puſtulæ redierunt, ac demum appropriata methodo integre convaluit.

31 Alter obex Variolas cohibens, Ptyaliſmus, ſeu crebra ſputatio eſt, quæ cum ante quartum diem invadat, Natura ad cutim conferentius vergentem per aliam viam minus commodam diſtrahit, & ad motus irregulares pervertit. Cum vero matureſcentibus jam Variolis emergat, non infauſtum, ſed utilem potius eſſe, pluries compertum fuit. Priorem itaque cohibere, vel moderari ſaltem, Ars provida tenetur, ne venenum (quod per ſalivales glandulas tantum omnino decedere, arduum nimis eſt) ex parte ſaltem in ſanguine permaneat. Ad hunc finem ergo ſequenti decocto cum fructu ſæpe uſi ſumus, videlicet. *Ptyaliſmos emendare.*

℞. *Nuc. Cupreſſ. Balauſt. aa. unc. j.*
Succ. Hypociſt. Alumin. aa. drach. iij.
Aqu. fabror. q. ſ. ut f. Decoct. ad tertiam
Colat. hauſt. ore teneant, non gargar.

vel ℞. *Spongiæ fruſtul. Aquar. ſtiptic. Batei imbut.*
& in ore ſæpius renovat. teneat.

Cum vero matureſcentes jam Variolas Ptyaliſmus inſequatur, tunc tediosum, ſed non improbum, nec fortaſſe inutile in hoc ſtadio ſymptoma iſtud eſſe ſolet; cum ſæpe vitiatam a veneno lympham, per oris glandulas conferenter exoneret; adeoque non compeſcendum, ſed fovendum eſſe cenſemus; hujus enim

enim promotio breviores morbi terminos ducere, phthiſeoſque pericula evitare ſuevit; vidimus namque plures poſt Variolas in phthiſin ruere; quorum ptyaliſmus in hoc ſtadio cohibitus fuit. Adultis ergo, & illis, qui duodecimum annum tranſegerunt, auxilia ſequentia, vel ſimilia ſputum promoventia præſcribi poſſunt. ex. gr. in Variolis ab Acri veneno ductis.

℞. *Seri Caprill. deſtill. unc. vj.*
Diamoron. ſimplic. unc. ij.
Lapid. Prunell. drach. ij
M. f. Gargariſ. ſæpius utend.

vel in ore teneat Sacchar. Violat. aut Succ. Liquirit. condenſ. vel lapid Prunell. fruſtulum, ad ſalivationem provendam. Cum autem Variolæ ab Acido viru inductæ ſint, ſequenti, vel ſimili uti poterit, ex. gr.

℞. *Aqu. Hyſſop Betonic. aa. unc. iij.*
Radic. Pyreth. Irid. pulv. aa. unc. ſem.
Mell. Violat. unc. j.
M. & pro Gargariſ. ſæpius utat.

Denique ſi areſcentes Variolæ, & in eſcharas decidentes ptyaliſmum relinquant, ne in vitium commutatus perſiſtat, ut non ſemel vidimus, ut glandularum fluor compeſcatur, mixturam ad hunc finem ſupra expoſitam ad uſum vocare convenit, vel ſaltem Vino Granatorum acidorum chalybeato pro gargariſmo uti.

Hæmorrhagias ſedare. 32 Tertius obex profuſæ ſanguinis hæmorrhagiæ ſunt, quæ ſæpius in ardentibus, ab Acri viru concitatis febribus emergere ſolent. Fatale ut plurimum hoc ſymptoma eſſe, paſſim obſervatum eſt; effrænem enim, ac deſperatam Impetum facientis acoſmiam proprii ſanguinis profuſiones demonſtrant; nulliſque remediis obtemperare, phlebotomias, opiata, & adſtringentia ſpernere ſæpe ſolet; infauſtum ſi ante puſtulas, funeſtum ſi poſt ipſas appareat, pro viribus ergo illi occurrere fas erit; & primo Narium hæmorrhagiam, cum vehementi febre ante quartum emergentem, altera venæ ſectione refrænare, & inde ſedativam mixturam *antec. num.* 27. præſcriptam eadem ibi data methodo ad uſum ponere; cum autem auxiliis hiſce minime cedat, extremo remedio illam tentare convenit; nempe

℞. *Laudan. opiat. Quercet. gr. vj.*
Succ. Granator. acid. unc ſem.
M. & de ſero propin.

In nares item goſſypium ſucco Balauſtiorum imbutum intrudatur; fronti pariter emplaſtrum ex Bol. Armen. Maſtich. Ovi album. in maſſ. fact. applicetur, manuſque, ac pedes linteolis aceto madidis involvantur, collo demum, ubi maxime ad caput arteriæ aſcendunt, linteolum Aqu. ſpermat. Ranar. vel Portulac. in qua ſuccus Acaciæ, ſeu Prunor. ſylveſtr. ſolut. ſit, madefactum apponatur. His auxiliis plures in hoc caſu Narium hæmorrhagias cito ſedatas, febreſque vehementes moderatas vidimus. Uteri adhuc fluxus infauſti obices ſunt, cum ante quartum erumpant, motus enim ad cutem diſtrahunt, puſtulaſque, ad peripheriam impellendas, pervertunt, ſæpeque poſt ſeptimum ſaltem illarum eruptionem protrahunt, & non raro ita cohibent, ut a diuturno fluxu enervata Natura, ſub indomito veneno ſuccumbere cogatur. Ideo pro exigentia compeſcendum, vel moderandum ſaltem hoc ſymptoma eſſe cenſetur, prout vel legitime, vel intempeſtivo tempore emergat; ad hunc ergo ſcopum ſequentia colllimant. Primo cum duo, vel tres dies ad ſummum, pro patientis conditione, menſtrua fluxerint, venæ ſectionem in brachio inſtituere, maxime ſi vehementem febrem fluxus iſte inſequatur, quantitatem vero ſanguinis pro circumſtantiarum petitione determinare convenit. Hora item poſt venæ ſectionem ſequenti vel ſimili mixtura utatur.

℞. *Aqu. Plantag. Portulac. aa. unc. ij.*
Sulphur. Antimon fix. Ludov. gr. x.
Magiſt. Lapid. Hæmatit. gr. xij
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. viij.
Syrup. Myrtillor. unc. ſem.
M. pro una Doſ. ter in die repetend.

Hæc demum auxilia, quæ ante Variolarum eruptionem importunis menſtruis proſpiciunt, etiam in illarum matureſcentia, emergentes hos fluxus compeſcere poſſunt, dummodo ab imperito non abutantur.

33 Ultimum demum obex Alvi fluxus eſſe ſolet; ſæpe enim contingit, prima vel ſecunda morbi die febrem arden- *Alvi fluxus ſedare.*

dentem, cum biliosa Diarrhea fœderatam inſpicere, quam licet ſymptomate diſcrepante perſonatam, variolis tamen graſſantibus, ut Varioloſam ſuſpicari decet. Ideo prophaſeos notionibus primo, & inde febris conditionibus, Patientiſque circumſtantiis expenſis, cum tuta ex graſſanti morbo Variolarum ſuſpicio urgeat, non ut bilioſam ſimpliciter, ſed & varioloſam ſimul febrem conſiderare oportet. Ad hanc ergo prima die vocatus Medens, ſymptoma potius, quam febrem primo ſedandum eſſe, decernat; plurimum enim confert, urgentiori in hoc caſu proſpicere; ideo qualibet alia minus urgenti indicatione dimiſſa, unica hic attentio Diarrhœæ compeſcentia eſt. Ne igitur fluxus iſte Variolarum eruptionem præpediat, venenum in ſanguine claudat, febremque nondum inutilem, ſed & lethalem efficiat, ocyter ſedandus eſt; ad quod opus lenientibus tantum (niſi prægreſſi errores aliud petant) ac ſedantibus Clyſmatis uti, ſat erit. In hac ergo urgentia datum jam *anteced. cap. 20. num. 11.* proficum eſt; cum vero nimis ardens febris lactis uſum prohibere videatur, ſequenti vel ſimili uti poterit.

℞. *Rad. Bardan. Tormentill. aa. unc. j. ſem.*
Fol. Plantag. Portulac. aa. manip. ij.
Seri lact. Caprill. chalybeat. q. ſ.
M. coq. ad tertiam. Colat. unc. viij. adde
Mucill. ſem. Cydon. & Pſyll. unc. j.
Vitell. ovor. num. ij. M. f. Clyſter.

Hæc tamen doſis pro ætatis conditione diminui poterit. Abdominis item inunctiones caute ſaltem permittantur, quarum formulæ *ſuprad. cap. 24.* reperiuntur. Hinc interna etiam auxilia præſcribi debent; ex. gr.

℞. *Liquor. Terr. ſigillat. ſcrup. j.*
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. x.
Syrup. de ſymphit. Fernel. unc. ſem.
M. pro una Doſ. de ſero repetend.

vel ℞. *Aqu. de ſucc. Plantag. unc. iij.*
Antimon. diaphor. drach. j. ſem.
Lapid. Hæmatit. ſcrup. ij.
M. pro una Doſ. matutin.

Mirum eſt, quanta energia largior Antimonii diaphoretici doſis, in Diarrheis cohibendis, polleat; plurimos enim hoc ſolo remedio varioloſos adultos cito tutoque ab hoc ſymptomate liberatos vidimus, puſtulaſque celeriter emergere obſervavimus; cum auxilium iſtud & alvi fluxus compeſcere, & variolas ad cutim expellere, æque aptum ſit; impetus enim Naturæ ab inteſtinis divertit, & ad peripheriam reducit. Hæc demum pro Diarrhea ſatis; cætera vero ſymptomata, quæ in ſecundo ſtadio emergere poſſunt, ex his quæ in proprio cujuſque capite tradita ſunt, cum præſentis morbi exigentiis componere quiſque poterit; raro tamen poſt variolarum eruptionem & maturitatem acerba ſymptomata præ dictis excandeſcere ſolent.

34 Corporis demum partes, ne a corroſivo puſtularum viru depraventur, pro viribus cuſtodire, adhuc intereſt; ideo ſingulas viſitare, illaſque appropriatis auxiliis tueri, noſtrum nunc erit. Primo itaque ad faciei venuſtatem cuſtodiendam, ne cicatrices deformes puſtulæ iſtæ relinquant, ipſas jam maturas aperire, ſeu perforare, ac illarum ſaniem extrudere, plurimi cum Arabibus conſulunt, plurimique acerrime improbant, illi rationibus, iſti vero experimentis ſuper hoc bivium digladiantur. Verum quidquid ratiunculæ gracitent, ex pluribus infauſtis experimentis inviſis, ab hac credula perforatione abſtinere tandem, Peritiores didicerunt; & nos cum iſtis Variolas aperire devitamus, totumque hoc negotium, mature abſolvendum, ſeu ſaniem in eſcheram exiccandam, Naturæ committimus; ſæpe tamen ut tutum ipſius opus reddatur, ad retundendum puris acerrimi virus, nil aliud, quam oleo Amygdal. dulc. rec. extr. vel Butyro inſulſo, aqua Roſar. pluries diluto, maturas jam Variolas illinire concedo, quo auxilio, & pruritus moderationem, & citiorem matureſcentiam, acriſque virulentiæ frænum, faciliſque cruſtarum decidentiam promoveri, longa experientia nos docuit. Inunctiones vero præcoces, quibus a facie puſtulas repellere ſatagunt, nullo modo permitti poſſe, vitæ pericula ſuadent, cum ad capitis intima repulſum venenum, exitialem anginam, vel phrenithin, aliave funeſta mala excitaſſe, pluries obſervaverim; in hoc tamen caſu multum

Partes cuſtodiendæ, & primo Facies.

con-

contuliſſe memini, cucurbitulas ſiccas in ſcapulis replicatas, & veſſicantia in nuca, & brachiis ante Variolarum eruptionem appoſita, maxime cum deliria morbi hujus limina occupaſſent, quibus auxiliis faciem a Variolarum grumeſcentia immunem ſæpe vidimus; Allium adhuc cum *celebri Sydenhamo* pedum plantis applicatum, utilem antiſpaſin effeciſſe notavimus.

Oculis proſpicere. 35 Oculis vero, ne lædantur proſpicitur, cum vel ante puſtularum eruptionem repellenti aliquo linimento a Variolis immunes reddatur; vel poſt quam eruperint, roboranti collyrio foveantur. Priori ſcopo Aqu. Roſar. Plantag. & Solani æqualiter mixtæ inſervire ſolent, vel efficacius ſequens.

℞. *Semin. Sumach. Fænicul. contuſ. aa. Drach. j.*
Affund. Aqu. Plantag Fænicul. aa. unc. ij.
Diger. per diem loc. calid. Colat. fort. expreſſ. adde
Alumin. rupei pulveriſ. Drach. j. ſem.
M. f. Collyr. ſæpius utend.

Poſt eruptionem vero, cum Variolæ oculos jam invaſerint, tunc unum vel alterum ex ſequentibus linimentis conferre poterit.

℞. *Aqu. Roſar. Euphrag. aa. unc. j. ſem.*
Florum Cyani unc. ſem.
Camphor. Croc. orient. aa. gr. ij.
M. f. Collyr. ſingul. horis utend.

vel ℞. *Balſam. Tolutan. veri ſrup. j.*
Aqu. Flor. Cyani unc. ſem.
Diſſolu. f. linim. ſuper palpebr. utend.

Cum autem ob puſtularum congeriem oculi tumeſcant, tunc Mucillag. ſemin. Cydon. & Fænugræc. cum aqu. Euphraſ. & Fænicul. extracta, illiniantur, & ſic compeſcuntur. Demumque pene omnia in oculis a Variolis relicta, ſequenti aqua emendantur.

℞. *Aqu. Spermat. Ranar. unc. ij.*
Phlegm. Vitriol. puriſſ. unc. ſem.
Croc. Metall. optim. Drach. ſem.
M. & diger. per menſem poſt. filtret.
Hujus Aqu. guttul. una ter in die oculo inſtillet.

Hujus efficacia in his urgentiis me nunquam fraudavit.

Aures, & nares cuſtodire. 36 Nec Aures interdum a Variolarum veneno immunes evadunt, cum ſæpe diu ex illis ulcera manantia, ſæpiuſque ſurditatem diuturnam reliquiſſe, compertum ſit; ideo ad ipſarum tutelam in ipſo morbi hujus initio invigilandum, appropriatiſque roborantibus organum, non minoris momenti quam oculi, tuendum eſt; ad hunc ergo finem in Variolarum principio ſequentibus, vel ſimilibus auxiliis Aures defendere oportet. ex. gr.

℞. *Ol. Amygdal. amar. unc. ſem.*
Extract. Caſtor. ſcrup. ſem.
Balſam. Copajuæ ſcrup. j.
M. f. linim. pro Auribus.

in hac mixtura bombax moſchatus humectetur, ac tepefactus in aures mittatur, & quotidie recens apponatur, donec Variolæ decidant: vel

℞. *Ol. de Bacc. laur. unc. ſem.*
Fell. Lucii piſcis Drach. ſem.
Moſch. Zibet. aa. gr. v.
M. exacte, & eodem modo utere.

Nares item cuſtodimus, ſi goſſypium aceto roſaceo imbutum ſæpius ad olfactum applicetur, vel ſequens ex. gr.

℞. *Aqu. Majoran. Serpill. aa. unc. j.*
Acet. in quo Caſtor. infuſ. ſit unc. ſem.
Semin. Nigell. pulveriſ. Drach. ſem.
M. & cum bombac. in nares intrud.

Hoc, inquam, præcavet, ne nares ita occludantur, ut per illas reſpirari nequeat, unde difficilem reſpirationem, quam pulmonum vitio in hoc morbo imponere audent, non raro ex infarctis naribus derivaſſe dignovimus; quod ne decipiamur, ac phtiſin minitari, prenunciemus, recte obſervandum eſt.

37 Os demum, & Fauces ne a Variolarum copia claudantur, vel ab acri virulentia inflammentur, ſequentibus auxiliis, vel ſimilibus tueri oportet. Primo igitur ne nimia copia in faucibus Variolæ concreſcant, ac ut aliquando vidimus, quaſi Angina ſuffocatos, patientes decedant; facile enim a puſtularum multitudine gulæ iſthmus ita clauditur, ut nec deglutitio, nec reſpiratio exerceri poſſint, ideo ut ab hoc infarctu fauces eximantur, ante Variolarum eruptionem, ſequentibus, vel ſimilibus uti convenit. *Os, & fauces tueri.*

℞. *Semin. Sumach. Melon. aa. drach. ij.*
Papaver. albi drach. j.
Aqu. Plantag. Portulac. aa. unc. iij.
Fiat l. a. Emulſ. cui adde
Rob Nucum, ſeu Dianuc. unc. ſem.
M. f.

M. f. Gargariſm. ſæpe utend.

vel ℞. *Mucill. ſem. Sumach. aq. roſ. extract. unc. j.*

Ol. Amygd. dulc. recent. unc. ſem.

Sacchar. Roſar. drach. vj.

Lapid. Prunell pulver. drach. j.

M. f. lambitiv. ſæpius utend.

Cum vero ſuffocationis pericula minitata eſſe videatur, tunc dimiſſis hiſce, quæ leniter adſtringunt, ad laxantia confugere intereſt, in quem finem ſequentia collimant: videlicet

℞. *Aqu. Malvæ, Farfar. aa. unc. iij.*

Sem. Melon. Angur. decort. aa. dr. ij.

F. l. a. Imulſ. cui adde

Lapid. Prunell. Sacch. Cand. aa. dr. j.

M. f. Gargariſm. utend. ſæpius.

vel ℞. *Paſſular. minor. exacin. unc. ij.*

Pulp. Caſſiæ recent. unc. ſem.

Aqu. Malv. Violar. aa. unc. iij.

M. f. lambitiv. ſæpius utend.

Cum autem Faucium excoriatio appareat, tunc Mell. roſat. unc. j. Aqu. de ſucco Plantag. unc. iij. mixtis gargariſando ſæpius uti poterit.

38 Ultimo tandem Variolarum reliquias diſcutiendas exponere ſupereſt, maculæ nempe, ac profundiora veſtigia, ex cadentibus eſcharis in exeſa cuti relicta. Primo igitur ſimplices maculas dilutio aliqua ſequens detergere poteſt, videlicet

℞. *Aqu. Flor. Fabar.*

Sigil. Salom. aa. unc. ij.

Fecul. Arohis Drach. j. ſem.

Olei Ranarum unc. ſem.

M & cum hac macul. inungantur.

vel ℞. *Semin. Cannabis decort. dracb. ij.*

Aqu. Roſar. albar. unc. iij.

M. f. Emulſio, qua macul. illinant.

vel ℞. *Aqu. Decoct. Caryophillat. Martio Collect.*

Vel Aqu. Mille flor. Majo deſtill.

Aut Decoct. Alumin. cum Aqu. roſar. &c.

Unum vel Alterum maculas cito emendat.

Profunda vero puſtularum ſtigmata in facie relicta, validioribus remediis corrigere convenit, in quorum cenſu primum, experimentis nobilitatum, linimentum Foreſti eſſe dicitur, quod fit.

℞. *Ol. Amygdal. dulc. Lilior. alb. aa. unc j.*

Pinguedin. Capi drach. iij.

Rad. Peon. Irid. Florent. pulveriſat. Lithargyr. aurei aa. ſcrup. ſem.

Sacchar. Candid. ſcrup. j.

M. in mortar. calid. & per lint. exprim.

colatura mane, & ſero eroſa cutis illinatur, & cum aqua e pedibus Vituli deſtillata cicatrices abluentur. Item ſequens noſtrum, quo ſæpe cum fauſto eventu uſi ſumus, videlicet.

℞. *Ol. ex vitul. Ovorum unc. ſem.*

Pingued. human. drach. iij.

Liquor. Myrrhæ drach. ij.

M. probe, & tepid. ter in die utat.

Liquor Myrrhæ fit, ſi pulveriſata Ovi cocti albumini calido imponatur, ac in cella ad liqueſcendum reponatur. Hinc enim liquor per ſe ſolus nondum Varioloſis, ſed & Gallicis ſtigmatibus valide confert. His denique morbum hunc pro viribus expedimus, & ad cutaneos alios accedimus.

CAP. XXII.

De Plegmone & Eryſipelate

1 Conſimiles morbi uno capite amplectimur, ita enim mutuo ſeſe communicant, ut ab *Hippocrate 5. aph. 43. & 6. aphor. 25.* ac alibi paſſim unus viciſſim pro altero inſcribatur, cum ſola parte, quam afficiunt, plus minuſve in cuti profunda, variare ſueſcant, ac utraque ab eadem origine manare, eodemque occaſionali fomite promoveri, ſatis noſcatur. Verum quia non unicus morbus, ſed modo ſaltem differentes æque deſcribantur, diſtincta ideo notione utrumque diſcriminare convenit. Primo igitur Phlegmonem deſcribimus, quod ſit Tumor in parte carnoſa circa cutem fixus, cum rubore, calore, tenſione, pulſatione, ac dolore, a ſanguine ibi ſtagnante inductus, ac diſcuſſione, ſæpiuſque ſuppuratione reſolvendus; hæc autem affectio raro ſine febre peragitur. Eryſipelas vero deſcribi poteſt, quod ſit Tumor amplivagus, fervidus, rubeſcens, ac dolorificus, ſolam cutim ſanguine inundatam pervadens, diſcuſſione frequentius reſolvendus; qui vel cum febre oritur, vel ab ipſa producitur. Phlegmonis Differentias græca ſollicitudo *Deſcriptio & differentiæ.*

do plurimas fecit, cum partes ab inflammatione invaſas potius, quam morbi ſpecies diſtinguere ſtuduiſſet; ſic ex. gr. Ophthalmia, Ægilops, aut Anchilops, quarum primam tunicæ adnatæ, alteras oculi angulorum inflammationes nuncuparunt; voces propriæ quidem, quæ morbum eundem loco tantum affecto, non reipſa differre oſtendunt; hoc igitur calculo cæteras morbi hujus differentias, a Græcis inventas, æque notare licebit. Sic pariter Eryſipelatis ſpecies nullæ certo propriæ ſunt, & licet a plurimis Herpes tumor eryſipilatoſus inſcribatur, re vera tamen alienus ab Eryſipelate morbus eſt, cum in ipſo puſtulæ corroſivę cutim exulcerantes ſemper adſint, quod ab hoc affectu longe diſtans eſt; irrita vero diſſidia iſta garrulis relinquimus.

Diagnoſis. 2 Diagnoſtica utriuſque morbi ſigna hic primo expendere, ac diſtinguere oportet; ne conſimiles illorum apparatus a recta ratione imperitos ſeducant. Primo igitur Phlegmones, cum ab intima cauſa ducantur, non incipiunt, niſi prius acuta febris invaſerit, ſæpeque pro morbi apparatu ſecunda, vel tertia die, aut cum critici ſint ſeptima, vel ultra emergere ſolent. Eryſipelas vero vel ante, vel cum ipſa ſimul febre, vel parum poſt ipſam erumpit, nullamque ſtrictam Phlegmonum regulam in invaſione ſervare, obſervavimus. Phlegmones item locum, quem primo afficiunt, nunquam permutant, cum invaſa caro ſtagnantem ſanguinem claudat, qui ſuppuratione ſæpius reſolvitur. Eryſipelas vero, cum magis cutaneus ſit, vagus, ac mutabilis ſæpius apparet, nec ſuppuratur, niſi virulentus ſit, vel præpoſtere curetur. Phlegmonis denique tumor ſupra cutim elevatur, & quaſi extuberat. Eryſipelas vero non intumeſcit, ſed per planam cutis ſuperficiem vagatur. Item Phlegmonis characteres ſunt, in occupata parte ruborem, calorem, dolorem, tenſionem, ac pulſationem inducere. Eryſipelatem pariter rubor, calor, & dolor inſequuntur, pulſatio vero nulla, tenſioque pauca ſociantur; ſigna vero, quibus conveniunt, nec omnino ſimilia ſunt, Eryſipelatis enim rubor digito preſſus albeſcit, quod tacto phlegmoni non accidit, in hoc item purpureus liveſcens, in illo quaſi flaveſcens rubor eſt; ſic dolor in Eryſipelate acutus, & pungens, in Phlegmone vero gravans, & pulſans extat; diſparitatis ratio eſſe videtur, quia iſte in profundiori cutis parte deliteſcit, & a ductibus non adeo minimis copioſam ſanguinis evaſationem ſumit, ideo partes tumeſcunt magis, magiſque tenduntur, & pulſant, cum compreſſæ inibi arteriæ ſenſibilem pulſationem edant. Eryſipelas vero ſub epidermide cutim invadens, a minimis arteriolis fomitem ſumens, nec pulſare, nec intumeſcere, nec ſedem figere ſolet, niſi ſuppurando profundiorem partem invadat.

Cauſarum indago. 3 Phlegmonum denique in cuti emergentium Cauſa eadem, ac illa eſt, quæ in intimis viſceribus inflammationes producit, conſimliſque Occaſio hic quoque fomitem ſuggerit. Equidem potiſſima Plegmonum origo, ut *cap.* 10. *de Thorac. inflammat.* expoſuimus, Enormontica concitatio eſt, frequentior vero Fomes acidum figens, in ſanguine ingenitum, vel ingeſtum; cujus violentia fluidum, quod inficit, cito grumeſcere cogit, ſicque in moleculis plus æquo craſſis concretus, cum ad arteriolarum ora pervenerit, illarum diametro major, oſcula infarciendo, ſanguinis motum cohibet, ibique ſtagnare cogit. Hinc Enormontica fluidorum impulſio, quæ ſibi expeditas vias undique aperire nititur, obſtructa vaſcula proprio niſu, febriſque auxilio, tandiu propellit, donec ipſorum ora diſrupta ſanguinis copiam, plus quam venæ aſſumere poſſint, cum impetu effundant: hic ergo ſanguis evaſatus muſculorum interſtitia occupans, ibi ſtagnare cogitur, unde invaſæ partis intumeſcentia, tentio, pulſatio, dolor, cæteraque improba ſymptomata phlegmonis pediſſequa exoriuntur. Externæ adhuc prophaſes plurimæ ad tumoris hujus promotionem concurrere ſæpe ſolent, in quo genere ſunt Contuſiones, Luxationes, Fracturæ, Vulnera, & Ulcera, quæ non raro comes parata Inflammatio conſequitur, hæc ergo externi Phlegmonis origo, & idra eſt. Eryſipelatis pariter cauſæ non diſſimi-

les extant; ab eodem enim concitato ſpirituum impetu capillares arteriæ, facto niſu, aperiuntur, ac plus æquo evaſatus ſanguis intra cutim, & ſub epidermide tantum effunditur, qui cum a minimis vaſculis, per cutim circumeuntibus, erumpat, non tanta craſſitie, quanta in Phlemone apparet, oſtentare poteſt, & ideo magis fluxilis quam fixus vagantem tumorem inducit, qui facilius tranſpirando diſcutitur, niſi vel a corroſivo veneno ſanguis infectus ſit, vel a præpoſteris remediis, cutim conſtipantibus, in ipſa occluſus, & congrumatus, ad ſuppurationem compellatur.

Prognoſis. 4 Prognoſis denique tum a febribus, quas Affectus iſti comitantur, tum etiam a ſeipſis deſumi poteſt. Febres primo quo periculoſiores ſunt, eo difficiliorem Phlegmonum reſolutionem minantur; nam cum ardentes, ac veneficas inſequantur, raro matureſcunt; ſæpe aduruntur, ſicque in ulcus malignum degenerare ſolent; in mitioribus vero febribus facile ſuppurantur, ac reſolvuntur; in iſtis enim febris machina moderato impetu ducta, perfectas criſes abſolvit; in illis vero excandeſcentes ſpiritus ad acoſmiam ſubducti, non adhuc devictam, ſeu concoctam luem a ſanguine ad cutim depellunt, ideo non critico proprie, ſed irritativo niſu tumores iſti producuntur; cum vero perfecta criſi ad cutim eliminantur, quaslibet febres per abſceſſum abſolvunt. Eryſipelas item ſi veneficas, & præcipue colliquativas febres comitatur, ſæpe ob Acre virulentum ad ſuppurationem vergit, quod ſemper malum eſſe 7. *aph.* 20. docetur; nam vel in vlcus ſordidum, vel in gangrenam migraſſe, obſervatum eſt. Ideo *lib.* 3 *epidem.* legitur; *in peſtilenti conſtitutione Eryſipelas, & ignes ſacros ortos eſſe, multos interimentes*; Febris ergo indoles prava, vel mitis utriuſque affectus preſagia firmare ſolet. Alteram pariter Prognoſis regulam Tumores ipſi deſignant, ſi periodica tempora probe, vel improbe currere videantur; tempora vero ſunt principium, ſtatus, & declinatio, quæ vel debito, vel dubio progreſſu abſolvi ſolent; debita lege ſtadia hæc terminant, cum ſanguis in illis cubans nec nimis figenti Acido, nimiſve corrodenti Acri veneno infectus ſit; nec profunde nimis ſub cuti tumor deliteſcat, nec partes calloſæ, tendinoſæ, aut nervoſæ a Phlegmone afficiuntur, tunc celeriter ſuppuratur, & abſolvitur. Contra vero ſi aliquam ex dictis conditionibus tumores iſti patiantur, tunc vel difficilius, vel nunquam ad integram reſolutionem perducuntur. Pariterque ob præpoſteram curam Eryſipelati dicatam, nempe ſi conſtipantia, vel repellentia remedia in illius exordio applicentur, ab externis ad intima viſcera (ut 6. *aph* 25. docetur) retrocedens, malum eſt; tunc enim vel cerebri, vel thoracis, vel renum inflammationes inducere, experimenta demonſtrarunt; ideo curationem, quam nunc aggredimur, caute inſtituere oportet.

5 Indicationes igitur curativæ a febris conditionibus primo deducuntur, qualis enim illa eſt, tale ſemper illius productum erit; excipe tamen Inflammationes, ab externis occaſionibus inductas, ut a contuſione, luxatione, vulneribus, cæteriſque ſimilibus, quæ cum febris occaſiones, non vero ſymptomata ſint, aliter ideo curari exigunt. Si ergo febrem acutam, aut veneficam hæc producta comitentur, expoſitam in ipſis curationem immutare nec Phlegmones, nec Eryſipelata compellunt; cum in illarum methodo pro indicatis ſanguinis concitationem per phlebotomiam imminuere, & motum ad cutim vergentem diaphoreticis ſecundare, dictatum ſit; quamobrem vel iiſdem ad cutim urgentibus auxiliis, vel ſequentibus, pro re nata uti poſſumus, videlicet. *Curatio.*

℞. *Aqu. Card. ben. Papav. errat. aa. unc. ij.*
Corn. Cervi philoſ. calcin.
Antimon. Diaphor. aa. drach. j.
Extract. de Bacc. Sambuc. ſcrup. ij.
Syrup. Card. ben. unc. j.
M. pro duab. Doſ. man. & ſero exhib.
Ad phlegmon. expell. in Febr. Coagulat.

item ℞. *Aqu. Spermat. Ranar. unc. ij.*
de Flor. Aurant. unc. ſem.
Corn. Cerv. philoſ. calcin. drach. j.
Tinctur. Bezoard. Ludov. drach. ſem.

Spi-

Spirit. e Flor. Sambuc. ſcrup. j.
Syrup. Card. bened. unc. j.
M. & in Eryſipel. ſimilit. utito

Topica in principio. 6 Topicis autem hujus indigentiæ propriis, nec repellentibus, nec poros conſtipantibus ſub initio uti convenit; ne clauſa cutis janua, ſanguis extra ſua vaſcula fixari, ſicque invaſam partem vel ad corruptionem inducere, vel ſaltem inſtitutus ad cutim impetus ad intima viſcera retrocedere cogatur. Diſcutientia ergo primum ad opus vocare intereſt, quæ ſi a tumoris contumacia temnantur, ad maturantia in phlegmone, ſimulque anodyna, cum dolor adſit, auxilia confugere, eſt opus. Ad hos itaque ſcopos attingendos, ſequentia non infima eſſe credimus; & primo cum diſcuſſionem tentare deceat, his vel haud diſſimilibus uti convenit, ex. gr.

℞. *Succ. Cancr fluviatil unc. iij.*
Aqu. flor. Sambuc. unc. ij.
Croc. orient. Bol. armen. contuſ. aa. ſcrup. j.
M. & cum linteis duplic. madef. ſæpe applic.

vel ℞. *Aqu. Spermat. Ranar. unc. vj.*
Flor. Sambuc. pulveriſ. unc. j. ſem.
Bolo Armen pulveriſ. drach. j.
M. & ſimiliter utito.

Si vero Cataplaſma præſcribi debere, utilius videatur, ſequenti, vel ſimili uti poterit, ex. gr.

℞. *Fol. Lactuc. Aneth. aa. manip. j.*
Flor. Sambuc. Camomill. aa. pug. j.
Semin. Lini. Fænugræc. aa. unc. ſem.
Seri lactis depurat. q. ſ.
Contund. & M. & coqu. ad pult. conſiſt.
ac bis in die tepid. phlegm. appon.

Caute tamen cum diſcutere intentio, & opportunitas ſit, cataplaſmatis uti decet, quia facile ſuppurationem inducere ſolent.

Maturantia remedia. 7 At cum craſſus, durusque Tumor, diſcuſſionem reſpuens, ad purulentum abſceſſum declinare oſtendat, Maturantibus tunc uti fas erit, in qua linea Balſamum Sulphuris Rulandi primas tenet, legitimam vero hujus compoſitionem, etſi Auctor clam tenuiſſet, non deſunt aliæ, quæ illius energiam æmulantur, ut inter plures illa Nobilis Boilei, cujus compoſitio ſequens eſt.

℞. *Flor. Sulphur. optim. unc. jv.*
Olei Olivar. veter. unc. xvj.
M. in olla fictil. ampla
Et igne carbon. fervide bulliat;

Ne vero oleum accendatur, ſpatula lignea continuo agitetur, uſque ad perfectam Sulphuris ſolutionem, quam examinare oportet, prius quam olla removeatur ab igne, ejuſdem nempe guttulas chartæ inſtillando, & cum color purpureus, mellis conſiſtentia, ſulphuriſque odor ſe prodant, tunc abſolutum eſt. Hujus ergo vires mirabiles ſemper fuiſſe, nondum in phlegmonibus celeriter ſuppurandis, ſed & aperiendis, & conſolidandis paſſim compertum eſt. Cum vero Balſamum hoc ad manus non ſit, vel Emplaſtr. de Mucilagin. vel Diachyl. magnum Meſue, aut Diachyl. cum gumm. Vigon. aliave ſimilia ad uſum vocentur. Si vero Cataplaſma domeſticum magis faveat, ſequentibus, vel ſimilibus uti poteſt, ex. gr.

℞. *Fol. Malvæ, Violar. aa manip. j.*
Flor. Camomill. Melilot aa. pug. j.
Rad. Alth. Lilior. alb aa. unc. j.
Contuſ. coquant in Lacte q. ſ.
in fin. adde
Micæ panis Tritic. unc. iij.
Axung. Suill. Gallin. aa. unc. j. ſem.
M. f. Cataplaſm. bis in die tepid. appon.

vel ℞. *Mucillag. Radic. Altheæ unc. ij.*
Farin. Tritic. Secal. aa. unc. j.
Ferment. Tritic. acerr. unc. j. ſem.
Ol. Camomill. Lilior. alb. aa. unc. j.
M. Conquaſſ. & tepefact. upplic.

vel ℞. *Lact. Vaccin. unc. vj.*
Sapon. Venet. raſpat. unc. iij.
M. exacte, & appon. ut ſupra.

8 Maturatum apoſtema noſcitur, cum rubor, tenſio, pulſatio, & dolor evanuerint, pars item mollis, & quaſi undoſa tangatur. Chirurgi tunc manum petit, ut celeriter aperiatur, quod ſi Patiens ferrum omnino prohibeat, (quo etiam illo neſciente, clam uti poteſt) in hac renitentia ſequenti, vel ſimili cauterio tumor aperiatur, ex. gr. *Suppurati phlegmonis remedia.*

℞. *Mellis virgin. unc. ſem.*
Ferment. acerrim. drach. iij.
Pulv. Cantharid. præpar. drach. ij.
M. f. Paſta.
Pro cauter potential.

hujus drach. j. vel altera pro tumoris exigentia applicetur, ac unum ex ſupra datis cataplaſm. ſuper apponatur; cum vero Balſam. Sulphur. in uſu ſit, ſolum ſufficit, imo & detergere, & conſolidare ſolet.

Bubones venefici. 9 Eryſipelas item, in acutis febribus apparens, non nimis ardue compeſcitur; luem ſanguinis ad cutim impulſam appropriata mixtura, *antec. num.* 5. expoſita, ad perfectam diſcuſſionem conducere primo poſſumus, dummodo externis, Naturæ intentum evertentibus, non utamur; ideo a repellentibus, & cutem conſtipantibus topicis ſumme cavendum erit, quam regulam Cataplaſma quodvis, & ſub qualibet intentione illi appoſitum, violare non debet; cum a quibuslibet emplaſtricis facillime ſuppurari Eryſipelas cogatur, ut centies, & ultra obſervare mihi contingit; ideo nobis pro tuto, & efficaci topico, vel ſola farina Secalæ vel Creta ſicca, & pulveriſata ſemper in uſu eſt, alterutram partem Eryſipelate invaſam mane, & ſero probe tegendo, ſicque nullam ab hiſce remediis ſuppuratam, ſed omnes integre, tutoque ſanatas ſemper vidimus. Cum vero faciem Eryſipelas invaſerit, ne dicto pulvere inquinetur, ſuffumigio ſequenti ſaltem utor. videlicet.

℞. *Gumm. Maſtich. Incenſi pulv. aa. drach. j.*
Rad. Ireos pulveriſ. drach. ſem.
M. f. Pulv. pro ſuffumig.

Eryſipelatis curatio. 10 Bubones tandem, qui non raro peſtilentes febres inſequuntur, differentem a ſupradictis curationem petunt; ſæpe enim ob venenum, in ſanguine debacchantem, citiſſimæ mortis prænuncii ſunt; ideo apprime interna remedia, illorumque regimen, *capit. de febre venefic.* quam comitantur, expoſitum, abſque ambage conſtanter proſequi expedit, ut Naturæ niſus, ad cutem vergentes, propriis ibi datis bezoardicis auxiliis, ſecundentur, & dirigantur. Cum his internis item externa remedia ſimul componere convenit; & quia potiſſima in iſtis curandis intentio eſt venenatam, & ad emunctoria propulſam Luem, ne retrocedat, cito repurgare, ideo ſuppurationem, quæ ſegniter ſæpe incedit, ocyter ſollicitare, ac virulentam ſaniem tuto extrahere, pro viribus intereſt. Primo igitur, ad hunc ſcopum attingendum, Veſſicatorium parvum potentiale, ut illud Plateri, vel in urgentia etiam actuale, in decliviori bubonis parte applicare, eſt opus, ut excitata veſſicula, riteque aperta, facilior veneni effluſio promoveatur; hinc alterutrum ex ſequentibus, vel ſimilibus Cataplaſmatis pro re nata ad opus vocetur; & primo cum bubonis dolor parvus, durities vero magna ſit; ſequens haud infimum erit.

℞. *Gum. Galban. in acet. ſolut. unc. iij.*
Balſam. Sulphur. Ruland. drach. iij.
(in hujus deficientia ſuppleat)
Emplaſtr. de Melilot unc. ij.
Ferment. acerrim. unc. ſem.
Croc. orient. Camphor. aa. drach. ij.
M. f. l. a. Emplaſtr. ter in die repet.

Cum autem dolor magnus ſit, a Gummatis abſtinere convenit, ac alterutrum ex ſequentibus, vel ſimilibus adhibere, ex gr.

℞. *Mucill. rad. Althææ Lilior. alb. in Aqu. Roſar. extract. aa. unc. j.*
Farin. Fæn. græc. unc. j. ſem.
Ficuum pingu. num. viij.
Pulv. Cantharid. pp. dr. j.
Camphor. Croc. orient. aa. drach. ij.
M. f. Emplaſtr. ter in die repet.

vel ℞. *Empl. de Melilot. unc. j. ſem.*
Cepar. ſub ciner. coct. num. ij.
Ol. Scorpion. Matthiol. unc. ſem.
Croc. orient. Pulv. Bufon. aa. drach. j.
M. f. Empl. utend. ut ſupra.

vel ℞. *Cepa exenter. a Theriac. plen. n. j.*
Coqu ſub ciner., & add. Ferment. drach. ij.
Croc. orient. Camphor. aa. drach. j.
M. exacte, f. Empl. utend. ut ſupra.

Si denique Emplaſtrum domeſticum magis faveat, ſequens, vel ſimile proficuum erit. ex. gr.

℞. *Fol. Scordii, Rutæ aa. manip. j.*
Flor. Camomill. Sambuc. aa. pugil. j.
Rad. Althe. Lil. alb. aa. unc. j. ſem.
Caricar. pingu. num. viij.
M. & coq. in aqu. q. ſ. Colat. adde
Micam pan. tritic. in aqu. Scabioſ. humect.
Axung. Suill. Butir. recent. aa. unc. j.
Contund. omnia ſimul, & f. Empl. ſimil. utend.

Suppuratum denique Bubonem, ocyter

ter ſcalpello tundere, ne venenato morbo induciæ permittantur, & in decliviori tumoris parte aperiatur, ut citius faciliſque ſanies effluat. Mundificationem demum, & conſolidationem ab unico Balſamo Sulphuris Rulandi pluries obtinuimus; in hujus autem defectu digeſtivo communi alexiterium aliquod addere, ceratoque proprio, debitiſque Sarcoticis uti, Chirurgi peritiæ relinquitur.

Gangrenæ curatio. 11 Accidit interdum, quod in veneficis febribus circa oſſa Ilia, & Sacra Gangrenæ appareant, quæ ex diuturno decubitu, ac ex venenata labe per ſanguinem ad cutim ducta, emergere ſolent; & licet ſemper funeſtum finem denuncient, ſæpius tamen, in vegetis Patientibus curationi debitæ obedire inſpeximus; at ſi rebelles omnino ſint, cito in ſphacelos devolvuntur, cum ſyderata pars vitalibus fluidis deſtituta, remedia non audiat; ideo langueſcere primo, & inde veneno infecta marceſcere, ac emori tandem cogitur; ſicque Gangrena, & poſt hac Sphacelus oriuntur; de hoc tamen, ſicuti de Gangrena in genere, quæ a differentibus cauſis oriri ſolet, nullus nunc ſermo eſt, cum extra febrium pomæria lonlongius nos ducerent, ac in ſequenti libro, favente Deo, illorum inquiſitio, & curatio ſerventur. Gangrena igitur, quæ ut dictum eſt, in veneficis febribus interdum obſervatur, ſollicitam curationem exigit, ne in ſphacelum degeneret, quod facile, citoque ſuccedit. Primo itaque propriam febris, quam ſequitur, curationem ſine intermiſſione continuare fas eſt, cum interna remedia primam hic lineam teneant. Externa item remedia neceſſaria ſunt, ad quam opem primo

℞. *Vini Malvatic. Aqu. Scordi aa. lib. j.*
Fol Scordi Flor. Roſar. aa. manip iij.
Bull. ad tertiam, & cum decoct. colat pars abluat.

Parti hoc decocto pluries dilutæ, Unguentum Ægyptiacum applicare convenit, & hæc auxilia, cum incipiens, & cutanea tantum Gangrena fuerit, ſatis eſſe poſſunt, ut pluries comprobavimus. Cum autem altas jam radices egerit, tunc cito ſyderatam partem ſcarificare, decet ut corruptus, ac venenatus ſanguis extrahatur, ne ſphaceli ſemina nutriat; inciſione facta, ac pro morbi exigentia evocato ſangnine, affecta pars ſupra dato Decocto (cui Aloes, & Myrrhæ drach. ij. in fine addatur) exacte abluenda eſt, poſtea Unguent. Ægyptiac. illi apponatur, ac ſuper ipſum ſequens cataplaſma applicetur.

℞. *Fol. Scord. Rutæ aa manip. ij.*
Rad. Gentian. Angelic. aa. unc. j ſem.
Lixiv. ex ciner Sarment q. ſ. & coqu. ad liquor. conſumpt.
hinc in mortar. contuſ., & per cribum traject. adde
Myrrh. Aloes, & Thur. pulver. aa. unc. ſem.
M. f. Cataplaſm. tepide utend. ut ſupra.

Reliqua demum, quæ a noſtra linea diſcedunt, peritas Chirurgi manus requirunt; ſicque & illis ſuſcipere munus, & nobis tollere onus æque ſpectat.

CAP. XXIII.

De Arthritide Fixa, & Vaga.

1 Cum Arthritis Fixa, & Vaga ſæpius cum febre invadat, ideo de ipſis etiam opportunus hic ſermo eſt, ne morbum, qui ut plurimum febricitare cogit, extra hunc libellum, & ad alia pomæria mittamus. Primo itaque Arthritidis vox pro partium, quas excruciat, diverſitate, variando, diſtinctis etiam nomenclaturis deſervit; ſi enim pedes afficiat Podagra, ſi genua Gonagra, ſi manus Chiragra, ſi coxæ articulum Iſchias, Græca ſedulitate indicitur; cum autem vaganti cruciatu articulos hinc inde moleſtet, Arthritis vaga nuncupata fuit. Varia hæc tamen nomina unicum quidem, loco duntaxat diſtinctum, morbum depromunt, quem diſpari charactere a plurimorum placitis deſignatum jam fuit; quilibet enim, propria ductus idea hujus affectus effigiem ſui ſyſtematis modulo delineavit; noſtro autem calculo deſcribitur ſic. *Arthritis eſt articulorum dolorificus morbus, plus minuſve moleſtus, a ſucci nutritiis Viſcida vel* *Nominum diſcrimina.* *Deſcriptio.*

Acre

Acre diatheſi, nervoſas eorundem partes mordicante, aut erodente exortus. Affectus iſte ſæpe cum febre ſociatur, quæ fomitis diſcrimina ſequens, nunc magna, nunc mitis evadit, ut infra explicabitur.

Pars affecta. 2 Varias item de Affecta parte opiniones, neque hic ad trutinam vocare, nec omnino dimittere, ratio petit. Quiſque enim pro lubitu altius immerſa urna, claram turbavit undam; quia opinatos morbi fontes cum ſtagno confuderunt; ſic Priſcorum plurimi caput, vel cerebrum, alii jecur, vel lien, nonnulli ſanguinem, aut ſerum, aliqui pancratis lympham, alii ventriculum ipſum pro morbi foco æque culpare crediderunt. Veruntamen partibus hiſce influentibus magis, quam affectis, ambiguo aliorum arbitrio dimiſſis, propriam morbi ſedem inquirere, noſtrum nunc eſt. Proprium ergo Arthritidis focum Articulum invaſum, illiuſque partes, ligamenta videlicet, membranoſa, tendines, nervos, perioſtium, ac inde circumcingentes muſculos eſſe cenſemus, in quibus duntaxat, nec alibi tota doloris hujus tragædia peragitur, & abſolvitur; cum hoc tantum, quod iſtæ ſenſiles partes, ab infenſo ſucco vexatæ, per concitatos ſpiritus moleſtam mentis excitent ſenſationem.

Differentiæ 3 Affectus hujus differentiæ plurimæ deſcribuntur, ut Podagra, Gonagra, Chiragra, Iſchias; imo & *Pareus de arthr. cap.* 1. græcam normam affectans, alias adhuc ſpecies propriis nominibus celebravit; nam cum cervix afficiat Arthritis Tracalagram, cum humerum Omagram, cum dorſi ſpinam Rachiſagram, cum denique cubitum Pechiagram nuncupavit; voces, inquam, prætereaque nihil. Differentiæ vero, quæ morbi cauſas, effectuſque varios diſtinguunt, binas tantum eſſe, oculata Praxis oſtendit; altera enim ab Acri erodente ſucco producitur, ideo cum æſtu magno, dolore impenſo, febrique vehementi moleſtat; altera vero a Viſcida lue inducitur, adeoque cum tepore, mitiorique cruciatu, ac febri vel pauca, vel nulla patientem infeſtat. Has, inquam, in arena medica verſati ponderant differentias; quia omnino diſparem medendi methodum poſtulant.

4 Morbi autem dignotio ita per ſe manifeſta eſt, ut ſi Æſculapii oracula tacuiſſent, omnibus tamen præſens innoteſceret morbus; ipſi enim articuli tophis, vel ichore tumentes, dolenteſque viſibilem hunc, & ſenſibilem oſtendunt affectum. Hæc tamen vulgaris notio non ſufficit Arti, cujus penſum eſt Initium, Incrementum, & Decidentiam morbi intimius dignoſcere. Integrum ergo Arthritidis curſum ſequentia deſcribere ſolent; & primo incipit ſæpius cum partium extremarum torpore, præcordiorum anxietate, alvique duritie, pedis pollicem ſiniſtri ſæpe primo aggreditur, hinc ad alios digitos tranſit, pedemque ſimul non raro invadit, cum autem in affecto digito tragædiam abſolvat, non tantæ molis podagra eſſe ſolet; interdum morbi exordium Febris præcinit, ſæpe in incremento emergit, & aliquando nec auditur; dolor in principio nunc atrox, nunc mitis pro cauſæ violentia moleſtat. Exinde morbi vigor aſcendens, partis tumorem, & dolorem adauget; æſtus, ſitiſque, anorexia, & vigiliæ, virium lapſus, motuſque impotentiæ, cæterique accenſæ Febris comitatus pro cauſæ modo patientem premere ſolent. Demum cedente morbo, febris, dolores, cæteræque turbæ recedunt; clauduntur belli portæ, non pacis fœdera tamen, ſed inducias duntaxat, recidivas minitans, paciſcit Arthritis. Hic demum ſatis, in ſequentibus enim Cauſarum ſignis adhuc clariora lumina morbum intimius luſtrabunt. *Diagnoſis.*

5 Cauſæ tandem non adhuc liquido cognitæ, altiorem petunt indaginem; nimis enim hactenus abditis obductæ latebris, inveſtigantium oculos eluſerunt, ideo divinare potius, quam illas detegere, plurimis contigit; quamobrem quot Exquirentium inciſiones tot hujus hydræ capita pullularunt, quæ morbum nondum indomabilem, ſed incomprehenſibilem adhuc reddiderunt. Verum ne nobis etiam cum cæteris tentamina perdere contingat, a Sectarum placitis primo diſcedere, ac prænotiones nonnullas, uti greſſibus faces, præmittere deliberavimus, ex quibus notis, ad ignotam hujus morbi originem propius, quo poſſumus, accedamus. *Cauſarum indago.*

Primo

Primo itaque pro certo habemus, quod intra, & circa articulos, ſicuti ubique in corpore, debita ſucci nutritii copia nunquam deficiat; partes enim illæ ab ortu ad augumentum debitum excreſcere petunt, ac acutæ poſtmodum, indeficienti nutritione conſervari debent, quod abſque proprio pabulo conſequi, Natura neſcivit. Secundo nutrimentum partibus hiſce alendis, appropriatum eſſe convenit; quod enim parti apponitur, ut ejuſdem particula evadat, non degener quidem, ſed conſimile, ultimoque ad appropriationem diſpoſitum eſſe requiritur. Tertio cum vero nutritius hic liquor a Naturæ ſcopo (ob digeſtionum depravationem) nimium diſcedat, pro gradu improportionis, vel irritum (ut in Atrophia contingit) vel moleſtum evadere neceſſum eſt; unde cum ratione ſuſpicari primo liceat, quod ſucci hujus improportio, & moleſtia proxima, propriaque Arthritidis occaſio eſſe poſſit; ſicuti cæteri hujuſce depravationis gradus aliorum morborum propriæ ſcaturigines ſunt. Adeoque vanum cenſemus, procul ab articulis divagare, moleſtaſque fluxiones a remotis partibus derivare, ut immediatum Podagræ fomitem inveniamus; cum nutritius liquor, ab expetita indole degenerans, omnia morbi hujus phænomena, & naturam explicare, cæteris aptius ſit; hic, inquam, cum a pravis digeſtionibus depravetur, ut in *Acrem*, aut *Viſcidam* luem deflectat, articulos inficiendo magis, quam reficiendo, Arthritidi talamum ſternit, quæ pro diſpari apparatu vario modo affectam partem excruciat; nunc enim ut erodens Acre terebrare videtur, & nunc ut infenſum Viſcidum torquere; ambæ Arthritidis ſpecies, ſæpeque in Praxi conſpicuæ, ac lingua vernacula Vulgi Calidæ, Frigidæque Podagræ nuncupatæ.

Cauſa ſuccus nutritius depravatus extet

Phænomenis explicatur.

6 Clarior autem hæc opinio, cum morbi phænomenis conciliata eluceſcit. Et primo Podagræ invaſio, ut 6. *aph.* 55. docetur, Vere, & Autumno emergens, dictam nutritii Succi dyſcraſiam oſtendit; in Vere namque ſanguinis defæcationem Natura inſtituens, a centro ad externas partes *Acrem ut plurimum luem* eliminare ſolet, ſic 3. *aph.* 20. oſtenditur, cum *raucedines*, *lepræ*, *tuſſes*, *impetigines*, *vitiligines*, *puſtulæ ulceroſæ*, *tubercula*, & *articulorum morbi*, hac tempeſtate vagantes, Acres quidem ichores ante oculos ponant; tunc pariter excandeſcenti Podagræ mancipati ad Cataſtam vocantur; Acria enim recrementa, quæ in hyeme ſopita ſilebant, in vere excitata, & ad extremas partes impulſa, imbecillas articuli cito ſentiunt, eorumque noxas patiuntur. In autumno etiam, cum corpora ab æſtivo Sirio conſumpta, plurima viſcida lue referta ſint, ut morbi hac tempeſtate invadentes, 3. *aph.* 22. expoſiti, facile ſuadent, videlicet *febres quartanæ*, & *erraticæ*, *lienis tumores*, *aquæ inter cutim*, *tabes*, *ſtillicidia urinæ*, *levitates inteſtinorum*, *coxendicum dolores*, *aſthmata &c.* ideo algida potius Podagra ſcenam implet, ac non æſtuanti, ſed diuturniori moleſtia divexat; quod apertum quidem viſcidi lædentis indicium eſt. Diſpares dicti Arthritidis paroxyſmi hæc eadem propriis ſymptomatis confirmant; alii enim cum æſtu magno, febre vehementi, dolore impenſo, tumoribuſque pene inflammatoriis excruciant; alii vero cum pauco, vel nullo æſtu, lenta, vel nulla febre, tumore quaſi ædematoſo, doloreque non tam acerbo, ſed diuturniori moleſtant; illi quidem ab erodente Acri ſucco inducti gravius, ſed non diutine torquent; iſti a Viſcido producti mitius, ſed prolixius affligunt. Ætates pariter, & temperamenta eandem firmant hypotheſin; Seniorum enim Podagram a viſcida illuvie manare, algida ætas ſuadet; Juniorum vero a ferventi ſucco produci, fervida virilitas oſtendit; excipe tamen languida temperie munitos, qui licet juvenes ſeneſcentium ſemitas premunt, ſicuti robuſtos ſenes, quorum actiones, paſſioneſque ardentes vegetam diatheſin exponunt. Nec aliud quidem a Juvantibus, & lædentibus inductæ affectiones demonſtrant; & primo Aeris inclementiæ indicant, aquiloniam conſtitutionem Podagricis nonnullis infenſam eſſe; aliis vero auſtralem; ita ut Acri fomite vexatis Boreas, viſcida vero lue affectis Africus arthritidem ſuſcitare videatur. Ciborum, Potuſque ſimiliter variæ affectiones idem oſtendunt; plurima enim ali-

alimenta plurimorum podagram facile ſollicitant, cum acria acribus, & viſcida viſcidis cumulando, fomitis plenitudinem compleant, unde arthritis exundat. Pharmaca demum diſpari modo Podagricos afficientia, eadem prorſus concludunt; celebriora enim antiarthritica remedia ſi ſolatium aliquibus, detrimentum aliis præbuiſſe, compertum eſt; externe ſimiliter linimenta, cataplaſmata, unguenta, cæteraque topica, vulgi titulo calida, vel frigida nuncupata, aliquibus profuiſſe, aliis contra nocuiſſe, comprobatum habetur. Hæc itaque, ſimiliaque adhuc plurima experimenta ſatis convincere poſſunt, quod a differentibus cauſis varia inducatur Arthritis; ita ut illa, quæ a Calefacientibus dictis, intus vel extra uſurpatis, detrimenta comperiit, quodam Acri fomite nutriatur; altera vero, quæ a frigidis læſionem percepit, Viſcida lue foveatur.

Rationibus probatur. 7 Rationes demum, quibus hæc noſtra fulcitur hypotheſis, exponere nunc intereſt. Et primo perpendendum eſt, quod cum Podagræ illuvies ex ipſis articulis pullulare nequeat, ad illos ergo per aliquos ductus transferri, neceſſum ſit; quamobrem cum ad articulos nil ubertim ducatur, quam fluidum illud, quod per arterias undique defertur, hoc ergo, cum depravatum ſit, articulos moleſtare, dolores inducere, ac tophos tandem congerere, aptum eſt. Hæc, inquam, ſatis ſuadet ſeria ponderatio, quod nulli, præter Arterias, vaſculi tam intra, quam circa articulos, copioſum, & ad haſce noxas inferendas, idoneum ſuccum exonerent; non, inquam, nervi, qui tenuiſſimam, ac ſpirituoſam lacrymam gemere raro ſolent, quæ nunquam ſtagnare, ſed ocyter evolare, minuſque in tophos creſcere, apta eſt; nec lymphatici ductus, qui tam rari, & exiles ſunt, ut cum acutiſſimo microſcopio vix detegantur, ſicuti ſub eximio Malpighio non ſemel inveſtigavimus; dato tamen quod aliquid in articulis deponant, non ideo tantam fluoris copiam ducere queunt, ut podagricos tumores cito attollere, minuſque callos gypſeos congerere poſſit. Quamobrem cætera vaſcula, præter arterias, ad varias morbi hujus complicationes explicandas, inepta eſſe dignoſcimus; nec fluxiones a remotis partibus inter muſculos dilabentes reflexionem merentur, cum ambiguitatis inventum olim fuiſſe noſcatur. Arteriæ igitur ſolæ licet capillares, numeroſiſſimæ tamen indeficientem, copioſumque ſuccum intra, & circa articulos deponunt, qui ad partis nutritionem inibi diſtribuitur; & cum per ſe primo plurimis heterogeneis ſalſis, ſulphureis, terreiſque particulis componatur, ac per accidens adhuc a debita puritate diſcedens, crudaque recrementa ſecum ducens, aptam quidem, copioſamque materiam ad dolores, tumores, tophoſque gignendos, articulis communicare æque poterit.

A læſis Co-ctionibus firmatur. 8 Clarius pariter hæc hypotheſis a Veneris, Bacchique abuſionibus (quos proprios Podagræ Parentes perita Vetuſtas indixit) confirmatur; ambo enim cum decentes limites rumpant, nutritium ſuccum ita depravare ſolent, ut arthriticos paroxyſmos frequentiores, atrocioreſque ſollicitent; nec alio quidem tutius explicabili modo arthritidem concitare poſſe dignoſcimus, quam per apertam noxam, quæ ab utriuſque abuſu digeſtionibus infertur, unde ſuccus nutritius ruditatibus inficitur. Vinum primo, licet Sanis moderate hauſtum vitæ balſamum evadat, abuſum tamen morbidis corporibus pene venenum eſt; illius enim acido-ſulphurea vis perficiendis digeſtionibus obſtat, ſæpeque *ad excernendum utilius, crudiuſque retinendum* (ut *Sanctorii ſtatic. ſect.* 3 *aph.* 58. docetur) *ventriculum cogit*; unde indigeſtum chylum, proximum Podagræ fomitem, ad ſanguinem inquinandum deferri debet. Veneris item detrimenta ab eodem *Sanctorio ſect.* 6. *aph.* 1 2. 3. ſatis clare perpenduntur; *mala a nimio Coitu orta mediate a prohibita perſpiratione, immediate a læſis concoctricibus dependent*, quod iterum confirmat ibi *aph.* 10. 14. 15. Ex quibus æque perpenſis facile deducitur, quod per duplicem viam ſanguis a nimio Coitu defædatur; primo quia perſpirabilis illius deſpumatio retinetur in maſſa; ſecundo quia digeſtiones omnes a læſis coctionibus depravantur; unde a duplici recremento, nempe & quod a repulſa perſpiratione

non

non extruditur, & quod ab indigeſto chylo in maſſam intruditur, ſanguinis impuritates, ac Podagræ fomites cumulantur.

A Dietæ lege concluditur. 9 Tandem ab oppoſitis etiam adhuc magis concluditur; equidem morbus iſte, qui nutritur a crapula, a victus frugalitate econtra extenuatur ita, ut non raro extinguatur. Succus enim nutritius, qui depravatur ab illa, æque perficitur ab iſta; unde purus, optimeque digeſtus, articulos moleſtare nequit; ſicque Podagræ pabulo caute ſubrepto, morbus ſine eſca langueſcere, demumque perire cogitur. Profecto innumeris conſtat experimentis, quod plurimi, diu ab hoc morbo vexati, ſola caſtigata Diæta eundem expugnare ſortiti ſunt, ſicuti Veterum, & Recentiorum monimenta teſtantur, in qua re vide *Trincavell. l.* 12. *cap.* 2. *Marcum Gattinar. cap. de cur. dolor junct. Lotich in obſerv. p.* 88. Cæteroſque infra *num.* 19. expoſitos. Concludamus tandem quod proprius Podagræ fomes in ſtomacho primum cum Chylo impuro, indigeſtoque efficiatur; cum præpedita a quavis, tam intima, quam externa cauſa coctione, quoquomodo chylificationis opus depravetur; ventriculus ergo armamentarium eſt, ubi apprime Podagræ arma cuduntur, ut recte quidem Celebres Viri *Helmont. tract. a ſede Anim. ad morb. Tachen de morb. princ. cap.* 1. *Sydenham. tract. de Podagr.* arbitrati ſunt. Verum non in ſtomacho quidem (ut plurimi crediderunt) Arthritidis focus, ſed ſcatebra tantum ſurgit, ut nutritium ſuccum ibi primo vitiatum, ſanguinem fœdare, & cum ipſo articulos lædere debere dignoſcamus.

Hæreditariæ objectio 10 Veruntamen licet hæc hypotheſis acquiſitam Podagram apte quidem explicare videatur, hæreditariam tamen exponere minime valet, cum Arthritis iſta genituræ titulo propagata, inter Naturæ arcana recondatur. Quid enim proprie ſit, quod communicatur cum ſemine, an contagioſum miaſma? an vero fermentum quoddam? an potius archealis idea? inter Doctorum placita vagatur. Sed neque invadendi modus adhuc percipitur; quomodo enim in viſceribus tandiu virus hoc ſilere patitur, ut non niſi poſt annorum ſeriem caput extollat? Neque dignoſcitur adhuc, quo funeſto influxu, ex infecto Parente unum duntaxat, vel alterum Filium, cæteris ſæpe immunibus genitis, contagium iſtud afficiat? Hæc, inquam, adhuc ambigua, & non niſi cum ſemine propagata myſteria, non quidem a ſucco nutritio, quovis modo lædenti, ſed ab infecto ſeminio exordium petunt.

11 Reſpondetur cito, quod ſi Arthritis hæc fideliori lance expendatur, non ægre innoteſcet, quanto leviora poſtmodum hæc dubia ponderent; quod ut aſſequamur, dignoſcendum eſt primo; quod conſimiles gignentis partes Filius a Patre derivat; ſimilis enim externa configuratio, ſimileſque actionum, paſſionumque propenſiones, intimas etiam conſimiles machinæ ſtructuras, ac proportiones oſtendunt; & hoc idem paternum ſeminium, ſeu plaſtici ſpiritus, qui a Patre diſcedunt, & in ſemine gliſcunt, omnino expetunt, cum non aliter, quam juxta proprium archetypum ſeu Patris exemplar, machinam ſuam ſibi conſtruere noſcant; ideo proprios generantis characteres, tam in ſolidis, quam in fluidis æque imprimere nituntur. Unde conſtat, ex debili Patre, debilem Filium; ex robuſto robuſtum, &c. ſæpius procedere; imo & in animi paſſionibus, actionibuſque innatis, qualis Pater, talis Filius oſtenditur; quæ omnia ſimillimam utriuſque machinæ ſtructuram demonſtrant. *Reſponſio.*

12 Hinc ergo deducitur, quod cum ſimilem in ſolidis, & fluidis compagem a Patre ſortitus ſit Filius, per ſe quidem ſolidorum ſtructura, & fluidorum ſyſtaſis in Filio iiſdem cum tempore affectionibus ſubjacere debent, quas eadem paterna conſtitutio ſubſtinuit. Corpora enim ſimilia ob ſolam ſtructuræ conformitatem, eaſdem edunt actiones, feruntque paſſiones eaſdem, ac ad finem conformem ducuntur. Sic ex. gr. ſimilia corpora, ob ſtructuræ paritatem iiſdem definitis annis vigere, & inde corrumpi obſervamus; ſic etiam conſimiles liquores determinato tempore depravari conſpicimus; ſic pariter fluida illa quæ digeſtiones perficiunt, ut in Patre, ita in Filio, ſtatis demum annis, in depravationem propendere, conſimilis textura compellit, qua tandem poſi-

Poſita, ſucci nutritii cruditates primo, & inde Arthritidis fomites emergunt. Solidis item partibus idem contingere ſolet; articulorum enim conformatio eadem, iiſdem paſſionibus ſubigi nata eſt; ideo cum depravatus ſuccus articulos lædat, nec per cutis cribrum moleſtum propellere hoſtem, tenax, Patri ſimilis, illorum textura permittat, retentus lædens ſuccus dolores, tumores, tophoſque, ut in Patre, producit. Concludamus ergo, quod non ultro cogimur, hæreditariæ Podagræ ſeminium contagio infectum culpare, cum inſons Patris ſemen unicam ſolidorum ac fluidorum conformationem ſecum ducat, quæ, inquam, Patri ſimilis, conſimili noxæ ſuccumbere certo nata eſt; ideo ſimilis in conſimilibus viſceribus ſanguis, determinato parili tempore probitatem ſervare potis eſt, (niſi externi errores moras præcipitent, aut moderata diæta longius a corruptela præſervet) poſtmodum ut in Patre, ita in Filio ad definitam depravationem pari paſſu inclinare cogitur; ſicque in hac linea morbi hæreditarii nuncupati, invaleſcunt: Cur autem non omnibus Filiis idem æque contingat? Ratio eſſe videtur, quia non omnes omnino Patri ſimilem partium conformationem ſortiti ſunt; in qua diſparitate plurimæ quidem latitant variantis Naturæ leges, quarum ſequela, & indago longe nimis a pomæris noſtris nos ducerent.

Cauſarum determinatio.

13 His itaque poſitis, tandem cenſendum eſſe arbitramur, proprium Arthritidis fomitem ſuccum nutritium depravatum eſſe debere; cum ob vitiatam diatheſin magis lædens, quam nutriens, articulorum compagem pro vitii modo moleſtet: ſimulque pariter ipſam articuli texturam Fomiti huic proprias ſuppetias contribuit, cum in intimis nimis laxa, aptum nocenti ſucco ſtagnum accomodet, foriſque cutis denſitate hoſtis eliminationem prohibeat; unde intus occluſus infenſus ſuccus & lædere primo, & inde ſpirituum tumultum concitare ſolet; a quorum acoſmia inducta mens doloris ſenſum exponit, quo dato, ſimul cum parte affecta tota compatitur Anima; cum nullus unquam abſque hoc congreſſu doloris ſenſus invadat. Acres autem, & viſcidos ſuccos, morbi hujus cauſas, & effectus aptius quidem, quam Acidum illud famigeratum exponere, ſatis ſuperque dignoſcimus. Arthritidis enim fomites, & phænomena interdum varia, imo & contraria unico Acido imponere, cordatus Phyſicus renuit; cum nec theoriæ, nec praxi ſatisfacere queat. Non, inquam, theoriæ, quæ hoc Acidi corpuſculum ad valde diſpares, ſæpeque oppoſitos effectus producendos, abſque deluſione advocare nequit. Nec Praxi quidem, quæ ad acidum hoc perdomandum, ſi alchalinis antacidis (ut opus peteret) utatur, non remedia, ſed nocumenta ſæpius miniſtraret. Ideo celebr. Tachenius Duelliſtarum anteſignanus. Podagræ Acidum, ut imminutum abſtruderet, peculiari quodam acidi gradu ſignatum eſſe dixit, qua nunquam indaganda ſpecie, morbum hunc obſcuriori caligine tenebraſſe dignoſcimus. Verum dimiſſis hiſce, ad Cauſarum diagnoſin deſcendimus.

Acris lædentis ſigna.

14 Signa tandem, quibus lædentes Fomites indicantur, cum varia ſæpe facie deludere ſoleant, ideo ne imperitos decipiant, diſtincta notione diſcernere intereſt. Et primo *Succi Acris lædentis* indicia ſequentia ſunt. 1. Dolor ab hoc infeſto excitatus erodens, ac terebrans eſſe ſolet, qui non ſenſim, ſed ocyter ingruit, cum hic fomes volatilis ſit, ac mordaciſſimus; ideo invaſæ partis nervos, & oſſa corrodere videtur, unde dolor impenſus ita excruciat, ut affecta membra clavo quaſi affigat, nec illa parumper moveri, nec lintea ſuperpoſita perferre ſinat. 2. Pars ab hoc invaſa, tumore inflammatorio rubeſcere ſolet, cum autem croceo colore afficiatur, ut eryſipelam ſimulet, tunc extremum gradum attigiſſe, compertus ſum. 3. Tumor vero & dolor non diutine perſiſtunt, cum volatilis fomes ocyus e carcere diſcedere nitatur; ideo quo magis pars tumet, & dolet, eo citius paroximus abſolvitur. 4. Febris in hac Arthritide pene ſemper accenditur, invaſiones vero eundem non ſervant tenorem, interdum ſub morbi limine, ſæpiuſque in incremento caput elevat, continuæque acutæ veſtigia inſequitur, ſeptimam vero recrudeſcentiam, niſi externi errores fomitem addant, raro tranſcendit.

5. Sym-

5. Symptomata etiam quæ cum hoc affectu ſcenam ducunt, potiſſima ſunt Sitis ardens, ſtomachi languores, ac anorexiæ, perpetuæque vigiliæ; ſæpe adhuc lypothimiæ, ac interdum mentis alienationes, ut ob impenſos cruciatus delirare videantur. 6. Hic demum fomes vegetam ætatem moleſtat, raro autem Senes, & non niſi robuſtos, aſſiduis erroribus deditos.

Viſcidi lædentis ſigna. 15. Tandem ad *Viſcidum fomitem* dignoſcendum, ſequentia Signa conducunt. 1. Dolor non ſtatim, ſed ſenſim emergere ſolet; primo enim artuum torpores, & inde partis gravatæ pondus, denique dolor invadit, ac per gradus aſcendit, donec viſcida excalefacta lue ultimum acmin attingat, in quo dum viget non tam impenſo, ſed diuturniori cruciatu Patientem exercet. 2. Pars affecta tumido pallore, ædematoſo ęmulante, candeſcit; interdum adhuc liveſcenti colore inficitur, tunc potiſſimum, cum a Vini, & Veneris exceſſu viſcida illuvies excandeſcentiam conceperit, & tunc paroxyſmi ſæviores, ac diuturniores evadunt. 3. Febris in hac lue cum appareat mitis eſt, ac poſt morbi vigorem abſolvitur, citiuſque viſcidum diſcutit, quod longius abſque febre moleſtat. 4. Symptomata etiam, præter anorexias, & vigilias, quæ diutine affligunt, cætera ut plurimum ſilent, vel non ſpectabilem ſcenam agunt. 5. Fomes demum iſte præcipue ſenes moleſtat, & illos ſaltem, qui ob naturæ languorem, vel ob exceſſus errorum in juventa ſeneſcere coguntur.

In ſignis noſcendis monitum. 16 Hæc ergo ſigna ſunt, quæ propriis characteribus arthriticos fomites exponunt; non ſemper tamen diſtinctis hiſce vexillis quælibet militat Podagra; cum vel ex vario lædentis gradu, vel Patientis conſtitutione, ſæpeque ab externis erroribus, aut econtra a recto vitæ regimine ita podagræ fomites alterantur, ut nunc ferocioribus, & nunc mitioribus armis decertent. Hæc, inquam cauſæ ſunt, cur in ſingularibus generica dicta ſigna nec ſemper æque, nec omnino adaptentur. Ideo ſumma peritia, ſolertiaque multa Medentes utantur oportet, ne facile decipiantur. In ambiguis ergo hiſce noſtrum erit, diligenti ſcrutinio percipere, cui ſignorum ſyndromi talis Arthritis magis cohęreat, & quo plura unius generis ſigna ſibi adſciſcat, magiſque ab altero decedat, ut infeſtum fomitem tutius detegere, propriiſque armis expugnare aſſequamur; hæc enim potiſſima Medentis cura eſſe debet, cum invictam podagram devincere ambiat.

Syſt. Medic. Roſetti.

17 Ad morbi hujus Prognoſin deſcendendo, omnium conſenſu decernitur, affectum hunc minime lethum ducere, niſi ad extremam ſenectam pervenerit, quod perſæpe contingit; veruntamen certum eſt, in vegeta etiam ætate funera parare poſſe, cum nempe ardenti febre, ac ſymptomatis atrocioribus gravetur, quæ funeſta diſcrimina tentare ſolent. Similiter cum in quavis ætate thoracis regionem morbus invadat, & maxime cum pectoris claviculas, & laryngem obſideat; tunc extremam occupaſſe lineam videtur, ſæpius vere iugulans, cum ad jugulum acceſſerit. In ſpecie vero pro cauſarum violentia variat Arthritis; illa enim, quæ ab Acri fomite concitatur, licet ſuas periodos citius abſolvat, magis tamen timenda eſt, cum & a febre continua, duriſque ſymptomatis comitetur. Altera vero, quæ a Viſcida lue inducitur, licet diuturniores paroxyſmos protrahat, leviori tamen cruciatu gravare ſolet; ambæ vero cum veteraſcant, incurabiles evadunt, quia ipſarum curationes a diffidentibus Ægris deponuntur, ac ab imperitis deſperantur; verum niſi callis confirmata, tophiſque munita jam ſit, a perito Medenti, Ægroque obedienti inveteratam hanc luem expurgari tandem, ac expugnari poſſe, *lib. 2. prædict. num.* 15. Hippocrates ipſe teſtatur, cujus fauſto auſpicio ductus, ad illius medelam inveſtigandam deſcendo. *Prognoſis.*

18 Curatio inquam alto Patientum clamore nos vocat; gementes enim Arthritici petunt, aliquo expediri auxilio, quod a nemine editum, ad manum haud eſſe videtur. Ars enim hactenus defatigata, omnia medicinæ regna ſine fructu ſubvertiſſe creditur, deſperatoque tandem calamo extinctę Pyrothecniæ ſuperſcripſiſſe: *Curatio non deſperanda.*

Tollere nodoſam neſcit Medicina podagram.

Veruntamen licet inveterata nimis, quę iam in tophos coaluit, Arthritis hunc Artis noſtræ improperium oſtentare

ſæpe ſoleat, non ſemper tamen gloriari æque poteſt; cum plurimos diu cruciatos ab illius violentia redemptos, Medicorum Acta demonſtrent. Ideo Hippocrates docuit *lib. 2. prædict. n.* 15. *Qui nondum ſenex, nec circa articulos tophaceos callos concretos habet, & accurate vivit, & labores amat, ac alvum bonam habet, ad obediendum, hic peritum Medicum nactus, ſanus fieri poterit.* Et Galenus item *in lib.* 6. *de morb. Vulg com.* 4 *teſt* 9 *Medicum pati vehementem articulorum dolorem, turpiſſimum eſſe*, cenſuit; cum oſtendat, quod vel imperitus morbi medelam neſciat, vel gulæ deditus præſervationem negligat. Eſt ergo in Medentis manu quæſita Podagræ victoria, ſed illius duntaxat, qui Apalæſtrita non ſit, & Patientis obſequium manu teneat; Uterque, inquam, peritus Medens, Ægerque obediens ſtricto fœdere conveniant oportet, ut morbi pertinacia devincatur. Equidem docente Magiſtro *lib.* 1. *de morb. vulg. ſect.* 2. *Ars ex tribus conſtat, Morbo, Ægroto, & Medico; Ægrotum cum Medico adverſari morbo oportet.* Unica ergo utriuſque voluntas, amborumque fœderati conatus indomabiles morbos debellare poſſunt; aſt cum Æger Medicum deſerat, & cum morbo fœdus agat, prodita perpenditur Ars, Morbuſque ab Ægro protectus Medentis niſus eludit. Hæc ergo cauſa eſt, cur indomita ſæpius medelam ſpernit Podagra; etenim purgationes vernales, prælia quidem ſunt, ſed abſque vera victoria; cum inde per annum, morbo reconciliatus Æger, Veneri, & Bacho, podagræ parentibus, iterum, & quotidie ſacrificacare incumbat. Firmam ergo ſemper cum morbo pugnam Æger, & Medens una ſimul decernant; ſicque non ultra inſolens Podagra gloriabitur. *In Tragic. Lucian.*

> *Quis invictam me dominam dolorum*
> *Ignorat Podagram in terra mortalium?*
> *Quam neque Apollo medicamentis expugnare valet. &c.*

Ad debellandum itaque contumacem hunc morbum, quod ad Medici penſum ſpectat, ex tribus Medicinæ regnis validiora collegimus auxilia, & jam a Diætetico auſpicamur.

19 Primo itaque conferentibus Diætę legibus parere, tutius præ cæteris pharmacum eſſe cenſemus; non raro enim rebellem hunc morbum ſola diæta perdomuit, ut hiſtoriæ plurimæ teſtantur; quarum nonullas (ultra jam datas *num.* 9.) recenſere juvabit. Et primo *Porphyrius in vit. Plotin.* Quendam Rogatianum Senatorem Romanum memorat, quem a Podagra diu immobilem redditum, Diætæ frugalitate eo perveniſſe dicit, ut robur deperditum reſumeret, ac pedibus, manibuſque expeditius uteretur. Similes alios decenti Diæta redemptos memorat *Carol. Piſo in Conſil. de Arthrit*; alioſque ſimiliter curatos refert *Cardan. de curat. mirab. num.* 16. & denique alios in Medicorum hiſtoriis eodem modo a podagra ſervatos invenio. Ex quibus perſpicuis ergo, quantum ad morbum hunc debellandum, hæc non infima medicinæ Provincia contribuere poſſit, omnes vident; ideo hanc primo perluſtrare, ingens lucrum ſuadet. Verum quia nimis diffiti hujuſce limites brevi greſſu perſolvi nequeunt, ideo prolixior circuitus inquiſitionem ducat, oportet; plures enim, in hoc ambiguo morbo compeſcendo, victus regulæ dictatæ fuerunt, quarum celebriores ſaltem examinare nunc intereſt. *Diæta perpenditur.*

20 Primo itaque cum Diætam Arthriticorum haud menſem, vel annum duntaxat, ſed integrum vitæ ſtadium percurrat, neceſſum ſit; morbus enim iſte hujus itineris ſocius, uſque ad extremum lapidem Patientem comitare ſolet, ideo Victus regula ita commoda ſeligenda eſt, ut ex perpetuo uſu nec nauſeam, nec noxam parere poſſit; hoc ergo pro primo cognito in præliminari firmato, ad celebriores vivendi normas, hactenus inſtitutas, deſcendimus. Et primo famigerata *Diæta lactis* ſe offert; hæc, inquam, a Clariſſimis Pariſienſibus in uſum vocata, noviſſima hac ætate plurimum æſtimatur, in qua re vide *Greiſel. tract de cur. lact. in Arthrit.* qui Diætam lacteam, ut podagræ domitricem ad Cælum uſque extollere nititur. Verum, ut noſtrum ponamus ſenſum, hæc, inquam, bambula victus ratio, ex unico, perpetuoque lacte inſtituta, & nimis incommoda, & nauſeoſa tandem, *Diæta lactis refellitur.*

ſæpe-

ſæpeque adhuc noxia comperta fuit. *Et licet nonnullis aliquando proficuam fuiſſe, alios tamen a lactis uſu multo deterius habuiſſe, Arthritideque nullatenus curata, viſcerum obſtructiones, & cacochymiam contraxiſſe, Vvilliſius de arthrit.* obſervavit, ſimileſque caſus *Bonettus de arthrit.* notavit; ac plures & nos ſub oculis habuimus, quos ab hujuſce noxis redimere diu laboravimus.

Rationibus firmatur. 21 Nec acerba hæc experimenta ſine ratione vagentur; lac enim in ſtomacho, viſcida illuvie referto, aceſcere primo, & inde concreſcere debet; ſicque podagram a viſcido ſucco nutritam perpetuare potius, quam curare, aptum eſt. Adde inſuper, quod unico ſemper lactis pabulo, ſemel a mamma diſiunctus, nemo ſine reluctantia uti poſſit, quæ, inquam, ex diuturno uſu tandem, concepta nauſea, lac in oxygalam, Cachexiæ fomitem convertere certo debet. Sed adhuc dato, quod abſque reluctantia perpetuum lac ſatisfacere queat; quis unquam ab emergentibus morbis, tenui hoc victu nutritum, Patientem tuto redimere ſpondeat? Plurima enim inſalubria, imo & morbi plurimi in hac diuturna Diæta invadere certo poſſunt; unicum ſaltem caſum pro cæterorum lumine hic deſerviat. *Novi Nobilem quendam* (inquit Celebr. Sydenham *tract. de podagr. qui poſt quam per annum integrum ſolo lacte victitaſſet, non tantum ſine offenſione, ſed & cum ſumma voluptate; ſiſtente de repente alvo, ac mutata corporis temperie, ventriculo tandem ad lac nauſeante, abſtinere coactus eſt*. In hoc ergo caſu tria perpendere juvabit; primum quod in annuali duntaxat diæta inſalubris alvi ſtypticitas emerſiſſet, quæ tandem a voluptuoſo lactis uſu ventriculum alienavit; interim ad inſuetos cibos, potuſque non ſine niſu, & noxa ſtomachus revertere poteſt; unde coactæ corporis ex inſolito victu mutationes, & inde conſequentia pericula induci debent. Alterum item, quod ſopita ex lacte podagra, immutata menſa confeſtim reſurgat, ac pejori ſæpe cruciatu Patientem exagitet; unde ſevera hæc abſtinentia, cum relaxari debeat, ad graviorem pænam comparandam, inſtituta eſſe videtur. Tertium denique eſt, quod ſi inter hanc Diætam acutus morbus emergat, quod facili negotio contingere poteſt, in hoc, inquam, caſu quid quæſo erit remedii? Vires enim a ſolo lactis uſu plurimum dejectæ, ad reſiſtendum acuto morbo, ac decentem medicationem ſuſtinendam, victuſque mutationem tolerandam, protinus impares inveniuntur. Anguſta quidem res eſſet, nec fauſta ſemper curatione abſolvenda; ideo periculoſam ex tot cauſis lactis Diætam eſſe debere cenſemus.

22 Altera minus incommoda *Pulli Diæta* eſt, quæ nil aliud niſi pullum juniorem elixum in die, cum pane triticeo in illius brodio macerato concedit, vinum etiam parce uſum ſeneſcentibus non denegat, qua victus ratione diutine ſervata Podagræ palmam promittit. Et certo quidem plurimis hanc Diætam profuiſſe ſcio, cum toto uſus tempore podagræ ferulam eluſiſſent; ſed ad priſtinam victus libertatem reverſi, ad priſtinos gemitus redierunt. Quare aliquibus placuit, hac ſevera lege integram vitam ſubdere, quod nonullis, hactenus benevertit. Nec miror utique tantam in hac pulli diæta energiam ineſſe, ut indomabilem morbum ſubdere queat; quia ſtricta hæc victus regula, cum a cruditatibus liberum nutritium ſuccum conficiat, Artritidis fomitem ſupprimit, unde enervata facile decedit Podagra. Mirot attamen, quod abſque reluctantia, viriumque jactura perpetuus hic rigor ſervari queat; etſi noſcam, quod Arthritidis terror tantam longe ſuperet abſtinentiam; *cum dura ſæpe, ut duriora evitet, impavidus animus eligat. Senec.* Veruntamen non omnibus datum eſt, arduum hunc apicem conſcendere, cum nimis moleſtum ſit, contra naturæ niſum appetita omnia vitare, ac unico ſemper, & nauſeabundo tandem, cibo totam vitam obſtringere; ideo nec omnibus hanc victus normam præſcribi poſſe conſidero. *Pulli ſolius altera diæta.*

23 Noſtra tandem inter tot placita tutior Sententia eſt, quod pro fomitis indole Victus rationem variare expediat; cum non unica ſemper omnibus æque proſit Arthriticis, maxime quibus anachoreta menſa non libet. Aliam enim excandeſcens, aliamque mitior Podagra cibandi legem requirunt, cum proprium, *Diæta in Viſcida lue*

ſibi-

Vini uſus. ſibique ſoli opportunum expetant morboſæ occaſiones remedium. Itaque ad determinatos Fomites accedendo, *in Viſcida lue*, quæ Podagræ, frigidæ dictæ, proxima ſcatebra eſt, ſequentem victus regulam præſcribere ſoleo. Vinum apprime immoderate uſum, ſicuti omnibus, ita Podagricis magis interdicitur, cum Arthritidis progenitor merito nuncupetur; veruntamen in hac Podagræ ſpecie Vinum extra paroxyſmum moderate uſum proficuum potius, quam noxium eſſe, cenſeo; cum morbi fomitem diminuere, digeſtionibus juvare, viresque confirmare poſſe, affatim dignoſcatur; hinc ſpirituoſæ potiones & ad viſcidum enervandum, & ad vires reparandas deſtinantur; ideo in hoc caſu, & cauſa illud omnino prohibere non expedit; vidi jam ſeneſcentem Podagricum ob vini privationem vires ita deperdere, ut e lecto ſurgere non poſſet, permiſſoque ita recuperaſſe, ut robuſta ſenecta exinde frueretur, vitamque a me impertitam fuiſſe confitebatur. Itaque ſub hoc Viſcido fomite vini moderatum uſum in menſa Podagricis extra paroxyſmum concedere intereſt, quod vel per ſe tenue, vel olygophorum ſit, in quo comam abſynth. Pontici, vel menthæ aut meliſſæ infundere juvabit, ut ſtomachi viſcidum enervare, ac digeſtionem promovere queat; de vinis vero medicatis infra ſermo erit.

Cibaria in Viſcida lue. 24 Cibaria demum in hac Viſcida lue omnia vitanda ſunt, quæ ſuccum craſſum, limumque tenacem in prima digeſtione relinquere ſolent, cujus generis ſunt. ex. gr. Quadrupedum carnes, Bubulæ nempe, Suillæ, Caprillæ &c. ſicuti & Pennates in aqua nutriti, ut Anſeres, Anates, Fulicas &c. item piſces maris pene omnes, & armata oſtreacea præcipue, pariterque ſine ſquamis, ac ſpeciatim fluviatiles anguillæ, quarum fortaſſe nihil in hac linea deterius. Lacticinia ſimiliter, quæ caſeoſam retinent indolem, ſicuti & legumina, olera, fructuſque horeos omnes; nec minoris detrimenti ſunt ex tritico cibaria, ut lagana, artocreæ, ſimiliaque plurima. Summam denique cautionem in ciborum delectu ſervare, ac gulæ vorticem evitare, ſalutis edocet ratio, & licet ardua *Sit virtus placitis abſtinuiſſe cibis*; haud difficile illis erit, quibus cruciatus effugere, cordi eſt; ſicque alacriter miſcent utili amarum. Poterunt autem appetentiæ ſimul, ac optimæ nutritioni ſatisfacere, cum innoxiis libere, ſed moderate tamen utantur cibariis, ex quorum amplo catalogo ſunt, ex. gr. Carnes Vervecis, & Vituli, Pulli, Caponis, Columbi domeſtici, ac ſylveſtris, Perdicis item, Coturnicis, Attagenſis, Phaſiani, ſimiliterque Turdi, Alaudæ, Ficedulæ &c. ex piſcibus vero ſaxatiles aliquando ad menſam vocare non prohibetur; aromaticis demum ſpeciebus, nondum ad condimenti gratiam, ſed ad ſtomachi utilitatem in hac podagra cum modo tamen uti etiam proficuum erit.

Vulgi cenſura ſolvitur. 25 Neque hic populare judicium audiri decet, quo principem morbum, principes, nobileſque moleſtantem, optimis procreari dapibus, improperatur; cum pauperes vili ſemper, ſæpeque imimprobo cibo nutritos, a podagra immunes eſſe, undique jactitet. Hanc, inquam, deceptam vecordiam Sapientes æque contemnunt; cum optimum alimentum perpetua parſimonia uſum, laudabilem proferat ſuccum, ad bene alendum, non ad morbos gigendos aptum. Verum non ſemper innoxia ciborum probitas eſt; ſuperflua enim optimorum repletio, in ſtomacho, qualibet labe depravato, non ſuccum, ex optimis optimum, ſed indigeſtam maſſam congerere ſolet, quæ morborum ſcaturigines evadunt; *corpora enim impura quo plus nutries plus lædes*. Hinc gulæ deditus, inter dapes jubilans.

Non unquam reputat, quanti ſua gaudia conſtent. Juvenal.

Cavendum ergo eſt a repletione, imo ut recte Fernelius conſulit, quotidianam menſam diminuere, Podagricis ſumme juvabit; cibi enim licet optimi copia, ob enerve fermentum, peſſima illuvies evadit. Ad fermenta vero excitanda, viſcidumque ſtomachi lentorem expurgandum, ſequens condimentum opportunum erit, quod perpetuo uſu plurimum ſpondet, videlicet.

℞. *Sal. eſſential. Abſynth.*
Menth. aa. drach. ij.
Comm. albiſſim. lib. ſem.
M. pro condiend. cibariis.

Idem

Idem præſtare poſſunt fol. Menth, & Abſynth. pulveriſ. & ad Drach. j. cum ſale commun. unc. j. permixta, quod infimæ fortunæ Podagricis ſatis erit.

Victus ratio in Acri Lue. 26 Altera vero cauſa, Acris nempe fomes diſparem legem expetit, cum hic abſorbere potius, ac edulcorare acrem fermenti vim, recta indicatio ſuadeat; ideo victus normam ad hunc ſcopum dirigere convenit. Quamobrem primo Vinum ab iſtorum menſa exulare omnino, fas eſt, perpetuamque illius abſtinentiam Podagricis hiſce præcipiamus oportet, cum acris hic fomes ab ardenti ſpiritu vini proprias augere vires, & excandeſcere ſoleat. *Vinum primo relegandum.* Extremam vero Senectam interdum excipere, æquum, & ſanum erit, in qua extra paroxyſmum cyathum unum vel alterum in menſa concedere expedit; cum ætas illa cadens ad virium fulcimentum ſpirituoſum auxilium expetere, & acri minus fervida lue redundare, dignoſcatur. Qui vero a quolibet vino abſtinere debent, vel aqua fontis acido citri perfuſa, vel deſtillata aliqua, aut Riverii infuſo uti poterit, quod ita conficitur.

℞. *Sarſæparill. optim. unc. ij.*
Liquirit. raſpat. unc. j.
Semin. Aniſ. Cinamom. aa. unc. ſem.
M. f. omnium pulv. tenuiſſ.
Cujus Cochlear j. infund per horas tres in Aqu. inſervienda pro potu diurno.

vel *Decocto Sydenhami quod fit.*

℞. *Sarſæparill optim. unc. vj.*
Saſſafr. Chin. Corn. Cer. raſpat. aa. unc. ij.
Liquirit. unc. j. Contuſ. m. & coque in Aqu font. Cong. ij. per boræ dimidium.
Poſtea ſtet ſuper Ciner. calid. boris xii.
Hinc bull. ad conſumpt. tertii.
Ultimo adde Aniſ. unc. ſem.
Refrig. colet. ac depuret. per reſident.
Deſant in vitro clauſ. ſervet. ad uſum.

vel *Tandem ſequenti, quod facilius paratur.*

℞. *Chamædr. cum flor. manip. vj.*
Radic. Tormentill. unc. v.
Cort. Citr recent. unc. ſem.
Conciſ. coqu. in aqu. font. lib. xv. ad mediet.
Frigeſ. colet. & ad uſum ſervetur.

Hanc Aquam ab Hyemis initio uſque ad Veris terminum præſcribere ſoleo, Æſtate vero, ac Autumno aquam fontis præcipio, cum hoc tempore corporis perſpiratio libera ſit, e contra vero in hyeme, in quo ob clauſam peripheriam aliquam diaphoreſin promovere eſt opus, ut infeſtus volatilior eliminetur.

27 Victus demum ſub hoc fomite ita moderari debet, ut cibaria omnia, quę acrem ſuggerunt luem, angue pejus fugiantur; *Cibi ratio in Acri lue.* in quo cenſu primo aromata omnia, acri ſale volatili turgida, a condimentis repellere convenit, cum huic excandeſcenti Podagræ ſulphureum pabulum deferant; ſicque Carnes, ac Piſces vel fumo arefacta, vel nimio condita ſale infenſiſſima ſunt; nec minus ſaccharata nocent, quæ nimis acrem virulentiam in ſtomacho reſoluta exerunt; ſicuti nec aceto condita, cibaria innoxia eſſe poſſunt, cum integram vini, a quo degeneravit, acrem auſteritatem retineat: Carnes autem tam volatilium, quam quadrupedum, quibus tuto uti poterunt, *antec. numer.* 24. jam expoſitæ ſunt; cum ciborum probitas, abſque abuſu, & repletione, nocere nequeat; quandoque pariter maritimis, ac fluviatilibus optimæ notæ piſcibus, & præcipue Cancris ad acrem ſtomachi mordacitatem mitigandam, in menſa uti laudamus; ad quem ſcopum etiam (maxime dum in Cælo latrat Sirius, a cujus impenſo æſtu acris in ſanguine lues magis acuitur) Poma ſubdulcia concedi poterunt, cum non modicum exhibeant in hac podagra juvamen. Ideo per totum annum, plurimis in hac centuria conſcriptis, ſequentis opiatæ particulam, cubitum ituris ſumendam, præſcribimus, videlicet.

℞. *Extract ſucc. Pomor. ſubdulc. unc. iij.*
Ivæ Arthritic. unc. j. ſem.
Spirit. Nitr. optim. unc. ſem.
M. ferment. per dies ij. ſaltem.
& f. Opiat. cujus Doſ. drach. ij.

Lac denique in hac Arthritide ab Hippocrate *lib. de affection. n.* 31. laudatum præſcribi poterit per menſes duos, ultimum nempe Veris, & primum Æſtatis, matutino tempore, poſt debitam purgationem continuatum. Et hæc tandem in qualibet Podagra Victus normæ convenientes eſſe poſſunt; cæteras integræ Dietę regulas adhuc inſequamur oportet.

28 Et

De Aere. 28 Et primo Aeris leges etſi pluri- mas dictitamus, cum hujus mutationes in manu noſtra non ſint, qua forti cuſtodia Patientes ab illius læſionibus tueri poſſint, nemini notum eſt; in quovis enim recondito cubiculo ejuſdem inſolentiæ nos ambiunt, moleſtaque gravitate nos premunt, & ſicuti ſine ipſa nec ad momenta vivere quimus, ita ab illius noxis immunes omnino eſſe, inaniter cogitamus. Equidem cum Anni conſtitutio Auſtrualis, vel Borealis diutine invaleſcat, plurimos decumbere, diuque pati Podagricos inſpicimus; maxime ſi aeris inclementia, ſolutaque vivendi libertas una ſimul conveniant; tunc parum, nihilve neglecta cuſtodia, ad opus revocata juvabit; quia intimus hoſtis, inter crapulas nutritus, ab externo infeſto aere ad arma vocatus, cito ferocire, ac diu moleſtare, cogitur. Minus vero inficit, minorique impreſſione illos afficit, qui caſtigata diæta ſemper utuntur; quia inevitabiles aeris preſſiones minus ſentiunt; a regulato enim victu intimus hoſtis plurimum enervatus, aeris noxiæ ſtimulos minus audire, minuſque ſævire, aptus eſt, unde exiguam moleſtiam ab externa inclementia perpeti ſolent. Iſtis ergo debita cuſtodia juvabit, quæ clauſis cubiculis, ignitis laribus, propriiſque ſuffumigiis parari poteſt; ſuffumigia vero ex aromaticis plantis, ut roremarino, ſpica, ſalvia, lavendula, thimo, junipero, ac ejus baccis conficiuntur, pro Divitibus vero ſequens convenit.

℞. *Lign. Aleos, Rhodii aa. unc. j.*
Benzoin. optim. unc. j. ſem.
Styrac. calamit. unc. j.
Cinamom. acerrim. unc. ij.
Caryophyllor. unc. ſem.
M. f. pulv. cujus cochlear. in ignem mitt.
Vel cum Tragac. in aqu. roſ. infuſ. paſtill. fumal.

De Motu, & Quiete. 29 Non infimam vero hujus Diætæ partem ſibi ſervant, *Motus*, & *Quies*; Motus enim ſicut in Macrocoſmo regendo, dexterum Naturæ brachium eſſe videtur, a quo vires, legeſque proprias omnia ſumere conſpicimus; ita in Microcoſmo a propriis motibus vegeta ducitur vita, quæ ut rectius interna molimina dirigat, ab externa exercitatione ſuppetias exigit, quod bene docuit *Hippocrates lib. 2 de Diæt. Segnities, ac otium humectat, & corpus debile facit: labor autem ſiccat, & corpus robuſtum facit*. Motus ergo externus ad vitam incolumen ſervandam manum profert, cum fluidorum motus plurimum coadjuvet, corporiſque recrementa citius eliminet; hoc item comprobat eximii *Sanctorii ſtatic. ſect.* 5. *aph.* 9. *Exercitio corpora leviora fiunt, omnes enim partes, præcipue muſculi, & ligamenta motu ab excrementis purgantur, perſpirabile ad exhalationem præparatur, ſpirituſque tenuiores fiunt*. Hæc, inquam, generica regula in noſtro caſu ſingulariter aptatur, cum incongruum articulorum ſuccum, ſæpeque moleſtum, ſicuti quieſcendo coagmentari, ita exercitii motu facilius eliminari, comperiatur; quæ, inquam, cauſa eſt, cur Defatigantium corpora raro nimis podagra vexantur. Verum licet arduum ſit inveteratos Podagricos, ob articulorum inertiam, doloremque ad aſſiduam exercitationem compellere, ad motum ſaltem non valde incommodum exercendum ſtimulare convenit, ne tantæ neceſſitatis auxilium ob ſecordiam negligatur. Motum ergo opportunum Equitationem apprime eſſe cum eximio Sydenhamo dijudico; per hunc enim omnes corporis partes exercentur, præcipueque articuli, qui ad aſſiduas, differenteſque flexiones inducuntur; unde collectam luem ſit facilius eliminant. Cum autem vel ob nimiam ſenectam, vel ob partium impotentiam, aut ob Calculos, qui ſæpe cum Podagra fæderantur, equitare non conferat, Curru ſaltem quotidie vehi non renuat, quod & minus incommodum eſt, & corporis partes omnes continuis flexibus exercet. Quies demum ſub integro paroxyſmo exquirenda eſt, quo elapſo, ut recidivæ alumnam protinus rejicere convenit; fluxa enim lues, ſicuti motu extruditur, ita quiete marceſcit, ac in tophos non exturbata concreſcit.

30 *Excreta*, & *Retenta* naturales leges non excedant oportet; Alvus potiſſime obediens ſervetur, ne primarum viarum recrementa morbi vires adaugeant, ac frequentiores paroxyſmos inducant; ſuccus enim nutritius ex pri- *De Excretis, & Retentis.*

mis hiſce viis infectionis primordia colligit, quæ non expiantur ultra, ſed deteriora ſemper, ad Podagræ limina ducuntur, ut morbi vigor perpetua ſorde nutriatur. Ideo *Hippocrates lib* 2. *prædict.n.* 15. inter expetita, quæ Podagram ſanabilem reddere poſſunt, *alvum bonam ad obediendum*, repoſuit; quare pilulas infra notandas, ſemel in hebdomada ſumere opportunum erit. At ſeminis effuſio præ reliquis excernendis in caſu noſtro præcipua, ſummam expetit caſtigationem, cum & Seneſcentibus incommodam, & Podagricis ſumme noxiam, angue pejus evitare conveniat; Venus olim Arthritidis Mater nuncupata, invenitur, ſicuti & Bacchus Pater, ut ex græco carmine legitur, quod ſic latinis reddidit quidam.

Membrifragus Bacchus, cum membrifraga Cytherea.
Progenerant natam membrifragam Podagram

Coitus enim nimius abſque dubio membrifragus eſt, cum nervos, & muſculos ad rigidam tenſionem primo cogens, demumque ad reſolutionem inducens, epileptico quodam ſpaſmo membra convellat, & confringat. Nec minori detrimento digeſtiones afficit, quas nunquam conficere, ſed inficere ſolet; hinc apprime ut Sanctorii ſtatica ponderavit, *ſect.* 6. *aph.* 10. 15 18. *&c.* Stomachi manifeſta læſio, coctionumque depravationes oriuntur, & inde Podagræ pabulum ex indigeſto ſucco articulis defertur; altera inſuper abuſæ Veneris pernicies Nervorum imbecillitas eſt, quam ſæpius experitur, nondum qui podagra vexatur, ſed & ipſa inconſiderata Juventus, quæ crebro eadem abutitur. Coitum ergo moderari Arthriticis intereſt, niſi effræni morbo ſtimulos addere delectentur.

De Somno, & Vigilia 31 *Somnus*, & *Vigiliæ* pariter debitam viciſſitudinem ſervare debent; protractæ enim vigiliæ, ſpiritibus quietem uſurpando, ac illorum niſus nimium exercendo, vitalem œconomiam langueſcere cogunt, ac ſpeciatim digeſtionum opera diſtrahunt, unde cruditates plurimæ emergunt, quæ nigram picem arthritico addunt incendio. Somnus decens e contra fidelis coctionum miniſter, digeſtionum functiones perficit, cum *Syſt. Medic. Roſetti.* ſeptem ſaltem horas percurrat, quo pariter tempore, ad ſuperflua eliminanda, debita corporis perſpiratio abſolvitur, *cum quinquaginta unciæ cocti perſpirabilis in robuſtis ſæpe exhalent. Static. ſect.* 4. *aph.* 1. qua inſenſibili diſcuſſione ſanguis a ſuperfluis defæcatus nec impurum, nec indigeſtum ſuccum, ad articulos inficiendos, deferre poteſt. Hora item decumbendi reflexionem adhuc petit; in qua re potiſſima eximii Sydenhami conſideratio eſt, quod Podagricus ſemper, & maxime vigente Hyeme, tempeſtive decumbat, nempe cum ſtatim in noctem vertitur dies; *interdiu enim ſpiritus diſſipantur, ſive in corporis exercitio, ſive animi, qui in minus recte valentibus ita ſunt infirmi, ac debiles, ut veſpere ſomni ſubſidio maturius opus habent. Tract. de podagr.* Adde quod ſolis radio deſtitutus aer frigeſcere, noctiſque invadente crepuſculo tellus, etiam rigeſcere coguntur, unde gelidæ impreſſiones corpus afficere, ac moleſtare ſolent, quorum nocumenta imbecillus Arthriticus tempeſtive decumbens, ſtraguliſque protectus, evitare facile poterit.

32 Difficilior tandem remanet Pathematum moderatio, cujus exhortationes, licet in paroxyſmo ſæpe ſine fructu cruciati Patientes audiant, non ideo dimittere decet, maxime quia non inſipientes ut plurimum, ſed cordatos Viros Arthritis exercet; qui ſæpius aliquam animi partem, rationi dicatam, a doloribus ſervant immunem, & ad rectum percipiendum conſervant. Ideo gementes hoſce ſuadere oportet, quod integro animo ſpirituum acoſmiam compeſcere nitantur, ne oleum addant incendio; cum effrænes ſpiritus corporis cruciatum adaugeant, & quo excandeſcit animus, eo creſcant dolores. Quare qui virili tolerantia enormonticos niſus frænare connititur, doloris aculeos etiam obtundere didicit, ſicque animo, & corpori potiorem moleſtiæ fomitem detrahere obtinuit. Hæc, inquam, ſimiliaque Patientibus, in paroxyſmo conſtitutis, aperire oportet, ut ſpirituum ataxiam pro viribus detinere contendant. Extra paroxyſmum vero liberum, ac hilarem animum ſervare, tantum Podagricis intereſt, quantum *De Animi motibus*

grata illis eſt, diuturnior a morbo præſervatio; nil enim magis Arthritidi aditum aperit, quam pavidam recidivę męſtitiam nutrire. Omnes itaque conſolationis occaſiones, in hac ſcena conſtituti, perquirere ſtudeant; plurima enim innoxia, quæ magis genium implent, ſuſcitantque appetentiam in mundi menſa pręparata inveniuntur, quibus honeſte uti ſapientibus Natura non vetat; etenim in hiſce fruendis

Nunquam aliud Natura, aliud Sapientia dicit. Juvenal.

Sicque a męſtitia alienus, honeſtiſque ſolatiis implicatus animus, digeſtionum opera minime turbat, unde ſanguis a cruditatibus non defædatus, podagræ ſtimulos deferre haud unquam poterit.

Diætę conclusio. 33 Hæc tandem pro Diætæ petitione ſatis ſint, licet nunquam in hac linea ſatis, cum inter omnia, quæ Podagram compeſcere, vel debellare promittunt, moderatæ Diætæ præcepta primas teneant; ſicuti econtra ſoluta vivendi libertas nondum podagram, ſed morborum catervam ſecum ducat. Confiteor equidem, plurimos ab Arthritidis tyrannide redemptos vidiſſe, qui poſt debitas purgationes, diæteticis hiſce legibus conſtanti perſeverantia obſequuti ſunt; cæteros vero, qui poſt purgationes, ab Æſculapii templo diſcedentes, ad Bacchi, & Veneris fanum currere ſategerunt, perpetuo Podagræ jugo colla ſubdere inſpeximus, cum effrænata libertas ad podagræ cataſtam recto tramite ducat. Qui ergo ab immani morbo expediri tandem, perpetuamque captivitatem excutere, ſuique juris dominium recuperare contendit, æquis temperantiæ legibus, in hac Diæta ſtatutis, libentius parere non renuat, ſimulque per biennium ſaltem, Vere, & Autumno ſequentes Purgationes inſtituat; hæc, inquam, lubens agat, & ſpero quidem, quod me nunquam vaniloquum proclamare, ſed munificum Deum commendare debeat.

Curatio præſervativa. 34 Reliqua demum Curationis titulo expetita perſequi jam oportet; quorum directiones primo ſunt, Prophylacticam purgationem, ac Therapeuticam curationem diſtinguere, propriiſque differentibus methodis pertractare, priorem vero nunc, alteram infra dabimus.

Præſervativa ergo medela, ante paroxyſmum inſtituenda, integrum menſem ad minus conſuetam invaſionem præcedere debet, ut minorato morbi fomite, illius aggreſſionem evitare, vel retardare, ac diminuere ſaltem aſſequamur, ſæpe quidem in plurimis, poſt decentem purgationem, vel nullo modo apparuit, vel tarda, & inermis Podagra invaſit, unde minus moleſta Patientes laceſſivit. Ad opus ergo deſcendendo, in bivio ſuſpendimur; etenim quia non unica eſt cujuſque Podagræ minera, ideo differentes illius origines diſpari greſſu inſequamur oportet. Satis quidem hactenus Artritica remedia, quia nec æqua lance perpenſa, nec æquo marte adhibita, ſi aliquibus profuere, plurimis etiam obfuiſſe, compertum eſt; ideo ne in eoſdem lapſus incidamus; diſpari methodo appropriata cuique remedia pro morbi fomite diſcernere duximus. Quare cum dictum ſit, aliam acri, aliam viſcida lue armatam militare Podagram, ideo duplici methodo, diſtinctoque ordine utramque invadere decrevimus.

35 Et primo cum Podagram a *Viſcida lue* progenitam curare debeam, apprime conſidero, quod hujus morbi ſcatebras in Ventriculo rimari conveniat; utpote quia viſcida labes, quæ nutritium ſuccum defædat, ſæpius ab hoc fonte procedat, & inde cum infecto chylo in ſanguinis amnem devolvatur, ideo ante omnia Ventriculum reſpiciendum, & cum morbi origo deprehendatur, ipſi primo proſpiciendum erit. Signa vero, quæ hanc in ſtomacho ſcaturiginem denunciant, primum Anorexia eſt, quæ imminente paroxyſmo invadens, fermentorum vim a viſcido lentore inviſcatam eſſe ſuadet, unde inappetentia, & nauſea Patientem moleſtant. Secundum viſcida ſalivatio, ex ventriculo ad fauces expulſa, hujus infenſi hoſpitis in ſtomacho redundantiam oſtendit, maxime cum aſſiduus ptyaliſmus Patientem incommodet. Tertium flaccida hypochondriorum tumeſcentia intimum ſcatentis viſcidi fontem externis ſignis oſtentat; quibus ſi fæderantur præcordiorum anxietates, ſtomachi pondus, ac vomituritiones, & cum ſignis Viſcidi fomitis *num.* 15. ſupra expoſitis conveniat; firma ratione conjectari pote- *Methodus in Viſcida lue.*

,rit

rit, quod hujus Podagræ origo ex ventriculo dimanat; ideo eundem infarctum pro viribus expiare apprime intereſt; ne remedia in purgatione uſurpanda, proprio limo enervare, & inertia reddere poſſit. Adde inſuper, quod ſi ſcaturiginem hanc tandem exhaurire aſſequatur, Podagra iſta cito evaneſcere cogitur.

Emeticorum uſus. 36 Ad hunc ergo ſcopum attingendum Emeticum ſequens, vel pro Patientis conditione, dum vomitum ferat, efficacius aliud præſcribi poterit. Videlicet.

℞. *Aqu. Card. ben. Scabioſ. aa. unc. ij.*
Syrup. Emetic. ex croc. metall. unc. ſem.
Oxymell. ſimpl. unc. j.
Ol. Nuc. moſch. expreſſ. ſcrup. j.
M & pro Emet. tepid. propin.

vel efficacius alterum, quod ſæpius in uſu mihi eſt pro Divitibus.

℞. *Aqu. Beton Menth. aa. unc. ij.*
Tartar. Emetic. ſolubil. gr. vj.
Oxymell. ſcyllitic. drach. vj.
Ol. deſtill. Nuc. Moſch. gut. vj.
Cinamom. gutt. iij.
M. & ſimiliter tepid. propin.

Paregorici ratio, & uſus. In vomitionis termino, ad commotas in ſtomacho reliquias facilius eliminandas, Aqu. Nocer. ad libr. ij. vel Juſcul. Pull. inſipid. largum potum exhibere intereſt; demumque ad ſtomachi tonum reparandum, paregoricum aliquod præſcribere adhuc convenit, maxime cum inſolentes vomituritiones perſiſtant, tunc pro re petenti, vel Emeticum repetere, vel Paregoricum exhibere intereſt. Ex. gr.

℞. *Aqu. Menth. Abſynth. aa. unc. j.*
de Cinamom. deſtill. unc. ſem.
Diaſcord. Fracaſt. drach. j. ſem.
Laudan. Opiat. (cum opus ſit) gr. j. vel alterum.
M. f. Paregoric. pro Doſi.

vel pro Divitioribus efficacius aliud, videlicet.

℞. *Sal. eſſential. Abſynth.*
Menth. aa. ſcrup. j.
Elyxir. Propriet. drach. j.
Laudan. Cydoniat. Liquid. gut. xv.
Aqu. Menth. Abſynth. aa. unc. j ſem.
Ol. deſtill. Nuc. Moſch. gut. vj.
de Cinamom. gut. ij.
M. f. Paregoric. ſenſim utend.

Supradatum ergo Emeticum haud ſemel tantum uti convenit, ſed ut ſtomachi limum protinus eliminet, bis, vel ter adhuc, niſi aliud vetet, repetere oportet. Contumax enim Viſcidum fortioribus etiam expiantibus reſiſtere, natum eſt; ideo inſiſtere eſt opus, cum ſumma urgentia hoc primum petat remedium.

37 Hac itaque, cum expetatur, abſoluta intentione, ad intimiorem viſcidæ luis correctionem accedere intereſt, quem ſcopum præparantia appropriata, ſequenti methodo exhibita, conſequi poſſunt, videlicet. *Præparantia in Viſcida lue.*

℞. *Extract. Rhabarb. ſcrup. j.*
Reſinoſ. Ammoniac. ſcrup. ſem.
Tartar. Martial. drach. ſem.
Spirit. Sal. Armon. gut. vj.
Syrup. Cort. Citr. q. ſ. f. bol. pro Doſi.

Cui ſuperbibat feri deſtill. lib. j. cum ſpir. ſal. gut. x. vel Juſculum Marub. Menth. & Salv. alteratum. Hiſce, inquam, per dies duodecim continuos utatur, horis quatuor ante prandium; pariterque veſperi, hora ſaltem ante cenam ſequentes Rotulas ſumat, videlicet.

℞. *Specier. Aromatic. Roſat. unc. j.*
Antimon. Diaphor. unc. ſem.
Sacchar. in aqu. Cinam. ſolut q. ſ.
ut f. Rotul. pond. drach. ij. pro Doſi.

38 Hiſce peractis ad Cathartica deſcendere tandem oportet, in quorum cenſu, licet plurima exaltentur a Plurimis, nos vero ſequentibus, præſcripta methodo uſis, Podagram quamlibet, nondum pubeſcentem, ſed inveteratam adhuc (dummodo illius nodi nondum in tophos inexpugnabiles concreverint, ac Naturæ vires Artis ſtimulos audire, ac tolerare potuerint) non nimis arduo marte ſæpius expugnatam vidiſſe conſiteor. Cathartica itaque, in hac linea tutiora, ſequentia in uſum habeo, videlicet. *Cathartica in eadem lue.*

℞. *Hermodactyl. alb. drach. ij.*
Turbith. elect. drach. j. ſem.
Mercur. dulcific. drach. j.
Maſtich. Cinamom aa. ſcrup. j.
Semin. Aniſ. Fœnicul. aa. drach. ſem.
Contuſ. omnib. f. pulv. ſubtiliſſ.
Et cum ſyrup. de Spin. Cerv. q. ſ.
f. Pilul. parv. pro tribus Doſib.

Quibus vero Pilulæ non arrident, mixturam hanc in Electuarium cum eodem ſyrupo parare ſino, & in tres Doſes æqua-

æquales diſtribuo; cum autem Delicatioribus gratificandum ſit, ſequentibus utor, videlicet.

℞. *Extract. Ellebor. nigr. Drach. j.*
Reſin. Turbith. drach. ſem.
Confect. Alcherm. drach. ij.
Ol. deſtill. Cinamom. gut. v.
M. f. Bol. vel Pilul. pro tribus Doſib.

Cui vero Potiones magis delectant, ſequentem præſcribere ſoleo, videlicet.

℞. *Tinctur. Hermodactyl. drach. ij. ſem.*
Reſin. Turbith. gr. viij.
Aqu. Ivæ Arthrit. unc. jv.
— de Cinamom. unc. ſem.
M. f. Potio pro una Doſi.
Quæ per tres vices repetatur.

Tinctura Hermodactylorum pro hac intentione ſequenti modo confectam

℞. *Hermodactyl. alb. pulveriſ. unc. ij.*
Spec. Aromatic. Roſat. drach. ii.
Aqu. Aniſi deſtillat. lib j.
M. diger. in ciner. calid. dieb. trib. ſæpe agitand.
Tinct. aqua decant. & uſui ſervetur.

39 Die igitur poſt Præparantibus vacua, ſummo mane, horis quinque ante prandium, aliquod ex modo datis Catharcticis, pro prima vice ſumere debet, ac tribus poſt horis, vel Aqu. Nocer. ad libr. j. ſem. vel Ser. deſtill. ad lib. j. cum guttis aliquot Spir. Sal. propinet. In prandio autem nil aliud niſi panem in brodio, cum Pullo elixo exhibeo; Edacibuſque Columbum aſſatum inſuper concedo; Vinum item ſequenti modo medicatum volo, quam victus regulam toto purgationis tempore ſervare præcipio; vinum vero medicatum perpetuo bibere ſuadeo; fit ergo. *Catharticis uſus.*

℞. *Fol. Chamædr. Chamæpit. aa. manip. ij.*
Cortic. Saxafr. unc. j. ſem.
Cinamom. acerrim. drach j.
Infund. omn. in vin. alb olygoph. lib. xv.
Diger. per diem integrum loc. calid. poſtea colet. & ad uſum ſervetur.

De ſero autem panatellam cum ovo duntaxat ſorbere præſcribo, ac hora ſaltem antea Rotulas ſupra datas reſumere convenit. Die vero altera Catharctico vacua, vel Bolum digeſtivum *ant. num.* 37. præſcriptum, vel pro re nata ſequentem mixturam ſumat oportet, videlicet.

℞. *Tartar. Martial. drach. ſem.*
Sal. eſſential. Abſynth. ſcrup. j.
Spirit Sal Armoniac. gut. vj.
Aqu. Ivæ arthrit. unc. jv.
M. pro una Doſi matutina.

De ſero pariter eaſdem Rotulas ſumat, quam methodi regulam quarta quoque die ſervare debet, ſicuti tertiam, & quintam Catharcticis dicatam, ſupra data norma dirigere convenit; quæ omnia recte peracta, ad paroximum hujus Podagræ fomitem ſubigendum, & eliminandum, ſufficere poſſe, plurima experimenta docuere.

40 Poſt Purgationem denique ad intimas externaſque partes corroborandas deſcendere convenit; in qua tabula primo Victum reſtaurantem apponere, vires reficiendæ petere videntur, & illorum maxime, qui lautis vacare conviviis, ſoliti ſunt. Horum ergo pectora perpetuum monitum pulſet; quod cum Podagræ jugum horreant, gulæ hianti frænum imponere debent; memores ſemper, quod ſicuti victus frugalitas plurimos a cruciatibus redemit, ita crapula perpetuis gemitibus helluones damnavit. Monita vero, quæ noxios detegunt cibos, & uſus proficuos edocent, cum *in antec. num.* 23., & 24. expoſita ſint, hic recinere non eſt opus. Innoxiis ergo cibis libere quidem, ſed moderate utantur, a nocentibus vero, gulæ impetum ſuſtinentes, abſtineant, memores illius Stoici monentis *Corroborantia & primo vitalia.*

Suſtine (Epictetus dicebat.) & abſtine.
Oportet
Multa pati, illicitis abſque tenere manu. Alciat.

Qui ergo ſub ferrea Podagræ virga dura pati recuſat, a noxiis abſtineant epulis, gulamque hiantem ſubſtineat.

41 Pharmaca vero, quæ vires reficere poſſunt, pro hac petitionem ſequentia ſunt; quibus proprie imbecillis ventriculi energia reſtauratur, ut ex optimis cibariis exquiſitum ſuccum conficiat, qui non infeſtam, ſed vere, optimeque nutrientem ſingulis æque partibus opem ferat; plus minuſve tamen pro Patientum magis, vel minus opulenti forte, hunc ſcopum attingunt ſequentia quorum prima æris Inopes non parum adjuvant, poſtrema vero Divitioribus efficaciſſime proſunt, videlicet. *Pharmaca roborantia interna.*

℞. *Con-*

℞. *Conſerv. Balauſt.*
Flor. Anthos. aa. lib. ſem.
Extract. Tormentill. unc. iij.
Elixir. Proprietat. unc. j.
Ambr. gryſ. gr. vj.
M. f. Opiat. cujus Doſ. drach. ij.

Vel pro Divitioribus ſequens efficacius

℞. *Magiſt. de Oſſ. C. C. drach. iij.*
Extract. lig. Aloes. drach. ij.
Sal. eſſential. Salv. ſcrup. j. ſem.
Ambr. gryſ. ſcrup. ſem.
Conſerv. Flor. Anthoſ. unc. iij.
M. f. Opiat. cujus Doſ. drach. j. ſem.

vel pro Principibus efficaciſſimum ſequens.

℞. Fol. aur. in mol. philoſoph. ad alchol redacta q. v. Affund. Spir. ſalis rectificatiſſ. (ut infra num. 44. docebitur) Diger. & extrahe tinctur. ſolis ſulphure plenam, corpus auri album in fundo relinquens; hanc poſtea cum Spir. Vin, ſale volatil. Urinæ acuato, diu circula, demumque deſtillando Solis Tincturam habebis, quæ non dum virium robur inſigniter inſtaurat, ſed & Podagræ ſtipitem *Evertit fundo, & radicibus haurit ab imis*. Doſis hujus gut. vj. ad x. in vehiculo appropriato. Quolibet ergo ex dictis Corroborantibus duabus ſaltem ante prandium horis uti poterit; poſt menſam vero, decenti frugalitate paratam, ſequentes Rotulas ſumat.

℞. *Sal. eſſential. Abſynth. drach. iij.*
Extract. Zedoar. drach. j. ſem.
Sacchar. aqu. Cinam. ſolut. q. ſ.
ut f. Rotul. pond. drach. ij pro Doſi.

Cum autem poſt Catharcticorum uſum alvus inobediens reddatur, Corroborantis locum ſubeant Pilulæ, infra *nu.* 45. expoſitæ, quarum uſus bis, vel ter in hebdomada, pro re petenti, eſſe poterit, donec ad conſuetum debitum alvus reducatur, quod apprime quidem exquiſita exigit Præſervatio.

In externis utendis conſideratio prima. 42 Externa demum Roborantia tutam in uſu expetunt cautelam; quare ad affectas partes conſolidandas nunquam accedimus, niſi ab articulis infenſa lues protinus eliminata ſit; ideo cum hoſtis invaſam occupet ſedem, ne intus confirmetur, reſolventibus primo uti convenit. Cum ergo pars affecta licet haud tumeat, in motu tamen adhuc parumper doleat, certum indicium eſt, quod ab invaſa lue omnino libera ſit, moleſtantis enim reliquias dolor prodit; ideo reſolventibus primo uti convenit, in quorum linea, pro præſenti ſcopo, vel Spiritus Camphoræ, vel Spiritus Roriſmarini camphoratus omnem implent paginam, ſi cum alterutro per triduum ſaltem articuli affecti leniter confricentur; partem demum haud amplius dolentem, ſed imbecillem duntaxat, roborare ultimo convenit, ne novis recrementis perpetuum aditum conſervet.

43 Hoſte tandem expulſo, dubitandi occaſio adhuc eſſe videtur, an ſeminium aliquod in affecta parte reliquerit. *Conſideratio altera.* Quandoque enim a diuturno morbo, qui corporis religionem aliquam ſui juris fecerit, proprium, dic ut vis, vel fermentum, aut virus vel infectionis odorem (ut in dolio a depravato Vino ſępe relinquitur) ita fortiter impreſſit, ut difficillimum ſit, implantatum illius ſemen delere; quod inter plurimos contumaces, ſæpeque recidivantes morbos, primas tenet Podagra; hæc inquam partes, quas invaſit, diuque retinuit, aura quadam, fermento conſimili afficit, quæ in ſui propriam, nocentemque diatheſin ſuccos etiam optimos pervertere molitur. Hoc quidem perpetua partis imbecillitas, & propenſio ad recidivas, imo & tophi ipſi, ab illius acido congeſti, ſatis oſtendere poſſunt. Hanc inquam dubitandi anſam non unicum ſuggeſſit experimentum; cum multiplicatis corroborantibus, nullum citius, tutiuſque læſas partes reſtauraſſe dignovi, niſi illud, quod ſpirituoſo penetranti halitu, podagræ directe oppoſito, intimius permeando, relictum inibi virus ſubigere, ac extinguere, ſimulque læſam partem conſolidare æque potuit, ut inde morbi ſemen haud ultra reſurgeret; niſi novi fomitis appulſus Podagræ aditum iterum aperuiſſet, ut in male viventibus non ſemel inſpicere, occaſio dedit. Quamobrem ad integram præſervationem adhuc ſpectat inſuper, latitantem in articulis virus extinguere, ſimulque affectam partem ita munire, ut per ſe tantum morbi ſeminio haud ultra repaſtinet jugerum.

44 Duplicem ergo energiam externa Corroborantia obtinere, ac exercere debent, 1. implantatum a morbo ſemen *Roborans appropriatum.*

pro-

protinus delere, 2. læſam, & laxam reſtaurare partem, proprioque tono reſtituere. Ad utrumque ſcopum cito, tutoque pertingendum, poſt innumera celebriorum roborantium experimenta, nil tutius, ac præſtantius inveni tandem, quam volatilem, ac balſamicum Spiritum ſalis, qui vires Podagræ adverſas obtinens, morbi ſeminium penetranti ſubtilitate aggreditur, & abſorbet; altera vero balſamica vi laxatæ partis conſiſtentiam reſtaurat. Vires autem dictas a Spiritu Salis officinarum expetere, vanum eſt; cum & impurus adhuc, ſeu partibus terreis, & ſulphureis permixtus ſit, quæ ſcoriæ ad invertendum ſubtiliorem hoſtem nimis imparem ipſum reddunt; multaque pariter corroſiva vi adhuc pollet, unde minus balſamicus, ad læſas partes reſtaurandas ineptus extat. Eundem tamen, non ſemel tantum rectificatum, ſed pluries, donec ſmaragdinum, ſeu ſubviridem colorem acquirat, grateque olens evadat; tunc & ſatis purus, ſatque balſamicus utrique intentioni reſpondere, æque poteſt; in hujus vero defectu Emplaſtrum ſequens non infimæ virtutis comprobatum eſt, videlicet.

℞. *Fol. Querc. Myrtill. aa. manip. iij.*
Flor. Cynoſb. Balauſt. aa. pug. iij.
Rad. Bardan. Tormentill. aa. unc. iij.
Tartar. Vin. rubr. pulveriſ unc. ij.
Vin rubr. auſter. lib. iij.

Contuſ. affund. in vino dicto. Diger. per duos dies poſtea coqu. ad Vini conſumpt. demum exprime ſuccum fortiter, cui adde

Galban. Ammon. in acet. ſol. aa. unc. ſem.
Maſtich. Myrrh. pulver. aa. drach. ij.
Ol. expreſſ. Nuc. Moſch. unc. ſem.
M. ad ignem len. & f. empl. Corrobor.

Monita per annum. 45 Prophylactica in hujus Podagræ ſpecie purgatione abſoluta, nonnulla per annum, præſervationis merito, adhuc obſervare convenit. Ante omnia ergo quemlibet Sex Rerum non naturalium abuſum, exceſſumque vitare, præ oculis ſit; ſummæ enim urgentiæ, ſummæque ſalutis eſt, inter haſce belluas, quæ ſæpe ferociunt, Apollinis monitum audire; *medio tutiſſimus ibis*; cum a mediocritatis uſu deflectere, indomitiſque appetentiis frænum relinquere, indubitatam ruinam tentare eſt; ſed de hiſce ſatis ſupra de Diæta dictum fuit. Item pro urgenti monitum habendum eſt, Alvum perpetuo lubricam ſervare; quod tanti exiſtimavit Hippocrates, ut cum hujus ſtypticitate incurabilem, & cum ejuſdem laxitate ſanabilem podagram dixiſſet; ideo ut promptam obedientiam conſervet, ſequentes Pilulas ſemel in hebdomada ſumere expedit, dimittere vero, vel ſæpius repetere, alvi conditiones ſuadebunt.

℞. *Extract. Agaric. Rhabarb. aa. dr. ij.*
Reſin. Jalapp. drach. j.
Rad. Ariſtoloch. rotund.
Rhapont. ver. aa. drach. ſem.
Zingiber. Maſtich. aa. ſcrup ij.
f. omn. pulv. ſubtiliſſ. & cum
Syrup. de Spin. Cerv. q. ſ. f. maſſa
Ex cujus drach. ſem. f. Pilul. pro Doſi.

Denique uſus quotidianus The Japponicæ, vel Chinenſis proficuus erit, cum hujus vires præcipue in ſtomacho roborando, ac illius viſcida recrementa diſſolvendo, inſignes hujuſce Podagræ ſcatebram exhaurire promittat; hujus ergo potiuncula matutina quotidie ſumpta opportunam opem ferre poteſt; indigis vero Podagricis Conſerva de flor. ſalviæ proficua erit: ſed de hac ſatis.

Prophylace in Acri fomite. 46 Alteram vero *ab Acri fomite* ductam Podagram diſpari Purgatione inſequi nunc debemus, cum hæc ob ferociorem cauſam a priori ſummopere diſtet; verum etſi differentibus armis oppugnanda ſit, methodus tamen diſtributiva eadem veſtigia premere ſæpe debet. Quare primo an ab Emeticis purgationem inchoare opus ſit, ſerio penſitandum erit; plurimi enim vomitionem non tolerant aliis vero non indigent. Qui ergo opus habent ab indiciis dignoſcuntur; & primum ſignum oſtendit Edacitas crudorum, difficiliſque coctionis edulium, quæ, inquam, vorantes ſolari videntur, & deſolari non vident; item horum potandi libido nimia eſſe ſolet; Acris enim ventriculi lues, vino nutrita, vinum appetit, ac olygophorum horret, & polyphorun ingurgitat; unde iſtorum proverbium italo idiomate vagatur. (*Scarpa larga, e gotto pien, e gridar quando la vien*) Nefanda quidem voluptas! Ferocientem hoſtem domi ſervare, lauteque nutrire vel-

velle. Cum hiſce itaque indiciis, ſi aliquando ciborum nauſea, ructis nidoroſi, præcordiorum tenſione, aut vomiturítiones viciſſim tragædiam agant, & maxime cum in paroxyſmi limine contingere ſueſcant, hæc, inquam, ſi cum ſignis ſupra *nu* 14. expoſitis, conveniant, certam proferunt conjecturam, hujus Podagræ fontem ex ventriculo dimanare; quare ad morbi ſcatebram reſpiciendo, infecto ſtomacho emeticis proſpicere primo intereſt; vomitorium ergo in hoc caſu, & cauſa ſequenti modo paratum volo.

℞. *Tartar. Emet. ſolubil ad gr. viij.*
vel Oxyſacccbar. Emetic. ad unc. j.
Aqu. Menth. criſp. unc. iij.
Tot. Citr. unc. ſem.
M. f. Emetic. pro una Doſi.

quod eodem pene modo, ut ſupra *nu.* 36. dictum fuit, præſcribendum, & pro re nata repetendum adhuc erit. Quod ſi vomendi exacerbatio (ut ſæpe in Acris ſucci concitatione contingit) paregoricum aliquod expetere videatur, tunc ſequenti, vel ſimili uti poterit.

℞. *Aqu. Menth. criſp. unc. iij.*
Tot Citr unc. j.
Sal Abſynth eſſential gr. xij.
Magiſt ſolubil Corall. drach ſem.
Laudan. Cydoniat. liquid. gut. x.
M f. Paregoric. pro Doſi.

Præparantia in Acri Fomite. 47 Abſoluta demum, cum exigatur, Vomitione, ad Acrem ſuccum in ſanguine abſorbendum, & præcipitandum, ſequenti methodo deſcendimus. Primo itaque, maxime cum emeticum aſſumptum non fuerit, ad primas vias expiandas, *Infuſum Tamarind. in ſer. lact.* propinare convenit; ſequentibus vero decem ſaltem diebus, Mixturam abſorbentem, & ad coctionem Hippocraticam Acrem fomitem ducentem, methodo ſequenti preſcribere oportet, videlicet.

℞. *Magiſt. ſolubil. Corall. drach. ſem.*
Reſin. nræ antipodagr. ſcrup. ij.
Sal Prunell optim. ſcrup. j.
Aqu. de Succ. Borag unc. ij.
Cord. Saxon unc. j.
M. pro Doſ. ant. prand. horis duab. ſumend.

Reſina noſtra antipodagrica, & antinephritica ſequenti modo conficitur.

℞. *Lign. Nephrit. Saſſafras. aa. dr. vj.*
Corn. Cerv. raſp. Ebor. raſp. aa. unc. ſem.
Oſſ. tibiæ bovin. recent. contuſ. unc. vij.
Sal. Nitr. puriſſ. drach. vj.
Aqu. font. optim. lib. xv.
M. cmn. & dig. in baln. Mar. duob. dieb.
Poſtea Coqu. ad conſumpt. med.
Colatur. adde Gum. Ceraſor. unc j. ſem.

Et in frigido loco repone ad congelandum, demumque leni calore ſenſim ad Reſinæ conſiſtentiam reducatur. Hæc inquam, in Podagra hujus ſpeciei, & in Calculo pariter opportunum centies hactenus comprobatum remedium eſt. Duabus ergo horis poſt aſſumptam mixturam prandium ſumat, Panem videlicet, vel Oryzam, aut hordeum in brodio Pulli, & Vituli, aut Vervecis, de quibus elixis edat pro appetitus petitione. Vinum vero, cum in hac Podagra omnino relegandum ſit, magis ergo in purgatione protinus vitandum eſt, ejuſque vicem Aquæ. *num.* 24. jam datæ ſupplere poterunt. Senibus autem, quibus ob virium tutelam Vini hauſtum permittere intereſt, ſequenti medicato uti, conveniet.

℞. *Ivæ arthrit. manip. ij.*
Santal. Citrin. contuſ. unc. ſem.
(& cum Nephritis etiam moleſtet,
Lign. Nephrit. drach. iij.)
Vin. alb. olygophor. lib. vj.
M. & Diger per diem; Colat. utatur.

De ſero pariter horis duabus circiter ante cenam, quæ breviſſima eſſe debet, ſequentem ſumat Opiatam.

℞. *Conſerv. Roſ. rub. lib. ſem.*
Santal. Citrin. pulver. unc. ij.
Reſin nræ antipodagr. unc. j.
Nitr. Corallat. unc. ſem.
M. f. Opiat. cujus Doſ. drach. ij.

Hæc, inquam, omnia per decem ſaltem dies continuare intereſt, inter quos cum Vene ſectio expeti videatur (ut proxime perpendamus oportet) eandem celebrare opportunum erit.

48 Veruntamen an in Podagra phlebotomia conveniat, merito dubitari poteſt; variæ namque ex propriis Cathedris opiniones emerſerunt. Veteres primo tam in Arthritico paroxyſmo, quam in prophylace hoc magno, & ad urgentes caſus reſervato, auxilio ſæpius abuti ſtuduerunt; imo notante *Sennerto* *Phlebotomiæ Vſus* *Tract.*

Tract. de Arthr. cap. 7. *Sunt qui Podagram laborantibus ſingulis menſibus venas ad pollices pedum aperiunt*; quod & adhuc obſervatum in Gallia vidimus. Veruntamen etſi aliquando, non ſemper tamen, nec in omni Arthritide hæc Veterum regula quadrare poteſt. Non ſemper quidem, quia non æquo pede ſemper tuta venæ ſectionis indicia, febres nempe ardentes, acerbaque ſymptomata Podagram quamlibet inſequuntur; omnibus vero, & ſemper vitale theſaurum effundere, crudele placitum eſt: Ideo cautiores plurimi, quorum anteſignanus *Celſus* fuit, in caſu, & cauſa venam ſtrictiori manu aperiebant. Similiter nec in omni Arthritide ſanguinem mittere licet; nam in antecedenti, a Viſcido fomite orta, indebita quidem, & noxia phlebotomia evaderet; cum viſcidum lentorem in depauperato ſanguine magis firmari, vireſque fortiores & infenſiores acquirere, ratio, & experientia ſuadeant. Noſtra ergo ſententia eſt; quod in hac tantum, Acri nutrita fomite, podagra tunc proficua venæ ſectio eſſe poſſit, cum dicta lues ita in ſanguine præpotens ſit, ut enormonticos niſus ad acoſmiam concitet, quam excitatam Febris excandeſcens, acerbaque ſymptomata demoſtrant. Cum ergo ad hæc uſque limina conſueto impetu pervenire ſoleat paroxyſmus arthriticus, tunc etiam in prophylace ut expetitam, proficuamque phlebotomiam inſtituimus, ut moleſtas in ſanguine turbas diminuere ſaltem aſſequamur; hanc autem intra decem ſupra datos dies, commodiori tempore celebrare convenit, ita tamen ut a Catharſi, proxime inſtituenda, longius quo poſſit, diſtet.

Cathraſeos ratio. 49 Abſolutis demum præparationis diebus, quomodo cito, tutoque ſubactum in ſanguine hoſtem eliminare aſſequamur, ambiguum opus eſſe videtur; tres enim celebriores infenſorum deturbatrices viæ ſe offerunt, Diaphoreſis nempe, Diureſis, & Catharſis; omnes æque a Plurimis tentatos calles, diu nec ſemper fauſte, frequentavimus & nos; ultimam tamen, quæ per alvum movet, olim ab Hippocrate indigitatam, ſemper tutiorem fuiſſe, longa experientia didicimus; hoc enim aperte innuit divinus Senex *lib.* 2. *prædict. nu.* 15. *De podagricis hæc dico. Qui aut ſenes ſunt, aut circa articulos callos tophaceos concretos habent, aut ærumnoſe vivunt, ac ſiccam alvum habent, hi omnes ſani fieri non poſſunt humana arte quantum ego novi. Sanant quidem hos optime Dyſenteriæ, ſi ſucceſſerint, ſicut, & aliæ eliquationes, valde proſunt, quæ ad infernos locos repunt.* Sic ergo plane proficuam Catharſeos promotionem, unicamque inſanabilis morbi curationem artis Præceptor inſinuat. Quæ ergo huic intentioni, & in hac Podagræ ſpecie tuto prodeſſe, imo & profuiſſe, diu novimus, ſequentia ſunt, & primo.

℞. *Jalapp. reſinoſ. unc. iij.*
Rad. Polipod. querc.
Bardan. major. aa. unc. ij.
Spirit. Vin. rectificat. lib. ij.
Conciſ. M. & diger per triduum.
Expreſſion. fort. adde Diagryd. dr. j.
Ol. Nuciſt. expreſſ. ſcrup. j.
Lenique Calor. ad Extract. conſiſt. redig.

Hujus ergo Extracti compoſiti nri pro Patientum conditionibus ad drach. j. exhibeo, cujus ope conferentem purgationem ſemper obtinui, quam alternis diebus per tres vices repetere ſoleo; vel in hujus deficientia ſequentes ſaltem pilulæ præſcribantur.

℞. *Reſin Jalapp. drach. ſem.*
Extract. Rhabarb. drach. j.
Diagryd. ſulphurat. ſcrup. j.
Maſtich. Cinamom. pulver. aa. gr. xv.
Syrup. de Spin. Cerv. q. ſ. ut f. maſſa
Quæ per tres, vel quatuor vices tota
Pro Patientis conſtitut. ſumatur.

Vel ad gratificationem, cum Pilulæ minus placeant, dictæ maſſæ adde Confect. de Hyacinth. drach. ij. & cum eodem ſyrup. f. Electuar. pro iiſdem tribus doſibus æqualib. eodem die ſumend. Vel cui Potio magis lubet, ſequentem præſcribo.

℞. *Reſin. Jalapp. ſcrup. ſem.*
Syrup. de Spin. Cerv. unc. j ſem.
Aqu. Borag. Meliſſ. aa. unc. ij.
Tot. Citri. unc. ſem.
M. f. Potio pro una Doſ. ter repetend.

Die vero a Catharticis vacua, tribus horis ante prandium, ſequent. mixtur. ſumat.

℞. *Ma-*

℞. *Magiſt. ſolubil. Corall. drach. ſem.*
Sal Prunell. optim. ſcrup. j.
Confect. de Hyacinth. drach. j.
Aqu. Ivæ arthrit. unc. iij.
Tot. Citr. unc. ſem.
M. pro una Doſ. matutina.

De ſero autem vel ſupradatam repetat Opiatam, vel ſequentem ſumat, maxime cum Catharſis liberalior ſit, quod pro fomitis conditione in hac Podagra interdum contingere ſolet.

℞. *Conſerv. Roſ. rubr. vetuſt. unc. ſem.*
Confect. de Hyacinth. drach. j.
Laudan. Cydoniat. ad gr. jv.
Spirit. Ceraſor. nigr. gut. x.
M. f. Opiat. pro una Doſi.

Roborantia interna. 50 Catharticis demum abſolutis, ad Corroborantia tam interna, quam externa deſcendere oportet; & primo ad Vitalia, conferendo hic, quæ ſupra *num.* 40. jam dedimus. Vires enim reficiendæ quidem ſunt, ſed temperanter tamen; quæ regula ad bene vivendum, licet omnibus data ſit, ut recte *Plato in Gorg. Qui ſanus, & beatus eſſe velit, temperantiam exerceat oportet*. Strictius tamen Podagricos obſtringit, quorum ſalus a frugali menſa dependet; cum non ſatis ſit, aſſiduis purgationibus arthriticum incendium ſopire, ſi lauto, nimioque victu illius favillæ nutriantur. Purgationes ergo Podagræ delent flammam, frugalitas vero victus etiam ſcintillas exinguit. Itaque a Cibariis, Vinoque *num.* 26. & 27. vetitis, utpote nocentibus abſtinere, ac innoxiis cum temperantia uti, ſalutis petitio eſt. Cum cibis ergo boni ſucci Pharmaca item roborantia fæderari, fas eſt; ideo ſequentia huic intentioni tribuimus.

℞. *Confect. de Hyacinth. compl. dr. vj.*
Magiſt. ſolubil. Corall.
Margar. aa. drach. iij.
Stomach ſpecific. Ludovic drac. ij.
Elixir. Propriet. q. ſ. ut f. Opiata
Cujus Doſ. ſcrup. ij.

vel pro anguſtæ domi Podagricis

℞. *Conſerv. Borag. Meliſſ. aa. unc. iij.*
Zedoar. pulver. drach. iij.
Cinamom. acerrim drach. j.
M. f. Opiat. cujus Doſ. unc. ſem.

Horum uſus duabus horis ante prandium erit, & poſt ipſum rotulis ſupra *num.* 41. præſcriptis uti convenit.

51. Externa denique Roborantia iiſdem cautionibus *num.* 42. ſupra expoſitis dirigi debent. Appropriatum vero etiam in hac Podagra Spiritum Salis rectificatiſſimum, ut *num.* 44. dictum fuit, corroborantem eſſe nulli ſecundum confirmamus; quibus vero ad manus non eſt, ejus loco Emplaſtr. Tachenii proficuum erit, quod fit. *Roborantia externa.*

℞. *Ol. Roſat. lib. j. in ipſo liquefac. ad ignem Sapon. alb. raſi unc. jv. quo liquato, iterum adde: Ceruſſ. Minii aa. unc. jv. Coqu. len. igne, piſtillo ligneo ſemper agitando, donec duriorem conſiſtentiam acquirat, tandem ab igne ſemoto ſub continua agitatione, dum frigeſcere incipit, adde Campb unc. j in Spir. Vin. Solut. item Caſtor. pulver. unc. ſem. Miſce fortiter, ut f. Emplaſtr. duræ conſiſtentiæ.*

52 Hiſce demum peractis, ad Lactis uſum denique accedere intereſt, cum pro hac Podagra conferens auxilium ſit, & pluries ab Hippocrate comprobatum; quare per dies quadraginta Maji, & Junii menſibus, horis quatuor ante prandium, illius uſum continuare oportet. Cum vero lac crudum vel anorexiam, vel ructus acidos, vel ſtomachi moleſtias inducat; coctum ſaltem experiri convenit, ne tantæ opportunitatis remedium cito dimittatur. Sed hæc tandem circa prophylacticam Podagræ Curationem ſatis ſint; nunc etiam ad ipſam morbi aggreſſionem, pro viribus compeſcendam, accendamus oportet. *Lactis Uſus.*

53 In Paroxyſmo primum dignoſcere intereſt, a quo diſtincto Fomite ductus ſit, ſeu quæ proprie ſigna ex ſupradatis illius invaſionem comitentur; unde haud cæco Marte, ſed oculata peritia, ex apertis vexillis Ductorem dignoſcendo, appropriatis armis facilius evertere poſſimus. Cum ergo ex propriis notis paroxyſmum arthriticum a *Viſcida lue* ductum eſſe deprehendam, tunc ſequenti certamine morbi Ducem aggredior. Apprime igitur, ut omnes illius apparatus, greſſuſque inſpiciamus, dignoſcendum eſt, quod imminentem hunc morbum nonnulla, quaſi belli claſſica, præcurrere ſolent ſymptomata, quales ſunt primo partis excruciandæ torpores, deinde pondus, & hinc tumor incipiens, qui aſſueti prodromi ſenſim accedere, & ingraveſcere aſſolent; *Paroxyſmus in Viſcida Lue.*

lent; hoſce inquam a perito Medenti obſervari quidem, repellere vero, vanum eſt; cum invaſus hoſtis, ſub initiis cedere, abſque graviori Patientis noxa perpetuo recuſet. Alterum morbi hujus præludium Anorexia eſſe ſolet, quam nondum inſpicere, ſed protinus extirpare, cum poſſit, Sapientis erit; hoc enim Podagræ vexillum in ſtomaco explicatur, ut promptas ex invaſo ventriculo ad extremas inde partes illius irruptiones oſtendat. Ideo prudentis eſt, infenſum ſeminium ante completam propagationem extinguere, ſicque morbi ferociam minuere ſaltem aſſequitur.

Emetici, & chatartici uſus. 54 Tempeſtiva ergo Emetica hanc tetigiſſe metam, ſæpe compertum habeo; quod vero in hac urgentia proficuum eſt, ſupra *num.* 36. expoſitum fuit, cum autem bolus magis lubeat, ſequens opportunum erit.

℞. *Tartar. Emetic. ſolubil. gr. viij.*
Oxymell. Scyllit. drach. ſem.
Confect. Alcherm. q. ſ. ut f. bolus.

Sorbitiones poſt ipſum, ſicut & Paregorica, cum exigantur, inibi data ſunt; vomitiones vero pluries repetere, anorexię contumacia, Patientiſque conditiones docebunt. Alvus item ſæpe in Paroxyſmi limine, nimis aſtricta, debitam obedientiam denegat; quare & hanc rebellem non negligere, ſed ad exigitum tantæ urgentiæ tributum compellere expedit; ideo vel pilulas *num.* 45. ſupra datas a Drach. ſem. ad Scrup. ij. pro re petenti præſcribere, vel aliquam &c. ſequentibus potiunculis propinare oportet. E. g.

℞. *Tinctur. Hermodact. drach. ij.*
Reſin. Turbith. gr. viij.
Aqu. Card. ben. unc. iij.
de Cinamom. unc. ſem.
M. f. Potiuncul. pro Doſi.

vel ℞. *Tinctur. Hermodact. drach. ij. ſem.*
Syrup. de Spin. Cerv. unc. j.
Aqu. Borag. Meliſſ. aa. unc. ij.
M. f. Potio ſimiliter.

Quamlibet ex hiſce, cum debito regimine pręſcribi debet; ſicque victus ratio, paroxyſmo dictis ſignis imminente, ſumma parſimonia moderanda eſt, vinumque omnino ablegandum.

Invaſionis conſideratio prima. 55 Invaſum denique doloribus, febrique conſociatum Paroxyſmum, Patientis tolerantiam magis, quam Medentis operam expetere, noſcimus; cum Artis remedia ſępe inutilia, ſæpiuſque noxia fuiſſe, plurima experimenta docuerint; & tunc potiſſimum, cum omni præſervatione poſthabita, ſoluta vitæ libertas nigram incendio picem cumulaverit; tunc, inquam, cæteris in arte deſpectis, pro ſolo dolore ſedando, furiati gemitus audiuntur; ſed appropriatum anodynum, quod tutum ſolamen ferat, ob complicatas hinc inde cauſas hactenus invenire arduum fuit. Plurima enim inventa a Plurimis, non æquali ſorte, qua celebrantur, comperta ſunt; ac eorundem, ob Patientum gemitus, intempeſtivus uſus nondum inutilia, ſed adhuc noxia evadere compulit. Quid ergo? Ad tantæ urgentiæ opus otioſam artem, ut Nonnulli cenſent, relinquere? Impium quidem eſſe Patientum clamores exagerant. Deliberandum ergo eſt, gementibuſque ſolatium aliquod exquirere, pietas peritiam urget. Per me itaque primo perpendere cenſeo; Quomodo, & Quibus comitatus moleſtiis Paroxyſmus invaſerit. Si enim cum febre ardenti, gravibuſque ſymptomatis ſociatus emerſerit (quæ quidem omnia in hac Podagræ ſpecie per ſe nunquam exurgunt) tunc a prægreſſis erroribus, qui proprie haſce turbas concitarunt, appropriatam medendi methodum ſumere delibero. Tuto enim cenſendum eſt, quod ſoluta vivendi libertas cruditates plurimas in fluidis cumulaſſet; unde febrilis flamma, & acerba ſymptomata, ultra hujuſce Podagræ vires, ocyter accenduntur. Ideo in caſu, & cauſa, cum phlebotomia primum expetatur, illico ſanguinem mittere, non omitto. Sic pariter pro re petenti vel Emeticum, vel Catharticum ad opus indicatum vocare non ambigo; ſed de hiſce auxiliis ac illorum methodo ſatis locuti ſumus; neque hic complicatas Podagras inquirere, ac extra pomæria vagare, noſtra brevitas patitur.

56 Cum autem non ocyter, ſed lento proprioque hujus Arthritidis greſſu Paroxyſmus invaſerit, Febremque mitem, vel nullam ſecum duxerit, nec nimis moleſto ſymptomatum comitatu ingreſſum fecerit, tunc phlebotomiam primo, utpote non expetitam, dimittere oportet, ne Viſcidus lentor, qui *conſideratio altera.*

ſolus

ſolus ſcenam agit, depauperato ſanguine, infenſiores vires adaugeat. Sic pariter cum ex indicis *ant. num.* 54. expoſitis, vel Emeticum, vel catharticum expetitum, in diuturno morbi exordio ad uſum vocatum fuerit, quieſcere tunc expedit, donec ab incremento vexante opportunius requiratur auxilium. Nec opus ingens erit, huic Podagræ appropriatum, & innoxium compeſcentiæ, remedium invenire; per me poſt inveteratam Praxin, tutiſſima & expeditiſſima auxilia ſequentia compertus ſum, quæ una ſimul & ſpirituum acoſmiam refrenare, & Viſcidam luem ad citiorem eliminationem diſponere, æque poſſunt; longiſſimos enim in hac Artrhritide paroxyſmos hiſce recte uſis, ad breves dies coarctatos, ac omnino debellatos, Deo favente jam vidimus. Interna ergo ſequentia ſunt, videlicet.

℞. *Aqu. antipodagr. nræ unc. ij.*
Tinctur. Bezoard. anodyn. nræ drach. ſem.
Cinnabar. Ungar. puriſſ ſcrup. ſem.
M. pro una Doſ. de ſero repetend.

Aquam Antipodagr. nram ſic confectam volumus.

℞. *Suc. fol. Chamædr. Chamæp. aa. lib. j.*
Expreſſ. Radic. Bardan. major. lib. ſem.
Aqu. font. Spirit. Sal. acuat. lib. iij.
M. & diger. tribus dieb.
Poſtea in B. M. deſtill. ad ſiccitatem.

Tinctura Bezoard. Anodyn. pro hac Podagra ſequ. modo conficere jubeo.

℞. *Fol. Scord. Chamædr. aa. manip. iij.*
Radic. Bardan. major. Sarſaparil. aa. unc. iij.
Myrrh. Croc. integr. aa. unc. ſem.
Opij Thebaic. drach. j ſem.
Conciſ. infund. in Spir. Vin lib iij.
Diger. l. c. diebus octo, poſt Colet.
Colat. adde Spirit. Sal rectific. unc. iiij.
Et Vaſ. probe clauſ. Uſui ſervet.

Opti vindiciæ. 57 Neque hic Nonnullorum timores audiri debent, qui ab Opio Spiritus enervari, ſicque intimos Naturæ, ſibi proſpicientis, conatus præpedire pavitant; Veterum præjudiciis occupati, qui Opii vires excrutari neſcierunt, quæ tandem ex optimis experimentis eluxerunt. Iterum ad omnes pene morbos, quos Enormontica concitatio induxerit, protinus compeſcendos, nulli ſecundus eſſet medicatus. Nec Naturæ vires proſternit, ſed reſtaurat; cum doloribus, & agrypniis conſumptas, placidam quietem inducendo, cæteris remediis ocyus integrare aſſueſcat; ſic prompte quidem cæteras fluidorum omnium ultra Naturæ leges concitatas motiones a valida illius energia refrænari obſervamus; hiſce inſuper adde, quod ſi cum bezoardicis fœderatum diſtribuas, promptam diaphoreſin promovere, compertum ſit. Quibus ergo viribus dotatum Opium, qui noſcit, appropriatum in caſu noſtro auxilium eſſe debere, non ambiget. Sed ad noſtra redeamus; qui vero ſupra datum remedium ad manus habere nequeunt, ſequenti ſaltem utantur.

℞. *Cinnabar. Ungaric. puriſſ. ſcrup. ſem.*
Antim. diaphor. C C. philoſ. aa. ſcrup. j.
Laud opiat. gr. j. vel alterum.
Aqu. Chamædr. Chamæpyt. aa. unc. j. ſem.
Spir. Sal. rectific gut vj.
M. diger. horis quatuor pro Doſ.

Quælibet ergo ex dictis Mixturis bis in die, mane ſcilicet, & veſperi duabus horis ante cibum ſumatur, ac tandiu frequentetur, donec paroxyſmus decedat.

58 Internis auxiliis Externa etiam confæderare oportet, ut invaſa lues facilius ab articulis eliminetur. In hiſce tamen anodynis, quæ potiſſimum cruciati Patientes expetunt, plurimum a Practicis deſudatum fuiſſe perlegitur; ſed cum legitimas hujus morbi cauſas diſcernere haud fategiſſent, diſpari ſæpe forte compeſcentiæ metam attigerunt; ideo inter ambigua hærendo, incertaque vitando, ut ſaltem doloris ſenſum adimerent, ad ſtupefacientia confugere, tandem coacti ſunt; & certe cui animus deficit, eſt, inquam *Auxilia externa.*

Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum. Virg.

In hac ergo Arthritide ſequentibus ſemper fauſtis, huc uſque contenti ſumus.

℞. *Sapon. Venet. lib j.*
Camphor. elect. lib ſem.

Contund. in mortar. & f. globul. per retort. vitr. ex arena deſtillandi, liquor oleoſus deſtillatus cum mucagine ad coll. retortæ coagulata miſce, & adde

Spir. volatil. Urinæ part. æqual.
Mixt. diger. dieb. x. tandem per grad. deſtill.
Et habebis liquorem in hac Podagr. inſignem.

Cui vero hic deeſt, ſequentia ſaltem inſervire poterunt, videlicet.

℞. *Sal. Armoniac. ſepties ſublim. dr. iij.*
Spir volatil. Urin. drach. ij.
Camphor optim. drach j.
Spir. Sal. plur. rectific. unc. iij.
M. & diger. dieb. trib. & pro linim. ſerva.

vel ℞. *Spirit. Sal. Armon. camph. unc. v.*
Sapon. Venet. unc. ij.
Croc. oriental. integr. drach. ij.
Opii Thebaic. drach. j.
M. diger l. c. diebus viij.
Liquor filtret. & pro linim. ſervetur.

Hiſce demum pro morbi vehementia, Patientiſque conſtitutione una cum Internis ſupra datis auxiliis peritus Medens uſque ad morbi terminum uti poterit; cito enim ex articulorum minera infenſum Viſcidum attenuatum evocant, ſimulque dolores compeſcere, & abbreviare ſolent. Declinante demum paroxyſmo Purganti aliquo, ex datis *n.* 54. uti oportebit, imo, & illud repetere, cum expeti videatur, etiam intereſt. Quid tandem ad corroborandam partem agendum ſit, *num.* 42. *ad* 44. dictatum jam fuit.

Paroxyſmus ab Acri fomite. 59 Alteram demum Paroxyſmi atrocioris tragædiam ſpectare nunc convenit; Arthritis hæc, Calida vulgo dicta, ſeu a fervidiori Acri fomite ducta, non ſenſim, ſed extemplo invadere, ut plurimum aſſueſcit; ideo hæc, inquam prodromos, quos in Altera vidimus, præmittere neſcia, repentina ſępius aggreſſione invadit. Interdum tamen Edacitatem illam familiarem hujuſce Fomitis ſociam, diebus aliquot ante paroxyſmum, in Anorexiam degeneraſſe inſpeximus; Acris enim lues ad lęſionis gradum evecta, digeſtionis fermenta non acuit ultra, ſed evertit, ideo non Eſuries, ſed Inappetentia moleſtat. Tunc ergo Emeticum, *nu.* 46. præſcriptum, opportunum eſſe cenſemus. Similiter cum Alvi Stypticitas, quæ non raro contingit, paroxyſmum præcedat; tunc lenitivum vel ex flor. Caſſ. cum gran. aliquot Diagryd. vel infuſ. Tamarind. in ſero Caprillo prężcribere oportet, ut Alvus obediens ſervetur, ac primarum viarum ſordes una ſimul eliminentur.

60 Invaſum denique Paroxyſmum, illius aggreſſionis modum diſcernere primo intereſt, vel ſcilicet cum febre ardenti, ſæviſque ſymptomatis ferocem initium oſtentat; vel mitiori hoſtilitate invaſionis primordia placidiora ducit; ambo quidem diſtinguere eſt opus, cum non eodem auxiliorum apparatu illis occurrere conveniat; Prior ergo hic, Alter infra recenſetur. Paroxyſmus igitur, ferocientem aggreſſionem affectans, primo quidem phlebotomiam petere videtur; maxime cum ſoluta vivendi libertas illius ferociam lactaverit; tunc venæ ſectionem præcipere oportet, ſicuti *num.* 48. diſcuſſum eſt; at poſt ipſam, etiam repetitam, ſi urgeat, quid ultra movendum ſit, animus hęret. Etenim ſi Catharſis promovenda ſe offerat, & potiſſime cum a prægreſſis erroribus plenis votis expeti videatur; timendum quidem eſt, ne a purganti pharmaco accenſa lues magis exagitata, ferociores turbas adaugeat, doloreſque impenſiores exaſperet. Contraque timetur etiam, quod ſordes in primis viis redundantes continuum arthritico incendio pabulum conſervent, ſicque perennetur flamma oportet, cum eſca non ſubtrahatur. Medium ergo inter has ambages opportunum ſeligere eſt opus; lenientem ſcilicet, miri motione purgantem præſcribere, qui minus, vel nihil exagitare, ac primas vias, quæ morbo fomitem ſuggerunt, a ſordibus expiare aptus ſit. In hac linea nil tutius cenſeo, quam infuſ. Tamarind. in Sero Caprill propinare, ac poſt horas duas ſaltem lib. j. vel alteram, maxime cum ſitis petat, ſer. deſtill. exhibere, cibumque tenuam horis quatuor a pharmaco præſcribere. *Paroxyſmi ferocientis Curatio.* *Phlebotomia & Catharſis.*

61 Hiſce peractis, de ſanguinis ebullitione protinus extinguenda, ſicque febri, doloribuſque ſimul minuendis, cogitandum eſt. Acrem enim accenſam luem, quæ tantas in fluidis alit flammas, abſorbentia propria cito coercere poſſunt; cum ab hiſce Acres infeſtæ par- *Ac ſorbentium Uſus.*

particulæ abſorbeantur, & invertantur, ac in graviores moleculas, aut ſales enixos congeſtæ, gravitatis lege præcipitantur, ſicque ſeparatę ad Hippocraticam coctionem ducantur, unde purgantium vim facile audiunt. Abſorbentia vero iſta cum Opiatis confæderare intereſt, ut alteram, nempe ſpiritus compeſcendi, metam, quæ non minus expetitur, una ſimul aſſequamur; ſic ergo in hoc caſu iſta præſcribere ſoleo.

℞. *Magiſt. Solubil. Corall. Margarit. aa. ſcrup. j.*
Sal Prunell. optim. drach. ſem.
Reſin. nræ Antipodagr. ſcrup. ij.
Laudan Opiat. gr j. vel alterum
Succ. Berber. q. ſ. ut. f. Bol. pro Doſ.
Quibus ſuperbibat ſequent. Aqu.

℞. *Aqu. Papav. Errat. unc. iij.*
Cord. Saxon. frigid. unc. j.
M. pro uno hauſtu.

Quibus vero boli non arrident, pulveres in aquis dictis ad mixturæ formam inſervire poterunt. At pro minoris fortunæ Podagricis ſequens proficuum erit.

℞. *Corall. præp. Nitr. puriſſ. aa. drach. ſem.*
Reſin. nræ Antipodagr. ſcrup. ij.
Laudan. Opiat. gr. ij.
Aqu. Papav. Errat. unc. iij.
Cord. Saxon. unc. j.
M. pro una Doſi.

Quælibet ergo hiſce mane, & veſperi duabus horis ante cibum tenuem diebus octo ſaltem repetere oportet. Interdiu pariter, maxime cum ſitis moleſtet, Emulſiones ſimili formula præſcriptas, concedantur. Ex. gr.

℞. *Semin. 4. frigid. major. aa. drach. ij.*
Papaver. alb. drach. j.
Amygdal. dulc. num. viij.
Aqu. Papav. errat. Lactuc. aa. lib. j.
Syrup. de Papav. Errat. unc. j.
M. f Emulſio interdiu ſumend.

Non permittatur autem in hac Podagræ ſpecie nimio ſaccharo Emulſiones dulcorare, cum ſicuti iſthæc ad ſitim ſolandam, vigiliam ſopiendam, doloremque mitigandum, non modice conferunt; ita ſaccharum nimium, quod ſub dulcedinis larva acre virus abſcondit, nimium nocere in caſu noſtro aptum eſt.

62 Interim ad Topica externa ſimul recurrere, dolores atroces, Patientiſque Impatientiæ compellunt; verum cum Acre virus in hac tragædia diſpari ſæpe cothurno ſcenam agat; ideo in caſu, & cauſa variante, diſtincto etiam topico uti ſoleo, quorum formulas, pro publico bono libenter communicare non renuo; prima ergo eſt. *Topica externa.*

℞. *Spirit. Sal plur. rectificat.*
Vitriol optim. aa. q. v.
M. & diger. l. c. per diem poſt. in ipſo ſolv.
Margarit orient. optim. notæ
Corall. rubr. aa. q. ſ.
Solut. cum meſtr. ex retort. diſtill. ad ſiccitat.

℞. *Liquor. hujus deſtill. part. ij.*
Ol. Camphor. deſtill. part. j.
M & dig. dieb. aliquot. demum ſerva.

Linimentum eſt in ardentiſſima Podagra nulli ſecundum; penetrans enim eſt, ac abſorbens inſigne, cujus inſinuata vis Acre virus ocyter invertit, ſpirituum ataxiam ſenſim compeſcit, ac læſam partem reſtaurat; ſicque cito, tutoque arthriticum incendium extinguit. Alterum in minus ardenti Podagra ſequens mihi eſt.

℞. *Cerebr. Vituli libr. j. ſem.*
Medull. Crur. Vitul. libr. ſem.

M. & ex retorta deſtill. ignis gradibus, a liquore deſtillato Oleum ſepara, & ſerva; liquorem vero Capiti mortuo affunde, ac leni calore evaporare ſine, donec ad mellis conſiſtentiam redigatur, de quo cum oleo, cæteriſque f. mixtura ſequens, videlicet.

℞. *Reſident. dictæ unc. j.*
Olei a liquor ſeparat. unc. ſem.
Extract. flor. Verbaſc. albi drach. iij.
Phlegmat. Vitriol unc. j.
M. diger. l. c. trib. dieb. demum ſerva.

Hoc, inquam, ex tribus regnis depromptum auxilium pro linimento incomparabili in hac, non nimium tamen ardenti Podagra ſæpius adhibere, qui morbi victoriam quærit, minime ambigat.

63 Ve-

Faciliora ſed minus valida. 63 Verum cum hæc tutiſſima, ſed magni laboris Arcana, in omnium manibus eſſe nequeant; ideo ne communis utilitas, urgentiaque fraudetur, inopeſque gementes abſque ſubſidio linquantur, ſequentia ſaltem faciliora, ex noſtris experimentis deſumpta, Praticis commendamus.

℞. *Lact. Vaccin. Vitriol. Ungar. lib. ij.*
Deſt. ſimul ut phlegm. tantum prod.

℞. *Phlegm. hujus unc. viij.*
Extract Flor. Verbaſc. alb. unc. j.
Croc. Orient. pulver. drach. ij.
M. ad ign. len. & f. liniment.

vel ℞. *Aqu. Sperm. Ranar. part. iij.*
Spirit. Lumbric terr. part. ij.
Camphor. part j.
M. Diger. per diem, & pro lin. ſerva.

vel Cataplaſmatis forma pro infimæ fortunæ Podagricis.

℞. *Micæ Pan. Secalin. unc. jv.*
Flor Caſſiæ recent. extract. unc. j ſem.
Vitriol. Calcinat & pulver. unc. j.
Lact. Vaccin. recent. lib ij.
Coqu. omn. ſimul, & f. Cataplaſm.

vel ℞. *Farin. Secal cum furfur. lib. j.*
Vitriol calcinat. & pulver. unc. ij.
Aqu. lenticul paluſtr. q. ſ.
ut f. Cataplaſm. len. ign. calefaciend.
In fine add. Opii Thebaic. gr. vj.
M. exacte, ac tepid. applic.

Item lac maxime muliebre ſuper partem affectam e mammis emulctum mirabiliter dolores ſedaſſe vidimus. Quos demum cruciatus acerbitas ad Narcotica recurrere ducat; ſequens ſaltem, utpote minus noxium, eligere ſuadeo.

℞. *Fol. Verbaſc. alb. manip ij.*
Capit Papaver alb. num. iij.
Fol. Hyoſciam. manip. j.
Contuſ coqu. in lact. q. ſ.
Expreſſ fort. adde
Croc. orient. Opii aa. ſcrup ſem.
M. & pro fotu tepido adhibe.

Inuſtionis placitum. 64 Cum autem ad Inuſtionem potius, quam ad Narcotica confugere indigenis lubeat, utpote promptum remedium, & ab Hippocrate præſcriptum, quod illico, ut dicunt, cruciatus tollere ſoleat; per me, nec exprobo, nec laudo. Etenim ab eximio, veneratoque ſemper Præceptore Malpighio audiviſſe memini, quod plurima experimenta infauſta hoc, inquam, crudele ſemper, non ſemper tutum oſtendiſſent inventum; cum nonnullis inflammationem auxiſſet, aliis incurabile ulcus reliquiſſet. Et certe quidem in articulo ſumme ſenſili, ab æſtuanti fomite inflammato, ſpirituumque appulſu turgido vivam flammam accendere, ut cutim adurat, & eſcharam inducat, dicta, & deteriora pericula tentare eſt. Neque cautiones, quibus infauſta hæc, remedii hujus Cultores vitare credunt, omnino ſatisfaciunt; cum ad partis inflammationem effugiendam repetita phlebotomia, & ad ulcus cacoethiam evitandam purgationibus utantur; quia ſæpe ſæpius irritata Natura haſce vel non audiat, vel non toleret diverſiones, ſicque majorem ab Arte noxam, quam a morbo perferre compellitur. Nos ergo Japponenſibus Moxam relinquimus; nam barbarum hoc remedium nunquam votum noſtrum rapere potuit; cum benedicente Numine, a quo bonum omne deſcendit, abſque Inuſtionis ope dolores hoſce ſedare aſſequuti fuerimus. Sed ſatis hactenus extra pomæria noſtra divagavimus, redeamus ergo ad lineam.

65 Cum denique Abſorbentibus dicati dies præterierint, coctioniſque opus peractum adhuc eſſe, a ſignis conjicere liceat, ad opportuna Purgantia deſcendere tandem, eſt opus; determinatam vero purgationis viam intima molimina ſæpius oſtendunt, & quo Natura vergit, eo ducere convenit. Non ergo dum accenſa Febris morbi tragædiam ducit, rationes *nu.* 49. expoſitæ audiri debent, cum aliam methodum præſervativa purgatio requirat, aliam item paroxyſmus cum Febri expetat; in illa enim Ars, in hac Natura movet; ideo hic non libero rationis ductu, ut in illa, ſed coacte potius, & quo Natura innuit per conferentes vias purgationem dirigere intereſt. Quamobrem caute hic explorandum eſt, an ſudores vel urinam determinato molimine ſelegerit; cum ergo cutim petat, urinæ pauciſſimæ ſunt, corporis vero ambitus aperto *Purgationes ſeligit Natura.*

toma dore irrigatur; contra vero, cum ad diureſin vergat, corporis peripheriam conſtipat, urinas vero copioſiores effundit. Hæc, inquam, in Febribus rite, & recte curandis, Naturæ medicatricis regulæ ſunt, quibus Ars miniſtra parere, cum conferant, perpetuo debet; quam potiſſimam medendi legem in Tractatu de Febribus imprimere ſtuduimus.

Purgatio ſudorifera. 66 Movendum ergo & in hac arthritica Febri, quo Natura vergere videtur; ideo ſi cum urinis paucis cutim ſudore madidam video, electam ab ipſa diaphoreſin inſequi delibero; verum a bezoardicis validioribus abſtineo, cum non concitare, ſed ſecundare ſudorem, promotumve coadjuvare intentio ſit, maxime quia ſanguinis fuſionem, ab Acri prædominanti fomite minitatam, efficaciora diaphoretica, plena doſi exhibita, omnino conficerent, ſicque non Naturæ auxilium, ſed illius excidium ſuppeditarent. Sufficit ideo inchoata illius molimina, cum debilia ſint, & voces quædam Artis ſuppetias petentes, (nam cum per ſe tantum reſolutiva ſint, & quæ integre judicant morbum, tunc *neque movere*, *neque novare aliquid*, *ſed ſinere* 1. *aph.* 20 docemur.) conſimili, ſed leni motione proſequi; formulas ergo tales eſſe cupio, videlicet.

℞. *Sulphur. Antimon. fixi Ludovic. gr. viij.*
Corn. Cerv. philoſoph. ſcrup. j.
Confect. de Hyacinth. drach j.
Laudan. opiat. gr j. vel alterum
Aqu. Papav. Erratic. unc. ij.
Cord ſaxon. unc. j.
M. pro Doſi matutina, & cum opus ſit, ſero repetend.

vel ℞. *Antimon. diaphor. optim. drach. ſem.*
Tinct. nræ Bezoard. anodyn. ſcrup. ij.
Cum Confect. de Hyacinth. q. ſ.
f. Bol. pro Doſi, & ſuperbib. ſequ. Aqu.

℞. *Aqu. flor. Sambuc. unc. iij.*
Aurantior. unc. ſem.
M. pro hauſtu.

vel ℞. *Tinct. nræ bezoard. anodyn. dr. j.*
Aqu. Papav. Erratic.
Acetoſell. aa. unc. ij.
de flor. Aurantior. unc. ſem.
M pro hauſtu ſudorif.

Hæc ergo promovendæ Diaphoreſeos gratia ſatis eſſe poſſunt.

67 Cum autem cutis arida ſudoris indicia minime prodat, ac Urinæ copioſiores mingantur, Naturam ad ureteres vergiſſe tuto conjicitur; ideo ad expetitam opem diureticis mitioribus uti deliberandum eſt. In hac pagina tamen petitiones, & renitentias perlegere oportet, ſeu perpendere ſimul, an lithiaſis, familiaris Podagræ ſocia, Ægrum moleſtet; in quo caſu Naturam deviare potius, quam ſecundare, fas erit, quamvis præſente arthritide, nephritici dolores ſileant, cum ut Scyllam evitet, ad Carybdim irrumpere Naturæ conatus ducant; ideo inconſultam ductricem divertere, & ad magis conferentem viam reducere prudentis Medici munus eſt. At cum a nephritide nunquam vexatum eſſe fateatur Patiens, molitam diureſin ſecundare omnino tenemur; ideo in hujuſce ſubſidium ſequentibus uti convenit, videlicet. *diuretica.*

℞. *Aqu. de Succ. fragor. unc. ij.*
Magiſt. Ocul. Cancr. drach. j.
Syrup. Heder. terreſtr. unc. ſem.
M. pro Doſ. diuretic. leniſſ.

vel efficaciora cum opus videatur, & Bolus magis arrideat

℞. *Magiſt Ocul. Cancr. drach. j.*
Sal. Volatil. Succin. gr. viij.
Spirit. Sal. rectificat. gut. x.
Balſam. ſulphur. terebinth. q. ſ.
ut f. Bolus diuretic. pro Doſi.

Hæc, inquam, tam Sudorifera, quam Diuretica auxilia tertia, vel quarta etiam die continuare convenit, vel donec integre depulſo fomite, febris, & ſymptomata ſimul evanuere; demumque aliquo ex Catharcticis infra dandis Curationem abſolvere, conveniens erit. Cum autem per utramque viam ſudores, urinaſque copioſiores laceſſita Natura profundat, tunc ut ad magis conferentem dirigatur vel Bezoar. occident. ad ſcrup. j. vel ſpirit. ſal. rectificatiſſ. ad gut. x. in vehiculo appropriato exhibe-

hibere convenit, quæ ad motum magis proficuum intimos conatus determinaſſe pluries compertum habeo.

68 Veruntamen cum ex omni parte Naturam feriari, nec ſudorem, nec urinam fundere inſpiciatur, tunc operoſus Medens cum illa quieſcere minime debet, ſed Catharſin ſaltem (quam fortaſſe lenta impulſione ipſa molitur, utpote in hoc affectu valde proficuam) promovere tenetur. Quod ſi hæc regula in acutis Febribus, ad præveniendos abſceſſus criticos, (quos Natura poſt coctionem ab omni motu vacando, ſæpe tentare ſolet) præſentanea eſſe videtur; in hac pariter febri ad præcavendam ſubactæ ſordis ad articulos impulſionem, unde tophi excreſcere ſolent, valde conferre poterit. Ad hanc ergo obtinendam, haud fortiora cathartica, ſed placidiora in hac Podagra expetuntur, quorum normam ſequentia dictare poſſunt.

℞. *Reſin Jalapp. gr. xij.*
Extract. Rhabarb. drach. ſem.
Syrup. de Spin. Cervin. unc. j.
Aqu. Papav erratic. unc. iij.
M. f. Potiuncul. pro Doſi.

vel ℞. *Extract. Purgant. nri drach. j.*
Syrup. Roſat. ſolut. unc. ij.
Aqu. Boragin. unc. iij.
M. f. ſimiliter Potiunc.

Extractum purgans noſtrum in hac Podagra proficuum *nu.* 49. jam dedimus; cum vero Pilulæ magis arrideant, ſequentibus utor, vel ſimilibus.

℞. *Reſin. Jalapp. ſcrup. j.*
Extract. Senn. drach. j.
Diagryd. ſulphurat. gr. xv.
Syrup. de ſpin. Cerv. q. ſ.
f. Pilul. pro duabus Doſ.

Cathartica ergo dicta bis, vel ter adhuc pro morbi conditione, Patientiſque tolerantia repetere eſt opus; diebus vero a purganti vacuis, abſorbentia ſupra data reſumat oportet, ut integram morbi ſolutionem conſequatur. Clauſa demum Catharſi, Corroborantia ad uſum vocare convenit, de quibus tam internis, quam externis nihil hic addere eſt opus, cum ſupra *num.* 50. & 51. ſatis jam dictum ſit.

69 Paroxyſmus alter, qui cum pauca febri, ſymptomatiſque mitioribus invadere ſolet, ſicuti haud acuto intuitu, ut dignoſcatur indiget, ita nec tantam remediorum copiam ut compeſcatur exigit; hujus enim fomes, cum mitiori acerbitate militet, tantas in ſanguine turbas concitare nequit; ideo per ſe quidem phlebotomiam primo non expetit, cum & parva febris, & lenta ſymptomata illam non indicent. Vomitorium vero vel lenientem catharticum, ſub paroxyſmi limina ſeligendum, petentia ſigna, & prophaſes etiam ſuadere poterunt. Reliqua item auxilia, tam interna, quam externa, in antecedenti paroxyſmo expoſita, pro morbi tenore plus minuſve diminuere, ac appropriare, placidiorique methodo mitiorem morbum tractare, perito Medenti relinquitur; & cum mitioribus auxiliis affectus contumaciam non ſubjeciſſe comperiet, tunc oportet melius *omnem* *Paroxyſmus alter.*

Expediat Morbi cauſam, eventuſque ſecundet. Virg. Georg. l. 3.

70 De Iſchiade adhuc ſævioris Arthritidis progenie non exigua diſcutienda remanent; hæc, inquam, affectio, cum profundiorem articulum occupet, omnibus circa lumbi, cluniſque contextis, muſculis propriam pænam communicat, ac per nervos, qui inibi tranſeunt ad femur, tibiam, pedemque doloris ſenſum extendit. Pars autem primitus affecta magnus coxendicis articulus eſt, quam ex oſſe femoris, & iſchio ad coxę articulationem Natura conformavit, ut quaſi fulcrum, & baſis viventis machinę conſiſtentiam firmaret, motuſque, greſſuſque dirigeret; hæc inquam femoris junctura, & articulatio ſicuti omnium maxima extat, ita in defatigato munere fungendo, ſuccum nutritium præ cæteris copioſiorem ad opus exigit, & recipit, quod impenſibiles arteriarum inibi exonerantium ramificationes oſtendunt. Hic ergo liquor, cum a Naturæ ſcopo diſcedat, ut contingit, cum a depravatis digeſtionibus vel nimium Acri, vel Viſcido charactere ſignatus *Iſchiadis pars affecta & Cauſæ.*

Iſchia-

ſit; tunc & fædam nutritionem, & morbidas affectiones, ac ſpeciatim Iſchiadicam, procreare aptus eſt. Acris enim, Viſcidave lues, ut in antecedentibus expoſitum fuit proximæ, ac immediatæ hujus etiam particularis Arthritidis Cauſæ ſunt; ad quarum exiſtentiam comprobandam, quæ inquam *a nu.* 5. *uſque ad* 13. declaravimus, hic quoque ſatisfacere debent, ſicuti ad eaſdem diſcernendas, diagnoſtica ſigna, *n.* 14. & 15. expoſita, hic adhuc inſervire poterunt, cum a peritis oculis inſpiciantur.

Prognoſis. 71 Prognoſis vero Affectum præ reliquis graviorem denunciat; partem enim nondum capillaribus, ſed plexibus nervorum munitam afficit, & divexat, unde atrociora ſymptomata ducit, & cum veteraſcat, aut præpoſtere curetur, vires proſternere, & vitam decurtare ſæpe ſolet; in principio tamen præ reliquis citius peritam audit medelam, probeque curatus recidivare neſcit, neglectus vero, vel rudi curatione tentatus, exaſperatur primo, & inde coxam excidere, & crus contabeſcere cogit, *ut* 6. *aph.* 60. docetur. Ætates vero non æque ſemper moleſtat, ut idem innuit *Hippocrates lib.* 2. *prædict. num.* 45. *cum a quadrageſimo anno uſque ad ſexageſimum maxime affligat*; Junioribus infeſtus minus quam ſenioribus. Doloris item circuitum, motumque conſiderare inſtruit *ibidem num.* 46. Si enim lumbos, coxam, & inguinem ſimul afficiat, diuturnum eſſe denunciat; ſi vero relictis lumbis ad coxam deſcendat, bonum eſſe ſignum prædicit; contra vero cum ad lumbos aſcendat, malum eſſe indixit. Hæc tamen omnia pro cauſarum differentia variare non ſemel obſervavimus; Ab Acri enim fomite atrociores, ſed breviores cruciatus, quos diuturniores, minuſque ſevos a Viſcida Lue inductos, perſæpe inſpeximus; ideo Seneſcentes, quos viſciditas moleſtare ſolet, per annum & ultra, Juvenes vero, quos acre magis infeſtat, per quadraginta dies cruciatos vidiſſe, ibidem teſtatur *Hippocrates*.

72 Curatio denique a Cauſarum diſparitate dirigi debet; remedia enim quæ Viſcidum reſolvunt, Acre penitus exaſperant; Ideo apprime diſcernendum eſt, an a pice, vel ſulphure incendium iſtud nutriatur, ut appropriatis extinguatur. *Curatio a Viſcida lue.* Quamobrem primo, cum cognitum ſit, morbum a Viſcido lædenti foveri, haud valde diſſimili methodo curativa, quam in Podagra, ab eodem fomite ducta, expoſuimus, hunc etiam non niſi loco diſparem affectum perſequi convenit; idem enim ſub eadem Arthitide, iiſdemque genitus cauſis, licet foco diſſitus, Podagricus, & Coxendicus morbus eſt; ideo non niſi pro ſitu diſſimilem ab illo propriam medelam repoſcit. Cum itaque Viſcidus fomes Iſchiadis ſcenam agere dignoſcatur; primo perpendendum erit, an Vomitum expetat, & Patiens ferre queat, quibus datus, minime dimittatur; cum in hoc etiam affectu potiſſimum eſſe auxilium, compertum ſit. Emeticum ergo cum propria methodo, *num.* 36. datum, præſcribi debet. De phlebotomia vero minime cogitandum eſt, cum in hac cauſa, nondum inutilem ſed perniciofam fuiſſe, pluries obſervaverim; excipe tamen caſus, cum præteriti errores exteras a morbo propha ſeos cauſas in ſanguinem duxerint, tunc huic complicato morbo, methodum ſupra *nu.* 55. expoſitum ſatisfacere poſſe credimus.

73 Ad externa pariter dolorem ſedantia Patientum cruciatus recurrere urgent; *Clyſmatum uſus.* dolorem enim, cum atrox ſit, morboque interdum pejor, cito minuere intereſt, ne ad virium conſumptionem, vitæque limites ducat; inter opportuna ergo primam Clyſteres tenent lineam, qui acres anodynis præcedere debent, cum apprime inteſtinorum ablutio expetatur; hæc enim a ſordibus, expiatæ viæ, nec læſæ partis moleſtiam fovere, nec anodynorum clyſmatum energiam evertere ultra poſſunt; ſequenti ergo, aut conſimili primo uti poterit.

℞. *Radic. Hermodact. Bryon. aa. unc. j.*
Fol. Salv. Rut Malv. aa. manip ij.
Flor. Stæchad. Hyperic. aa. pugil. j.
Aqu & Vin. aa. q. ſ. M. & coqu. ad mediam.
In Colatur. unc. x. diſſolve

Elect. Hier. picr. cum agaric. unc. j.
Sal. Gemm. drach. j. ſem.
Et f. Clyſter, pro re nata repetend.

Poſt ipſum denique ad expetitam anodynorum opem deſcendere oportet, ideo alterum ſequenti, vel ſimili formula paratum Clyſma præſcribere, ac pro urgentia ſæpius repetere, & ut diutius retineatur, inſiſtere convenit; ſæpe ergo Clyſterem ex ol. Amygdal. dulc. recent. unc. viij. & Philon. Roman. drach. ſem. confectum præſentaneum ſedativum inveni; ſecus alias ad ſequentem, vel ſimilem confugere eſt opus.

℞. *Fol. Chamædr. Salv. aa. manip. ij.*
Flor. Chamæmel. Aneth. aa. pug. j.
Semin. Thlaſp. Hyperic. aa. unc. j.
Cap. Papav. alb. contuſ. num. x.
Aqu. Vin. aa. q. ſ. pro duab. Doſib.
M. & coq. ad conſumpt. tertii.

℞. *Colatur. unc. vj. in ea diſſolv.*
Diaſcord. Fracaſtor. drach. iij.
Philon. Roman. drach. j.
Ol. Lini, Nucis aa. unc. ji.
M. F. Chlyſter anodyn.

Topici externi uſus

74 Topica pariter anodyna, & reſolventia ſimul affectæ parti apponere convenit; & primo pro Ditioribus ſequentes compoſitiones libenter communico, videlicet.

℞. *Bacc. Laur. Juniper. aa. q. v.*
Ex hiſce ſimul mixt. oleum deſtill.

℞. *Ol. hujus deſtill. unc. j.*
Sapon. deſtill. drach. vj.
Liquor. Camphor. nri drach. iij.
M. & diger. l. c. per diem integr.
Et pro inſigni linimen. calid. utito.

Liquor Camphoræ pro hac mixtura ſequenti modo fit.

℞. *Camphor. elect. part. j.*
Spirit. Terebinth. part. ij.
Deſtill. ſimul, & bis cohob.

vel ℞. *Ol. expreſſ. ſemin. Thlaſp. unc. j.*
Sapon. deſtill. unc. ſem.
Liquor. Camphor. nri drach. ij.
M. diger. dieb. aliquot. & utere.

Aliud etiam efficax, citiuſque parandum, fit

℞. *Extract. Centaur. minor.*
Cortic. Peruvian. aa. unc. ſem.
Ol. de Bacc. Laur. deſtill. unc. j. ſem.
M. pro linim. calid. adhibend.

Verum ne Pauperes abſque aliquo auxilio dimittamus, ſequentibus anodynis, & reſolventibus uti poterunt, in quo negotio gradatim incedere oportet, nempe ut placidiora primum, quæ dolorem leniant ac materiæ lentorem ad reſolutionem diſponant, deinde ad fortiora evocantia deſcendatur, primum itaque ſequens eſſe poteſt.

℞. *Unguent. de Althea unc. iij.*
Diaſcord. Fracaſt. unc. j.
Caricar. pingu. contuſ. unc. ſem.
Ol. Vulpin. Lumbric. aa. unc. ij.
Opii Thebaic. ſcrup. j.
M. ad ign. len. reſic. Unguent.

quod calidum ſuper pannum a lumbis ad coxam applicare, ſtupiſque calentibus tegere, ac per triduum quotidie repetere oportet; exinde ad efficacius, ſequenti vel ſimili modo parandum, accedatur. Ex. gr.

℞. *Piſcis naval. unc. iij.*
Gum. Ammoniac. acet. ſolut. unc. j.
Sulphur. vivi pulver. unc. ſem.
Terebinth. Venet. drach. vj.
Caſtor. Opii aa. ſcrup. j.
Cer. q. ſ. ut f. Catapl. calid. applic.

vel in contumaciſſima ſequens fortius evocat.

℞. *Empl. Oxycroc. Vigon. unc. j.*
Paſt. Veſſicant. unc. ſem.
Sulphur. vivi pulver. drach. v.
M. ſolv. ad ign. f. Emplaſt. integr. die retinend.

75 Verum dum externa hæc fiunt, interna quoque auxilia, ut radicitus morbi virus extirpetur, ad uſum vocare fas erit; inanis enim labor eſt invaſam partem ab exundanti lue detegere velle, fontem vero, a quo perpetuum mor- *Remedia interna.*

morbi profluvium dimanat, abſque cura negligere, ideo ut cauſa jugiter manans adimatur, ſerio quidem incumbendum eſt; hunc ergo ſcopum methodus eadem, in prophylactica Podagræ curatione, *a num.* 37. *ad* 40. jam data, conſequi omnino poterit, cum morbus iſte ab eadem proſus cauſa productus ſit, eodemque fomite nutriatur, licet differentem occupet ſtationem, quæ ſimplex loci ratio, cum intimam petamus originem, dictam methodum curativam immutare haud poſcit; directa enim eſt ad eundem in utroque affectu vexantem fomitem evertendum; huic intentioni etiam Curatio in paroxyſmo podagrico *a num.* 56. *ad* 58. inſtituta inſervire apta eſt, quarum alterutram pro morbi tenore ſeligere, penſum Medentis peritiæ proprium erit; ſed ſatis hic, nunc ad ferociorem affectum deſcendamus oportet.

Iſchias ab Acri lue. 76 Cum autem ab Acri fomite atrociorem Iſchiadem progigni ex propriis indiciis noſcatur, illius excandeſcentiam differenti a nunc data Curatione tractare oportet; ſulphureum enim hujuſce pabulum non minus in coxæ articulo, quam in ipſo ſanguinis fonte, a quo derivat, ebullitiones nutrit, ideo cum febri ſæpius hæc Iſchias invadere ſolet. Aſperum in hac linea caſum jam dudum præ manibus habui. Nobilem quendam, ardentis Naturæ virum curare contigit, qui vehementi febre, atrocique iſchiade vexatus, lethum diris vocibus impetebat, quod a coxæ incendio vitam non eriperet; meque hortatorem invitus audiens, partem læſam, ut tangerem, clamabat; tetigi, & certe illius ardorem intolerabilem percepi. Hic demum, favente Deo, ſequentibus auxiliis decima ſexta die ab atroci morbo ſolutus evaſit. Tantæ ferocitatis affectum ergo, paroxyſmo Podagrico *num.* 60. *& ſequ.* expoſito non diſſimilem, eadem inibi data curativa methodo expugnare, ſatis erit; eadem enim in ſanguine præpotens cauſa eundem in utroque caſu effectum regenerat, quem ab iisdem remediis (niſi aliud externa emergentia petant) affatim everti poſſe, non ambigimus; quod autem huic morbo ſpeciatim competere poſſunt, nunc videbimus.

Particularis Curatio 77 Primo itaque a Venę ſectione curationem auſpicari, ſanguinis concitatus orgaſmos aperte indicat, quæ inquam, in brachio primum, & inde in pede, ex vena Iſchiade majori dicta, externum malleolum perreptante, inſtitui poterit, ac pro doloris urgentia altera vice repetere, vel ex hæmorrhoidibus, maxime cum lumbos, & nates ſimul dolor, & ardor invadant, ſanguinem educere convenit, quo auxilio ferocem iſchiadem, per totam lumbi regionem debacchantem, ocyter ſedatam vidimus. Item cum Emeticum expeti videatur, non utique dimittendum erit, præſentaneum enim in hac urgentia remedium vomitus ſæpe attulit, at ſi Patiens haud ferre poſſit, vel nullum vomitionem petens indicium adſit, tunc ſaltem Cathartico leni, ut *num.* 60. datum eſt, ad primas vias expiandas, uti convenit; plurimum enim inteſtinorum ſordes Iſchiadis dolorem fovere ſolent; ideo ſequentia Clyſmata ad hanc opem etiam vocantur. Exinde vero potiſſima intentio erit, vigentem in ſanguine luem, quę morbi radices nutrit, invertere, ac præcipitare, quod abſorbentia remedia *num.* 61. præſcripta, cum ſua methodo, & purgatione inibi data, æque præſtare poterunt.

78 Externa vero dolores mitigantia ſub morbi exordio ad opus impendere fas eſt, ne vires a ferociente cruciatu proſternantur; ideo ante, vel poſt Venę ſectionem aliquo primum detergenti Clyſmate uti convenit, poſtmodum ad anodyna confugere, ſequenti, vel ſimili modo paranda, ex. gr. *Clyſmatum uſus.*

℞. *Succ. ex Moris nigr. unc. x.*
Ol. Lilior. albor. lib. ſem.
M. & coq. ad med. ſucc. conſumpt.
Colat. adde Philon. Roman. drach. j.
M. f. Clyſter. ter in die repetend.

vel ℞. *Succ. ex Moris nigr. lib. j.*
Semin. papaver. alb. contuſ. drach. j.
M. & coqu. ad conſumpt. tert.
Colat. adde Philon. Roman. drach. j.
Ol Lilior. alb. Chamæmel. aa. unc. ij.
M. f. Clyſm. ſimilit. repetend.

vel cum ſolo Oleo Amygdal. dulc. ad unc. x. quo cum fauſto eventu ſæpe uſus ſum; ſilebant enim cruciatus, donec Clyſma detinebatur.

Topicorum uſus. 79 Topica demum affectæ parti applicanda gradatim uſurpari debent; coxendicus enim dolor in profundo abditus, non niſi ſenſim anodynam energiam audire poteſt; intereſt ideo apprime partem diſponere, ut ultimum tandem topicum doloris compeſcentiam obtineat; quamobrem ſequenti primum, & inde altero uti convenit; prior ergo talis eſſe poteſt.

℞. *Fol. Verbaſc. alb. Lent. paluſtr. aa. manip. iij.*
Flor. Chamæmel. Violar. lutear. aa. pug. ij.
Fruct. Sebeſten. pingu. par. vj.
Succ. Moræ nigr. q. ſ.
vel in ejus defect. Aqu. Acet. aa. quantum ſatis
M coq. ad conſumpt. tert.
Expreſſ. ign. len. ad mell. conſiſt. redige
Quo pro Cataplaſm. utatur.

Poſt ipſum mane, & ſero per dies duos repetitum, ſequentem, ut morbi domitorem in uſu habeo.

℞. *Flor. Papaver. errat. q. ſ.*
irrorent. Spirit. Vitriol. non dephlegm.
Contund. ut ſucc. exprimatur.

℞. *Succ. hujus unc. x.*
Chin. chin. optim. pulveriſ. unc. iij.
M. diger. l. c. integr. die.

Qua mixtura tepida partem affectam a lumbis ad coxam uſque ter in die irrorare convenit, ut diu madida ſervetur, quod continuetur, donec dicta Doſis abſumatur. Cum hac, inquam, plurimas haſce Iſchiades perdomitas vidimus. Corticem enim hunc fluidorum orgaſmon valide compeſcentem, in externis etiam doloribus, qui recte adhibere didicerit, miranda effeciſſe confitebitur. Hæc denique Arthritidis fixæ cancellos claudere poſſunt, ut videor; in quibus Podagricos reſipiſcentes includimus; non tamen illos, qui non exiſtimant aliquid de remedio cogitare, cum mala ſua virtutum loco numerent. Senec. epiſt. 28.

80 Abſolutis ergo hiſce, quæ firmo pede ſemel invaſam partem pertinaciter occupant, ad alteram VAGAM ARTHRITIDEM dictam exquirendam, curandamque deſcendere, capitis complementum petere videtur; hæc ergo ideo vaga dicitur, quia diu ſiſtere greſſus neſcia, erranti quodam circuitu ex hoc ad alterum articulum ſæpe tranſit, pluresque raro ſimul, ſed ſucceſſive ſæpius invadit. Hæc, inquam eodem ductore, quo Podagra movetur, licet inconſtanter ob variam corporum ſtructuram, commovetur & ipſa; cum hujuſce Cauſas, Viſcidum, vel Acre virus, ſucci nutritii vitia, eſſe noſcamus; determinatam vero viſcidi, vel acris læſionem morbi progreſſus diſpares oſtendere poſſunt; ſegnior enim, minuſve moleſta vagatio, diuturnaque pertinacia Viſcidum fomitem produnt; velox econtra circuitus, atrocioreſque, ſed minus diuturni cruciatus ab Acri motore duci demonſtrant; quibus etiam cætera in Cauſarum appendice ſupra notata ſigna conferre oportet, ut proprium morbi fomitem detegere aſſequatur; quo ignorato, præpoſtera inſtituitur Curatio, quæ morbum contumaciorem efficere ſolet. *Arthritis Vaga.*

81 Prognoſis item Cauſarum regimine ducitur; etenim quæ Viſcido nutritur fomite, febris expers cum ſit, diutine moleſtat, ac imperite curata, menſes, & annos interdum percurrit; at decenti methodo tractata nec menſem tranſcendere ſolet. Quæ vero ab Acri ſucco fovetur, febrem ſociam ducens, atrocius infeſtat, ſed citius recedit, cum febris, quæ depurativa ſanguinis machina eſt, facilioris reſolutionis infeſtam luem ocyus eliminet, ideo a Perito curata, vigeſima die ſæpius abſolvitur. Conſuetæ vero excretiones, per quas pellitur morbus, Urinæ, vel ſudores ſunt, commodius autem Acre virus per iſtos, ſicut Viſcidum per illas eliminari ſolent, raro tamen per ſeceſſum deducitur; ideo Medentis *Prognoſis.*

tis penſum erit, haſce vias perſcrutari, & quo conferentius Naturam vergere videat, appropriatis ſecundare, ut citius, tutiuſque contumacem morbum depellat.

Curationis regulæ. 82 In Curatione tandem nonnullas generales regulas affectus iſte ſibi adſciſcit, quas haud negligere, Patientum pericula monent. Primo ſit, quod morbus hic a Viſcido ductus Venæ ſectionem recuſat, cum ex dictis *numer.* 48. pateat, quod ſub hac cauſa inutilis, & noxia ſit, morbique contumaciam confirmet; contra vero ſub Acri lue adhuc repetita phlebotomia ſemper proficit, morbumque citius abſcindit, cum concitatus a volatili hoſte ſanguinis ardor, per apertam venam ſenſim evolando, facilius compeſcatur; quare in diſcernendis hiſce cauſis, ſatagere intereſt, ne tantæ conſequentiæ remedium, vel omiſſum inauſpicati criminis occaſio evadat. Secundo Purgantia quælibet (excepto Emetico, quod ſub utraque morbi cauſa in paroxyſmi exordio proficuum eſſe poteſt) uſque ad morbi declinationem noxia ſemper ſunt, cum ſanguinis commotionem magis exagitando, contumaciorem perennent affectum; de lędente demum paroxyſmo proficua eſſe, non ambigitur; ideo a limine morbi uſque ad vigoris terminum in abſorbentium uſu conſtanter inſiſtere oportet, ut obtenta coctione, ſubactus hoſtis purgantia facile audiat. Tertio in Purgantibus exhibendis Naturæ motus exacte perpendere convenit, & quo molimina vergit illa, eo ducere oportet, in qua methodo vide ſupra *a numero* 65. *uſque ad* 68. Conſiderandum tamen eſt, qualis proprie ſub utraque infeſta cauſa conferentior motus ſit. Acris enim lues agilius per cutim, utpote volatilis eliminari non renuit; contra vero Viſcidus lentor cutis cribum male audit, cum fluidior pars tranſpirando, fixior tenacius hæreat; ideo per urinam potius, aut per ſeceſſum facilius educi patitur; quibus notis, ad conferentem motum Naturę molimina ſecundare, vel dirigere Sapientis erit. Quarto tandem externa Topica dolorem ſedantia toto morbi ſtadio ablegare fas erit; affectum enim contumaciorem efficere apta ſunt, nec Patientum clamores topicorum aliquod a me rapere valent ultra, cum ab iiſdem inducta detrimenta, poſt experimenta plurima, vano conamine certoque damno comperta, ſatis dignoverim.

Curatio determinata. 83 Determinata denique Curatio ex utriuſque Cauſæ diſtincta ſerie facile deducitur. Paroxyſmum enim podagricum *num.* 54. &c. expoſitum cum hac Arthritide a Viſcido fomite ducta, conſimilem eſſe noſcimus; ideo ſub illius curativa methodo hunc etiam ſubdere morbum, ęque poterit, cum in utroque eadem cauſa moleſtet; interna ergo omnia, inibi expoſita auxilia, in hac etiam Arthritide ad uſum petere convenit, methodum autem variare, hujus circumſtantiæ docebunt. Similiter Paroxyſmus podagricus, *num.* 60. expoſitus, cum ejuſdem curatione huic etiam ſub Acri fomite militanti morbo æque inſervire poterit, nempe abſorbentia primum, & inde purgantia propria, non diſſimili methodo, niſi aliter graviora ſymptomata petant, præſcribenda ſunt; neque hic retexere formulas decet, cum palinodiam, quam ſępe cecinimus, iterum repetere tędeat. Quod tamen rurſus, & nunquam ſatis inculcari debet, oculata ſemper in hiſce morbis Cauſarum dignotio eſt, quarum indiſcreta, confuſaque notitia inutilibus ſæpe, ſæpiuſque noxiis remediis utendo, indomabilem hactenus hunc perennavit affectum; qui ergo clariori lumine ductus, abditas olim hujuſce ſcatebras intimius non rimari, appropriatiſque auxiliis perſequi conabitur, facile quidem ſuperbientem Arthritidem contumaciam deponere, Artiſque legibus parere tandem videbit; de qua victoria humiles Deo grates perſolvere, operis pondus eſt.

84 Hiſce tandem perluſtratis, febrilium ſymptomatum, & morborum cum febre invadentium, vel ipſam ſonſequentium, inquiſitiones, & curationes, benedicente Numine, ultimo abſolvimus. Si Deus vitam, vireſque dederit, aliud fortaſſe opus dabimus. Expeditum nunc interea accipe,

cipe, gratumque tene opuſculum, quod inter *periculoſa experimenta, judiciaque difficilia*, per Hippocratica veſtigia cum probe ſervaveris, Tibi, & mihi bene conſules. Interim Opus hoc, qualecunque illud ſit, DEO Optimo Maximo, ut Donum ſuum clementiſſimum cum humillima gratiarum actione ſimul reddo, cui Honor, Laus, & Gloria ſit in ęternum.

F I N I S.